BENEDICTI PERERIJ VALENTINI, E SOCIETATE IESU PRIMUS \- SECUNDUS]...


Benito Perera

BENEDICTI PERERII VALENTINI, E SOCIETATE IESV

SECVNDVS TOMVS

SELECTARVM DISPVTATIONVM IN SACRAM SCRIPTVRAM,

continens centum octoginta octo Disputationes super Epistola beati Pauli ad Romanos.



Cum gratia & priuilegio CAESAR. MAIEST.

INGOLSTADII,

Ex Typographia ADAMI SARTORII.

Anno M. DCIII.

ADMODVM REVERENDO ET OPTIMO PATRI, PATRI CLAVDIO AQVAVIVA, PRÆPOSTIO GENERALI SOCIETATIS IESV.

BENEDICTVS PERERIVS S. D.

QVæ veteres illi Græcorum & Romanorum sapientes de humanæ philosophiæ præstantia & vtilitatibus magnificè admodum prædicarunt, & scriptis copiosè, diserteq́ tradiderunt: ea profectò diuinæ philosophiæ, quæ appellatur SACRA SCRIPTVRA*, multò & verius, excellentiusq́ conueniunt. celebrata est antiquitus illa Platonis in laudē philosophiæ sentētia, nullū esse bonum à Deo mortalium generi datum, aut dandum aliquādo, nec præstantius philosophia, neq́ vtilius: Beatasq́ fore ciuitates, si eas regerent philosophi, aut qui regunt, studio delectarentur philosophiæ, præceptisque parerent. plurimum etiam laudatum est illud maximi Oratoris philosophiæ encomium,*

Plato in Timæo & in Epist. 7.

Phi-

Cicero in ... 1an. & alibi.

Philosophiam, lucem esse veritatis, ducem vitæ, magistram morum, animi medicinam, expultricem vitiorum, parentemque virtutum: hanc secundis in rebus moderatricem esse animi; eandemque contra res aduersas, acerbósque casus, firmum esse hominis præsidium, dulceque solatium: hanc detrahere solicitudines, cupiditatibus liberare, timores pellere, terroresque mortis discutere, largiri tranquillitatem, & beatã vitam architectari: tantam demùm philosophiæ vim esse, vt ei qui se dederit excolẽdum, omne tempus ætatis possit sine molestia degere. Magna sunt hæc quidem, & præclara, meritoque laudanda, si ea præstaret homini philosophia. Sed est longè aliter, & ista supra verũ, supraque meritum humanæ philosophiæ à veterib. illis credita, & iactata sunt; cùm aut omnino falsa sint, aut non nisi aliqua tantùm in parte vera.

At verò diuina philosophia, quam, vt dixi, ritè nominamus SACRAM SCRIPTVRAM, *& ista ipsa verè cumulateque habet, & alia multò ampliora & splendidiora. Nam quod Regius ille vates de lege Dei propriè dixit, id ipsum sanè ad vniuersæ pertinet diuinæ scripturæ commendationem:* Lex Domini, *ait ille,* immaculata, conuertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis: iustitiæ Domini rectæ, lætificantes corda. Prę̧ceptum Domini lucidum, illuminans

Psalm. 18.

nans oculos. *Sed inter plurimas, quæ ad nos, ex diuinarũ litterarum aßidua lectione, piaq; meditatione, permanãt vtilitates, est illa præcipuè memorabilis atq; prædicabilis, quæ potißimũ eos attingit, qui vel in ecclesia & populo Dei, vel in familiis & congregationib⁹ religiosorũ hominum eruděidis alliis, regẽdisq; cum auctoritate ac potestate præsunt: abundat enim sacra doctrina documẽtis, & præceptis, exemplisq; ad prudenter & iustè, simulq; suauiter atq; efficaciter regendũ maximè accommodatis. huius ego rei testem laudabo summũ in hac diuina Philosophia virum, Apostolum Paulum: cuius in posteriori epistola, quam ad discipulum suũ, & Episcopum Ephes. Timotheum scripsit, illa, plane aurea sunt verba.* Tu verò permane in his, quæ didicisti, & credita sunt tibi: sciẽs à quo didiceris, & quia ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Iesu. Omnis Scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia: vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.

Hæc tibi, Pater optime, cum bene nota essent, penitusq; perspecta, cumq; à iuuentute sacris libris, & SS. Patrũ scriptis legendis studiose deditus fuisses; ad generalem postea & supremam Societatis nostræ

gubernationem assumptus, maiori etiã quam antea sacra hæc studia complexus es ardore, eaque tibi curiosius et religiosius colenda esse duxisti: nõ ignorans videlicet, ea plurimum ad istius grauissimi functionem muneris, ex voto tuo, atq; ex vsu eorũ, quos regis explendam, posse conducere. Flagrantem quippe sacrarum literarum amatorem, & religiosum cultorem, equidem non inscitè, opinor, neq; ineptè similem esse dixerim eius arboris, quæ, vt dixit Propheta, plantata secus decursus aquarum, fructum suum dabit in tempore suo, & folium eius non defluet, & omnia quæcunq; faciet prosperabuntur. *Subseciua igitur tempora, quæ incurrunt, præterfluere ac perire tibi non pateris: sed per negotiorum interualla furaris otium, quod ad sacram lectionem, et spirituales meditationes accommodas. sæpius itaq; secessum petis non loci modo, verum multo magis animi ab humanis occupationibus: vt quasi solutus & liber, sanctarum Scripturarum lectioni, & cõtemplationi rerum cælestium, omni studio, atq; omni intentione mentis inhæreas. hoc tibi à negotiis dulcissimum est otium: hæc requies à laborib. suauissima: hæc amœnissima remissio, & relaxatio animi, & quasi quoddam curarum omnium & molestiarum spiramentum. Quid autem in sancto isto secessu assequaris, quantumq; proficias, nosti tu, qui experiendo sentis, quam verum*

Psal. 1.

sit

sit illud Prophetæ. Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur: gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus. *Sed neq; nos id latere potest. istic enim cuduntur frequentes illi, quos audimus à te de rebus spiritualibus ac diuinis sermones, & cohortationes, diuinarum litterarum, & sanctorum Patrum sententiis, & documentis suauiter atq; vtiliter conditæ. istinc prodeunt crebræ litteræ tuæ, aliaq; scripta, tum vniuersè ad omnes, qui in hac Societate viuunt; tum propriè ad eiusdem societatis moderatores, atque rectores missa, vtilissimis referta monitis et præceptis. Sed ne plura: vereor enim, ne licet ego satis hæc parce, ac ieiune dixerim; nimius tamen fuisse tibi videar.* Psalm. 33.

Cur porro hunc meum secundum tomum selectarum Disputationum nomini tuo inscripserim, non puto esse opus, vt pluribus verbis rationem exponam. cum enim sex meos priores tomos Commentariorum, ac Disputationum in sacram Scripturam, illustrissimis aliquot Cardinalibus dicauerim, quibus scilicet id à me muneris quodammodo deberi videbatur: officij mei esse duxi, aliquem meorum studiorum & cōmentationum prouentum tibi etiã offerre; qui primus mihi auctor ad hæc mea scripta elaboranda, et in lucem edenda, et perpetuus deinceps fatuor, & adiutor fuisti. Vale, Pater optime, quem Deus, publico societatis nostræ bono, multos annos seruet incolumem.

CLAVDIVS AQVAVIVA, SOCIETATIS IESV PRÆPOSITVS GENERALIS.

Cùm hunc ſecundum tomum ſelectarum Diſputationum in ſacram Scripturam, centum & octoginta octo Diſputationes continentem, à Patre BENEDICTO PERERIO noſtrę Societatis Theologo compoſitum, tres eiuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſimus, recognouerint, ac in lumen edi poſſe probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinebit, videbitur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Tibure XV. Septembris M. DC. II.

CLAVDIVS AQVAVIVA.

APPROBATIO.

Cùm ſecundus hic tomus ſelectarum Diſputationum R. P. BENEDICTI PERERII, Societatis IESV, in ſacram Scripturam, nihil Catholicæ fidei, boniſue moribus aduerſum contineat, & ſacrarum literarum ſtudioſis magnam lucem & vtilitatem allaturus videatur: vtiliter admodum in lucem eum edi poſſe & debere cenſeo.

PETRVS STEVARTIVS SS. Theologiæ Doctor, & in Academia Ingolſtadiana Profeſſor, Parochus Mauritianus, & Collegij Theologici pro tempore Decanus.

BENEDI-

BENEDICTI PERERII IN SVAS DISPVTATIONES SELECTAS,

SVPER EPISTOLA B. PAVLI AD ROMANOS

PRÆFATIO.

CVM annis abhinc duobus & viginti, publicè in nostro collegio Romano explanandam suscepissem epistolam B. Pauli ad Romanos, loco præfationis, & eorum quæ vocantur in scholis Prolegomena, triginta quæstiones, partim de vita, & rebus B. Pauli, partim de scriptis eius pertractaui. E quibus nunc, meliora scilicet, aptioraq; consilio, & proposito meo decerpens, duas confeci disputationes, quæ tanquam proœmij, & copiosi, nec ineruditi vicem explebunt. Eandem porrò epistolam, eodemque in loco, post septem annos iterum explanaui; multa

ad priores meas commentationes adiiciens: atque ex eo item tempore ad annum vſque Domini milleſimum, & ſexcenteſimum, in quo anno hæc litteris mando, alia complura obſeruaui, & adnotaui, quæ non parùm expoſitionem eius epiſtolæ ornare, atque illuſtrare poſſent. Ex his itaque, ampliſſima mihi ſuppetebat materia, diſputationes in eam epiſtolam conficiendi copioſiſſimas: At ego magnum habui delectum, plurimaque omiſi, eaque potiſſimùm in has diſputationes contuli, quæ inſignem quampiam vel obſcuritatem ac difficultatem, vel eruditionem continebant: & quæ futura lectori perutilia iuxta atq; iucunda exiſtimaui.

PROLE-

PROLEGOMENA IN EPIST. AD ROMAN. DVABVS COPIOSIS EXPLICATA DISPVTATIONIBVS.

PRIMA DISPVTATIO.

De B. Pavlo, ſcriptore huius Epiſtolæ; quis, & qualis, quantuſque vir fuerit.

GENTEM ſuam, propriamque gentis tribum Paulus ipſe non vno tantùm loco diſertis verbis indicauit. In capite vndecimo poſterioris epiſtolæ ad Corinthios hæc de ſe ſcribit: *In quo quis audet (in inſipientia dico) audeo & ego. Iſraëlitæ ſunt, & ego. Semen Abrahæ ſunt, & ego. Hebræi ſunt, & ego.* Et in capite tertio epiſtolæ ad Philippenſes hæc habet: *Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis; circumciſus octauo die, ex genere Iſraël, de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, ſecundum legem Phariſæus.* In capite autem ſecundo epiſtolæ, quam ſcripſit ad Galatas, vocat ſe Iudæum naturâ, & non ex Gentibus peccatorem, ſignificans ſe non eſſe proſelytum, nec ex proſelytis natum, ſed à prima generis origine Hebræum eſſe. Ex his apparet, quàm fuerit non falſa modò, ſed abſurda etiam opinio Ebionitarum, qui dixerunt Paulum fuiſſe genere Græcum, & ex Græciſmo fuiſſe conuerſum ad Iudaiſmum. Quam opinionem refert his verbis Epiphanius, diſputans contra hæreſim trigeſimam, quæ eſt Ebionitarum. Aſſerunt Ebionitæ, Paulum fuiſſe Græcum,

Ebionitarum impium de S. Paulo mendacium.

Epiphanius.

& ex patre Græco: Aſcendiſſe autem Hieroſolymam, & adamaſſe filiam ſacerdotis, in vxorem habere cupientem, & huius gratia proſelytum eſſe factum, & circumciſum eſſe, & contra circumciſionem & legem Iudæorum ſcripſiſſe. Sic illi.

2. *An patria B. Pauli fuerit Giſcala, an Tharſus.*

De Natali ſolo & patria B. Pauli, diſſentitur. Beatus certè Hieronymus variè admodum ſuper ea re diuerſis in locis locutus eſt. In commentariis in epiſtolam ad Philemonem ſuper illis verbis: *Salutat te Epaphras concaptiuus meus*, commemorat quorundam opinionem aientium, Paulum eſſe natum Giſcalis, oppido Iudææ: ſed eo capto à Romanis, commigraſſe Tharſum vnà cum parentibus: & quia diu inibi manſit, vulgò appellatum Tharſenſem. *S. Hieronymus.* Verùm Hieronymus hanc opinionem vocat ibi fabulam. Sed enim in libro de Eccleſiaſticis ſcriptoribus, quem librum edidit poſt illos commentarios in epiſtolam ad Philemonem, eam ipſam opinionem ſecutus, affirmatè tradit Paulum eſſe natum Giſcalis, oppido Iudææ: quo à Romanis capto, cum parentibus ſuis Tharſum Ciliciæ commigraſſe. Idem tamen Hieronymus in epiſtola quam ſcripſit ad Algaſiam, & eſt in numero epiſtolarum eius centeſima quinquageſima prima, reſpondens ad quæſtionem eius decimam, apertis verbis ait, Paulum natum, & nutritum eſſe in Tharſo Ciliciæ, ideoque retinuiſſe in loquendo, & ſcribendo proprietates & phraſes græcæ linguæ, qua tunc vtebantur Tharſenſes. Et quia hanc epiſtolam poſt librum de ſcriptoribus eccleſiaſticis edidit, hanc fuiſſe putemus vltimam eius ſententiam. *Beda.* Beda tamen in caput vigeſimum primum Actorum Apoſtolicorum, cenſet, Paulum eſſe natum Giſcalæ, nutritum autem Tharſi, ideoque vocatum Tharſenſem, quemadmodum SALVATOR noſter vocabatur Nazaræus. *Matth. 2.* Idemque ſcribit Andreas Maſius in caput decimum nonum libri Ioſue, ſuper verſum trigeſimum. *Maſius.* Neſcio equidem cur ſanctus Hieronymus, & quidam alij Giſcalam vocent oppidum Iudææ; cùm ex Ioſepho in libris de bello Iudaico manifeſtum ſit, Giſcalam non fuiſſe in Iudæá, ſed in Galilæa. *Ioſephus.*

Ceterùm

3\. Ceterùm communis est patrum, atque omnium ferè sententia, beatum Paulum esse natum Tharsi, & Hierosolymę secundum legem eruditum; quam ego sententiam puto esse indubitabilem, cùm id Paulus ipse conceptis verbis dixerit, eaq; verba referat Lucas Actorum Apostolicorum cap. 22. in hunc modum: *Ego, inquit Paulus, sum vir Iudæus, natus Tharso Ciliciæ, nutritus autem in ista ciuitate secus pedes Gamalielis.* Nam quod de Giscala dicunt Hieronymus & Beda, fuisse captam à Romanis, ob idque coactum esse Paulum cum parentibus suis transmigrare Tharsum, minimè cōsentaneum videtur rationi, & veritati. Iosephus enim, eius regionis peritissimus, in libro quarto de bello Iudaico Giscalam facit oppidum Galilææ, & captum à Tito Imperatore, iam patre eius Vespasiano Imperium Romanum adepto: id autem est, aliquot annis post obitum sancti Pauli, qui anno decimo tertio Neronis, sacro martyrio vitam gloriosè finiuit. Cumque Paulus ipse in eodem, quo dixi, loco contestatus sit, se natum esse ciuem Romanum, non posset id verum esse, si natus fuisset Giscalæ: neque enim id beneficium vel Giscalæ, vel alij cuipiam eius regionis oppido tributum esse à Romanis, probare quispiam poterit. Tharsum verò donatum esse iure ciuitatis Romanæ, docet in libro quadragesimo septimo Dio, simulque causam exponit, cur eo beneficio sit affecta, atque ob eam ipsam causam Plinius libro quinto, capite vigesimo septimo Tharsum vocat liberam ciuitatem. Adiuuat præterea sententiam hanc beati martyris Ignatij auctoritas, qui scribens ad Tharsenses, vocat eos Pauli ciues & discipulos.

Iosephus. *Dio.* *Plinius.*

4\. *An Paulus fuerit nobilis.*

De conditione autem Pauli, vtrum nobilis genere fuerit, an ignobilis, non vna omnium sententia est. B. Augustinus facit eum nobilem, idque argumentatur ex verbis illis B. Pauli, quæ sunt in capite tertio epistolæ ad Philippenses: *Gloriamur*, inquit Paulus, *in CHRISTO IESV, non in carne fiduciam habentes; quanquam & ego habeam confidentiam in carne. Si quis alius videtur confidere in carne, ego magis, &c.* Quæ verba exponens Augustinus in sermone decimo quinto de verbis

Locus epistola ad Philipp. cap. 3.

S. Augustinus. Apostoli, sic ait: Ne arbitrarentur aliqui, ideo Paulum contemnere, quæ ad gloriam secundum carnem pertinebant, quod ea ipse non haberet; neque enim magnum est, si homo ignobilis & abiectus contemnat nobilitatem, & exhibeat humilitatem: ob id Paulus continuò subiecit illud: *Quanquam ego in carne confidentiam habeam, circumcisus octauo die, ex genere Israël, de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, secundum legem Pharisæus.* Erant autem viri primarij, & quasi ex nobilitate Iudaica segregati, nec contemptibili plebi commixti, qui dicebantur Pharisæi: nam & ipsa vox apud Hebræos segregationem significat, quemadmodum apud Latinos egregius dicitur, quasi à grege separatus. Hæc fermè Augustinus: cuius opinioni fidem adiungere videntur, quę de Paulo, siue Saulo, scripta sunt in Actis Apostolicis capite nono. Neque enim, si homo fuisset humilis, & obscurus, & abiectæ sortis, tam ferox, & minax, tamque infestus, sæuusq; in vrbe Hierosolymitana Christianorum insectator esse, neque tantum eis negotij facessere potuisset; nec princeps sacerdotum, homini plebeio, & obscuro potestatem dedisset, quoscunque Damasci reperisset Christianos capiendi, vinctosque mittendi Hierosolymam.

5. S. Chrysostomus. At enim, contra sensisse, videtur B. Chrysostomus: is enim in quarta homilia super epistolam posteriorem ad Timotheum, vocat Paulum inopem & coriarium: & in tertia homilia in primum caput epistolæ prioris ad Corinthios, loquens de Paulo, & aliis Apostolis, ait, fuisse eos & illiteratos, & inopes, & abiectos, atque obscuros. Constat certè, Paulum fuisse opificem artis scenofactoriæ, eamque artem etiam ante conuersionem ipsius ad CHRISTVM exercuisse: id enim proditum est in Actis Apostolicis capite decimo octauo. Vera porrò nobilitas, eiusmodi, mechanicarum artium professionem, & exercitationem respuit. Quid, quod ad Paulum ceterosque Apostolos in primis pertinet, quod in capite primo prioris epistolæ ad Corinthios scripsit Paulus: *Videte*, inquit, *vocationem vestram, quia non multi sapientes secundum carnem,*

non

non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi, elegit DEVS, *vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit* DEVS, *vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit* DEVS, *& ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt, destrueret: vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Hæc Pauli verba præcipuè de Apostolis interpretantur Patres.

6\. Equidem puto, cùm Paulus opifex fuerit humilis, & abiectæ artis, non fuisse habitum eum nobilem, ex instituto, moreque Romanorum, apud quos professio & opificium mechanicarum artium, veram nobilitatis rationem excludebat. Non itidem tamen se res habebat apud Iudæos; hi quippe nobilitatem potissimùm æstimabant è claritate tribus, & antiqua nobilitate familiæ, quemadmodum B. Ioseph Deiparæ virginis sponsus, artis erat fabrilis; sed quia erat de tribu Iuda, & familia Dauid, haud dubiè nobilissimus erat. Iam verò tribus Beniamin, ex qua fuit Paulus, trifariam nobilitata est. Primùm enim, Regiæ dignitatis & potestatis gloriam ante alias tribus habuit; eius namque tribus fuit Saul, primus omnium Hebræi populi rex tum eximiæ fortitudinis bellicæ laude, ea tribus celebrata est, vt indicat extremus liber Iudicum. Ac demùm in secessione aliarum tribuum à regno Iuda, tribus Beniamin haudquaquam secessit, sed tribui Iuda perpetuò cohæsit. Præter verò tribum & familiam, etiam tria hæc personam quampiam egregiè nobilitabant apud Iudęos, sacerdotium, & doctrina legis, vnde nomen & honos scribarum; & religio sectæ, qualis erat Pharisæorum.

Auctoris opinio. *Matth. 13.* *1. Reg. 10.* *3. Reg. 12.*

7\. Ceterùm quispiam fortasse mirari posset, quomodo Paulus opifex fuit artis scenofactoriæ, cùm fuerit ciuis Romanus. Halycarnasseus, Romanæ historiæ scriptor probatissimus; libro secundo & sexto, è numero ciuium Romanorum eiusmodi opifices eximit. Sed respondendum est, fuisse id quidem institutum à Romulo initio vrbis, quam fundauerat, ne ius Romani ciuis aliis opificibus quàm agricolis & militibus impartiretur: sed mox id abrogatum fuit à Numa Pompilio, postęaque ius Romanæ ciuitatis etiam cum plebe, & qui-

Halycarnasseus. *An opifices esse possent ciues Romani.*

& quibuslibet opificibus semper communicatum est, quos & ferendi suffragij, & honoris petendi ius habuisse, pluribus constat exemplis. Etenim Pub. Rupilius ex operis publicanorum consulatum adeptus est, imperiumque gessit in Sicilia, atque triumphauit. Terentius etiam Varro, qui cladem Cannensem consul accepit, patrem habuit lanium, cùm ipse institor mercis fuisset. Marcus item Scaurus, consul & censor, patrem habuit, qui carbonariam fecerat. Videat lector Sigonium in libro secundo de antiquo iure ciuium Romanorum capite duodecimo.

Homines ex opificiis ad summos honores euecti.

Sigonius.

8\. Illud etiam nobis hoc loco disputandum est, an B. Paulus ante conuersionem suam ad CHRISTVM, sciuerit linguam, & doctrinas Græcorum. Equidem non assentior Chrysostomo facienti Paulum græcæ linguæ, & doctrinæ Græcorum prorsus imperitum. Verba eius in quarta homilia in posteriorem epistolam ad Timotheum de Paulo loquentis, sunt huiusmodi: Erat ille homo cilix, coriarius, & inops, imperitus externæ disciplinæ. Hebræam tantùm nouerat linguam, quæ cæteris gentibus, sed Romanis maximè contemptui erat. Non enim quamlibet aliam linguam vel Græcam, vel barbaram, ita contemnebant, vt linguam Syram, cui peraffinis est Hebræa. Ita Chrysostomus. Sed ego potius assentior B. Hieronymo, qui in epistola ad Algasiam in responsione ad quæstionem eius decimam affirmatè scribit, Paulum à prima ætate linguam Græcam didicisse, cuius, Tharsi magnum erat studium, vsusque: eoque factum esse, vt scripta eius græcismos quosdam Tharsenses resipiant. Ponam hîc verba Hieronymi, sunt enim memoratu dignissima. Paulus (inquit Hieronymus) cùm in vernacula lingua sermonem habeat disertissimum, quippe Hebræus ex Hebræis, & eruditus ad pedes Gamalielis, viri in lege doctissimi; seipsum in Græca lingua interpretari cupiens inuoluitur. Si autem in Græca lingua hoc ei accidit, quam nutritus in Tharso Ciliciæ in parua ætate imbiberat; quid de latinis dicendum est, qui verbum de verbo exprimere conantes, obscuriores faciunt eius senten-

An Paulus linguas & doctrinas Græcorum didicerit.
S. Chrysost.

S. Hieronym.
Ad Philip. 3.
Act. 22.

tenti-

tentias, & veluti herbis crescentibus frugum strangulant vbertatē. Subdit posthæc Hieronymus exempla quarundam locutionum Pauli, quæ græcismos Tharsenses continent: ac denique ita concludit: Neque hoc miremur in Paulo, si vtatur eius linguæ consuetudine, in qua natus est, & nutritus: cùm Virgilius, alter Homerus apud nos, patriæ suæ sequens consuetudinem, sceleratum frigus appellet. Sic sanctus Hieronymus.

9. Est quoque non obscurum iudicium, Paulum Græcos auctores legisse, quod in suis epistolis citat versus Græcos Epimenidis, Arati, Menandri, siue Callimachi, quos ante fidem CHRISTI acceptam legerat; nam vt post legerit, non tantùm ei fuisse otij putauerim, aut studij. Cumque in ætate Pauli florerent maximè Tharsi studia græcæ linguæ, & doctrinæ; non mihi fit verisimile, Paulum, præclara indole ad capessendas litteras, præstantique ingenio præditum, & discendi, sciendique cupidissimum, abhorruisse à studio Græcarum litterarum & disciplinarum. De ardore autem Tharsensium in studio Græcarum doctrinarum, audiat lector Strabonem in libro decimo quarto ita scribentem: Tantum Tharsenses studium incessit philosophiæ & disciplinarum, quas Encyclicas dicunt, vt superauerint Athenas, & Alexandriam, & si quis alius locus nominari potest, vbi Philosophorum & artium ad humanitatem pertinentium scholæ haberentur. Maximè autem vrbs Roma dicere potest, quam multos Tharsus protulerit litteratos, cùm sit Tharsensium & Alexandrinorum plena. Hæc Strabo.

Tharsi floruisse studia græcarum litterarum, & disciplinarum tempore S. Pauli.

Strabo.

10. Sed enim vt Paulum facimus linguæ Græcæ non ignarum, ita disertum in ea lingua fuisse, etiam post linguarum donum à SPIRITV sancto acceptum, nequaquam affirmamus, auscultantes ipsi Paulo, qui de se loquens in posteriori epistola ad Corinthios capite vndecimo, ait: *Et si imperitus sermone, non tamen scientia.* Quæ verba luculentè tractans Hieronymus in epistola centesima quinquagesima, quam scripserat ad Hedibiam, in responsione ad quæstionem eius vndecimam,

B. Paulum nō fuisse disertum in lingua græca.

S. Hieronym.

mam ita ſcribit: Aliquoties diximus, Paulum, virum fuiſſe doctiſsimum, & eruditum ad pedes Gamalielis: cumq; haberet ſcientiam ſanctarum ſcripturarum, & ſermonis, diuerſarumque linguarum gratiam poſsideret; vnde glorians ipſe in Domino dicit: *Gratias ago DEO, quod omnium veſtrum linguis loquor*, diuinorum tamen ſenſuū maieſtatem digno non poterat Græci eloquij explicare ſermone. Habebat itaque Titum interpretem, ſicut & Petrus Marcum, cuius Euangelium, Petro narrante, & illo ſcribente, compoſitum eſt. Denique duæ Petri epiſtolæ, ſtylo inter ſe, & charactere diſcrepant, ſtructuraq; verborum: ex quo intelligitur, pro neceſſitate rerum, diuerſis eum eſſe vſum interpretibus. Idem Hieronymus in epiſtola ad Algaſiam, loco paulo ſupra poſito, ſic ait: Quod Paulus dixit: *Etſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia*. nequaquam ex humilitate, ſed ex ſcientiæ veritate dixiſſe, & crebrò aliàs diximus, atque etiam nunc approbamus. Hactenus ex Hieronymo.

1. Cor. 14.

II. *An Paulus vxorem habuerit ante conuerſionē.*

Sed illa grauior eſt quæſtio, explicatuq; difficior, & diſcrepantibus tum veterum, tum recentiorum Auctorum ſententijs, in vtramque partem ſatis agitata: An Paulus, ante conuerſionem eius ad CHRISTVM, habuerit vxorem: ſi enim antè non habuit, nec pòſt voluiſſe eum coniugio vinciri, atque implicari credibile eſt, ſed perpetuò eum aut virginem, aut cœlibem fuiſſe exiſtimare conuenit. Duæ ſuper hac re ſunt inter ſe pugnantes auctorum ſententiæ: Quarum vna eſt, Paulum ante fidem CHRISTI acceptam, habuiſſe vxorem, quæ diu etiam poſt conuerſionem eius vixit. Princeps huius ſententię auctor creditur eſſe B. Ignatius martyr, qui in epiſtola ſua ad Philadelphienſes commemorans ſanctos Patres, qui in matrimonio vixerunt, his annumerat etiam B. Paulum. Idem tradit Clemens Alexandrinus libro tertio Stromatum, & probat ipſiuſmet Pauli verbis, que paulò infrà referemus. Huius Clementis ſententiam referens Eraſmus ſuper quartum caput epiſtolæ ad Philippenſes, inſigni admodum veterum memoriarum atque temporum inſcitia,

S. Ignatius martyr.

Clemens Alexandrinus.

Eraſmi anhiſtoriſia.

scitia, vocat eum S. Clementem, & B. Petri comitem; similitudine nominis deceptus videlicet. Idem traditur in Decretis Distinctione trigesima prima, nomine Papæ Leonis Noni. In hanc sententiam propensissimus est, eo quem dixi loco, Erasmus: ad eandem adhæserunt super quartum caput epistolæ ad Philippenses, Caietanus, & Ambrosius Catherinus, qui ait idem contineri in Reuelationibus B. Birgittæ viduæ de Sueuia, minimè aspernandis:

Huius porrò sententiæ triplex est firmamentum: primò enim fulcitur verbis B. Pauli, quæ sunt in capite nono prioris epistolæ ad Corinthios; ea verò sic habent: *Num quid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut & ceteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?* vbi pro illa voce (mulierem) grecè est γυναῖκα, quæ vox Grecis ambiguæ significationis est, & mulierem, & vxorem significans. Deinde argumentū ducitur ex illis verbis Pauli ad Philippenses quarto capite: *Etiam rogo & te germane compar, adiuua illas, quæ mecum laborauerunt in Euangelio.* Pro illa voce (compar) græcè est σύζυγε, quæ significat eos, qui idem iugum ducunt, & in his frequenter dicitur, qui matrimonio iuncti sunt: Vnde manarunt ad Latinos illa verba, coniuges, & coniugium. Sed maximum eius opinionis adiumentum & presidium esse positum videtur in auctoritate sancti Ignatij Martyris quam suprà memorauimus. Cùm is enim fuerit discipulus Apostolorum, & studiosissimus B. Pauli, non est dubitandum, quin quod de Pauli matrimonio scripsit, id ei fuerit exploratè perceptum.

12. *Paulum perpetuò fuisse cœlibem, opinio est Tertulliani, Epiphanij, Hieronymi, Ambrosij, Chrysostomi, Theodoreti, Oecumenij, Bedæ.*

Altera & antiquitatis, & doctrinæ, atque sanctitatis laude præstantium virorum sententia est, Paulum fuisse coniugij prorsus expertē, & aut fuisse virginem, aut certè perpetuò cœlibem. Tertullianus in libro de Monogamia quodā loco Paulū vocat euangelicū spadonem & castratū, spectans illud Domini dictū, esse quosdam qui se castrauerūt propter regnū cœlorū. Et in alio loco eiusdē libri sic ait: Petrum solum in-

Matth. 19. Luc. 4

uenio maritum per ſocrum: ceteros Apoſtolos cùm maritos non inueniam, aut ſpadones intelligam neceſſe eſt, aut continentes. Sic Tertullianus. Quod eius dictum ſequens Hieronymus in priori libro aduerſus Iouinianum: excepto, inquit, Apoſtolo Petro, non eſt manifeſtè relatum de aliis Apoſtolis, quod vxores habuerint. Et cùm de vno ſcriptum ſit, ac de ceteris tacitum, intelligere debemus, ſine vxoribus eos fuiſſe, de quibus nihil tale ſcriptura ſignificet. Idem Hieronymus in epiſtola vigeſima ſecunda, quam de cuſtodia virginitatis ſcripſit ad Euſtochium, hæc habet: *De virginibus*, inquit Apoſtolus, *præceptum Domini non habeo*. Cur? quia & ipſe Paulus, vt eſſet virgo, non fuit imperij, ſed propriæ voluntatis. Neque enim audiendi ſunt, qui eum vxorem habuiſſe confingunt, cùm de continentia diſſerens, & ſuadens perpetuam caſtitatem, intulerit: *Volo omnes eſſe ſicut meipſum. Dico autem innuptis & viduis, Bonum eſt illis ſi ſic permaneant, ſicut & ego*. Epiphanius, diſputans contra Hæreſim quinquageſimam octauam, facit virgines Ioannem & Iacobum fratres, & Apoſtolos CHRISTI, & inter eos qui perpetuò coluerunt virginitatem, commemorat ex veteri Teſtamento Heliam prophetam, & ex nouo Paulum Apoſtolum, qui dixit: *Dico autem inconiugatis: Bonum eſt ipſis ſi manſerint ſicut & ego*. Eadẽ fuit in ſententia Ambroſius ſuper ſeptimum caput prioris epiſtolæ ad Corinthios, & in caput vndecimum poſterioris epiſtolæ ad eoſdem. In eandem præterea conuenêre ſententiam Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, & Theophylactus, & Beda ſuper caput ſeptimum prioris ad Corinthios, & ſuper caput quartum ad Philippenſes. Prætereo hîc ingentem poſteriorum auctorum turbam idem affirmantiũ. Hanc iſti ſententiam firmant potiſſimùm verbis illis Pauli primæ ad Corinthios ſeptimo capite. *Dico autem non nuptis & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic maneant, ſicut & ego*. Quibus verbis Paulus exemplo ſuo hortatur Corinthios inconiugatos ad ſic permanendum: ex quo liquet, Paulum fuiſſe coniugij expertẽ. Idem quoque argumentantur Ambroſius & Theodoretus

1. Cor. 7.

Ibidem.

doretus ex eo, quod Paulus ante conuersionem ad CHRISTVM fuerit admodum adolescens, ætatisq; coniugio nequaquam maturæ atque idoneæ: post conuersionem autem, voluisse eum coniugio implicari, fas non est credere. Origenes initio commentariorum suorum in epistolam ad Romanos, vtramque supradictam opinionem refert, neutram ex suo sensu probans, sed examen earum ac iudicium in medium relinquens, permittensq; Lectori. Atque hæc de proposita quæstione sunt ab aliis prodita.

Origenes.

13.

Auctoris sententia.

Mea verò, eaque tripartita, super eâdem quæstione sententia, huiusmodi est. Primùm aio, Paulum habuisse vxorem, probari ex diuina scriptura non posse. Locus enim ille prioris epistolæ ad Corinthios capite nono, quem Clemens ad id probandum affert: *Nunquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi sicut & ceteri Apostoli?* nihil adiuuat istam opinionem. Nam licet Græca vox γυνὴ, qua Paulus ibi vtitur, indifferenter quamlibet mulierem, & vxorem significet; eo tamen loco non vxorem significare, sed mulierem, satis patet: Tum quod isti voci additur à Paulo vox ἀδελφὴ, id est, soror, quod nomen non bene congruit & cohæret cum vxore, quid enim esset dicere, sororem vxorem? cum muliere autem aptè conuenit, ex more præsertim loquendi Iudæorum, qui omnes suæ gentis viros vocabant fratres, & item fœminas præcipuè religiosas, appellabant sorores. Significat igitur Paulus religiosas mulieres, quæ sequebantur Apostolos, suis facultatibus ministrantes eis necessaria ad vitam, quales mulieres etiam Dominum nostrum secutas esse legimus in Euangelio. Loqui porrò de istiusmodi mulieribus in eo loco Paulum, perspicere licet ex verbis illis eum locum proximè antecedentibus: *Numquid non habemus potestatem manducandi, & bibendi?* Id est, accipiendi, quæ ad victum pertinent, ab his qui ea suppeditabant Apostolis; & ideo subiunxit. *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi?*

Locus 1. ad Corinth. cap. 9.

Matth. 27.

14.

Atque hunc locum Pauli ita vt nos exposuimus, in

 priori

S. Hieronymus.

priori libro contra Iouinianum explanat B. Hieronymus hisce verbis: Si autem nobis Iouinianus illud opposuerit ad probandum, quod omnes Apostoli vxores habuerint; *Nunquid non habemus potestatem mulieres vel vxores circumducendi?* (quia vox γυνὴ apud Græcos vtrumque significat) *sicut ceteri Apostoli?* Iungat & illud quod in Græcis codicibus est, qui voci significanti mulieres, vel vxores, adiungunt vocem, quæ significat sorores. Ex quo apparet Paulum de illis loqui sanctis mulieribus, quæ, iuxta morem Iudaicum, magistris de sua substantia ministrabant, sicut legimus ipsi quoque Domino factitatum. Nam & ordo verborum hoc indicat: dixerat enim: *Nunquid non habemus potestatem manducandi & bibendi?* & subdit, *aut sorores mulieres circumducendi?* vbi de comedendo, & bibendo, & de administratione sumptuum præmittitur, & de mulieribus sororibus infertur, perspicuum est, non vxorem debere intelligi, sed eas, vt diximus, quæ de sua substantia ministrabant. Quod & in veteri lege de Sunamitide illa scribitur, quæ solita sit Eliseum recipere, & ponere ei mensam, & panem, & candelabrum, &c. Vox etiam illa, quæ additur, (sorores) tollit vxores, & ostenditur, in spiritu eas fuisse germanas, non autem coniuges. Hæc S. Hieronymus, qui videtur ea mutuatus à Tertulliano, cuius ex libro de Monogamia hunc in locũ transposita, hęc sunt verba: Non si penes Græcos communi vocabulo censentur mulieres, & vxores; ideo Paulum sic interpretabimur, quasi demonstret vxores Apostolos habuisse. Si enim ibi de matrimoniis disputaret Paulus, quod antè fecerat, rectè videretur dicere, *Numquid non habemus potestatem vxores circumducendi, sicut ceteri Apostoli, & Cephas?* At vbi ea subiungit, quæ de victuaria exhibitione, abstinentiam eius ostendunt, dicentis, *Numquid non potestatem habemus manducandi, & bibendi?* non vxores demonstrat ab Apostolis circumductas, quas & qui non habent, potestatem tamen manducandi, & bibendi habent; sed simpliciter mulieres, quæ illis, eodem instituto, quo & Dominum comitantes ministrabant. Sic

Matthei 24.

4. Reg. 4.

Tertullianus.

Tertul-

Tertullianus. Huc etiam pertinent quæ S. Augustinus scribit in libro de opere Monachorum, capite quarto: Quidam, inquit, non bene hoc intelligentes, putarunt, Paulum non de sorore muliere, sed de vxore locutum esse; fefellit eos videlicet græci verbi ambiguitas, quia & vxor & mulier eodē verbo græco dicitur: quanquam hoc ita posuerit Apostolus, vt falli non debuerint. Non enim mulierem tantùm dixit, sed sororē mulierem; neq; ducendi, sed circumducendi verbo vsus est. Verumtamen alios Interpretes non fefellit hæc ambiguitas, qui eo loco non vxorem, sed mulierem interpretati sunt. Hactenus ex Augustino.

S. Augustinus.

15. Nihilo plus adiumenti & præsidij affert isti opinioni, locus alter Pauli, qui est in capite quarto epistolæ ad Philippenses, in illis verbis: *Etiam rogo & te germane compar.* vbi pro voce illa (compar) græca vox (σύζυγε) significare videtur coniugem. Atque hunc locum vehementer vrgent istius opinionis auctores, & in eo magnum sententiæ suæ robur & firmamentum ponunt. Sed ego nihil esse in eo roboris ad probandum id quod volunt, clarissimè ostendam. Constat ex capite septimo prioris epistolæ ad Corinthios, Paulum, quo tempore eam scripsit epistolam, non habuisse vxorem: Hoc enim illa eius verba: *Dico autem non nuptis & viduis, Bonum est illis si sic maneant sicut & ego* adeò perspicuè indicant, vt etiam Caietanus, contrariæ opinionis auctor, non posse id negari, eo in loco confessus sit. Est porrò illa epistola Epheso missa ad Corinthios, priusquam Paulus captus esset Hierosolymis, & Romam missus, quod ex vltimo capite eius epistolæ manifestum est. Epistola verò ad Philippenses aliquot annos post illam ad Corinthios scripta est, cùm iam Paulus Romæ in vinculis esset: quippe in capite primo eius epistolæ commeminit Paulus suorum vinculorū, quæ ait in omni prætorio manifestata, multis liberè prædicandi Euangeliū, fiduciā addidisse. Et in extremo capite eius epistolæ, sic ait: *Salutant vos omnes sancti, maximè autē, qui de Cæsaris domo sunt.* si Paulus igitur, cùm scripsit epistolā illā ad Corinthios, non habuit vxorem,

Locus epistolæ ad Philippenses cap. 4.

rem, necessũ est, nec eum habuisse vxorē, cùm postea scripsit eam, quæ est ad Philippenses: nisi quis adeò insipiens, aut impudens sit, ut dicere non vereatur, Paulum, post illius epistolæ ad Corinthios scriptionem, duxisse vxorem.

16. Sed obiiciunt istius opinionis assertores, atque vrgent vocem illam grecam σύζυγε, qua vtitur ibi Paulus, quæ significare videtur coniugem; vir enim, & vxor ritè vocantur σύζυγοι, quia idem matrimonij iugum ducunt, quamobrē vocantur coniuges, & ipsum matrimonium appellatur coniũgium. Verùm facilis est, atque in promptu responsio: Paulus enim, ea voce significauit quendam, qui pariter cum ipso idem iugum portabat; non tamen quale est in matrimonio, sed quale est in professione religionis Christianæ, & in prædicatione ac propagatione Euangelij. Nam qui ad prædicandum Euangelium pari studio incumbunt, & operam nauant, verè dici possunt, σύζυγοι, id est, sub eodem iugo laborantes, similitudine scilicet boum, sub eodem iugo terram aratro proscindentium, atque subigentium, ad accipiendam sementem. Paulus certè simili dictionis figura vtens in capite secundo eiusdem epistolæ vocat Epaphroditum suum συνεργὸν καὶ συστρατιώτην id est, cooperarium & commilitonem seu coathletam. Vocat autem Paulus istum, germanum, id est, verum, ac sincerum, & minime fictum, qui ex animo vnà cum Paulo negocium Euangelij tractabat. Legem autem DEI, & CHRISTI disciplinam vocari iugum in sacris litteris, declarat locus ille Hieremiæ capite tertio: *Bonum est viro, cùm portauerit iugum ab adolescentia sua.* Et Dominus ipse dixit in Euangelio: *Tollite iugũ meum super vos.* Et Paulus in posterioris ad Corinthios capite sexto, ait: *Nolite iugum ducere cum infidelibus.* si, quia infideles idem iugum infidelitatis trahunt, rectè nominantur σύζυγοι, cur fideles, qui iugum fidei, & disciplinæ Christianæ pariter ducunt, non item possint eodem nomine appellari?

In lamentationibus.

Matth. 11.

17. Deinde opinor, non posse euidenter ostendi ex sacris litteris, nec certa quapiam ratione probari, Paulum fuisse

perpetuò

perpetuò cœlibem, aut etiam virginem. Verba namque illa Pauli, vnde id multi probant: *Dico autem non nuptis, & viduis, bonum est si sic maneant sicut & ego.* apertè quidem ostendunt, quo tempore Paulus ea verba scripsit, eum non habuisse coniugem, sed fuisse aut virginem, aut cœlibem, aut viduum. Vox quippe, *non nuptis*, comprehendit tam virgines, quàm cœlibes: illa verò, *viduis*, eos, qui vxore sunt orbati. Paulus igitur potuerat vxorem habuisse, quæ vel ante conuersionem eius ad CHRISTVM, vel certè ante scriptionē illius epistolæ ad Corinthios, vita fuerit defuncta. Nam quod super eum locum illius epistolæ tradunt Ambrosius, & Theodoretus, Paulum ante conuersionem fuisse perquam adolescentem, & per ætatem planè immaturum, minimeq; idoneum coniugio, nec ab ipsis bene probatur, & mox à nobis verè refutabitur.

1. Cor. 7.

18. *Ignatij locus de coniugio Pauli excutitur.*

Illud denique puto, si locus ille B. Ignatij Martyris, in quo Paulus numeratur inter sanctos coniuges, sincerus, & incorruptus habeatur, plurimum sine dubio iuuaret, firmaretque opinionem eorum, qui arbitrantur Paulum habuisse vxorem. Fuit enim Ignatius discipulus Apostolorum, & Pauli, si quis alius, amantissimus, & obseruantissimus, & cui, quod scribebat de coniugio Pauli, tunc compertissimum esse poterat. At enimuerò locum illum esse insincerum, & deprauatum ab Hæreticis, sanctis coniugibus, qui ab Ignatio inibi memorantur, inserto per fraudem Pauli nomine, nonnulli huius temporis clari scriptores existimant. Michael certè Medina, in libro secundo de sacrorum hominum continentia, capite decimoquarto coniectat, corruptum esse locum illum Ignatij: & ad eius coniecturæ probationem, duos citat perantiquos epistolarum Ignatij codices, vnum Anglicanum, alterum Vngaricum, in quibus eo loco non est Pauli nomen. Illustrissimus quoque Cardinalis Baronius in primo Tomo Annalium, in anno Domini quinquagesimo septimo, laudat codices, tam Græcos, quàm Latinos, sanè quàm antiquos, & reuerendæ auctoritatis, qui Romæ sunt

Medina.

Dominus Baronius.

C in Va-

in Vaticana Bibliotheca, & in Sfortiana, quibus eo loci non eſt nomen Ignatij. Equidem totus propendeo ad ſententiam eorum, qui Paulum faciunt perpetuò cœlibem. Eſt enim per ſe pia, & multorum magnorumque virorum auctoritate firmata, nec vllis rationibus contrariis expugnari poteſt.

19. Ceterùm quia in Tractatu quarundam inſequentium poſt quęſtionum, in vſum nobis veniet, annos Imperij Romanorum aliquot Imperatorum, ad probandum aliquid, aut confutandum, vſurpare; cumque ſuper iſtiuſmodi annis variè proditum ſit ab Auctoribus: percommodum fore viſum eſt, ſi exactam Imperij quatuor Romanorum Imperatorum, Tiberij, Caligulæ, Claudij, & Neronis Chronologiam, ante breuiter Lectori exponamus.

Quandiu Tiberius Imperauerit.

Tiberius imperauit ſecundum Suetonium, in Tiberio, capite ſeptuageſimo tertio, & ſecundum Oroſium libro ſeptimo capite ſecundo, Eutropium libro ſeptimo, Bedam de ſex Ætatibus, Euſebium in Chronicis, annis viginti tribus. At ſecundum Sextum Aurelium, viginti quatuor: ſecundum Clementem Alexandrinum primo libro Stromatum viginti duobus: ſecundum Dionem libro quinquageſimo octauo, annis viginti duobus, & menſibus ſeptem, totidemque diebus; ſecundum Tertullianum, in libro aduerſus Iudæos capite quinto, annis viginti duobus, & menſibus ſeptem, & diebus viginti octo: ſecundum Ioſephum libro decimo octauo Antiquitatum, capite decimo quarto, annis viginti duobus, & menſibus ſex.

Sed profectò res ita ſe habet. Imperare cœpit Tiberius ſtatim poſt obitum Auguſti Cæſaris, qui accidit decimonono die menſis Auguſti: Obiit autem Tiberius decimo ſexto Martij. Tranſegit itaque in ſuo Imperio viginti duos conſulatus integros, cenſendo eos annuos à Calendis Ianuarij, vſque ad alias proximas calendas eiuſdem menſis, exegit præterea duos alios Conſulatus non integros; nempe finem eius, quo regnare cœpit, cuius occupauit quatuor menſes, & dies tredecim, qui numerantur à die decima nona Augu-

ſti, in

sti, in quo iniuit Principatum vsque ad Calendas Ianuarias. Et item initium illius consulatus, in quo obiit, cuius occupauit menses duos, & dies sexdecim: tantum enim temporis præteriuit à Calendis Ianuariis vsque in diem Martij decimũ sextum, in quo excessit Tiberius. quod si iungas menses illos quatuor, & dies tredecim eius consulatus, in quo cœpit imperare; cum duobus mensibus, & diebus sexdecim eius Consulatus, in quo mortuus est, efficies menses prope septẽ, sex nimirum menses integros, & septimi mensis dies viginti nouem. Ergo Tiberius regnauit annos integros, & plenos viginti duos, & menses septem: Qua propter si numeres annos eius tantùm integros, regnauit tantum viginti duos, & sic intellexit Clemens Alexandrinus; si autem annos non integros numeres pro integris, potest dici regnasse viginti quatuor; quo sensu dixisse id Sextum Aurelium, putare conuenit: si verò distinctè numeres, & annos integros, & non integros pro non integris, comperiemus imperasse eum annis viginti duobus, & insuper septem fermè menses, sicut proditum est à Dione & Tertulliano; nisi quod is, præter verum, adiicit præterea viginti octo dies. Et quia septimus ille vltimus mensis imperij eius non fuit omnino integer; idcirco credere iuuat, assignasse eius Imperio Iosephum viginti duos annos, & menses tantum sex. Auctores porrò, qui Principatum Tiberij faciunt viginti trium annorum, sine dubio septem illos vltimos menses pro vno anno computarunt.

20. *Quanto ... pore Tib... vixerit p... mortem ... mini nos...*

Quoniam verò Dominus noster mortuus est in decimo octauo anno Principatus Tiberij, & sub initium Aprilis, vt probauimus in Commentariis nostris in Danielem; consequens est, Tiberiũ fuisse Domino nostro superstitẽ per annos quatuor, & menses vndecim, ac dies decem & octo. Etenim illius decimi octaui anni reliqui erant mẽses quatuor, & dies decẽ & octo; tantum enim tẽporis interiectum est ab initio Aprilis vsque ad decimũ nonũ diem Augusti, quo die inceptũ est Imperium Tiberij. Post decimum autem octauum annum Tiberij, restabant quatuor anni, & menses fermè se-

ptem; imperauit enim Tiberius, vt suprà docuimus, annis viginti duobus, & septem ferè mensibus. His septem mensibus si addas illos quatuor menses, & dies decem & octo, qui reliqui erant à morte CHRISTI, vsque ad finem anni decimi octaui, conficies summam temporis, quo post mortem CHRISTI vixit Tiberius, annos quatuor, menses vndecim, dies decem & octo.

21. *Quot annis Imperauerit Caligula.*

Caius Caligula, proximus in Romanum Imperium successor Tiberij, imperauit secundum Suetonium, & Eutropium, annis tribus, mensibus decem, & diebus octo. Secundum Clementem, Tacitum, & Sextum Aureliũ; annis quatuor. Secundum Bedam, annis quatuor, mensibus decem, dies octo. Sed fortasse mendosè legitur, (annis quatuor) pro (annis tribus.) nam videtur Beda omnino sequi sententiam Suetonij & Eutropij. Secundum Dionem annis tribus, mensibus nouem, diebus viginti octo. Secundũ Eusebium annis tribus, & mensibus decem. Secundum Tertullianum annis tribus, mensibus octo, diebus tredecim Secundum Iosephum, annis tribus, mensibus sex. Sed vera Imperij Caligulæ annorum computatio, huiusmodi est. Tiberius obiit, vt suprà dictum est, die decimo sexto Martij, & tunc Imperium accepit Caligula: quare illius consulatus & anni Romani, transegit menses nouem, & dimidium; tantũ enim est temporis à decimo sexto die Martij, vsque ad Calendas Ianuarias. Deinde imperauit tres integros Consulatus siue annos Romanos: ac demùm mortuus est sub initium quarti consulatus, die videlicet Ianuarij vigesimoquarto. Ergo totum Imperij eius tempus, fuit annorum trium, & decem mensium, & octo dierũ; quæ fuit sententia Suetonij, & Eutropij, à qua parum alij recesserunt: nam qui tribuunt Imperio eius quatuor annos, hi decem illos vltimos menses pro quarto anno computarunt.

22. *De annis Imperij Claudij.*

Claudius, qui post Caligulam proximè imperauit, secundum Tacitum, Suetonium, Clementem Alexandrinũ, Sextum Aurelium, Eutropium, Orosium, quatuordecim annis tenuit

nis tenuit Imperium: ſecundum Dionem, & Ioſephum, annis tredecim, menſibus octo, & diebus viginti: ſecundum Euſebium, annis tredecim, menſibus nouem: ſecundum Bedam, annis quatuordecim, menſibus ſeptem, & diebus viginti octo, At enimuerò certam annorum Claudij rationem inire licet ad hunc modum. Caligula mortuo in vigeſimo quarto die Ianuarij, ſuſcipiens tunc Imperium Claudius, illius Conſulatus & anni Romani, habuit menſes vndecim, & dies ſeptem: tantum enim temporis effluxit à vigeſimaquarta die Ianuarij vſque ad proximè ſequentis Ianuarij Calendas. Poſtea expleuit duodecim integros Conſulatus, & annos Romanos. Denique decimitertij Conſulatus, & anni, peregit menſes nouem, & dies tredecim: obiit enim, vt tradunt Suetonius & Tacitus, tertio Idus Octobris. Fuit itaque omne tempus Principatus Claudij, annorum tredecim, menſium octo, dierũ viginti, ſicut à Dione & Ioſepho traditum eſt, à quibus proximè abeſt Euſebius. Nam qui præcisè quatuordecim annos Imperio eius tribuerunt, annũ vtique vltimum eius non plenum pro pleno cenſuerunt.

A Claudio proximus, Romanum Imperium tenuit Nero, ſecundum Tacitum, & Clementem, & Eutropium, annis quatuordecim: ſecundum Dionem apud Xiphilinum in Nerone, annis tredecim, menſibus octo: ſecundum Euſebium & Bedam, annis quatuordecim, menſibus ſeptem, diebus viginti octo. (Sed fortaſſe quatuordecim anni mendoſe poſiti ſunt pro tredecim) ſecundũ Oroſiũ, annis quatuordecim non plenis: ſecundum Suetonium in Nerone, capite quadrageſimo, imperauit annis paulò minus quatuordecim: ſecundum Tertullianum, annis nouem, menſibus nouem, diebus tredecim. Verùm hæc ſententia Tertulliani prorſus abiudicanda, & abiicienda eſt. Sed profectò ita res habet. Claudius obiit tertio Idus Octobris, vt ſuprà dictum eſt, & tunc Nero ſuſcepit Imperium, quod tenuit annis quatuordecim non plenis, in hoc enim omnes fermè conſentiunt; nam Tacitum, & Clementem, & Eutropium, qui tribuunt

 Imperio

Imperio eius quatuordecim annos, de non plenis intellexiſſe putandum eſt. Quo autem die, aut menſe obierit Nero, à veteribus propriè ac diſtinctè non eſt proditum. Onuphrius Panuinus tradit, in ſuo Chronico Neronem obiiſſe quarto Idus Iunias, id eſt, decimo die Iunij, cùm imperaſſet annis tredecim, menſibus ſeptem, diebus vigintiocto. Ex ſuperiori ſententia Dionis & Euſebij colligitur, mortem Neronis incidiſſe in menſem Iunij. Nos ſequimur ſententiam Dionis, tribuentis Neroni annos tredecim, & menſes fermè octo. His breuiter explicatis, reuertamur ad inſtitutam vitæ, ac rerum Pauli enarrationem.

Onuphrius Panuinus.

24. HACTENVS de Paulo Hebræo diſputatum eſt, deinceps de Paulo Chriſtiano diſſeramus. Ante alia, de tempore Conuerſionis eius ad CHRISTVM duplex occurrit nobis tractanda quæſtio. Primùm quæritur, quoto anno poſt Paſſionem Domini, ad CHRISTVM ſit conuerſus. Illud tamen præcognoſcere Lectorem volumus, tria nos in tractatu huius quæſtionis, ſine probatione ſumere; quòd ea ſint vel omnino certa, & quæ temeritatis ſit, negare. Vnum eſt, Pauli conuerſionem eſſe factam poſt necem, & martyrium Stephani, vt docet hiſtoria Lucæ Apoſtolica capite ſeptimo & nono. Alterum eſt, necem Stephani eſſe factam die vigeſimo ſexto Decembris: id autem eſt, nouem circiter menſibus poſt Domini paſſionem, & ſeptem circiter poſt eius Aſcenſionem. Nimirum, hoc ipſo die eam celebrat Eccleſia; idemq; patet ex omnium Patrum ſermonibus, ſiue homiliis, in quibus hæc dies vocatur natalis dies Stephani, quòd in ea per martyrium tranſierit ad æternam vitam. Videat Lector Cardinalem Baronium in ſuis notis ſuper Martyrologium die tertio Auguſti, & vigeſimoſexto Decembris. Tertium eſt, Conuerſionem B. Pauli, contigiſſe vigeſimo quinto Ianuarij: eo namque ipſo die celebrat eam Eccleſia, quod ex antiquiſſima traditione & obſeruatione, eam facere non eſt dubitandum. Nec ſanè vlla ſuppetit ratio, cur ad alium diem, aliumuè menſem Conuerſio S. Pauli referenda ſit.

De anno autem poſt Domini Paſſionem, quo Paulus, eſt conuerſus ad CHRISTVM non planè conſentitur. Nec ſuſcipiam hoc loco examinandam, ac diſcutiendam quorundam Doctorum opinionem, à quibus traditum eſt, Stephanum ſeptem annis poſt Aſcenſionem Domini eſſe lapidatum, & quod neceſſario conſequens eſt, Paulum, exacto poſt Aſcenſionem Domini ſeptennio, eſſe conuerſum ad fidem CHRISTI. Eam opinionem attribuit Euodio, qui B. Petro ſucceſſit in Epiſcopatum Antiochenſem, Nicephorus libro ſecundo capite tertio, eandemq; aſſignat Hippolyto Thebano Glycas in tertia parte Annalium. Et quanquã omnes codices Græci, & Latini eorumq; translationes concorditer id habẽt; Dominus tamen Baronius ſuſpicatur librariorum errore, ſeptem annos eſſe poſitos pro ſeptem mẽſibus, tot enim circiter inter Aſcenſionem Domini & Stephani necem interfluxerunt. Hanc ego, vt dixi, opinionem, ut valde improbabilem, & ex qua multa ſequantur falſa, & abſurda, ad præſens confutare ſuperſedeo. Duæ ſunt aliæ opiniones ſuper hac re probabiles; quarum prior eſt, B. Paulum eſſe conuerſum in ipſo primo anno poſt Paſſionem Domini, decem circiter menſibus eius anni tranſactis: nam Dominus ſub initium Aprilis paſſus creditur; Paulus verò vigeſimo quinto Ianuarij ad CHRISTVM conuerſus. Eſt multorum & grauium Auctorum hæc opinio: Etenim in ſuo Chronico Euſebius conuerſionẽ Pauli ſignat in primo anno poſt Paſſionem Domini: Hunc indubiè ſecutus Beda, idem tradit in caput decimum quintum Actuum Apoſtolicorum, eiuſdẽq; ſentẽtiæ adſtipulatores ac probatores ſunt S. Thomas & Lyranus ſuper caput duodecimũ ſecundæ epiſtolæ ad Corinthios. Idẽq; ante iſtos prodidit Auctor Hiſtoriæ Scholaſticæ in Hiſtoria libri Actuum Apoſtolicorum capite quadrageſimo ſexto hoc modo ſcribens: Nec te moueat, ſi quãdoque legatur conuerſio Pauli facta primo anno Dominicæ paſſionis, quandoque autem ſecundo anno: alterum enim de anno vſuali, alterum autem de anno emergenti dicitur. Si enim computes

Quoto a[nno] poſt Dom[ini] paſſione[m] CHRIS[TVS] conuerſu[s] Paulus.

Euodius, [Hip]polytus T[heba]nus apud [Gly]cam.

Cardinal[is Ba]ronius in [Mar]tyrologiu[m] Decembr[.]

Euſebius.

Beda.

S. Thoma[s]

Lyranus.

Auctor Hi[ſto]ria Schola[ſti]ca.

computes primum annum Dominicæ passionis à Calendis Ianuarij, qui est annus vsualis, tunc secundo anno conuersus est Paulus: Si autem computes ab ipso die Passionis, vsque in sequentem diem anniuersarium Passionis, reuoluto anno, qui est annus emergens; sic in primo anno Dominicæ passionis conuersus est Paulus. Sic ille. Sed quia inter necem Stephani, & conuersionem Pauli, tot & talia interuenerunt, quæ narrantur à Luca in Historia Apostolica à capite septimo vsque ad nonum, vt ea intra vnum mensem, qui effluxit à nece Stephani ad conuersionem Pauli coarctari non queunt: Idcirco mihi fit similius vero, & congruentius Historiæ Apostolicæ, id quod tradit Oecumenius in vltimum caput Actuum Apostolicorum, & habent vetera Martyrologia, præcipuè Romanum, Conuersionem Pauli esse factam anno secundo à Passione Domini: prætererat enim à die Passionis Domini vsque ad diem Conuersionis Pauli, vnus annus plenus, superque decem fermè menses: à nece verò Stephani annus vnus præterque vnus mensis.

Oecumenius.

26. *Cuius ætatis fuerit Paulus, cùm est conuersus ad* CHRISTVM. *Ambrosius, & Theodoretus.*

Altera quæstio est, cuius ætatis fuerit Paulus, cùm est ad CHRISTVM conuersus. Ambrosius & Theodoretus super caput septimum prioris epistolæ ad Corinthios tradunt, Paulum id temporis adeo fuisse adolescentem, vt, per ætatem, immaturus, minimeque idoneus esset coniugio. Itaque secundum istos, tunc Paulus maior vigesimo anno esse non potuit. Ad id autem opinandum, isti eo videntur adducti, quòd in Actis Apostolicis capite septimo nominetur adolescens, sic enim ibi est: *Testes deposuerunt vestimenta secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus.* Sed istam opinionem esse falsam, plurimis argumentis conuinci potest. Principiò, argumentum istorum, ex nomine adolescentis ductum, sanè quàm leue, atque inualidum est. Nam si nomen adolescentis adduxit ad opinandum, fuisse tunc Paulum teneræ admodum ætatis: cur non pariter mouit eos, vt crederent fuisse tunc Paulum grandioris ætatis, quòd in actis Apostolicis appelletur vir? sic enim in capite nono eius libri de Paulo loquens,

Locus Actor. cap. 7.

lo loquens, Ananias ait: *Domine, audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Hierusalem.* Nec in scriptura nomen adolescentis denotat ætatem adeò teneram, vt isti putant, vt licet intelligere ex verbis illis Pauli, quæ sunt in capite quarto prioris epistolæ ad Timotheum: *Nemo adolescentiam tuam contemnat.* Ceterùm sciat Lector pro vocabulo adolescentis, eo loco Græcè legi νεανίας, quæ vox, vt testimoniis veterum Græcorum docet Budæus, significat hominem acrem, & audacem, ac magni spiritus. Euripides verò adiectiuè sumens id nominis, dixit νεανίαν λόγον, id est, sermonem inutiliter audacem, & ferocem: Ab eo autem nomine deriuatum νεανιεύεσθαι significat, interprete Hesychio, iuuenilia opera facere, vel iactare se, atque gloriari, audacem, & insolentem esse. Atque hæc aptissimè quadrant in ferociam, & sæuitiam Sauli, quem describit Lucas.

27 Deinde, Paulus dicens coram rege Agrippa, suæq; rationem exponens vitæ, vt narrat Lucas capite vigesimo sexto Historiæ Apostolicæ, sic locutus est: *Vitam meam à iuuentute quæ ab initio fuit in gente mea in Hierosolymis, nouerunt omnes Iudæi.* Quibus verbis satis indicat, se aliquot annis suæ iuuentutis conuersatum esse cum Iudæis, priusquam ad CHRISTVM conuerteretur. Adhæc, nō possunt conuenire & quadrare in Paulum adolescentulum, quæ Paulus, ante suam cōuersionem nimis superbè atque crudeliter agebat aduersus Christianos. Audiamus Lucam ea narrantem his verbis: *Saulus spirans minarum & cædis in Discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum, & petiit ab eo epistolas in Damascum, ad Synagogas, vt si quos inuenisset huius viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Hierusalem.* Et ipsemet Paulus loquens coram rege Agrippa (refert hoc Lucas in capite vigesimo sexto:) *Ego,* inquit, *existimaueram me aduersus nomen IESV debere multa contraria agere: quod & feci Hierosolymis: multos enim sanctorum ego in carceribus inclusi, à Principibus sacerdotum potestate accepta, & cùm occiderentur, detuli sententiam. Et per omnes Synagogas frequenter puniens eos, compellebam blasphemare: &* Actor.

amplius insaniens in eos, persequebar vsque in exteras ciuitates. Præterea, idem concluditur euidenter hac ratione: si Paulus erat viginti annorum, cùm est ad CHRISTVM conuersus, ergo in quarto Neronis anno, quo tempore cùm esset in vinculis, epistolam scripsit ad Philemonem; (in ea quippe bis terque meminit suorum vinculorum) fuisset Paulus non amplius quàm sex & quadraginta annorum. Etenim Paulus est conuersus, vt suprà diximus, anno secundo post passionẽ Domini, qui concurrebat cum vigesimo anno Imperij Tiberij Cæsaris: facimus enim, vt aliàs probauimus, CHRISTVM mortem obiisse anno Tyberij 18. ex eo autem tempore vsque ad quartum annum Neronis, secundum probatam Chronologiam, computantur anni viginti quinque. Fuisset itaque Paulus, cùm scripsit ad Philemonem, annorum duntaxat quadraginta quinque: at enim fuisse eum tunc multo grandiorem natu, demonstrat in ea ipsa epistola Paulus, dicens se tunc fuisse iam senem. *Obsecro, inquit, cùm sis talis, vt Paulus senex.* nemo autem senem vocaret hominem annos duntaxat quinque & quadraginta natum. Ne quis porrò suspicetur fuisse vincula illa Pauli vltima, in quibus à Nerone necatus est; arcet istam suspicionem ibidem Paulus in extrema epistola prædicens, liberatum se iri vinculis illis: *Para, inquit, mihi hospitium; nam spero per orationes vestras, donari me vobis.* Postremò, si Paulus fuisset, cùm est conuersus, annorum tantummodo viginti; cùm sit passus secundum Hieronymum, & alios, anno trigesimo septimo post Domini Passionem: ergo mortuus esset annum agens quinquagesimum quintum: at verò S. Chrysostomus in Homilia de Principibus Apostolorum nuper edita, & in quinto Tomo operum eius editionis Parisiensis addita, asseuerat, Paulum expletis octo & sexaginta annis martyrio vitam finisse. Ex quo efficitur, Paulum, cùm est conuersus, non minorem fuisse trigesimo tertio anno: & hoc mihi propius vero, atque probabilius videtur.

Chrysostomus.

28. Fuit grauium quorundam Auctorum opinio, illo triduo

duo conuerſionis Pauli, in quo dicitur nihil vidiſſe, nihilque comediſſe ac bibiſſe, raptum fuiſſe eum in tertium cœlum, & in Paradiſum, & audiuiſſe arcana verba, quæ non licet homini loqui: quod ipſemet Paulus in capite duodecimo poſterioris epiſtolæ ad Corinthios ait contigiſſe ſibi quatuordecim annis ante ſcriptionem eius epiſtolæ. Huius opinionis aſſertores, & probatores ſunt B. Thomas, Lyranus & Carthuſianus ſuper illud caput duodecimum ſecundæ epiſtolæ ad Corinthios: & item Ioannes Driedo libro primo de ſcripturis Eccleſiaſticis capite ſecundo, & in eius capitis parte tertia; idemque videtur ſenſiſſe ſanctus Papa Damaſus in eo Carmine, quo vitam, & res Pauli perſtrinxit, vbi agit de cõuerſione eius, & baptiſmo. Verùm iſtam opinionem ratio temporum apertè refellit. Et nunc quidem prætermitto demonſtrare computationem annorum, qua iſti Auctores vtuntur, plurifariam eſſe mendoſam, probatæque à viris doctis Chronologiæ repugnantem. Vna tantùm breui, & facili ratione probabo, raptum illum Pauli in tertium cœlum, non in tempore conuerſionis eius, ſed multis poſt annis eueniſſe. Sume, quod ab iſtis Auctoribus traditur, vel enim eſt verum, vel à vero proximum; ſecundam illam epiſtolam ad Corinthios, eſſe à Paulo ſcriptam initio Principatus Neronis. Dominus Baronius in Anno Domini 58. facit eam ſcriptam in anno ſecundo Imperij Neronis. Ex hoc ſequitur, quatuordecim annis ante principium Imperij Neronis, raptum illum Pauli eſſe factum, id autem eſt, in principio Imperij Claudij Cæſaris, qui proximè ante Neronem, & per anos fermè quatuordecim Romanum Imperium obtinuit. Paulus autem conuerſus eſt ad CHRISTVM anno ſecundo poſt eius Paſſionem, vt ſuprà docuimus, id eſt, vigeſimo anno Imperij Tiberij Cæſaris: à quo anno, vſque ad annum primum Claudij, numerantur octo anni; tres ſcilicet reliqui ipſius Tiberij, & quatuor fermè Caligulæ: Imperauit enim tribus annis, & decem menſibus: cui Claudius in Romanum Imperium proximè ſucceſſit. Ergò raptus ille Pauli, octo

An Pa[...] tempo[...] conuer[...] fuerit in tert[...] lum, & [...] radiſu[...]

S. Tho[...] Lyran[...] Dionyſ[...] Carthu[...] Dried[...]

Damaſ[...] Papa.

li, octo circiter annis post conuersionem eius factus est: atque eo tempore mansisse Paulum Tharsi, coniicere licet ex his, quæ narrat Lucas in Actis Apostolicis.

Act. 9 & 11.

29. Illud portò verius dictu est, Paulum in illo triduo suæ conuersionis, per diuinam reuelationem didicisse disciplinam Christianæ fidei, & doctrinam Euangelicam: sicut ipsemet verè gloriatur initio epistolæ ad Galatas, vocans se Apostolum non ab hominibus, neque per hominem, sed per IESVM CHRISTVM & DEVM PATREM, & dicens: *Notum vobis facio fratres Euangelium, quod euangelizatum est à me, quia non est secundum hominem, neque enim ab homine accepi illud, neque didici.* Atque huius rei manifestum ipse Paulus dedit indicium: statim enim post conuersionem suam, cœpit euangelizare fidem, & acriter disputare cum Iudæis, quos euidenter conuincebat, ex scripturis demonstrans IESVM esse CHRISTVM. Itaque verissimum esse quod ait Salomon: *Facile est in oculis DEI, subitò honestare pauperem.* Et quod sanctus Ambrosius dixit: Nescit tarda molimina SPIRITVS sancti gratia, in conuersione Pauli maximè demonstratum est. Quod autem Paulus tunc didicerit à DEO Euangelicam doctrinam, tradit Beda in suis Retractationibus in librũ Lucæ de Actis Apostolicis super caput nonum; & Auctor historiæ Scholasticæ, in capite quadragesimo sexto historiæ suæ super eundem librum Lucæ. Est igitur falsum, & doctrinæ pauli contrarium, quod Sixtus Senensis in primo Tomo Bibliothecæ, vbi agit de Luca, tradit, & firmat auctoritate Origenis in Dialogo de Recta in DEVM fide, Paulum Euangelicæ historiæ narrationem didicisse à Luca: præsertim si hoc intelligatur de mysteriis Euangelicæ fidei & doctrinæ.

Paulum in illo triduo suæ conuersionis didicisse à Deo Euangelium.

Eccli. 11.

S. Ambros. in ca. Lucæ prim.

Beda.

Auctor Historia Scholastica.

Sixtus.

30. B. Paulum quater post suam conuersionem iuisse ad vrbem Antiochiam, legimus in Actis Apostolorum. Primò, cùm à Barnaba, vt legimus Actorum Apost. capite vndecimo, Tharso deductus est Antiochiam: vbi annum conuersatus, postea ob imminentem famem toti propemodum terrarum orbi, factam in quarto anno Principatus Claudij, cum Eleeme-

De quatuor Itionibus B. Pauli ad Vrbem Antiochia.

Eleemosynis missus est Hierosolymam. Secundò, cùm, peracto munere suo Hierosolymis, reuersus est Antiochiam simul cum Barnaba; & tunc, iussu SPIRITVS sancti, ipse & Barnabas dimissi sunt ad prædicandum Euangelium apud varias gentes. Vide finem capitis duodecimi, & initium decimi tertij Actorum Apostolicorum. Tertiò, cum absoluta illa peregrinatione, per varias gentes, & regiones, reuersi sunt Antiochiam; ibique haud breui tempore commorati, propter legales quasdam quæstiones missi sunt Hierosolymam, vt docet Lucas capite decimo quarto, & decimoquinto. Quartò, sicut in eodem capite refert Lucas, reuersi sunt Paulus & Barnabas Antiochiam, quo tempore facta est dissensio & discessio Pauli à Barnaba propter Marcum.

Sed quæritur, Quando Paulus Antiochiæ Petrum reprehenderit: vt ipsemet scribit in capite secundo epistolæ suæ ad Galatas. Fuisse Petrum Antiochiæ, nusquam est in Actis Apostol. apertè proditum: quamuis id posset coniici ex capite nono eius libri: manifestum tamen est ex capite secundo epistolæ ad Galatas. Nec tantùm Petrus fuit tunc Antiochiæ, cùm est à Paulo reprehensus, sed antea etiam, cùm fundauit Ecclesiam Antiochenam, & per septem annos rexit, vt habet antiquissima traditio Ecclesiæ Catholicæ, plurimorum anctoritate patrum comprobata: Fundauit autem Petrus illam Ecclesiam in vltimo anno principatus Tiberij: id enim non modò traditur in libro decimo Recognitionū Clemētis, sed ab Eusebio quoque in suo Chronico: vltimus porrò annus Tiberij, fuit quintus à Passione Domini. Tenuit verò eam Cathedram Petrus vsque ad secundum annum Claudij, quo scilicet tempore coniectus est ab Herode in carcerem; & per Angelum mirabiliter liberatus, venit Romam & cathedram Romanam fundauit, immobilemque locauit. Non sum nescius, Panuinum, & in suis additionibus, ad Platinam, & in suo Chronico scriptum reliquisse: Petrum venisse Romam anno secundo Claudij, & fundasse cathedram Romanam; postea reuersum in Syriā, & anno septimo Clau-

dij fundasse cathedram Antiochenam. Sed enim nouitium hoc Panuini commentum, & per se omnino est improbabile, & omnibus Ecclesiasticis auctoribus aduersatur, & in ipsum acriter pugnat Dominus Baronius, eius sententiam refellens, & confutans rationes.

Baronius 1. Tomo, in Anno Domini 39.

32. *Historia Scholastica.*

Sed redeo ad quæstionem propositam, quando Petrus Antiochiæ sit à Paulo reprehensus. Auctor historiæ Scholasticæ super acta Apostol. capite octogesimo primo, & octogesimo secundo scripsit, Petrũ Antiochiæ reprehensum fuisse à Paulo tunc, cùm Petrus iuit Romam, & in eundo transiuit Antiochiam: id verò euenit quarto anno Claudij Imperatoris, qui fuit decimus quartus à Passione Domini. Verùm in his paucis verbis, non pauca sunt minimè vera. Etenim Petrum venisse Romam quarto anno Claudij, est contra communem opinionem, quæ id refert ad secundum annum Claudij. Deinde, à Passione Domini vsque ad quartum Claudij annũ, vix tredecim anni numerantur. Adhæc, quatuordecim illos annos, post quos Paulus ait, à se reprehensum esse Petrum, iste Auctor computat à Passione Domini; cùm eos Paulus non obscurè significet computari oportere à sua conuersione, quæ facta est secundo anno post Passionẽ Domini: vel, vt quidam censuerunt, à prima eius profectione ad vrbem Hierusalem post suam conuersionem; quod accidit tribus annis, vt ipsemet eo loco docet, à sua conuersione; id autem est: quinque annis à Passione Domini.

33. *Auctoris sententia.*

Nos arbitramur, illos quatuordecim annos, de quibus loquitur Paulus, putandos esse à conuersione, & non à prima profectione ad vrbem Hierusalem, hoc autem paulò infrà probabimus. Videamus igitur, quartus decimus ille annus à conuersione Pauli, in quem Principatus Claudij annum incidat. Dominus Baronius signat eum in nono anno Claudij: mihi videtur is annus concurrisse cum initio octaui anni Principatus Claudij: id enim mihi persuadet ratio temporum. Nam post conuersionẽ Pauli fuerunt reliqui tres anni Tiberij: Paulus enim conuersus est vigesimo anno Tiberij;

& in vigesimo quinto die Ianuarij, vt suprà ostensum est: restabant itaque illius vigesimi anni, qui finiebatur in decimo nono die Augusti, tunc enim imperare cœpit Tiberius, restabant, inquam, sex menses & dies viginti quinque. Post vigesimum autem annum Imperauit TIBERIVS duobus annis, & septem mensibus: ergo post conuersionem Pauli, vixit TIBERIVS tres annos, & vnum mensem, & dies viginti quinque. His adde annos Caligulæ tres, & menses decem, & dies octo; ex vtrisque conficies annos septē: quibus si adiungas septem annos Claudij, efficies quatuordecim illos annos, de quibus eo loco Paulus loquitur: qui cùm ibi dicat reprehensionem Petri esse factam post quatuordecim annos à sua nimirum conuersione, satis liquet, reprehensionem Petri esse factam initio octaui anni principatus Claudij; exactisque iam quinque annis, postquam Petrus Romam venerat, & Cathedram Romanam fundauerat. Hæc porrò quæ sumpsimus hîc tanquam certa, suprà probauimus, cùm ageremus de annis Romanorum Imperatorum.

De qu[...] Pauli Hieros[...] profect[...]

DICENDVM itidem est de quatuor B. Pauli post suam conuersionem ad vrbem Hierosolymam profectionibus: sunt enim memorabiles, nonnullasque habent secum complicatas difficultates. Prima eius profectio facta est tribus annis post conuersionem suam, in eum finem, vt videret PETRVM Principem Apostolorum, vt scribit ipse in primo capite epistolæ ad Galatas. Altera eius profectio facta est circa duodecimum annum à sua conuersione, cùm is vnà cum Barnaba missus est ab Ecclesia Antiochena ad vrbem Hierosolymam, ferens Eleemosynas, propter famem imminentem toti propemodum terrarum orbi: quæ fames contigit quarto Principatus Claudij anno, vt tradunt Eusebius in Chronico, & Orosius libro septimo capite sexto, & Beda in libro de sex ætatibus. Facta igitur est fames illa post cædem Iacobi, & carcerem Petri: licet eam Lucas antè commemoret, per anticipationem

Euseb. Orosi[...]

tionem videlicet. Tertia PAVLI ad vrbem Hierosolymitanam profectio fuit, cùm quatuordecim annis post suam conuersionem, vnà cum Barnaba, illuc iuit, propter quæstiones quasdam legales: huius profectionis meminit Lucas in Actis Apostol. capite decimo quarto, & ipsemet Paulus in capite secundo epistolæ ad Galatas. Quartùm, iuit Paulus Hierosolymam, ferens Eleemosynas, ex variis Ecclesiis acceptas, ad Ecclesias, quæ erant in Iudæa: & tunc captus est circa initium Imperij Neronis, & post suam conuersionem anno vigesimo primo, post Domini verò Passionem vigesimo tertio. Hunc Pauli ad vrbem Hierosolymitanam aduentum enarrat Lucas in Actis Apost. capite vigesimo primo. An verò postquam anno quarto Neronis, solutus vinculis, & liber dimissus est, reuiserit Hierosolymam, in sacris litteris non est proditum.

35. Ceterùm circa primam Pauli profectionem duæ occurrunt difficultates. Primùm enim Lucas capite nono narrat Paulum post suam conuersionem, Damasco profectum esse Hierosolymam: at Paulus ipse in capite primo epistolæ suæ ait, se Damasco abiisse in Arabiam, & inde reuersum esse Damascum, & postea iuisse Hierosolymam. Respondeo, Lucam in sua Historia prætermisisse illam Pauli profectionem in Arabiam, sicut alia permulta omisit; quæ nesciret Ecclesia, nisi ea Paulus in suis epistolis prodidisset. Illud quoque habet dubitationem, An Paulus prædicauerit in Arabia, & res aliquas memorabiles gesserit. Affirmat hoc Chrysostomus super caput primum epistolæ ad Galatas; sed eas res Paulum modestiæ causa reticuisse. At enim negat id Hieronymus, eo ipso in loco scribens, Paulum esse prohibitum SPIRITV sancto prædicare tunc in Arabia: sicut postea prohibitus est in Asia prædicare, vt refert Lucas capite decimosexto. Paulum certè tunc in Arabia non prædicasse, non obscurè indicauit ipse, causam suam agens coram Agrippa rege. Narrans enim quemadmodum ei Dominus, atrociter insectanti Christianos, apparuisset, hæc dixit: *Vnde, Rex Agrippa, non*

Actor. 26.

pa, non fui incredulus cæleſti viſioni, ſed iis, qui ſunt Damaſci primùm, & Hieroſolymis, & in omni regione Iudææ & Gentibus annuntiabam, vt pœnitentiam agerent, & conuerterentur ad DEVM, *digna pœnitentiæ opera facientes.* De prædicatione in Arabia, nullum verbum, non vtique omittenda tunc, ſi eſſet facta.

36. Tertiam profectionem ſuam Hieroſolymitanam Paulus in ſecundo capite epiſtolæ ad Galatas, narrat, his verbis: *Deinde, poſt annos quatuordecim, iterum aſcendi Hieroſolymã cum Barnaba, aſſumpto & Tito. Aſcendi autem ſecundum reuelationem, & contuli cum illis Euangelium, quod prædico in Gentibus.* Lucas etiã in Actis Apoſtolicis, capite decimo quinto, eandem profectionem Pauli commemorans, ita ſcribit: *Quidã deſcendentes de Iudæa, docebant fratres, Quia niſi circumcidamini ſecundum morem Moyſi, non poteſtis ſaluari. Facta ergo ſeditione non minima, Paulo, & Barnabæ, aduerſus illos, ſtatuerunt vt aſcenderent Paulus, & Barnabas, & quidam alij ex aliis, ad Apoſtolos ac Presbyteros in Hieruſalem ſuper hac quæſtione.* Quanquam B. Chryſoſtomus ſuper caput ſecundum epiſtolæ ad Galatas putat fuiſſe duas profectiones diſtinctas, quam narrat Paulus, & quam memorat Lucas: & priorem quidem fuiſſe, quæ narratur à Luca, poſteriorem verò quæ à Paulo. Videtur idem exiſtimaſſe Hieronymus, explanans initium illius ſecundi capitis epiſtolæ ad Galatas; licet poſt deinde ſubiiciat, quoſdam opinari fuiſſe eandem profectionem. Illud opinionem Chryſoſtomi adiuuare videtur, quod diuerſas circũſtantias profectionis exprimit Paulus, atque Lucas. Paulus ait ſe iuiſſe Hieroſolymam ſecundum reuelationẽ, & aſſumpto Tito, & in eum finem, vt Euangelium à ſe prædicatum, conferret cum Apoſtolis: Lucas verò ſcribit, Paulum, & Barnabam eſſe miſſos ab Eccleſia Antiochena, vt referrent ad Apoſtolos de quibuſdam quæſtionibus, tunc ibi excitatis circa obſeruantiam Legalium: nec Lucas Titi mentionem fecit ullam. Sed enim cùm cetera omnia maximè congruant, hæc profectò leuiora ſunt, quàm vt diuerſitatem profectionum perſuadere cuipiam debeant. Etenim Paulus prius ſua

An itio ... Hierusa... Barnab... ipſe men... ad Gala... cundo c... & ea qu... rat Luca... 15. fuer... nec ne.

Chryſoſt... Hierony...

 ſponte,

ſponte, & diuino monitu ſtatuerat ire Hieroſolymam, vt Euangelium palam communicando cum Apoſtolis, liquidò appareret, ipſum non prædicare aliud Euangelium, quàm prædicabant Apoſtoli, ſicut quidam iudaizantium obtrectatores eius, criminosè iactabant. Contigit porrò, vt, eo ipſo tempore Eccleſia Antiochena propter exortas in ea quæſtiones de obſeruantia legis Moyſi, ſtatueret mittere Hieroſolymam Paulum, & Barnabam conſultum Apoſtolos ſuper ea re, eo præſertim, quod in illa diſceptatione, & altercatione, Paulus & Barnabas aduerſus iſtiuſmodi iudaizantes acerrime pro libertate Euangelica propugnaſſent. Lucas item ſcribit, vnà cum Paulo & Barnaba iuiſſe quoſdam alios ex aliis (ſic enim habet Latina tranſlatio) ſignificans contrariæ opinionis aſſertores & defenſores: ſed græcè legitur (alios ex ipſis) in iſtis erat Titus, cuius nomen à Luca tacitum, expoſitum eſt à Paulo. Cum igitur ea, quæ videntur arguere diuerſam profectionem, ſint planè leuia; quæ autem probant fuiſſe vnam profectionem, ſint multa & grauia, equidem probabiliorem duco ſententiam Theodoreti in caput ſecundum epiſtolæ ad Galatas, & Bedæ in Actis Apoſtol. capite decimoquinto, & hiſtoriæ Scholaſticæ ſuper Acta Apoſtol. capite trigeſimo primo, & Caietani, & (quem primo loco, huius ſententię auctorem, & probatorem laudare oportuerat) Irenæi in libro tertio, capite decimo tertio, qui cenſent eandem fuiſſe profectionem. Enimuerò, ſi quis attentè, obſeruatéque conſideret contextum Apoſtolicæ hiſtoriæ, facilè animaduertet, poſt illam profectionem Pauli, & Barnabæ, quam Lucas narrat capite decimoquinto, nunquam deinceps Paulum, & Barnabam ſimul iuiſſe Hieroſolymam: immo verò tunc reuerſi Antiochiam, & mox diſſenſione inter ipſos propter Marcum facta, abiêre in diuerſa loca prædicatum Euangelium. Nec leguntur poſtea vnquam conueniſſe; nec poſt id temporis legitur Paulum iuiſſe Hieroſolymam, niſi cùm eſt ibi captus, ut traditur in Actis Apoſt. capite vigeſimo primo.

Irenæus. Theodoretus. Beda. Caietanus.

Verùm

37. Verùm vnde computari oporteat illos quatuordecim annos, post quos ait Paulus se ascendisse Hierosolymam, diuersæ sunt Auctorum sententiæ. S. Hieronymus & Anselmus super caput secundum epistolæ ad Galatas, illos quatuordecim annos censeri putant à prima Pauli profectione Hierosolymam, quæ tribus annis post eius conuersionem facta est: ita vt tertia hęc itio Pauli Hierusalē, facta sit decimoseptimo anno post eius conuersionem, & quod est necessariò cōsequens, decimo anno Principatus Claudij. Nam post conuersionem Pauli, reliqui fuerunt tres anni Tiberij, quos secuti sunt quatuor anni non pleni Caligulæ; his autem, decem annos adde Claudij, & ex omnibus efficies illos decem, & septem annos, qui secundum illos transacti sunt post conuersionem Pauli, vsque ad tertiam hanc profectionem eius in vrbem Hierusalem. At verò Beda super Acta Apostol. capite decimoquinto, & Magister Historiæ Scholasticæ, loco supra citato, & S. Thomas, Lyranus, Caietanus, & alij super caput secundum epistolæ ad Galatas, quatuordecim illos annos computant à tempore conuersionis B. Pauli, vt illi finiantur septimo anno Claudij. Videtur mihi horum sententia esse propior vero; id enim ratio ipsa narrationis Pauli, quæ in eo loco est, magis indicat. Sed præterea valide probatur hac ratione: si hæc profectio tertia Pauli Hierusalem, facta esset decimo anno Claudij, vt fieri secundum istos, necesse fuit, ergo facta esset post eiectionem Iudæorum, ex vrbe ROMA, iussu Claudij factam: eam namque factam esse nono anno Claudij, tradit Orosius libro septimo capite septimo, & Beda in libro de sex ætatibus mundi, & super caput decimū octauum Actorū Apostolicorum, vbi hoc ipsum confirmat auctoritate Iosephi. At enim eiectionē illam Iudæorū accidisse multo post tertiam Pauli profectionē Hierusalem, euidenter demonstrat Lucas: is enim capite decimoquinto narrat profectionē illam Pauli Hierusalem; & deinde, vsque ad caput decimum octauum, memorat multa Pauli itinera per varias & longinquas regiones,

Vnde computandi sint illi quatuordecim anni.

S. Hieronymus. Anselmus.

Beda. Historia Scholastica. S. Thomas. Lyranus. Caietanus.

Auctoris sententia

Orosius. Beda.

nes, quousque venit Corinthum, vbi, sicut ait capite decimo octauo, reperit Aquilam, qui cum aliis Iudæis, eiectus Roma, Claudij edicto, illuc venerat. Ex quo apparet, eiectionẽ illam Iudæorum factam nono anno Claudij, longè posteriorem fuisse tertia illa profectione Pauli Hierusalem. Non igitur profectio illa est facta decimo anno Claudij, nec decimo septimo anno post conuersionem Pauli.

38. *Animaduersio in Bedam.*

Bedam equidem miror, virum, pleraque doctum, & diligentem, egregieq; peritum, omne genus historiæ, & Chronologiæ, super caput decimum quintum Actorum Apostolicorum, tractando hanc profectionem Pauli, multa scripsisse contra veram historiam, & Chronologiam. Ait enim, eo ipso anno, quo Paulus iuit Hierosolymam, qui fuit quartus Claudij, Petrum iuisse Romam, & fundasse cathedram Romanam, eamque tenuisse viginti quinque annis vsque ad vltimum videlicet annum Neronis, & trigesimum octauum à Passione Domini. verùm in his paucis verbis Bedæ, multa sunt communi sententiæ contraria, & falsa. Primò, decimus ille quartus annus profectionis Pauli, non fuit quartus annus Claudij, sed septimus, vt suprà ostendimus. Deinde, Petrus non quarto Claudij anno, sed secundo primùm Romam iuit, vt tradunt Eusebius, Hieronymus, & alij, & à nobis infrà demonstrabitur. Adhæc, à quarto anno Claudij vsque ad vltimum Neronis, non viginti quinque anni, sed nec viginti quidem quatuor pleni numerantur. Postremò à Passione Domini, vsque ad finem Imperij Neronis, non præterierunt anni triginta octo, vt ait Beda, sed anni tantùm triginta sex, & menses tres, vt patet ex his quæ suprà diximus de annis Romanorum Imperatorum. Videtur Beda in eam adductus sententiam, quòd existimauerit, Petrum, postquam venit primùm Romam, nunquam inde per viginti quinque annos discessisse, nec reuersum esse Hierosolymam: quod factum esse, docet Epiphanius, disputans contra Hæresim vigesimam septimam, & Chrysostomus in sermone primo de Pentecoste, Eusebius in historia Ecclesiastica libro secundo capite

Epiphanius. *Chrysostomus.*

capite vigesimo secundo, & capite decimotertio, & Nicephorus libro secundo, capite trigesimo quinto. Immo verò ob eam præcipuè causam Petrus ordinauit Romæ episcopos Linum & Cletum, vt hi ministerio episcopali Romæ vacarent, ipse verò Apostolatus munere fungens, Euangelium per varias terrarum regiones, & gentes prædicaret, & aut nouas fundaret Ecclesias, aut iam antè fundatas, reuisendo cōfirmaret. Certè cum Iudæos, impulsore CHRISTO, assiduè tumultuantes, vt scribit Suetonius, Claudius Roma eiecit, quis non credat etiam Petrum, si erat ibi, tunc vel eiectum esse, vel cedentem furori, sponte sua, vrbe decessisse, cùm ipse eorum tumultuum principalis auctor vulgò haberetur. Sciat porrò Lector, Bedam non modò lapsum esse in his quæ supra diximus, sed causam fuisse, vt etiam B. Thomas similiter laberetur, quippe qui, haud dubiè sequens Bedam, similia illi tradit super caput secundum epistolæ ad Galatas.

Eusebius. Nicephorus.

Quarta Pauli profectio Hierusalem, cùm est ibi captus à Iudæis, sicut narrat Lucas capite vigesimo primo, facta est extremo principatu Claudij, vel primore Neronis Imperio. Mansit Cæsareæ Paulus in custodia per biennium, & vinctus Romam venit, secundo Neronis anno: ibique per biennium in custodia manens, quarto Neronis anno vinculis solutus, & liber dimissus est. Ergo captus est Paulus anno post suam conuersionem vigesimo primo, & post Passionem Domini vigesimo tertio; venit autem Romam vigesimo tertio anno post suam conuersionem, & post Domini Passionem vigesimo quinto; & tunc solutus est vinculis anno post suam conuersionem vigesimo quinto, post Domini verò Passionem vigesimo septimo. Hæc porrò satis certa & manifesta videntur, præter vnum illud quod diximus, Paulum, postquam captus est, mansisse in custodia per biennium Cæsareæ. Hoc tamen satis apertè docet Lucas in Actis Apostolicis capite vigesimo quarto: vbi enim narrauit, quemadmodum Paulus causam suam egerit corā Felice Præside, & quod Præses libenter, ac frequēter cum eo sermocinaretur, subdit

39.

An Paulus Cæsarea manserit biennio in custodia.

hæc verba: *Biennio autem expleto, accepit successorem Felix Portium Festum*. Illud: *Biennio expleto*, non potest referri ad tempus gubernationis Felicis, quasi per biennium tantummodo Præses fuisset: id enim falsum esse patet ex iis verbis, quæ Paulus dixit Felici, vt eodem in capite refert Lucas: *Ex multis annis te esse Iudicem Genti huic sciens*, quod sanè verum non esset, si Felix biennio tantùm Iudææ præfuisset. Quid, quod Iosephus libro vigesimo Antiquitatum capite quinto tradit, Felicem esse missum in Iudæam à Claudio, vndecimo Imperij eius anno, multaque ab eo gesta in Iudæa, etiam tunc imperante Nerone commemorat: quare necessum est præfuisse eum Iudææ, minimùm, quinque annis. Cùm igitur illud biennium, cuius Lucas meminit, referri ad Felicem non queat, referendum profectò est ad tempus, quo Paulus fuit in custodia sub Felice. Atque ita sentit Glossa Interlinearis, super illud caput Actorum Apostolicorum, & ibidem Lyranus, & Occumenius in caput vltimum Actorum Apostol. & Onuphrius in suo Chronico, & Beda super Acta Apost. capite vigesimo quarto, qui exponens illa verba: *Biennio autem expleto, accepit successorem Felix Portium Festum*: ita scribit: Biennium dicit conuersationis Pauli in Cæsarea, non autem Præsidatus Felicis. Dictum est enim suprà, quod multis annis Genti illi fuerit Iudex. Præsertim cum historiæ narrent, secundo Neronis anno missum esse Romam Apostolum: Claudium verò Cæsarem, eo tempore, quo Agrippam, filium Herodis ab Angelo percussi, Iudæorum regem constituit, Felicem quoque totius prouinciæ, Samariæque, & Galilææ, & regionis, quæ dicitur trans Iordanem, Procuratorem misisse. Sic Beda. Hoc ipsum firmat Metaphrastes auctoritate Eusebij. Vide apud Surium die 29. Iunij. Eo autem biennio, quo Paulus Romę fuit in vinculis, vsq; ad quartum Neronis annum, creditur, Lucam Apostolicam scripsisse historiam, cùm non vltra illud tempus eam producat. Mirum verò possit videri, cetera Pauli acta vsque ad eius obitum non itidem scriptis prodidisse Lucam: nisi putemus, eum post id tem-

Iosephus.

Glossa Interlinearis.
Lyranus.
Occumenius.
Onuphrius.
Beda.

temporis non fuisse comitem Pauli, saltem perpetuum, sed abiisse aliò ad prædicandum Euangelium, vel regendas Ecclesias. Quanquam ex capite quarto posterioris epistolæ ad Timotheum, constat, Lucam fuisse cum Paulo in vltimis eius vinculis, & cùm martyrium eius proximè abesset. Sic enim ibi loquitur Paulus: *Lucas est mecum solus.*

40. Sed redeo ad biennium, quo fuisse dixi Paulum Cæsareæ, priusquam Romam mitteretur. Non me fugit, Dominum Baronium aliter sentire: arbitratur enim, Paulum esse captum secundo Neronis anno, eodemq; ipso anno esse missum Romam; negatque fuisse eum Cæsareæ in custodia per biennium. Illud autem: *Expleto biennio accepit successorem Felix, &c.* interpretatur de biennio, quo Felix præfuit Iudææ sub Imperiò Neronis. Sed enim, nec Lucas verbum vllum fecerat de Nerone, vt ab eius Imperio definiri biennium illud posse, Lector intelligeret: nec vlla videtur esse ratio, cur Lucas tempus administrationis Felicis definire vellet potius ab Imperio Neronis, qui Felicem magistratu abdicauit, & priuauit; quàm à Claudio, qui eum Præsidem fecerat. Itaque meam ego antiquam, & complurium Doctorum opinionem sequi persеuero. Futile porrò est, quod ait Auctor historiæ Scholasticæ super Acta Apostolorum capite centesimo vndecimo, bienniũ illud computari oportere ab eo tempore, quo Felix accusatus est à Iudæis apud Cæsarem: eius namque rei nullam mentionem fecerat Lucas; neque erat digna res, cuius in tali historia Lucas respectum & rationem haberet vllam.

Baronius 1. Tomo, anno Domini 58.

Historia Scholastica.

41. At verò Paulum, cùm Romæ biennio in custodia fuisset, esse quinto anno Neronis solutum vinculis, & peragrasse varias regiones & Gentes prædicando Euangelium, vel adeundo nouas, vel quas antea iam imbuerat doctrina Euangelica, reuisendo & confirmando; & antiquissima est traditio; & concors Doctorum sententia, & ex ipsius Pauli epistolis perspicuè licet cognoscere. Hoc docens Eusebius in libro secundo historiæ suæ Ecclesiasticæ, capite vigesimo primo, ita scribit: Felici successit Festus: sub cuius præfe-

Paulus Romanis vinculis solutus, quas regiones & Gentes adierit.

Eusebius.

præfectura cùm Paulus ibi causam pro se egisset, vinctus Romam ducitur, & biennio Romæ in custodia mansit, liber tamen ad prædicandum Euangelium, vt Lucas ait, quo tempore librum de Actis Apostolicis finiuit, cum vltra id temporis historiam non produxerit. Paulus verò cùm pro se in Iudicio respondisset, traditum est, eum ad Euangelium passim prædicandum se denuò recepisse. Sed postquam secundo aduenit Romam, beato martyrio extremum diem obiisse. Verisimile quippe est, Neronem, in principio sui Imperij mitiorem fuisse, & Pauli defensionem pro religione Christiana, facilius,& benignius admisisse. Sed postea cùm ad nefandam & intolerandam crudelitatem processisset, inter alia eius crudelia facinora, etiam, quæ contra Apostolos edidit, aggressus est. Sic Eusebius. Similia scribit Hieronymus in Paulo: Post Passionem, inquit, Domini, vigesimo quinto anno, id est, secundo Neronis, eo tempore quo Festus Procurator Iudææ successit Felici, Paulus Romam vinctus mittitur, & biennium in libera manens custodia, aduersus Iudæos de aduentu CHRISTI quotidie disputauit, Nec dum autem Neronis Imperio roborato, nec in tanta erumpente scelera, quanta de eo narrant historiæ, Paulus à Nerone dimissus est, & Euangeliũ CHRISTI in occidentis quoq; partibus prædicauit. Hæc Hieronymus. Paulus ipse se vinculis illis liberatum iri, etiam tunc cùm in illis erat, non semel prædixit. Nam in capite primo epistolæ ad Philippenses, quã ex vinculis illis scripsit, sic ait: *Permanere me in carne necessariũ propter vos. Et hoc confidens, scio quia manebo, & permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum & gaudium fidei, vt gratulatio vestra abundet in IESV CHRISTO in me per meum aduentum iterum ad vos.* Idem ex vinculis scribens ad Philemonẽ, sub finem epistolę sic ait: *Para mihi hospitiũ, nam spero per orationes vestras, donari me vobis.* Ac demùm in fine epistolæ, quam ad Hebræos scripsit, ex vinculis, vel eis iam solutus, dum Italiã peragraret: *Cognoscite*, inquit, *fratrẽ nostrum Timotheum: cum quo, si celerius venerit, videbo vos. Salutant vos de Italia fratres.* Sed apertissimis verbis

S Hieronymus.

verbis hoc iterum nos docet Paulus in quarto capite posterioris epistolæ ad Timotheum, nã loquens de primis suis vinculis sic ait: *In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur. Dominus autem mihi adstitit, & confortauit me, vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes Gentes: & liberatus sum de ore leonis.* His verbis liberationem suam à primis vinculis, non, vt alibi, futuram prædicit, sed eam multò ante factam commemorat.

42. Sed videamus, postquam vinculis solutus est Paulus, ad quas regiones adierit, & apud quas Gentes prædicauerit Euangelium. Eusebius dixit, eum tunc passim prædicasse. Hieronymus scripsit eum prædicasse in occidente; quo nomine præcipuè significatur Italia & Hispania. Caietanus ex verbis Pauli, quæ sunt in capite quarto posterioris epistolæ ad Timotheũ satis probabiliter argumentatur, Paulum vinculis liberatum reuisisse Græciam, & Asiam. Verba Pauli sunt illa: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum. Erastus remansit Corinthi. Trophimum autem reliqui infirmum Mileti.* Hæc verba pensitans Caietanus, argumentatur, Paulum, post prima vincula, reuersum fuisse ad ea loca Achaiæ & Asiæ: hoc autem modo scribit: Diligenter aduerte, quod hinc apparet, Paulum solutum à vinculis, in quibus ex Iudæa fuerat ductus Romam, reuersum esse in Macedoniam, & Achaiam, & loca in quibus prius prædicauerat, prout ipse promiserat bis in epistola ad Philippenses. Apparet autem, Paulum rediisse ad illa loca, ex eo quod scribit hîc Timotheo, se reliquisse penulam Troade, & Erastum remansisse Corinthi, & Trophimum infirmum esse relictum à se Mileti. Quod hæc non sint gesta, cum Paulus ex Iudæa vinctus Romam venit, testantur Actus Apostolorum. Lege totam illam nauigationem, & verum esse perspicies, quod dico. Quamuis etiam hoc appareat ex magna temporis distantia. Nam Paulus secundo Neronis anno vinctus ex Iudęa venit Romam, vt Hieronymus dicit de viris Illustribus; hæc autem epistola scripta est anno decimotertio, vel decimo-

Locus 2. ad Timotheum cap. 4.

Caietanus.

Hieronymus.

quarto Neronis, quando tempus mortis Pauli prope erat: Constat enim ipsum decollatũ esse anno decimoquarto Neronis. Non est itaq; verisimile, quod relictam ante vndecim annos vestem pluuialẽ tunc moriturus peteret. deinde cum Timotheus fuisset tunc cum Paulo Romæ, ore tenus ei dixisset, quod Erastus tunc remansisset Corinthi, & quod Trophimũ reliquisset ipse infirmum Mileti, si ante per vndecim annos gesta commemoraret. Ridiculum quoq; est, quod post vndecim annos dicat, Trophimum esse relictum à se infirmum Mileti: numquid Trophimi ægritudo tam longa fuit? quo circa absque vlla hęsitatione intelligendum est, Paulum loqui de secundo aduentu suo ad vrbem Romæ ex partibus illis: ita vt præstiterit quod promiserat Philippensibus & Philemoni. Tunc Romam secundo rediens reliquit Troade Penulam cum libris & membranis: tunc Erastus remansit Corinthi: tunc etiam Trophimus Mileti ęgrotus ab ipso relictus est. Hactenus ex Caietano.

Paulum post prima vincula non reuisisse Ephesum.

Verùm, vt demus Paulum tunc reuisisse alia loca Asiæ, non tamen videtur reuisisse Ephesum, & Ecclesiam Ephesinam. Vt enim refert Lucas in Actis Apostolicis, capite vigesimo: cùm esset Paulus Mileti, mittens Ephesum, vocauit maiores natu Ecclesiæ, quibus inter alia multa quæ dixit, asseueranter & pro certo prædixit eis, nunquam eos amplius visuros ipsum. Verba Pauli sunt hæc: *Et nunc ecce ego scio, quia amplius non videbitis faciem meam vos omnes, per quos transiui prædicans regnum* DEI. An verò tunc Paulus iuerit in Hispaniam, vt ipse constituerat, & deliberatum habuerat eo tempore, quo scripsit epistolam ad Romanos, sicut ex capite decimo quinto eius epistolæ licet cognoscere; non vacat difficultate: verùm super ea re disputabitur à nobis, cùm ad illum eius epistolæ locum peruenerimus.

Locus Actorum cap. 20.

43.

Cur Paulus sub Nerone captus, & occisus sit.

Paulus igitur, circa finem Imperij Neronis Romã rediens, captus est, & iussu Neronis nobili martyrio, per abscissionem capitis, occisus est. Causa cur tunc inuisus fuerit Neroni, & iussus

iussus occidi, variè traditur ab Auctoribus. Clemens l. 6. Cōstitutionū Apostolicarū, c. 9. Hegesippus lib. 3. c. 2. Ambrosius libro quinto epistolarū in epistola de Tradendis Basilicis; Arnobius libro secundo aduersus Gentes, Maximus in sermone de Natali Apostolorū, tradunt, causam mortis Pauli, & Petri fuisse illustrem illum cum sermone Mago Petri & Pauli congressum & conflictum. Cùm enim Simon magicis artibus, vt se Romanis Deum esse probaret, Dæmonum adiutorio per aërem cœlum versus volaret; fugatis per orationem Petri Dæmonibus, in terram delapsus, vniuerso inspectante Populo diruptus est: hoc aduersus Apostolos, Neronem vehementer incitauit. S. Chrysostomus & Theophylactus in quartum caput posterioris epistolæ ad Timotheū aliam reddunt causam; hanc nempe, quod Paulus Pincernā Neronis, ei carissimum, ad fidem CHRISTI conuerterat: quamobrem ira æstuans Nero, caput Pauli præcidi iussit. Simeon Metaphrastes in commentario peregrinationis Petri & Pauli, testimonio Chrysostomi probat, causam mortis Pauli fuisse, quod Paulus valde dilectam Neroni Pellicem conuerterat ad CHRISTI fidem, & à nefanda libidine Neronis abduxerit; ob idque à furente Nerone capite damnatum esse. Citat ibidem Gaium antiquum theologum, & Zepherinum Papam, & Dionysium Corinthiorum episcopum, à quibus proditum est; Paulum esse occisum à Nerone, non propter Simonem Magum, sed propter fœminas, quæ in Dominum crediderant, nec amplius cum Nerone congredi sustinebant.

Clemens Romanus. Hegesippus. Ambrosius. Arnobius. Maximus. S. Chrysostomus. Theophylactus. Apud Surium Metaphrastes die 29. Iunij. Dicit hoc Chrysostomus in lib. 1. aduersus vituperatores vitæ monasticæ.

Seuerus Sulpitius in libro secundo sacræ historiæ, aliam mortis Pauli rationem, & causam affert, à Cornelio Tacito petitam, atque eius fermè verbis expositam. Abundante iam, inquit, Romæ Christianorum multitudine, accidit, vt Roma incendio conflagraret, Nerone apud Antium constituto. Sed opinio omnium inuidiam incendij in Principem retorquebat. Credebaturq; Nero gloriam innouandæ vrbis quæsisse: neque vlla re Nero efficiebat, quin ab eo iussum putaretur incendium. Vertit igitur ille in

Sulpitius.

Christianos inuidiam: actæq; in innoxios crudelissimæ quęstiones: quin & nouæ mortis rationes excogitatæ, vt ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent. Multi etiam crucibus affixi. aut flamma vsti: plerique in id reseruati, vt cũ defecisset dies, in vsum nocturni luminis vrerentur. Tunc Paulus & Petrus condemnati, illi ceruix gladio desecta; hic in Crucem sublatus est. Hæc ferè Sulpitius. Sed eum manifestè refellit ratio temporum. Illud enim facinus Neronis in Christianos, factum est, vt refert Tacitus, anno vrbis conditæ octingentesimo decimoseptimo, & decimo Imperij Neronis anno, vt annotauit Eusebius in Chronico: at verò Paulus est occisus anno principatus Neronis decimoquarto, vel decimotertio, ab vrbe verò condita anno 821. Equidẽ valde probabilem iudico causam mortis Apostolorum paulò suprà expositam, tum de casu Simonis magi, tum de personis Neroni dilectissimis, per Apostolos ad fidem CHRISTI conuersis, & à Neronis consuetudine separatis.

Eusebius.

Auctoris Iudicium.

44.

Quoto Neronis anno S. Paulus obierit.

Eusebius. S. Hieronymus. Beda.

Restat, vt de tempore mortis B. Pauli, disquirentes, & quoto anno post Passionem Domini, & item quoto Imperij Neronis anno: & de hoc posteriori prius agamus. Eusebius in chronico, Hieronymus de scriptoribus Ecclesiasticis in PAVLO, Beda in Acta Apostolo. super caput vltimum, & hos secuti complures alij arbitrantur, Paulũ obiisse decimo quarto Neronis anno. Verùm istis aduersatur, quod Nero obiit octauo mense decimi quarti anni sui Principatus, & decimo die Iunij, vt supra docuimus, at verò Petrus & Paulus occisi sunt vigesimonono Iunij: si fuissent igitur occisi decimoquarto Neronis anno, non vtique occisi essent sub Nerone, sed post eius mortem, quod est contra communem Doctorum sententiam. Omnino, est improbabile quod ait Epiphanius disputans in Hæresim 27. Paulũ obiisse duodecimo Neronis anno; nulla enim ratione fultum est, & contrarium est ecclesiasticorum Auctorum sententiæ. Est itaq; probabilius, esse mortuũ Paulum anno decimo tertio Neronis, id est, octauo mense eius anni; hoc confirmat Metaphrastes auctoritate

Epiphanius.

ritate Gaij, & Zepherini Papæ, & Dionysij Corinthiorum episcopi: hoc ipsum tradunt & Onuphrius in Chronico suo, & Dominus Baronius in Anno Domini sexagesimo nono: hoc demùm nulli difficultati & incommodo videtur obnoxium. Hinc liquidò apparet, Paulum esse mortuum trigesimosexto anno post Passionem Domini; tantum enim temporis effluxit à tempore Passionis Domini, id est, à decimo octauo anno principatus Tiberij, vsque ad octauum mensem decimi tertij anni Neronis. Nimirum, post Passionem Domini, reliqui fuerunt quinq; anni Tiberij, & Caligulæ tres anni pleni, & insuper menses decem, & dies octo, deinde Claudij tredecim integri anni, & item menses octo, & dies viginti: postremo Neronis duodecim anni, superq; menses fermè octo: ex his conficitur summa annorum triginta quinq;, præterq; mensium fermè septem. Eusebius porrò, & Hieronymus, qui mortem Pauli referunt ad decimumquartũ Neronis annum, consequenter eam signant in anno trigesimo septimo post Passionem Domini. Sed longius à vero discessit Beda, qui super Acta Apostol. capite decimoquinto vult Paulum esse passum trigesimo octauo anno post Passionem Domini. B. autem Thomas super secundũ caput epistolæ ad Galatas, ait, Petrum (idem autem de Paulo intelligendum est) mortuũ esse Romæ quadragesimo anno post Passionem Domini. Si autem mortuus est Paulus, vt ostendimus, trigesimo sexto anno post Domini Passionẽ, cum fuerit ad CHRISTVM conuersus secundo à Passione eius anno, consequẽs est, mortuum fuisse cum anno trigesimo quarto post suã conuersionem. Quoniam verò Chrysostomus tradit, mortem obiisse Paulum expletis iam ætatis suæ annis octo & sexaginta; ex eo conficitur, Paulum fuisse annorum quatuor & triginta, cùm est ad CHRISTVM conuersus, totidemq; post conuersionẽ suam annis seruisse CHRISTO.

Quoto anno post Passionẽ Domini, et post suam conuersionem atque etiam ætatis suæ mortuus sit B. Paulus.

Beda.

S. Thomas.

Chrysost. in Oratione de principib. Apostolorum.

45.

An eodem die passi fuerint Petrus et Paulus.

Eadem porrò die eiusdem anni martyrium subiisse Petrum, & Paulum, antiquissima est in Catholica Ecclesia traditio, certissimaq; persuasio, auctoritate plurimorũ veterum

Doctorum confirmata. Nec sanè de Catholicis scriptoribus aliter quempiam sensisse memini, nisi Prudentium in Carmine de festo Apostolorum, & S. Augustinum in Tomo decimo in sermone quarto eorum, quos fecit in festo horum Apostolorum: qui aiunt Paulum vno anno post Petrum, eodem tamen die anniuersario esse martyrio coronatum. Metaphrastes ad probandum, hoc ipsum, affert testimonium Iustini Martyris, & Irenæi, quod ego tamen non legi in iis, quæ nunc extant eorum scriptis. Gelasius certè Papa quasi hæreticos damnat istius opinionis assertores.

Prudentius. *Augustinus.* *Metaphrastes.* *Gelasius.*

46. *Locus Martyrij B. Pauli.*

De loco, vbi occisus est B. Paulus, illud à veteribus est proditum, consummasse martyrium in via Hostiensi, prope Tiberim, per abscissionem capitis. Est tamen vetus Traditio, religione populi fidelis, & concursu celebrata, Paulum esse interfectū ad Aquas Saluias: antiquitus vocabatur is locus: MASSA AQVÆ SALVIÆ: fortasse ei loco nomē dedit Saluia Gens, olim Romæ pernobilis, quæ Othonē tulit Imperatorē. Eratq; hic locus, possessio Iuris monasterij S. Pauli, vt liquet ex marmoreo diplomate B. Gregorij Papæ, quod est in porticu S. Pauli parieti affixum: in quo Gregorius indicat, eo in loco Paulū esse decollatum; dicens, incongruū videri, vt illa possessio nō seruiret B. Paulo, in qua palmā sumens martyrij, capite truncatus est. Vulgo appellatur is locus TRES FONTES. Verba illa Gregorij leguntur etiam in Epistola eiusdē ad Felicem subdiaconum, Rectorem Patrimonij viæ Apiæ: quam epistolam memorat Onuphrius in libro de septem Ecclesiis Romæ; vbi agit de Basilica S. Pauli. Quod autem non vbi occisus fuerat, sed in via Hostiensi, non procul inde templum B. Paulo constructum sit à Constantino, causa videtur fuisse, commoditas & celebritas eius loci: præcipuè autem quod trecentis penè annis Apostoli corpus inibi iacuerat. Atq; hæc fuit prima Christianorum persecutio à Nerone concitata: cuius commendatio magna est, Auctoris persona; cuius ingenium fuit, odisse bonos, & pessimos mortaliū amare. De quo scitum profectò est, quod Tertullianus dixit in Apologetico: Consuli-

Tertullianus.

Consulite, inquit, Commentarios vestros; illic reperietis, primum omnium Neronem in hanc sectam tum maximè in vrbe Roma exorientem, Cæsariano gladio ferocisse. Sed nos, tali dedicatore damnationis nostræ gloriamur: qui enim scit Neronem, intelligere potest, non nisi aliquod grande bonum ab eo damnatum. Sic Tertullianus.

47. *B. Pauli forma, & habitus corporis, Nicephorus.*

De statura quoque ac forma, habituque corporis Pauli, vt non nihil dicamus, ita scribit Nicephorus libro secundo, capite trigesimo septimo. Erat Paulus corpore paruo, & contracto, & quasi incuruo: facie candida, annosque plures præ se ferente: capite modico, & oculis admodum venustis, & gratia plenis: supercilia deorsum versus deuexa: nasus pulchrè inflexus, idemq; longior: barba densior, & satis prolixa, eaque, non minus quam capitis coma, canis respersa. Cùm inspiciebatur ab aliis, diuinum quid præferebat, atque toto ore spirabat: vt qui eum cernerent fideles, ex solo aspectu, arcanam quandam & latentem conciperent gratiam, & ad bene sanctèque viuendum incitarentur. Chrysostomus in oratione de principibus Apostol. toties à nobis commemorata, mirum tradit de notabili paruitate corporis Pauli, dicens, fuisse eum longitudine trium duntaxat cubitorum; cum iusta corporis humani mensura, sit, quatuor cubitorum. Hoc si verum est, satis apparet, vnde obtrectatores eius Corinthij, occasionem ceperint dicendi, fuisse eum præsentiæ contemptibilis, vt Paulus ipse scribit in capite decimo posterioris epistolæ ad Corinthios. Sed iam tempus est vt finem huic Disputationi ponamus: in qua nos multa de vita, & rebus Pauli, cursim tamen, & carptim exposita, coarctauimus atque refersimus.

Notabilis paruitas staturæ Pauli secundũ Chrysostomũ.

SECVN-

SECVNDA DISPVTATIO.

Super epistola B. Pauli ad Romanos, quando, & vnde, & cur, & ad quos, & quanta sapientia, simulq; obscuritate scripta sit.

48. QVATVORDECIM esse Pauli epistolas, plurium Conciliorum auctoritate, Patrumque consensu comprobatas, & in album sacrarum scripturarum adscriptas, extra controuersiam est apud Catholicos. Cur autem vnius Pauli plures sint epistolæ, quàm aliorum omnium Apostolorum, Cyrillus Hierosolymitanus in decima Catechesi, rationem his verbis reddit. Miratus sum S. SPIRITVS dispensationem, quòd aliorum quidem Apostolorum epistolas paruo numero circumscripserit, Pauli autem, antea sui persecutoris, quatuordecim esse concesserit. Non enim eo, quod minor esset Petrus, aut Ioannes, plura scribendi præcidit eis gratiam, absit: sed quòd dubia futura non esset eius doctrina, qui antea fuisset inimicus & persecutor; ideo eum plura scribere voluit: vt omnes sic nobis vera esse, quæ doceret, facilius persuaderemus. Vnde Iudæi stupebant audientes eum de CHRISTO disputantem acerrime, & dicebant; *Nonne hic est, qui expugnabat in Hierusalem eos, qui inuocabant nomen istud? Et huc ad hoc venit, vt vinctos illos duceret ad principes sacerdotum?* Hæc Cyrillus. Quoniam autem Paulus in suis epistolis passim demonstrat admirabilem conuenientiam, & concordiam inter vetus & nouum Testamentũ, ea, quæ pertinent ad CHRISTVM ex lege, & Prophetis probans; idcirco non temerè hoc numero epistolæ eius continentur. Nimirum, numerus quatuordecim, per denarium, legem Moysis, & vetus Testamentum (principalis enim

Cyrillus.

enim pars Mosaicæ legis fuit Decalogus) significat; per quaternarium, indicat Euangelicam CHRISTI doctrinam à quatuor Euangelistis traditam; per vtriusque autem numeri denarij, & quaternarij coniunctionem, denotat veteris & noui Testamenti inuicem consonantiam & concordiam. Vide Clementem Alexandrinum in libro quarto Stromatum.

49. Dignum memoratu est, quod super hac re scripsit Anselmus, exponens verba illa Pauli, quæ sunt in fine Epistolę ad Colossenses: *Cum lecta fuerit apud vos Epistola hæc, facite vt & in Laodicensium Ecclesia legatur: & ea quæ Laodicensium est, vobis legatur.* Hæc verba declarans Anselmus, ait Paulum scripsisse Epistolam ad Laodicenses, eamque Epistolam sicut cęteras eius, Apostolica auctoritate fuisse firmatam: sanctam tamen Ecclesiam non nisi quatuordecim tenere Epistolas Pauli, vt ex ipso Epistolarum numero pernotesceret, Paulum & legis antiquæ, & Euangelij arcana fuisse rimatum; atque omnem sapientiam Veteris ac Noui Testamenti compendiaria quadam doctrina, contineri in Epistolis Pauli: Ideoq; numerum quatuordecim, qui hæc significabat, noluit excedere. Hæc Anselmus. Qui videtur ea mutuatus à B. Gregorio, cuius in libro trigesimoquinto Moralium capite 25. hæç sunt verba: Recta vita sanctæ Ecclesiæ multiplicata per decem & quatuor reputatur; quia vtrumque Testamentum custodiens, & tam secundum legis Decalogum, quàm secundū quatuor Euangelij libros viuens, vsque ad perfectionis culmen extenditur. Vnde & Paulus Apostolus quamuis Epistolas quindecim scripserit, sancta tamen Ecclesia non amplius, quàm quatuordecim tenet: vt ex ipso Epistolarum numero ostendat, quod Doctor egregius, Legis & Euangelij secreta rimatus esset. Sic Gregorius. Sed profectò non est probabile, voluisse Catholicam Ecclesiam reiicere scripturam aliquam, quam ei compertum esset, fuisse Apostolica auctoritate firmatam. Minus videtur improbabile, quod super eo loco Epistolæ ad Colossenses scribit S. Thomas, fu-

Locus Epistolæ ad Colossenses cap. 4.

Notabilis sententia Anselmi sumpta ex S. Gregorio.

An Paulus scripserit epistolā ad Laodicēses.

S. Gregorius.

S. Thomas.

isse quidem à Paulo scriptam Epistolam ad Laodicenses, sed non fuisse receptam ab Ecclesia, vel quod de eius auctoritate non planè constaret: vel quòd esset ab Hæreticis deprauata: vel quod eadem prorsus haberet, quæ sunt in aliis Pauli Epistolis. Non placet mihi quod ait Theophylactus, dicens, vocari Epistolam Laodicensium, priorem Epistolam Pauli ad Timotheum, quòd ea scripta fuerit ex Laodicea. Non enim illa Epistola vni Timotheo docendo, & erudiendo scripta, quidquam pertinebat ad Colossenses.

Theophylactus.

50. Equidem assentior Chrysostomo, Theodoreto, Oecumenio, & Glossæ Interlineari, à quibus traditur, Paulum significare his verbis Epistolam scriptam non à se ad Laodicenses, sed quam Laodicenses scripserant ad ipsum Paulum. Non enim Paulus dixit: Legatur ea quæ est ad Laodicenses, sed, *quæ est Laodicensium*, vel, vt græcè legitur. *Quæ est ex Laodicea.* Est enim verisimile (inquit Theodoretus) Laodicenses per Epistolam accusasse apud Paulum quæ fiebant Colossis: vel eodem morbo quo Colossenses, etiam ipsos laborasse. Epiphanius disputans contra Hæresim 42. negat esse Pauli Epistolam ad Laodicenses, quæ suo tempore vulgò ferebatur: producitque testimonium hoc ex ea Epistola à Marcione citatum: *Vnus DEVS, vna fides, vnum baptisma, vnus DEVS, & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus.* Quæ sententia iisdem verbis est apud Paulum in capite quarto Epistolæ ad Ephesios. Tertullianus scribit in libro aduersus Marcionem, eum credidisse, Epistolam, quæ scripta fertur ad Ephesios, verè non fuisse scriptam Ephesiis, sed Laodicensibus. Philastrius in Catalogo hæresum cap. 89. tradit, eiusmodi Epistolam, tanquam Pauli, receptam à quibusdam; sed eam non legi ab Ecclesia publicè ad populum, propter sententias quasdam ambiguas ei temerè à nonnullis insertas. Theodoretus eam Epistolam dicit esse cõfictam. Hieronymus in Paulo, ait legi quidem Epistolam ad Laodicenses, sed ab omnibus explodi. Tradit Sixtus Senensis, Epistolam quandam Pauli ad Laodicenses reperiri Lutetiæ in per-

Auctoris sententia. *Epiphanius.* *Tertullianus.* *Philastrius.* *Theodoretus.* *S. Hieronymus.* *Sixtus Senẽsis.*

peruetusto quodam Codice Bibliothecæ Sorbonicæ, & Patauij in Bibliotheca S. Ioannis à Viridario. Refert hanc Epistolam Iacobus Faber in Commentario suo super eo loco Epistolæ ad Colossenses: Verùm nec videtur esse illa, cuius meminit Epiphanius, vt in qua non sit testimonium illud à Marcione citatum: nec est digna Paulo, cùm quicquid habet, id omne; atque etiam copiosius, & distinctius contineatur in Epistola ad Colossenses: vt nulla planè ratio fuerit, cur Paulus iuberet Colossenses legere Epistolam Laodicensium.

Iacobus Faber.

Ceterùm quæritur, cur Epistola ad Romanos, in primo loco ante alias omnes posita sit, cùm eam posteriori tempore, quàm complures aliarum, scriptam esse constet. Sed sciendum est, non eodem temporis ordine scriptas esse à Paulo epistolas, quo eas ordine in sacris Bibliis dispositas, & digestas cernimus. Rationem igitur, & ordinem temporis, quo singulæ à Paulo Epistolæ sunt scriptæ, breuiter exponamus, exemplo Chrysostomi, & Theodoreti, aliorumque qui hoc in Prefationibus suorum Commentariorum in Paulum præstiterunt. Duæ Epistolæ ad Thessalonicenses, scriptæ videntur ante alias omnes: & priorem missam esse à Paulo, cùm moraretur Athenis, arbitratur Theodoretus, & Athanasius in Synopsi, quia in tertio capite ei⁹ Epistolæ hæc scribat Paulus: *Propter quod non sustinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis solis, & misimus Timotheum fratrem nostrum ad vos.* Putant autem isti, vnà cum Timotheo Paulum misisse Epistolam ad Thessalonicenses. At enim fuisse missam Corintho eam Epistolam ad Thessalonicenses, cognoscere licet ex verbis Pauli, quæ sunt in tertio capite eius Epistolæ; quibus docet, scriptam fuisse Epistolam ad Thessalonicenses. Rediens autem Thessalonica Timotheus ad Paulum, inuenit eum Corinthi, vbi mansit per annum, & sex menses, sicut Lucas scribit Act. 18. Ex quo benè argumentatur D. Baronius, priorem Epistolam ad Thessalonicenses non Athenis, sed Corintho esse missam. Verba Pauli, quo diximus loco,

52.

Quo temporis ordine, Pauli Epistola scripta fuerint.

Prima omniū epist. ad Thessalonicenses. Theodoretus. Athanasius.

Baronius primo Tomo Anno Domini 52.

hæc sunt: *Nunc autem veniente Timotheo ad nos à vobis, & annuntiante fidem & charitatem vestram, &c.* Paulus porrò veniens Corinthum, inuenit Aquilam, eiectum Roma cum aliis Iudæis à Claudio Imperatore, anno Principatus eius, vt suprà docuimus, nono. Vide Lucam Act. 18. Ex quo coniecturam facio, eo ipso anno nono Claudij, vel decimo scriptas esse duas Epistolas ad Thessalonicenses: nam posteriorem, non multò post priorem esse scriptam, tradit Theodoretus in præfatione Epistolæ ad Romanos; & Chrysostomus in secundam Epistolam ad Thessalonicenses.

52. *Secundo loco epistola ad Corinthios.*

Post has scripsit priorem Epistolam ad Corinthios, cùm ipse esset Ephesi, vt manifestum est ex illis eius verbis, quæ sunt in vltimo capite eius Epistolæ: *Veniam ad vos, cum Macedoniam pertransiero, permanebo autem Ephesi vsque ad Pentecosten: Ostium enim mihi apertum est magnum, & euidens, & aduersarij multi.* Venit autem Ephesum Paulus, postquam prædicauerat Macedonibus, Atheniensibus, & Corinthiis, vt ex historia Lucæ manifestum est. Posteriorem Epistolam misit ad Corinthios ex Macedonia; cum enim, vt eis promiserat, secundo ad eos venisset, & aliquandiu in Macedonia fuisset, illuc regressus, inde misit Epistolam. Hoc Paulus ipse indicat, capite septimo eius Epistolæ ita scribens: *Cùm venissemus in Macedoniam, nullam requiem habuit caro nostra, &c.* Et rursus: *Notam vobis facimus gratiam DEI datam Ecclesiis Macedoniæ,* & alio loco: *Ne cum venerint mecum Macedones, &c.* Videtur autem posteriorem Epistolam ad Corinthios scripsisse Paulus sub finem Principatus Claudij. Has proximè sequitur prior Epistola Pauli ad Timotheum, quam ex Macedonia quoq; misit: nam post eius procemium sic ait: *Rogaui te, vt remaneres Ephesi, cùm irem in Macedoniam, &c.* Licet argumentum eius Epistolæ grȩcum ei pręfixum demonstret, eam fuisse à Paulo missam ex Laodicea: sed quod prius dixi, similius vero est. Ab hac, proxima est Epistola ad Titum. Scribit Lucas Act. 20. Paulum, cum pertransisset partes Macedoniæ, & exhortatus fuisset eos multo sermone, venisse in Græciam,

Tertio loco epistola prior ad Timotheum.

Quarto loco epistola ad Titum.

ciam, nauigationε scilicet vsum; in qua Cretam appellens, Titum ibi ad eam curandam Ecclesiam reliquit. Veniens autem Paulus in Græciam, scripta Epistola ad Titum mandauit ei, vt Nicopolim quàm citissimè se conferret, scribens: *Cum misero ad te Artemam, aut Tychicum, festina ad me venire Nicopolim: ibi enim statui hyemare.* Hæc verba fecerunt quosdam opinari, Epistolam Pauli ad Titum esse scriptam Nicopoli: sed cum Paulus dicat, statuisse se illic hyemare, satis indicat, se cùm eam scripsit Epistolam, non fuisse ibi, habere tamen in animo illuc ire. Superioribus Epistolis equidem hîc subiecerim epistolam ad Galatas. Nam licet, secundum Theodoretum, missa sit Roma, ideoque posterior quàm Epistola ad Romanos: Chrysostomus tamen locat eam ante Epistolam ad Romanos. Petrus Damianus in Tractatu quodam, cur Paulus in antiquis picturis ponatur ad dexteram, Petrus verò ad sinistram, ait, Paulum Ephesi scripsisse, atque inde misisse Epistolam ad Galatas. Certè nec ex ipsa Epistola, nec aliunde satis compertum est, quando, & vbi scripta fuerit.

Quinto loco Epistola ad Galatas. Theodoretus. Chrysostomus. Petrus Damianus.

53. Post has omnes scripta est Epistola ad Romanos, cum vltimò proficisceretur Paulus Hierosolymam, paulò ante quàm illic captus est. Hoc docet Paulus in capite 15. eius Epistolæ, illis verbis: *Nunc proficiscor in Hierusalem ministrare sanctis: probauerunt enim Macedonia & Achaia collationem facere in pauperes sanctos qui sunt in Hierusalem.* De istis autem pecuniis, & eleemosynis loquens Paulus in priori ad Corinthios cap. 16. hortatur vt eas paratas habeant, vt statim mitti possint Hierusalem. Vbi & illud addit: *Quod si dignum* (inquit) *fuerit, vt ego proficiscar, mecum ibunt: veniam autem ad vos, cum Macedoniam pertransiero.* Quod tunc Paulus in dubio habuit, postea deliberatum habuit, ferre nimirum eleemosynas Christianis Hierosolymitanis. Idipsum confirmauit Paulus, dicens causam coram Felice Præside, vt refert Lucas in Actis Apostolicis capite 24. *Post annos*, inquit, *plures eleemosynas facturus in gentem meam, veni Hierusalem.* Corinthi

Sexto loco Epistola ad Romanos.

autem ſcriptam eſſe à Paulo epiſtolam ad Romanos, finis eius non obſcurè indicat. Primò enim commendat Romanis Phœben, dicens, eam eſſe miniſtrã Eccleſiæ quæ eſt Cenchris, qui eſt locus, & (vt quidam aiunt) Nauale Corinthiorum. Deinde ait ibidem, ſe hoſpitari apud Caium, quem fuiſſe Corinthium, & Corinthi moratum, ex primo capite prioris Epiſtolæ ad Corinthios manifeſtum eſt. Verùm hæc lubet auctoritate Origenis confirmare, ſimulque illuſtrare: cuius in Præfatione commentariorum ſuorum in Epiſtolam ad Romanos, hæc ſunt verba: Videtur hanc Epiſtolam ſcripſiſſe Paulus ex Corintho: quod etſi aliis quidem pluribus indiciis demonſtrari poteſt, euidentius tamen ex eo quod ipſe dicit: *Commendo vobis Phœben ſororem noſtram, miniſtram Eccleſiæ, quæ eſt Cenchris.* Cenchris autem dicitur locus Corintho vicinus, immò portus ipſius Corinthi. Idem patet ex eo, quod ibi addit Paulus: *Salutat vos Caius hoſpes meus.* De quo Caio ſcribit Corinthiis: *Gratias ago DEO meo, quia neminem veſtrûm baptizaui, niſi Criſpum & Caium.* Simile quoque facit indicium, quod ibidem adiungit Paulus, dicens: *Salutat vos Eraſtus arcarius ciuitatis.* De quo Eraſto ſcribens Epiſtolam ſecundam ad Timotheum, ait: *Eraſtus remanſit Corinthi.* Ex quibus omnibus certiſſima colligi videntur indicia, quod ex Corintho miſſa fuerit Epiſtola ad Romanos. Hæc Origenes, Gloſſa ordinaria, quam Auguſtino tribuit S. Thomas, in proœmio in epiſt. Pauli, ait Epiſtolam ad Romanos cœptam eſſe ſcribi à Paulo Athenis, ſed finitam Corinthi, & inde miſſam. Hoc vnde iſti Doctores ſciuerint, equidem neſcio. Ac ſupradictæ quidem octo Epiſtolæ, ſex ad quatuor Eccleſias, duæ ad duas priuatas perſonas, ſcriptæ ſunt à Paulo, antequam captus eſt Hieroſolymis, & vinctus deinde miſſus Romam.

Origenes.

S. Thomas.

54. *Septimo loco epiſtola in vinculis Roma, ad Philemonem.*

Sex reliquæ Epiſtolæ ſcriptę ſunt Romæ, & è vinculis miſſæ. E primis quidẽ vinculis, Epiſtolæ ad Philippẽſes, ad Epheſios, ad Coloſſenſes, ad Philemonem, & ſecundum Chryſoſtomum, etiam ad Hebræos. Id verò manifeſtum fit ex ipſis Epi-

Epistolis, in quibus mentionem facit Paulus suorum vinculorum, & catenæ. Videat Lector caput sextum Epistolæ ad Ephesios, & caput primum, secũdum, & vltimum ad Philippenses, & quartum ad Colossen. & vltimum ad Hebræos. Veruntamen Epistola ad Philemonem scripta videtur ante Epistolam ad Colossenses: nam in illa Paulus meminit Onesimi, tanquam tunc primùm ad CHRISTVM conuersi: Sic enim ait: *Obsecro te pro filio meo quem genui in vinculis Onesimo*, & tunc misit illum ad Dominum eius Philemonem. In Epistola verò ad Colossenses capite quarto appellat eum iam fidelem fratrem, missum ad eos vt consolaretur ipsos, & nota faceret eis, quæ erant circa Paulum. Epistolas porrò ad Ephesios, & Colossenses videtur Paulus eodem tempore scripsisse, vsus ad eas deferendas Tychico tabellario; nam in capite vltimo Epistolæ ad Ephesios sic ait Paulus: *Vt autem & vos sciatis quæ circa me sunt, quid agam, omnia vobis nota faciet Tychicus carissimus frater, & fidelis minister in Domino: quem misi ad vos in hoc ipsum, vt cognoscatis quæ circa nos sunt, & consoletur corda vestra.* In Epistola autem ad Colossenses, capite quarto de eodem Tychico hæc scribit: *Quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus carissimus frater, & fidelis minister, & conseruus in Domino: quem misi ad vos ad hoc ipsum, vt cognoscatis quæ circa me sunt, & consoletur corda vestra.* Epistolam ad Hebræos, Romæ scriptam esse à Paulo è vinculis suis, tradit Chrysostomus in Procemio suo in Epistolas Pauli. Videri tamen posset eo tempore scripta, quo tempore Paulus liberatus primis vinculis peragrabat Italiam, vt indicant extrema illa eius Epistolæ verba: *Salutant vos de Italia fratres.*

Ad Ephesios, ad Philippenses scripta.

Octauo loco Epistola ad Hebræos.

55\. Postremam omnium Epistolarum scriptam esse à Paulo Epistolam posteriorem ad Timotheum, communis est Doctorum sententia, Eusebij lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ, Chrysostomi in Procemio in Epistolas Pauli, Hieronymi de scriptoribus Ecclesiasticis, in PAVLO, Theodoreti in Præfatione sua in Epistolas Pauli, Ambrosij super Epistolam illam ad Timotheum, & vt verbo dicam, omnium, qui vel de ordine Episto-

Nono & vltimo loco secunda Epistola ad Timotheum.

Epistolarum Pauli disseruerunt, vel Epistolam illam ad Timotheum scriptis commentariis explanarunt. Sed quid opus est testibus, cùm hoc ipsum dicat Paulus apertissimis verbis? quæ in capite quarto eius Epistolæ sunt huiusmodi. *Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui.* Si hæc Paulus scripsit ex primis vinculis, id est, tertio Neronis anno, vt quidam putant, cùm superessent adhuc illi decem, vel nouem anni vitæ. (Occisus enim est decimo tertio anno Imperij Neronis) quomodo diceret se iam tum delibari siue immolari, quod vtique denotat iam imminentem atq; instantem eius passionem? quomodo item diceret se iam cursum consummasse, cum magna pars cursus eius restaret peragenda? At enim dicet quispiam, Paulum in eo ipso loco, paulò post prædicta verba, dicere, CHRISTVM sibi astitisse, & se confortasse, vt per ipsum prædicatio impleretur, & audirent omnes gentes, & mox subdit: *Liberabit me DEVS ab omni opere malo.* Legendum est enim in futuro *(liberabit)* non vt quidam latini Codices habent in præterito, *(liberauit)* est enim græcè ῥύσεται.

Locus Pauli 2. ad Timotheum. 4.

56\. Verùm scire oportet, Paulum eo loco, vtrorumq; vinculorum suorum mentionem facere; & de primis vinculis, in quibus venit Romam, & mansit vsque ad quartum Neronis annum: intelligitur quod ibi dicit Paulus, se liberatum esse de ore Leonis, sic appellans Neronem; vt per ipsum prædicatio impleretur, & audirent omnes gentes: nam primis vinculis solutus, per nouem annos in variis regionibus, & apud varias gentes prædicauit Euangelium. Ad postrema verò vincula, in quibus & mortem subiit, pertinet quod antè dixerat: *Ego iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat.* Rectè porrò obseruatum est à Chrysostomo & Theodoreto, cum Paulus ibi loqueretur de primis vinculis, dixisse: *Liberatus sum de ore Leonis.* Loquens autem de secundis vinculis, dixit: *Liberabit me Dominus ab omni opere malo.* Non dixit, *de ore Leonis*, quia tunc à Nerone occisus est. Audiat Lector Theodoretum.

Theodoretus.

tum.

tum super eo loco hæc scribentem: Non dixit, liberabit me rursus à Leone, sed ab omni opere malo: sciebat enim fore, vt vitę omnino finem caperet. Sed idipsum explicatius dicit Chrysostomus his verbis: Quomodo dicit, liberabit me, siue eruet me, cum paulo ante dixerit; liberatus sum, siue ereptus de ore leonis? sed prius dixit, eripuit me de ore leonis. postea verò dixit: liberabit, siue eruet me non iam ex ore leonis, sed ex omni opere malo, quasi diceret: Tunc periculis à DEO liberatus sum, vt ministerium prædicandi Euangeliũ implerem: quando autem satis iam Euangelio factũ est, eripiet me Dominus ex omni peccato, (id enim appellat opus malum) nec permittet vlla cum reprehensione ex hac vita proficisci. Nam posse vsq; ad sanguinem stare aduersus peccatum, nec cedere, quid est aliud, nisi à crudeliori leone, videlicet Diabolo eripi? Maior itaque salus fuit, quàm prior fuerat. Hæc Chrysostomus. Scio diuersam esse Domini Baronij sententiam. Is enim arbitratur secundam epistolam ad Timotheum esse scriptam tertio anno Neronis ante epistolas ad Philippenses, Ephesios, Colossenses, & ad Philemonem, epistolam verò ad Hebræos fuisse omnium nouissimam. Sed ego communem Doctorum sententiam, cui Paulus ipse vehementer suffragatur, vt dudum exposui, probabiliorem iudico.

Chrysostomus.

Baronius in Anno Domini 59. & 60.

57.

Cur prima omnium epistolarum epistola ad Romanos.

Cur igitur qui Pauli epistolas disposuerunt atque ordinarunt, ante alias omnes locarunt epistolam ad Romanos, quæ post septem epistolas scripta est? Quidam opinantur, quod ROMA caput esset Imperij, & orbis terrarum, propterea qui epistolas Pauli ordinarunt, epistolæ, quæ scripta fuerat ad Romanos, primum locum assignasse. Catharinus putat id esse factum, propter dignitatem Ecclesiæ Romanæ, quæ est caput omnium Ecclesiarum. Eius namque magisterio erudiuntur omnes, eiusque potestate reguntur. Theodoretus ait, ob id esse præpositam ceteris epistolam ad Romanos, quòd in se exactam omnis generis doctrinam, & accuratam, copiosamque dogmatum tractationem, præ ceteris, contineret. S. Augustinus in epistola 105. quam scripsit ad Sixtum

Catharinus.

Theodoretus.

S. Augustinus.

Sixtum, aliam quandam affert rationem, quòd nimirum in ea epiſtola euidenter declaretur, maximeque commendetur fides CHRISTI, & gratia DEI, quæ eſt principium & fundamentum omnium bonorum, & quæ in omnibus bonis hominum primas tenet. Epiſtolam porrò ad Epheſios S. Hieronymus in præfatione in eam epiſtolam, eam locatam eſſe ait in medio epiſtolarum Pauli, quod ſicut cor animalis in medio corporis eſt, & occulto loco reconditum: ſic ea epiſtola profundis quæſtionibus inuoluta, medio in loco poſita eſt. Epiſtolam denique ad Hebræos vltimo loco poſitam nonnulli exiſtimant, quòd perfectiſſima tractet myſteria, non rudibus, nec tyronibus in ſacra doctrina, ſed admodum exercitatis, prouectiſq; aperienda: cuiuſmodi ſunt Diſputationes illæ Pauli de CHRISTI Diuinitate, atque æternitate: de ceſſatione veteris legis, & tranſlatione ſacerdotij Aaronici: de CHRISTI ſacerdotio ſecundum ordinem Melchiſedech: de gloria & felicitate cœleſtis Hieruſalem: deque aliis Fidei & Theologiæ altiſſimis myſteriis. Nec mihi diſplicet quorumdam opinio exiſtimantium, epiſtolam ad Hebræos vltimam omnium eſſe locatam, vt ea re denotaretur, Iudæos, qui à primo reiecti fuerant propter incredulitatem, à participatione gratiæ CHRISTI, in extremo mundi æuo fidem CHRISTI ſuſcepturos, & ſalutis, & gloriæ, quam CHRISTVS promeruit, participes futuros.

S. Hieronymus.

Epiſtola ad Hebræos cur in vltimo loco.

58. *An in epiſtolis Pauli ſit eloquentia.*

Ceterùm illud etiam hoc loco quæri explicariq; dignũ eſt: An in epiſtolis Pauli ſit eloquentia: Nam de ſapientia, rerumque diuinarum copioſa & profunda doctrina dubitari minime poteſt. Id enim perſpicue declarat lectio ipſa epiſtolarum eius, paſſim obuiis quæſtionibus, & tractationibus altiſſimorum noſtræ Fidei myſteriorum multiiugi doctrina, & cœleſti ſapientia refertis. Egregiam quoque Pauli ſapientiæ teſtimonium B. Petrus in fine prioris epiſtolæ ſuæ reliquit, ſcriptum hiſce verbis: *Sicut & cariſſimus frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam, ſcripſit vobis, &c.* Quæramus igitur nunc de Pauli eloquentia. Duæ ſunt eloquentiæ partes: quarum vna verſatur in electione optimorum verborum,

rum, eorumque apta, & munerosa collocatione, atque in elegantia quadam & concinnitate dicendi, & in quibusdam illustribus verborum figuris. Hanc partem eloquentiæ fatemur non esse in Pauli epistolis, immo in his reperimus hyperbata longa, & obscura, & solœcismos, & orationis defectus, atque redundantias, & verba plebeia, triuialia, nec non & incomptam, atque inornatam dictionem. Quamobrem obtrectatores Pauli, qui erant Corinthi, dicebant de Paulo, sicut ipse refert in capite 10. secundæ epistolæ ad Corinthios: *Epistolæ*, inquiunt, *graues sunt, & fortes; præsentia autem infirma, & sermo contemptibilis.* Quin etiam Paulus ipse in sequenti capite eius epistolæ ait, se imperitum sermone, sed non scientia. Exemplum hyperbati reperies initio epistolæ ad Romanos: solœcismi in capite sexto ad Galatas, & ad Ephesios tertio: redundantiam orationis, ad Ephesios primo. Irenęus l. 3. c. 7. Hyperbatis, inquit, frequenter vtitur Apostolus propter velocitatem sermonũ suorum, & propter impetum, qui in ipso est Spiritus. Cuius rei exempla subdit ex epistolis Pauli. Origenes lib. 6. Commentariorũ in epistolã ad Romanos: Superfluum est (inquit) ornamenta quærere sermonis in Paulo, quippe cum id non illi curæ fuerit. Vnde est illud eius celebre dictum. *Non in sublimibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus.* S. Hieronymus in epistola ad Algasiã, respõdens quęstioni eius decimę, ita scribit: Quod dixit Paulus. *Etsi imperitus sermone, non tamen scientia*, id non ex humilitate, sed ex conscientiæ veritate dixit. Profundos enim & recõditos sensus lingua nõ explicat: & cum ipse sentiat quid loquatur, in alienas tamẽ aures puro non potest transferre sermone. Et paulò infrà: Superfluis, inquit, cõiunctionibus vti Paulum, propter imperitiam artis grammaticæ, plerisque in locis reperimus. Idem Hieronymus in epistola ad Heldibiam respõdens vndecimæ quæstioni eius, ad eandem sententiam hęc scribit: Cum Paulus haberet scientiã scripturarũ, & diuersarum linguarũ gratiam possideret, diuinorum tamen sensuum maiestatẽ digno non poterat gręci eloquij explicare sermone. Habebat ergo Titum interpretẽ, sicut & Petrus Marcum.

Eloquentia in verbis posita, non fuit in B. Paulo.

Ireneus.

Origenes.

1. Cor. 2.

S. Hieronymus.

2. Cor. 10.

Videat Lector eundem Hieronymum in primum caput epistolæ ad Titum, & in principio libri 2. Commentariorum in epistolam ad Ephesios, & Theodoretum Sermone 8. de curatione græcarum affectionum.

59. *Chrysostomus.*

Sed hoc, quod diximus, luculenta oratione confirmat Chrysostomus in Homilia 3. super primum caput prioris epistolæ ad Corinthios hoc modo dicens: Audiui Christianum quendam altercantem cum Ethnico, ridiculo sanè certamine, cum ambo sua inuicem soluerent argumenta. Siquidem quæ oportebat Christianum dicere, ea Gentilis afferebat: & quæ Gentilis partes erant, eas Christianus vsurpabat. Erat autem de Pauli, & Platonis comparatione disputatio. In qua disputatione Gentilis conabatur ostendere, Paulum, & indisertum, & rudem, & indoctum fuisse. Contra verò Christianus contendebat, Platone fuisse Paulum eloquentiorem. Atque hoc pacto Gentilis victor euasit, cum causam vicisse iudicaretur. Enimuero si Platone disertior fuisset Paulus, multi non temerè possent existimare, Paulum non gratia, sed facundia vicisse mundum. Itaque Gentilis agebat causam Christiani, Christianus verò Gentilis. Sed enim quia Paulus ineruditus, & indisertus fuit, vicit autem Platonem, eiusque discipulos ad se conuertit; iccirco clarissima, & admiranda fuit eius victoria. Si quando igitur nos in tale aliquod certamen inciderimus, vltro dicamus, Apostolos & indoctos, & indisertos fuisse: & cum illi dixerint, fuisse eos rusticos: adiiciamus præterea nos, fuisse etiam indoctos, & illiteratos, pauperes, abiectos, & obscuros. Non sunt hæc conuicia, & maledicta in Apostolos, sed magna eorum laus & gloria, quod tales viri mundum superauerint. Isti enim ineruditi, & indiserti, & rustici, viros sapientia, & prudentia, & diuitiis, & potentia, & eloquentia præpollentes mirabiliter superauerunt. Hæc ibi Chrysostomus.

60. *In eloquentia vt ita dicam, reali, non verbali excelluisse Paulum.*

Altera pars, eaque potior, eloquentiæ, consistit in robore argumentorum, in crebritate, grauitateque sententiarum, in vsu quarundam insignium figurarum, quas vocant,

rerum

rerum, vel ſententiarum, in ardore & contentione dicendi, in artificioſa, efficacique ratione perſuadendi, in animorum affectibus concitandis, atque miſcendis. Cùm enim tria ſint oratoris munera, docere, delectare, mouere: primum eſt neceſſitatis, alterum, voluptatis; tertium victoriæ. Pauli epiſtolas, & graues, & fortes eſſe, vel ipſi eius obtrectatores fateri cogebantur. Paulo coram Felice præſide de iudicio, & iuſtitia, & caſtitate diſputante, Felix, homo Gentilis, & rerum terrenarum cupiditatibus, curiſque affixus, toto eſt animo tremefactus. Paulo item dicente coram Rege Agrippa, reſpondit Rex: *In modico ſuades me Chriſtianum fieri.* Feſtus quoque Iudææ Præſes, audiens Paulum ſumma contentione & ardore dicentem, exclamauit, dicens: *Inſanis Paule, multæ te litteræ ad inſaniam conuertunt.* Figuræ porrò ſententiarum, quæ apud Rhetores habentur laudatiſsimæ, crebræ ſunt in epiſtolis Pauli; nec ſecus in his, quàm in cœlo ſtellæ, mirabili ſplendore collucent. Videat Lector Auguſtinum in quarto libro de Doctrina Chriſtiana capite ſexto, & ſeptimo. Verùm ante omnes audire oportet S. Hieronymũ, in Apologia pro ſuis libris aduerſus Iouinianum, ſcripta ad Pammachium ſuper hac ipſa re ita diſſerentem: Paulum Apoſtolum proferam: quem quotieſcunque lego, videor mihi, non verba audire, ſed tonitrua. Legite epiſtolas eius & maxime ad Romanos, ad Galatas, & ad Epheſios, in quibus totus in certamine poſitus eſt. Videbitis eum teſtimoniis, quæ ſumit ex veteri Teſtamento, quàm artifex, quàm prudẽs, quàm diſsimulator ſit eius quod agit. Videntur verba ſimplicia, & quaſi innocẽtis hominis ac ruſticani, & qui nec facere, nec declinare nouerit inſidias: ſed quocunq; reſpexeris, fulmina ſunt. Hæret in cauſa, capit omne, quod tetigit: tergum vertit, vt ſuperet; fugam ſimulat, vt occidat. Hæc Hieronymus. Quam, obſecro, prudenter & artificioſe Paulus ex ara IGNOTI DEI, quã Athenis viderat inter ſimulacra, occaſionẽ cepit prædicandi apud Athenienſes CHRISTVM eis ignotũ? experitur quiſq;, legens Pauli epiſtolas, ſe inter legendũ variis animi

2. Ad Cor. 11.
Act. 24. & 26.
S. Auguſtinus.
S. Hieronymus.

animi sensibus, & motibus affici: nunc timore atq; horrore concuti; aliàs iucundissima perfundi lætitia; interdũ mœrore ac tristitia contrahi; aliquando in spē totũ erigi; nonnunquā ira & indignatione incendi; inflāmari odio, ardere desiderio, nullo demùm non animi sensu motuque concitari.

61. *Scopus Pauli in scribendo epistolam ad Romanos.*

Ceterùm propius accedentes ad huius epistolæ tractationem, indicemus primò quis fuerit Pauli scopus in hac epistola scribenda, quodq; sit eius epistolæ principale argumentũ. Inter Christianos, qui erant, id temporis, Romæ, partim ex Gentibus, partim ex Iudæis conuersos ad CHRISTVM, grauis admodum & odiosa, & perniciosa orta fuerat disceptatio, vtrisq; gratiam CHRISTI suis meritis, suæq; iustitiæ arrogantibus. Etenim Iudæi Maiorum suorũ sanctitatem, legē sibi à DEO latam, oracula Prophetarum, veriq; DEI cultum & religionem, promissa item DEI præcipuè ipsis data, denique MESSIÆ ipsis, & ex ipsis promissum, gloriabundi iactabant: Gentes verò, semper antea Idololatriæ deditas, CHRISTI gratia indignas, & ab Euangelio arcendas: Gentes contrà, Philosophiā prædicabant, & virtutes morales, multaq; à suis fortiter & gloriosè gesta, iactanter, superq; venditabant: ac se quidem prius ex ignorantia peccauisse, Iudęos verò ex malitia & odio veritatis, ob idq;, tanquam Domini interfectores, gratia eius indignos esse. Hæc itaq; tũc Romę inter Christianos vigens altercatio, occasionem præbuit B. Paulo scribendi ad eos hanc epistolam; in qua conatur, eam de medio tollere altercationē, & vtriusq; gentis insolentiā coërçere.

S. Augustinus.

Docet igitur Paulus in hac epistola, vt scribit Augustinus in libro expositionis inchoatæ super epistolam ad Romanos, gratiam CHRISTI datam esse hominibus tam Iudæis, quàm Ethnicis, non propter bona eorum præcedentia merita, & opera siue legalia, siue moralia; sed ob meram DEI benignitatem, & misericordiam gratuitò esse omnibus indifferenter oblatam: Non enim quia iusti erant homines, ideo crediderunt in CHRISTVM; sed cum essent iniusti, dignè credendo in CHRISTVM, iustificati sunt, vt deinceps etiam iustè

viuere

viuere possent. Hic est igitur principalis huius epistolæ status, ad quem vniuersa referuntur: hæc est principalis quæstio, quam præcipue tractat, & in omnem partem versat Paulus, ad cuius potissimùm explicationem cetera diriguntur. H[illegible]e spectat, quod in hac epistola primo loco dispu[illegible] omnes homines, siue Iudæos, siue Gentiles, [illegible] CHRISTI fuisse obnoxios peccato & iræ [illegible]od deinde disputat, Iustificationem hominis [illegible]iam CHRISTI gratis & absque meritis huma[illegible]m pertinent quæ docet de prima causa præde[illegible] & reprobationis omnium, & de Gentium ele[illegible] reprobatione Iudæorum. Ac licet huius epistolæ, [illegible] scripta est ad Galatas, idem fermè sit argumen[illegible] que enim disputatur à Paulo, non per legem sed per gratiam CHRISTI iustitiam homini contingere: hoc tamen differt, quod, vt Augustinus annotauit in expositione epistolæ ad Galatas, Paulus in epistola ad Romanos, componere studens contentionẽ ortam inter conuersos ex Iudæis & ex Gentibus, id potissimum agit, vt doceat gratuitam esse Iustificationem hominis coram DEO, & absque vllis præcedentibus meritis indifferenter omnibus contingere: In epistola verò ad Galatas conatur Paulus reuocare eos, qui per Pseudapostolos iudaizantes, & ad obseruantiam legis Mosaicæ cogentes, ex Christianismo ad Iudaismum vel iam traducti fuerant, vel certe commoti & incitati. Quamobrem ostendit Paulus, Iustificatis per fidem CHRISTI minime necessariam esse obseruationem legalem, & à seruitute legis liberos esse credentes.

S. Augustinus.

Sed videamus, quos intelligere oporteat hoc loco nomine Romanorum, ad quos Paulus hanc epistolam scripsit. Nomine Romanorum intelligere oportet hoc loco, non solos Romæ natos, aut Romana ciuitate donatos, sed quoslibet Romæ habitantes siue Græcos, siue Romanos, siue Iudæos conuersos ad CHRISTI fidem, per B. Petri

62. Quos intelligere oporteat nomine Romanorum ad quod scripsit Paulus.

autem ſcriptam eſſe à Paulo epiſtolam ad Romanos, finis eius non obſcurè indicat. Primò enim commendat Romanis Phœben, dicens, eam eſſe miniſtrã Eccleſiæ quæ eſt Cenchris, qui eſt locus, & (vt quidam aiunt) Nauale Corinthiorum. Deinde ait ibidem, ſe hoſpitari apud Caium, quem fuiſſe Corinthium, & Corinthi moratum, ex primo capite prioris Epiſtolæ ad Corinthios manifeſtum eſt. Verùm hæc lubet auctoritate Origenis confirmare, ſimulque illuſtrare: cuius in Præfatione commentariorum ſuorum in Epiſtolam ad Romanos, hæc ſunt verba: Videtur hanc Epiſtolam ſcripſiſſe Paulus ex Corintho: quod etſi aliis quidem pluribus indiciis demonſtrari poteſt, euidentius tamen ex eo quod ipſe dicit: *Commendo vobis Phœben ſororem noſtram, miniſtram Eccleſiæ, quæ eſt Cenchris.* Cenchris autem dicitur locus Corintho vicinus, immò portus ipſius Corinthi. Idem patet ex eo, quod ibi addit Paulus: *Salutat vos Caius hoſpes meus.* De quo Caio ſcribit Corinthiis: *Gratias ago DEO meo, quia neminem veſtrùm baptizaui, niſi Criſpum & Caium.* Simile quoque facit indicium, quod ibidem adiungit Paulus, dicens: *Salutat vos Eraſtus arcarius ciuitatis.* De quo Eraſto ſcribens Epiſtolam ſecundam ad Timotheum, ait: *Eraſtus remanſit Corinthi.* Ex quibus omnibus certiſſima colligi videntur indicia, quod ex Corintho miſſa fuerit Epiſtola ad Romanos. Hæc Origenes, Gloſſa ordinaria, quam Auguſtino tribuit S. Thomas, in proœmio in epiſt. Pauli, ait Epiſtolam ad Romanos cœptam eſſe ſcribi à Paulo Athenis, ſed finitam Corinthi, & inde miſſam. Hoc vnde iſti Doctores ſciuerint, equidem neſcio. Ac ſupradictæ quidem octo Epiſtolæ, ſex ad quatuor Eccleſias, duæ ad duas priuatas perſonas, ſcriptæ ſunt à Paulo, antequam captus eſt Hieroſolymis, & vinctus deinde miſſus Romam.

Origenes.

S. Thomas.

54. *Septimo loco epiſtola in vinculis Roma, ad Philemonem.*

Sex reliquæ Epiſtolæ ſcriptę ſunt Romæ, & è vinculis miſſæ. E primis quidẽ vinculis, Epiſtolæ ad Philippẽſes, ad Epheſios, ad Coloſſenſes, ad Philemonem, & ſecundum Chryſoſtomum, etiam ad Hebræos. Id verò manifeſtum fit ex ipſis Epi-

Epistolis, in quibus mentionem facit Paulus suorum vinculorum, & catenæ. Videat Lector caput sextum Epistolæ ad Ephesios, & caput primum, secũdum, & vltimum ad Philippenses, & quartum ad Colossen. & vltimum ad Hebræos. Veruntamen Epistola ad Philemonem scripta videtur ante Epistolam ad Colossenses: nam in illa Paulus meminit Onesimi, tanquam tunc primùm ad CHRISTVM conuersi: Sic enim ait: *Obsecro te pro filio meo quem genui in vinculis Onesimo*, & tunc misit illum ad Dominum eius Philemonem. In Epistola verò ad Colossenses capite quarto appellat eum iam fidelem fratrem, missum ad eos vt consolaretur ipsos, & nota faceret eis, quæ erant circa Paulum. Epistolas porrò ad Ephesios, & Colossenses videtur Paulus eodem tempore scripsisse, vsus ad eas deferendas Tychico tabellario; nam in capite vltimo Epistolæ ad Ephesios sic ait Paulus: *Vt autem & vos sciatis quæ circa me sunt, quid agam, omnia vobis nota faciet Tychicus carißimus frater, & fidelis minister in Domino: quem misi ad vos in hoc ipsum, vt cognoscatis quæ circa nos sunt, & consoletur corda vestra.* In Epistola autem ad Colossenses, capite quarto de eodem Tychico hæc scribit: *Quæ circa me sunt, omnia vobis nota faciet Tychicus carißimus frater, & fidelis minister, & conseruus in Domino: quem misi ad vos ad hoc ipsum, vt cognoscatis quæ circa me sunt, & consoletur corda vestra.* Epistolam ad Hebræos, Romæ scriptam esse à Paulo è vinculis suis, tradit Chrysostomus in Procemio suo in Epistolas Pauli. Videri tamen posset eo tempore scripta, quo tempore Paulus liberatus primis vinculis peragrabat Italiam, vt indicant extrema illa eius Epistolæ verba: *Salutant vos de Italia fratres.*

ad Ephesios, ad Philippenses scripta.

Octauo loco Epistola ad Hebraeos.

55\. Postremam omnium Epistolarum scriptam esse à Paulo Epistolam posteriorem ad Timotheum, communis est Doctorum sententia, Eusebij lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ, Chrysostomi in Procemio in Epistolas Pauli, Hieronymi de scriptoribus Ecclesiasticis, in PAVLO, Theodoreti in Præfatione sua in Epistolas Pauli, Ambrosij super Epistolam illam ad Timotheum, & vt verbo dicam, omnium, qui vel de ordine Episto-

Nono & vltimo loco secunda Epistola ad Timotheum.

Epiſtolarum Pauli diſſeruerunt, vel Epiſtolam illam ad Timotheum ſcriptis commentariis explanarunt. Sed quid opus eſt teſtibus, cùm hoc ipſum dicat Paulus apertiſſimis verbis? quæ in capite quarto eius Epiſtolæ ſunt huiuſmodi. *Ego enim iam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat. Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui.* Si hæc Paulus ſcripſit ex primis vinculis, id eſt, tertio Neronis anno, vt quidam putant, cùm ſupereſſent adhuc illi decem, vel nouem anni vitæ. (Occiſus enim eſt decimo tertio anno Imperij Neronis) quomodo diceret ſe iam tum delibari ſiue immolari, quod vtique denotat iam imminentem atq; inſtantem eius paſſionem? quomodo item diceret ſe iam curſum conſummaſſe, cum magna pars curſus eius reſtaret peragenda? At enim dicet quiſpiam, Paulum in eo ipſo loco, paulò poſt prædicta verba, dicere, CHRISTVM ſibi aſtitiſſe, & ſe confortaſſe, vt per ipſum prædicatio impleretur, & audirent omnes gentes, & mox ſubdit: *Liberabit me DEVS ab omni opere malo.* Legendum eſt enim in futuro (*liberabit*) non vt quidam latini Codices habent in præterito, (*liberauit*) eſt enim græcè ῥύσεται.

Locus Pauli 2. ad Timotheum 4.

56. Verùm ſcire oportet, Paulum eo loco, vtrorumq; vinculorum ſuorum mentionem facere; & de primis vinculis, in quibus venit Romam, & manſit vſque ad quartum Neronis annum: intelligitur quod ibi dicit Paulus, ſe liberatum eſſe de ore Leonis, ſic appellans Neronem; vt per ipſum prædicatio impleretur, & audirent omnes gentes: nam primis vinculis ſolutus, per nouem annos in variis regionibus, & apud varias gentes prædicauit Euangelium. Ad poſtrema verò vincula, in quibus & mortem ſubiit, pertinet quod antè dixerat: *Ego iam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat.* Rectè porrò obſeruatum eſt à Chryſoſtomo & Theodoreto, cum Paulus ibi loqueretur de primis vinculis, dixiſſe: *Liberatus ſum de ore Leonis.* Loquens autem de ſecundis vinculis, dixit: *Liberabit me Dominus ab omni opere malo.* Non dixit, *de ore Leonis*, quia tunc à Nerone occiſus eſt. Audiat Lector Theodoretum.

Theodoretus.

um super eo loco hæc scribentem: Non dixit, liberabit me
ursus à Leone, sed ab omni opere malo: sciebat enim fore,
t vitę omnino finem caperet. Sed idipsum explicatius dicit
Chrysostomus his verbis: Quomodo dicit, liberabit me, *Chrysostomus.*
iue eruet me, cum paulo ante dixerit; liberatus sum, siue ere-
ptus de ore leonis? sed prius dixit, eripuit me de ore leonis. po-
stea verò dixit: liberabit, siue eruet me non iam ex ore leonis,
ed ex omni opere malo, quasi diceret: Tunc periculis à DEO
iberatus sum, vt ministerium prædicandi Euangeliũ imple-
em: quando autem satis iam Euangelio factũ est, eripiet me
Dominus ex omni peccato, (id enim appellat opus malum)
nec permittet vlla cum reprehensione ex hac vita proficisci.
Nam posse vsq; ad sanguinem stare aduersus peccatum, nec
edere, quid est aliud, nisi à crudeliori leone, videlicet Dia-
bolo eripi? Maior itaque salus fuit, quàm prior fuerat. Hæc
Chrysostomus. Scio diuersam esse Domini Baronij senten-
iam. Is enim arbitratur secundam epistolam ad Timotheum
esse scriptam tertio anno Neronis ante epistolas ad Philip-
penses, Ephesios, Colossenses, & ad Philemonem, epistolam
verò ad Hebræos fuisse omnium nouissimam. Sed ego com-
munem Doctorum sententiam, cui Paulus ipse vehementer
suffragatur, vt dudum exposui, probabiliorem iudico.

Baronius in Anno Domini 59. & 60.

Cur igitur qui Pauli epistolas disposuerunt atque or-
dinarunt, ante alias omnes locarunt epistolam ad Roma-
nos, quæ post septem epistolas scripta est? Quidam opinan-
tur, quod ROMA caput esset Imperij, & orbis terrarum, pro-
pterea qui epistolas Pauli ordinarunt, epistolæ, quæ scripta
fuerat ad Romanos, primum locum assignasse. Catharinus
putat id esse factum, propter dignitatem Ecclesiæ Romanæ,
quæ est caput omnium Ecclesiarum. Eius namque magiste-
rio erudiuntur omnes, eiusque potestate reguntur. Theodo-
retus ait, ob id esse præpositam ceteris epistolam ad Roma-
nos, quòd in se exactam omnis generis doctrinam, & accu-
ratam, copiosamque dogmatum tractationem, præ ceteris,
contineret. S. Augustinus in epistola 105. quam scripsit ad

57. Cur prima omnium epistolarum epistola ad Romanos.

Catharinus.

Theodoretus.

S. Augustinus.

Sixtum, aliam quandam affert rationem, quòd nimirum in ea epiſtola euidenter declaretur, maximeque commendetur fides CHRISTI, & gratia DEI, quæ eſt principium & fundamentum omnium bonorum, & quæ in omnibus bonis hominum primas tenet. Epiſtolam porrò ad Epheſios S. Hieronymus in præfatione in eam epiſtolam, eam locatam eſſe ait in medio epiſtolarum Pauli, quod ſicut cor animalis in medio corporis eſt, & occulto loco reconditum: ſic ea epiſtola profundis quæſtionibus inuoluta, medio in loco poſita eſt. Epiſtolam denique ad Hebræos vltimo loco poſitam nonnulli exiſtimant, quòd perfectiſſima tractet myſteria, non rudibus, nec tyronibus in ſacra doctrina, ſed admodum exercitatis, prouectiſq; aperienda: cuiuſmodi ſunt Diſputationes illæ Pauli de CHRISTI Diuinitate, atque æternitate: de ceſſatione veteris legis, & tranſlatione ſacerdotij Aaronici: de CHRISTI ſacerdotio ſecundum ordinem Melchiſedech: de gloria & felicitate cœleſtis Hieruſalem: deque aliis Fidei & Theologiæ altiſſimis myſteriis. Nec mihi diſplicet quorumdam opinio exiſtimantium, epiſtolam ad Hebræos vltimam omnium eſſe locatam, vt ea re denotaretur, Iudæos, qui à primo reiecti fuerant propter incredulitatem, à participatione gratiæ CHRISTI, in extremo mundi æuo fidem CHRISTI ſuſcepturos, & ſalutis, & gloriæ, quam CHRISTVS promeruit, participes futuros.

S. Hieronymus.

Epiſtola ad Hebræos cur in vltimo loco.

58. *An in epiſtolis Pauli ſit eloquentia.*

Ceterùm illud etiam hoc loco quæri explicariq; dignũ eſt: An in epiſtolis Pauli ſit eloquentia: Nam de ſapientia, rerumque diuinarum copioſa & profunda doctrina dubitari minime poteſt. Id enim perſpicue declarat lectio ipſa epiſtolarum eius, paſſim obuiis quæſtionibus, & tractationibus altiſſimorum noſtræ Fidei myſteriorum multiiugi doctrina, & cœleſti ſapientia refertis. Egregiam quoque Pauli ſapientiæ teſtimonium B. Petrus in fine prioris epiſtolæ ſuæ reliquit, ſcriptum hiſce verbis: *Sicut & cariſſimus frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam, ſcripſit vobis, &c.* Quæramus igitur nunc de Pauli eloquentia. Duæ ſunt eloquentiæ partes: quarum vna verſatur in electione optimorum verborum,

rum, eorumque apta, & munerosa collocatione, atque in e-legantia quadam & concinnitate dicendi, & in quibusdam illustribus verborum figuris. Hanc partem eloquentiæ fatemur non esse in Pauli epistolis, immo in his reperimus hyperbata longa, & obscura, & solœcismos, & orationis defectus, atque redundantias, & verba plebeia, triuialia, nec non & incomptam, atque inornatam dictionem. Quamobrem obtrectatores Pauli, qui erant Corinthi, dicebant de Paulo, sicut ipse refert in capite 10. secundæ epistolæ ad Corinthios: *Epistolæ*, inquiunt, *graues sunt, & fortes; præsentia autem infirma, & sermo contemptibilis.* Quin etiam Paulus ipse in sequenti capite eius epistolæ ait, se imperitum sermone, sed non scientia. Exemplum hyperbati reperies initio epistolæ ad Romanos: solœcismi in capite sexto ad Galatas, & ad Ephesios tertio: redundantiam orationis, ad Ephesios primo. Irenęus l. 3. c. 7. Hyperbatis, inquit, frequenter vtitur Apostolus propter velocitatem sermonũ suorum, & propter impetum, qui in ipso est Spiritus. Cuius rei exempla subdit ex epistolis Pauli. Origenes lib. 6. Commentariorũ in epistolã ad Romanos: Superfluum est (inquit) ornamenta quærere sermonis in Paulo, quippe cum id non illi curæ fuerit. Vnde est illud eius celebre dictum. *Non in sublimibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus.* S. Hieronymus in epistola ad Algasiã, respõdens quęstioni eius decimę, ita scribit: Quod dixit Paulus. *Et imperitus sermone, non tamen scientia*, id non ex humilitate, sed ex conscientiæ veritate dixit. Profundos enim & recõditos sensus lingua nõ explicat: & cum ipse sentiat quid loquatur, in alienas tamẽ aures puro non potest transferre sermone. Et paulò infrà: Superfluis, inquit, cõiunctionibus vti Paulum, propter imperitiam artis grammaticæ, plerisque in locis reperimus. Idem Hieronymus in epistola ad Heldibiam respõdens vndecimæ quæstioni eius, ad eandem sententiam hęc scribit: Cum Paulus haberet scientiã scripturarũ, & diuersarum linguarũ gratiam possideret, diuinorum tamen sensuum maiestatẽ digno non poterat gręci eloquij explicare sermone. Habebat ergo Titum interpretẽ, sicut & Petrus Marcum.

Eloquentia in verbis posita, non fuit in B. Paulo.

Ireneus.

Origenes.

1. Cor. 2.

S. Hieronymus.

2. Cor. 10.

Videat Lector eundem Hieronymum in primum caput epistolæ ad Titum, & in principio libri 2. Commentariorum in epistolam ad Ephesios, & Theodoretum Sermone 8. de curatione græcarum affectionum.

59. *Chrysostomus.*

Sed hoc, quod diximus, luculenta oratione confirmat Chrysostomus in Homilia 3. super primum caput prioris epistolæ ad Corinthios hoc modo dicens: Audiui Christianum quendam altercantem cum Ethnico, ridiculo sanè certamine, cum ambo sua inuicem soluerent argumenta. Siquidem quæ oportebat Christianum dicere, ea Gentilis afferebat: & quæ Gentilis partes erant, eas Christianus vsurpabat. Erat autem de Pauli, & Platonis comparatione disputatio. In qua disputatione Gentilis conabatur ostendere, Paulum, & indisertum, & rudem, & indoctum fuisse. Contra verò Christianus contendebat, Platone fuisse Paulum eloquentiorem. Atque hoc pacto Gentilis victor euasit, cum causam vicisse iudicaretur. Enimuero si Platone disertior fuisset Paulus, multi non temerè possent existimare, Paulum non gratia, sed facundia vicisse mundum. Itaque Gentilis agebat causam Christiani, Christianus verò Gentilis. Sedenim quia Paulus ineruditus, & indisertus fuit, vicit autem Platonem, eiusque discipulos ad se conuertit; iccirco clarissima, & admiranda fuit eius victoria. Si quando igitur nos in tale aliquod certamen inciderimus, vltro dicamus, Apostolos & indoctos, & indisertos fuisse: & cum illi dixerint, fuisse eos rusticos: adiiciamus præterea nos, fuisse etiam indoctos, & illiteratos, pauperes, abiectos, & obscuros. Non sunt hæc conuicia, & maledicta in Apostolos, sed magna eorum laus & gloria, quod tales viri mundum superauerint. Isti enim ineruditi, & indiserti, & rustici, viros sapientia, & prudentia, & diuitiis, & potentia, & eloquentia præpollentes mirabiliter superauerunt. Hæc ibi Chrysostomus.

60. *In eloquentia vt ita dicam, reali, non verbali excelluisse Paulum.*

Altera pars, eaque potior, eloquentiæ, consistit in robore argumentorum, in crebritate, grauitateque sententiarum, in vsu quarundam insignium figurarum, quas vocant, rerum

rerum, vel ſententiarum, in ardore & contentione dicendi, in artificioſa, efficacique ratione perſuadendi, in animorum affectibus concitandis, atque miſcendis. Cùm enim tria ſint oratoris munera, docere, delectare, mouere: primum eſt neceſſitatis, alterum, voluptatis; tertium victoriæ. Pauli epiſtolas, & graues, & fortes eſſe, vel ipſi eius obtrectatores fateri cogebantur. Paulo coram Felice præſide de iudicio, & iuſtitia, & caſtitate diſputante, Felix, homo Gentilis, & rerum terrenarum cupiditatibus, curiſque affixus, toto eſt animo tremefactus. Paulo item dicente coram Rege Agrippa, reſpondit Rex: *In modico ſuades me Chriſtianum fieri.* Feſtus quoque Iudææ Præſes, audiens Paulum ſumma contentione & ardore dicentem, exclamauit, dicens: *Inſanis Paule, multæ te litteræ ad inſaniam conuertunt.* Figuræ porrò ſententiarum, quæ apud Rhetores habentur laudatiſsimæ, crebræ ſunt in epiſtolis Pauli; nec ſecus in his, quàm in cœlo ſtellæ, mirabili ſplendore collucent. Videat Lector Auguſtinum in quarto libro de Doctrina Chriſtiana capite ſexto, & ſeptimo. Verùm ante omnes audire oportet S. Hieronymũ, in Apologia pro ſuis libris aduerſus Iouinianum, ſcripta ad Pammachium ſuper hac ipſa re ita diſſerentem: Paulum Apoſtolum proferam: quem quotieſcunque lego, videor mihi, non verba audire, ſed tonitrua. Legite epiſtolas eius & maxime ad Romanos, ad Galatas, & ad Epheſios, in quibus totus in certamine poſitus eſt. Videbitis eum teſtimoniis, quæ ſumit ex veteri Teſtamento, quàm artifex, quàm prudẽs, quàm diſsimulator ſit eius quod agit. Videntur verba ſimplicia, & quaſi innocẽtis hominis ac ruſticani, & qui nec facere, nec declinare nouerit inſidias: ſed quocunq; reſpexeris, fulmina ſunt. Hæret in cauſa, capit omne, quod tetigit: tergum vertit, vt ſuperet; fugam ſimulat, vt occidat. Hæc Hieronymus. Quam, obſecro, prudenter & artificioſe Paulus ex ara IGNOTI DEI, quã Athenis viderat inter ſimulacra, occaſionẽ cepit prædicandi apud Athenienſes CHRISTVM eis ignotũ? experitur quiſq;, legens Pauli epiſtolas, ſe inter legendũ variis animi

2. *Ad Cor.* 11.

Act. 24. & 26.

S. Auguſtinus.

S. Hieronymus.

animi sensibus, & motibus affici: nunc timore atq; horrore concuti; aliàs iucundissima perfundi lætitia; interdũ mœrore ac tristitia contrahi; aliquando in spẽ totũ erigi; nonnunquã ira & indignatione incendi; inflãmari odio, ardere desiderio, nullo demùm non animi sensu motuque concitari.

61.

Scopus Pauli in scribendo epistolam ad Romanos.

Ceterùm propius accedentes ad huius epistolæ tractationem, indicemus primò quis fuerit Pauli scopus in hac epistola scribenda, quodq; sit eius epistolæ principale argumentũ. Inter Christianos, qui erant, id temporis, Romæ, partim ex Gentibus, partim ex Iudæis conuersos ad CHRISTVM, grauis admodum & odiosa, & perniciosa orta fuerat disceptatio, vtrisq; gratiam CHRISTI suis meritis, suæq; iustitiæ arrogantibus. Etenim Iudæi Maiorum suorũ sanctitatem, legẽ sibi à DEO latam, oracula Prophetarum, veriq; DEI cultum & religionem, promissa item DEI præcipuè ipsis data, denique MESSIÆ ipsis, & ex ipsis promissum, gloriabundi iactabant: Gentes verò, semper antea Idololatriæ deditas, CHRISTI gratia indignas, & ab Euangelio arcendas: Gentes contrà, Philosophiã prædicabant, & virtutes morales, multaq; à suis fortiter & gloriosè gesta, iactanter, superq; venditabant: ac se quidem prius ex ignorantia peccauisse, Iudęos verò ex malitia & odio veritatis, ob idq;, tanquam Domini interfectores, gratia eius indignos esse. Hæc itaq; tũc Romę inter Christianos vigens altercatio, occasionem præbuit B. Paulo scribendi ad eos hanc epistolam; in qua conatur, eam de medio tollere altercationẽ, & vtriusq; gentis insolentiã coërcere.

S. Augustinus.

Docet igitur Paulus in hac epistola, vt scribit Augustinus in libro expositionis inchoatæ super epistolam ad Romanos, gratiam CHRISTI datam esse hominibus tam Iudæis, quàm Ethnicis, non propter bona eorum præcedentia merita, & opera siue legalia, siue moralia; sed ob meram DEI benignitatem, & misericordiam gratuitò esse omnibus indifferenter oblatam: Non enim quia iusti erant homines, ideo crediderunt in CHRISTVM; sed cum essent iniusti, dignè credendo in CHRISTVM, iustificati sunt, vt deinceps etiam iustè

viuere

viuere possent. Hic est igitur principalis huius epistolæ status, ad quem vniuersa referuntur: hæc est principalis quæstio, quam præcipue tractat, & in omnem partem versat Paulus, ad cuius potissimùm explicationem cetera diriguntur. Huc nempe spectat, quod in hac epistola primo loco disputat Paulus, omnes homines, siue Iudæos, siue Gentiles, ante gratiam CHRISTI fuisse obnoxios peccato & iræ DEI: & quod deinde disputat, Iustificationem hominis fieri per gratiam CHRISTI gratis & absque meritis humanis. Huc etiam pertinent quæ docet de prima causa prædestinationis, & reprobationis omnium, & de Gentium electione, ac reprobatione Iudæorum. Ac licet huius epistolæ, et eius quæ scripta est ad Galatas, idem fermè sit argumentum, in vtraque enim disputatur à Paulo, non per legem sed per gratiam CHRISTI iustitiam homini contingere: hoc tamen differt, quod, vt Augustinus annotauit in expositione epistolæ ad Galatas, Paulus in epistola ad Romanos, componere studens contentionē ortam inter conuersos ex Iudæis & ex Gentibus, id potissimum agit, vt doceat gratuitam esse Iustificationem hominis coram DEO, & absque vllis præcedentibus meritis indifferenter omnibus contingere: In epistola verò ad Galatas conatur Paulus reuocare eos, qui per Pseudapostolos iudaizantes, & ad obseruantiam legis Mosaicæ cogentes, ex Christianismo ad Iudaismum vel iam traducti fuerant, vel certe commoti & inquietati. Quamobrem ostendit Paulus, Iustificatis per fidem CHRISTI minime necessariam esse obseruationem legalem, & à seruitute legis liberos esse credentes.

S. Augustinus.

62. *Quos intelligere oporteat nomine Romanorum ad quod scripsit Paulus.*

Sed videamus, quos intelligere oporteat hoc loco nomine Romanorum, ad quos Paulus hanc epistolam scripsit. Nomine Romanorum intelligere oportet hoc loco, non solos Romæ natos, aut Romana ciuitate donatos, sed quoslibet Romæ habitantes siue Græcos, siue Romanos, siue Iudæos conuersos ad CHRISTI fidem, per

B. Petri

B. Petri, vt eſt credibile, prædicationem: qui ſecundo Imperatoris Claudij anno, id eſt, duodecim annis ante ſcriptionē huius epiſtolæ, Romam venerat, ibique ſedem ſuam epiſcopalem fixerat, immobilemque locauerat. Iudæi porrò, id temporis, frequentiſſimi erant Romæ; ſiue quia iam inde à tempore Machabæorum, fœdus & amicitiam inierant Iudæi cum Romanis; ſiue quod à tempore Pompeij Magni, Iudæa Romanis ſubiecta fuerat: ſiue propter duos Agrippas, reges Iudæorum, diu Romæ verſatos, & duobus Romanis Imperatoribus, Caio, & Claudio familiariſſimos. Scribit Ioſephus libro decimo ſeptimo Antiquitatum, cum ex Iudæa veniſſent Romam quinquaginta legati miſſi ad Auguſtum Cæſarem, præſto ipſis fuiſſe Iudæorum qui Romæ habitabant, amplius octo millia. Erat autem Iudæorum Romæ habitatio, trans Tiberim, vt indicat Philo in eo libro quem ſcripſit de legatione ſua ad Caium Imperatorē. Sedenim obiiceret nobis fortaſſe quiſpiam, quo tempore Paulus ſcripſit hanc epiſtolam ad Romanos, eo tempore nullos fuiſſe Romæ Iudæos: quippe qui à Claudio expulſi vrbe fuerant nono eius Imperij anno, vt ſcribit Suetonius, & Oroſius, & narrat Lucas in Actis Apoſtolicis capite decimo octauo, dicens: Cum Paulus veniſſet Corinthum, reperiſſe ibi Aquilam & Priſcillam, qui cum aliis Iudæis Roma fuerant eiecti à Claudio. Huic nos obiectioni reſpondemus, Iudæis poſtea vel ante, vel poſt mortem Claudij, rurſus acceſſum ad vrbem eſſe conceſſum: cuius rei non leue argumentum eſt, quod Aquilam & Priſcillam, quos diximus fuiſſe tunc Roma expulſos, Paulus in extrema hac epiſtola, iam iterum Romam reuerſos, & inibi habitantes ſalutat his verbis: *Salutate Priſcam & Aquilam adiutores meos in* CHRISTO IESV, *&c.*

Multitudo Iudæorum habitantium Romæ. *Ioſephus.* *Philo.* *Suetonius & Oroſius.*

63. Declarandum præterea hîc eſt, qui fuerint ij, quos legimus in primitiua Eccleſia vocatos eſſe Iudaizantes. Sciendum itaque eſt, gentem Iudæorum fuiſſe inſtitutorum ſuorum, patriarumque legum tenaciſsimam; externarum autem

Qui fuerint in primitiua Eccleſia vocati Iudaizantes.

tem

em legum & morum, maximè verò ceremoniarum, & religionum aspernatricem. Quod scitè declarauit Iuuenalis Satyra decimaquarta illis versibus:

Iuuenalis.

Quidam sortiti metuentem Sabbata Patrem,
Nil præter nubes, & cæli numen adorant.
Nec distare putant humana carne suillam,
Qua pater abstinuit; mox & præputia ponunt,
Romanas autem soliti contemnere leges,
Iudaicum ediscunt, & seruant ac metuunt ius,
Tradidit arcano quodcunque volumine Moses.

Nec solum hoc ingenio & animo erant Iudæi aduersus Gentilium leges, sed etiam recepto iam Euangelio, simul quoq; legis Mosaicæ obseruantiam, contendebant ad consequendam salutem esse necessariam. Huius igitur generis hominum secta, olim dicta est Iudaizantium. quorum in primitiua Ecclesia duo fuere genera: alterum, arbitrantium gratiam Euangelij propriè posteris Abrahæ promissam, nō esse communicandam cum Gentibus, Idolorum, & Dæmonum cultui deditis: de quibus hominibus scriptum est in Actis Apostolorum capite vndecimo. Alterum genus fuit eorum, qui docebant, non esse quidem Gentes ab Euangelio arcendas, sed eas tamen astringendas esse obseruatione legis Mosaicæ: non enim Euangelium absque legalium obseruatione, veram homini iustitiam & salutem afferre posse. De istiusmodi hominibus agitur Act. 15. & apud Galatas capite secundo.

64.
Obscuritas epistola ad Romanos.
S.Hieronymus

Perobscuram esse ad intelligendum epistolam ad Romanos, & ad explicandum perdifficilem, experitur, quicunque eam attentè, obseruateque legerit. Hieronymus certè respondens decimæ quæstioni Hedibiæ in epistola quam ad eam scripsit: Omnis, inquit, epistola ad Romanos interpretatione indiget: tantis enim obscuritatibus inuoluta est, vt in ea intelligenda auxilio indigeamus SPIRITVS sancti, qui per Apostolum, quæ in ea sunt, dictauit. Huius quoque rei testem, & probatorem habemus B. Petrum, qui extremis penè verbis posterioris epistolæ suæ ait, in epistolis Pauli quædam esse intellectu difficilia: quæ indocti & instabiles

tunc deprauabant ad suam ipsorum perditionem, sicut & ceteras scripturas. His autem verbis præcipuè significasse Petrum epistolam Pauli ad Romanos, affirmat Oecumenius in commentario eius loci: & super illis verbis: *Sicut & charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam, scripsit vobis*, ita scribit: Vbi nam tale aliquid dixit Paulus? nimirum illis verbis: *Benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit.* Quod si ad pœnitentiam, siue resipiscentiam inuitat nos DEI longanimitas; resipiscentia autem nobis est salutaris: ergo ad nostram vtilitatem, ac salutem facit DEI longanimitas. Sed quæ sunt, quæ in Epistolis Pauli deprauant homines indocti & instabiles ad suam perditionem? Exempli causa, dixit Paulus: *Vbi abundauit peccatum, superabundauit & gratia.* Hoc isti deprauabant, dicentes, Paulum hoc docere: Peccemus abundantius, vt abundantius nobis ignoscatur. Id autē facere eos Petrus ait ad suam ipsorum perditionem. Par enim eorum perditio est, qui Prophetas & Apostolos occiderunt, atque eorum, qui scripta & sermones ipsorum corruperunt, eidemque iudicio DEI, & damnationi, ac vindictæ vtrique sunt obnoxij. Illi enim occiderunt Prophetas & Apostolos, ne alij salutarem eorum doctrinam sequerentur; hi verò sermones eorum, & scripta deprauant, ne alij rectam & sinceram eorum intelligentiam capientes, salui fiant. Sic Oecumenius.

Locus 2. Petri cap. 3. Oecumenius.

Ad Romanos 2.

Ad Romanos cap. 5.

65. Verùm dicet aliquis, cùm Petrus epistolam illam scripserit ad eosdem, ad quos priorem epistolam scripserat, vt ipse ostendit primis illis verbis capitis tertij: *Hanc ecce vobis, charissimi, secundam scribo epistolam.* Scripserat autem priorem ad Iudæos per Asiam dispersos, vt ex initio eius epistolæ manifestum est: quomodo Petrus illis verbis significare potuit epistolam Pauli ad Romanos? Ob hanc causam putat Dominus Baronius, Petrum significasse illis verbis epistolam Pauli ad Hebræos: præsertim cum in ea Paulus à capite decimo, vsque ad finem epistolę multifariam hortetur Hebræos, ad patienter ferendas tribulationes, & perseuerandum in bene agendo, & in expectatione diuinarum promissionum,

Baronius 1. Tomo, anno Domini 60.

qua

qua de re loquebatur eo loco Petrus. Beda tamen super eo loco Petri aliter sentit; scribens, licet Paulus propriam aliquam epistolam nō scripserit ad eos, ad quos Petrus scripsit: talia esse tamen, quæ in suis epistolis scripsit Paulus, vt ea ad omnium Ecclesiarum, omniumque credentium eruditionem, & confirmationem pertinerent. Bedæ verba exponentis illa Petri, *Sicut Paulus scripsit vobis*, sunt huiusmodi: Petrus dixit, Paulum scripsisse illis: quia etsi Paulus ad quasdam specialiter scripsit Ecclesias, omnibus tamen generaliter, quæ per orbem sunt, quæque vnam Catholicam faciunt Ecclesiam, scripsisse probatur Ecclesiis. Sic Beda. Et verò, epistolam ad Hebræos non scripsit Paulus ad Hebræos per Asiam dispersos, sicut Petrus scripsit; sed ad Hebræos, qui erant in Iudæa, vt ex ipsa epistola perspicuè cognoscitur.

Beda.

66\. Sed redeo ad obscuritatem epistolæ ad Romanos; cuius duplex est causa. Nam & multis locis sermonem habet implicatum, & confusum, & locutiones suspensas, & ambiguas, vt etiam verborum sententiam elicere, non sit facilè. Habet præterea (quod est caput obscuritatis) complures quæstiones, & disputationes, in quibus ita loquitur Paulus, & ea docere videtur, quibus Hæretici dogmata sua fulciri, & firmari dicunt. Videtur enim quibusdam in locis auferre liberum arbitrium hominis, omnia eius opera referendo ad voluntatem, & potestatem DEI, mouentis prout vult hominem siue ad bonum, siue ad malum. Ita quoque disputat super Iustificatione hominis, vt eam tantum fidei tribuere videatur, quasi solùm credere, absque operibus bonis, satis sit ad placendum DEO, & consequendum vitam æternam. Quam ob causam, auctore Augustino in libro de Fide & operibus, capite decimo quarto, Petrus & Iacobus, & Ioannes scripserunt epistolas suas, quibus mirificè commendant charitatem & bona opera, sine quibus fidem esse dicunt infructuosam, & mortuam, vt redarguerent videlicet eos, qui solam fidem sufficere ad iustitiam, & salutem, quibusdam Pauli sententiis perperam expositis, prauèque intellectis probare, atque imperitis persuadere conabantur.

S. Augustinus.

67. *Mos Pauli in suis epistolis.* *S. Augustinus.*

Restat vltimo loco explicanda, huius epistolæ in principales suas partes distributio. Mos est B. Pauli in suis epistolis, vt obseruauit Augustinus in libro de Fide, & Operibus, capite septimo; vt in priori parte epistolæ dogmata Fidei, & Christianæ disciplinæ; in posteriori autem, documenta tradat, & præcepta moralia,& varios excitet animi affectus. Hic ordo, & ratio scribendi, rectissima, & vtilissima est. Etenim prius docere oportet quid credendum sit: deinde quid agendum, aut fugiendum. Primò docendus est intellectus; tum excitandus, & incendendus affectus. Credentem Fidei dogmatibus, mouent promissa, & comminationes DEI: qui verò non credit, nihil planè istiusmodi rebus commouetur.

Diuisio epistolæ ad Romanos.

Epistolæ igitur ad Romanos prior pars, vsque ad caput duodecimum, dogmatica est: Posterior verò pars à capite duodecimo vsque in finem eius epistolæ, plurimum Ethica, & Pathetica est. Neque verò putandum est, dogmaticam partem, omnino carere moralibus documentis; aut illam moralem, omni vacare tractatione dogmatum: sed à maiori & principaliori parte ita appellantur. Dogmatica enim, pluribus locis aspersa est sententiis, & documentis moralibus; & vbi Paulus grauem aliquam quæstionem dogmaticam tractauit, digredi solet ad sermonem moralem, quo amœniorem, & probabiliorem faciat doctrinam. Prior verò pars dogmatica, ab initio epistolæ vsque ad caput duodecimum pertinens, quadripertito item diuiditur. Nam in primis duobus capitibus ostendit Paulus, omnes homines, tam Iudæos, quàm Gentiles ante CHRISTI gratiam, fuisse in grauissimis peccatis, & iræ DEI obnoxios. A capite secundo vsque ad quintum, disputat iustificationem hominis coram DEO, non ex vllis antecedentibus eius operibus fieri, sed gratis per fidem, & gratiam CHRISTI. A capite quinto vsque ad nonum, variè & copiosè describit statum hominis peccatoris; & è cõtrario statum hominis iustificati per CHRISTVM: Postremò, à capite nono vsq; ad duodecimũ, acriter disputat de prima causa electionis, & reprobationis hominum tam in vniuersum, quàm præcipuè, ac propriè de electione Gentiũ, & Iudæorum reprobatione.

BENE-

BENEDICTI PERERII IN PRIMVM CAPVT *EPISTOLÆ AD ROMANOS* VNA ET VIGINTI *DISPVTATIONES.*

CAPVT PRIMVM.

Verſu

PAVLVS ſeruus IESV CHRISTI vocatus Apoſtolus, ſegregatus in Euangeliũ DEI, * quod antè promiſerat per Prophetas ſuos in ſcripturis ſanctis, * de FILIO ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, * qui prædeſtinatus eſt Filius DEI in virtute ſecundum SPIRITVM ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum IESV CHRISTI Domini noſtri: * per quem accepimus gratiam & Apoſtolatum ad obediendum fidei in omnibus gentibus pro nomine eius. * in quibus eſtis & vos vocati IESV CHRISTI: * omnibus qui ſunt Romæ, dilectis DEI, vocatis ſanctis. Gratia vobis & pax à DEO PATRE noſtro, & Do-

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.

8. mino IESV CHRISTO,* primùm quidem gratias ago DEO meo per IESVM CHRISTVM pro omnibus vobis: quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo.

9. *Testis enim mihi est DEVS, cui seruio in Spiritu meo in Euangelio FILII eius, quod sine intermissione memoriam vestri facio

10. * semper in orationibus meis obsecrans, si quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate DEI veniendi ad vos.

11. * Desidero enim videre vos: vt aliquid impertiar vobis gratię spiritualis ad cōfirmandos vos:

12. * id est, simul consolari in vobis per eam, quæ inuicem est, fidem vestram, atq; meam.

13. * Nolo autem vos ignorare fratres: quia sæpe proposui venire ad vos, (& prohibitus sum vsque adhuc) vt aliquem fructum habeam & in vobis, sicut & in ceteris gentibus.

14. * Græcis ac Barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum:

15. * ita (quod in me) promptum est & vobis, qui Romę estis, euangelizare.

16. * Non enim erubesco Euangelium. Virtus enim DEI est in salutem omni credenti,

17. * Iudæo primùm, & Græco. * Iustitia enim DEI in eo reuelatur ex fide in fidem, sicut scriptum est: Iustus ex fide viuit.

18. * Reuelatur enim ira DEI de cœlo super omnem impietatem, & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem DEI in iniu-

in iniuſtitia detinent: *quia quod notum eſt, 19.
manifeſtum eſt in illis. DEVS enim illis manifeſtauit. *Inuiſibilia enim ipſius, à creatura 20.
mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus &
diuinitas, ita vt ſint inexcuſabiles. *Quia cum 21.
cognouiſſent DEVM, non ſicut DEVM glorificauerunt, aut gratias egerunt: ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt
inſipiens cor eorum: *dicentes enim ſe eſſe 22.
ſapientes, ſtulti facti ſunt. *Et mutauerunt 23.
gloriam incorruptibilis DEI in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & quadrupedum & ſerpentium. *Propter quod tra- 24.
didit illos DEVS in deſideria cordis eorum,
in immunditiam: vt contumeliis afficiant
corpora ſua in ſemetipſis: *qui commuta- 25.
uerunt veritatem in mendacium: & coluerunt, & ſeruierunt creaturæ potius, quàm
creatori, qui eſt benedictus in ſecula. Amen.
Propterea tradidit illos DEVS in paſſiones 26.
ignominiæ. Nam fœminæ eorum immutauerunt naturalem vſum, in eum vſum, qui eſt
contra naturam. *Similiter autẽ & maſculi, 27.
relicto naturali vſu fœminæ, exarſerũt in deſideriis ſuis in inuicẽ, maſculi in maſculos turpi-

tudinem

tudinē operantes, & mercedem, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes. * Et sicut non probauerunt DEVM habere in notitia: tradidit illos DEVS in reprobum sensum: vt faciant ea, quæ non conueniunt, * repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, * DEO odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, * Insipientes, incompositos, sine affectione, absq; fœdere, sine misericordia. * Qui cum iustitiam DEI cognouissent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni sunt morte: & non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.

(Marginal verse numbers: 28. 29. 30. 31. 32)

PRIMVM

PRAEFATIO.

PRIMVM hoc caput, commodè in tres partes diuidi potest. Prima, quæ est quasi procemium Epistolæ, continet salutationem qua Paulus Romanos, ad quos scribit, salutat. In secunda parte eneuolentiam Romanorum captans, docet quæ ratio eum iouerit, vt epistolam hanc ad ipsos scriberet. In tertia par- aggreditur Tractatum materię sibi propositæ. Prima pars ılutationi inseruiens, tria complectitur, quæ epistolam anc fide dignam, & probabilem faciunt; nimirum salu- ıntem, salutatos, & salutem. Salutans commendatur à uatuor rebus: A nomine PAVLI, quod erat, id temporis, leberrimum apud Christianos: à conditione, qua profite- ır se seruum IESV CHRISTI: à dignitate status & gra- us; quia erat vocatione & dignitate Apostolus: ab officio rædicandi Euangelium; quia diuinitus segregatus fuerat d prædicandum Euangelium. Hoc porrò Euangelium ommendatur ab origine, siue auctore, quia est Euangelium)EI: ab antiquitate, quia erat multo ante promissum à EO: à certitudine & veritate; quia testatum est à Prophe- s, & in sacris Scripturis consignatum: & à principali eius ıateria, quæ est FILIVS ipse DEI pro nobis incarnatus. d hæc, duplici titulo decorat, & honorat personas saluta- ıs; primùm ab æterna DEI dilectione, vocans dilectos EI: tum à temporali vocatione, appellans vocatos san- os. Ad extremum, salus, quam in salutatione sua precatur omanis, duo maxima bona continet, gratiam nempe, quæ t præcipuum omnium bonorum, dicens, *Gratia vobis:* & ræterea bonorum omnium summam, & finem, adiun- ens; *Et pax à DEO PATRE nostro, & Domino IESV CHRI- TO.* Est autem hæc salutatio Pauli, quæ prima huius episto-

læ periodo continetur, ſatis perplexa, & obſcura: tum propter Eclipſim, id eſt, defectum orationis; tum propter Hyperbaton, id eſt, ſenſus perturbationem; quod ſæpe accidit Paulo propter admirabilem ſibi occurrentium rerum diuerſiſſimarum copiam. Hæc igitur ſalutatio Pauli, diſtinctè ac dilucidè ad hunc modum ordinari & componi poteſt: *Paulus ſeruus IESV CHRISTI, vocatus Apoſtolus, ſegregatus ad Euangelium DEI, omnibus qui ſunt Romæ, dilectis DEI, & vocatis ſanctis:* Hic ſupplendum eſt, ſcribit ſalutationē hanc: *Gratia vobis & pax à DEO PATRE noſtro, & à Domino IESV CHRISTO.* Alia verba quæ interiecta ſunt, perturbant, & obſcurant orationem: ſi tamen per parentheſim legantur, diluceſcit eorum ſententia.

PRIMA

PRIMA DISPVTATIO.

De nomine PAVLI, & de seruitute CHRISTI.

SVPER ILLIS VERBIS:

PAVLVS seruus IESV CHRISTI.

Verſ. 1.

1. EXTRA dubitationem eſt, nomen Saul, ſiue Saulus, fuiſſe ei gentilitium, & quaſi natiuum, impoſitum ſcilicet ei octauo die ab ortu eius, quo die infantes Iudæorum circumcidi, & propriis noninibus appellari ſolebant. Sed nomen Pauli, quando, & uomodo, ſiue quam ob cauſam acceperit, & per ſe incerum eſt, magiſque incertum fecit Auctorum ſuper ea re diſenſio. Quatuor enim feruntur opiniones. Prima eſt Amroſij hoc loco, & Auguſtini in libro de Spiritu & littera, apite ſeptimo, & in tractatu octauo in epiſtolam Ioannis, x in Expoſitione Pſalmi ſeptuageſimi ſecundi, habuiſſe eum oc nomen à tempore ſuæ conuerſionis, vel ab ipſomet lectum, vt putat Auguſtinus; vel inditum ei à DEO vt vietur Chryſoſtomo, & Theodoreto aientibus, DEVM i mutaſſe nomen Sauli in Paulum, vt hac etiam re par eſt Petro, & filiis Zebedæi. Verùm contra hanc opinioem dici poteſt, ex ſacris litteris nulla ratione cognoſci oſſe, nomen Pauli, vel à tempore conuerſionis, vel alio empore fuiſſe, vel ab ipſo Paulo aſſumptum, vel ab DEO i impoſitum, ſicut de mutatione aliorum nominum, ex ipſa criptura compertum eſt. Altera opinio, eſt B. Hieronyni in principio Commentariorum eius in epiſtolam ad Philemonem, & Auguſtini libro octauo Confeſſionum capite

De origine ac ratione impoſiti nominis Paulus quatuor opiniones.

Prima opinio Ambroſii, Auguſtini, Chryſoſtomi, & Theodoreti.

Ioan. 1. Matth. 4.

Secunda opinio Hieronymi & Auguſtini.

capite quarto, accepisse eum id nominis à Sergio Paulo Proconsule Cypri, viro Romano nobilissimo, atque prudentissimo; quem quia primum omnium ex Gentibus ad fidem CHRISTI conuertit, eius deinceps nomen ferre, atque eo solum nomine in posterum appellari voluit. Quemadmodum enim Scipio à deuicta Africa cognominatus est Africanus, & Metellus à capta Creta dictus est Creticus: sic ipse, quòd tantum virum CHRISTI fidei ac disciplinæ subiugasset, ex eius deinceps nomine Paulus appellari voluit. Huic opinioni eo fidem astruunt, quod non temerè videatur Lucas in Actis Apostolorum semper antea vocasse eum Saulum vsque ad caput decimum tertium, vbi enarrat conuersionem Sergij Pauli: post id verò temporis semper appellasse Paulum, & nunquam Saulum. Dominus Baronius huic adhærens opinioni, putat, Apostolum quidem tunc accepisse nomen Pauli, sed non propter victoriam spiritualem de eo quem ad CHRISTVM conuerterat, sed rogatu ipsiusmet Sergij Pauli, qui amicitiæ causa, & vt perpetuam sui memoriam, & beneuolentiam conseruaret Apostolus, rogauit eum, vt deinceps nomine suo, Paulus appellari vellet. Sed isti opinioni duo aduersantur. Nusquam enim reperitur in scriptura simile quicquam factum, nec talis fuit vnquam consuetudo sanctorum; & videtur indecens, vt maior nomen accipiat minoris, & qui conuertit aliquem ad CHRISTVM, vel eum baptizat, accipiat ab eo nomen, sed contra potius fieri solitum est. Nec videtur consentaneum modestiæ, atque humilitati Pauli, gerere voluisse nomen illud, quasi gloriosum quoddam monumentum, & trophæum illius victoriæ. Si quis porrò verba Lucæ pensitet, quæ sunt in capite decimotertio, illa inquam, *Saulus autem, qui & Paulus*, ea non obscurè indicant (vt Origenes, & Anselmus, & alij annotarunt) non tunc primum fuisse appellatum Paulum: sed vel fuisse binomium, aut si mauis binominē, vel certe antea iam isto nomine fuisse vocitatum.

Actor. 13.

Locus in Actis Apostolorum cap. 13.

Baronius primo Tomo Anno Domini 36.

Tertia

Tertia opinio est Catharini existimantis tunc esse appellatum hoc nomine Pauli, cùm primum, DEI iussu, ex Ecclesia Antiochena segregatus est ad opus Apostolicum apud Gentes exequendum: quemadmodum cum CHRISTVS elegit duodecim Apostolos, & Simoni, & filiis Zebedæi mutauit nomen. At enim gratis id Catharinus dicit: nec sanè vlla vel ratione, vel testimonio, vel coniectura probari potest: quin etiam Lucas eo in loco, post illam segregationem Pauli & Barnabæ, non semel eum appellat nomine Sauli. Et cùm etiam Barnabas vnà cum eo segregatus fuerit ad idem munus Apostolicum obeundum, cur non etiam ipsi Barnabæ mutatum est nomen? Quod autem Catharinus affert de electione duodecim Apostolorum, tantum abest vt ab ipso faciat, vt contra ipsum etiam sit: neque enim cum Dominus elegit duodecim Apostolos, aliis nomen mutauit, nisi tantùm Petro, & filiis Zebedæi. Quarta est opinio Origenis, quæ præ ceteris placet Anselmo, & S. Thomæ, & aliis, eum à principio fuisse binomium, vt fuere multi alij tam in veteri, quàm in nouo Testamento. Parentes enim Pauli, quia Iudæi erant, & ex tribu Beniamin, vocarunt eum Saulum, quod nomen in ea Tribu plausibile admodum erat, propter primum regem, cui nomen erat Saul, ex ea Tribu à DEO electum: Quoniam verò erant ciues Romani, & in ciuitate Romana Tharso, eum genuerāt, simul etiam Paulum appellarunt, nomine apud Romanos vtique perillustri ac celebri. Si quis obiiciat; Cur igitur si nomen Pauli ab initio habuit, nusquam legitur eo nomine appellatus, nisi post conuersionem Sergij Pauli? Responderi ei potest, quandiu cum Hebræis versatus est, Hebræo nomine vocari voluisse Saulum; cùm autem missus est ad prædicandum Gentibus, factusque Apostolus, & Doctor Gentium, voluisse appellari nomine Pauli, Græcis, Romanisque gratissimo, & celeberrimo. Ego, (vt initio dixi) nihil certi super hac re dicere habeo: si quis tamen vrgeret atque instaret, vt aliquid ex sensu meo dicerem; hoc vnum modò dicerem, de quatuor suprà dictis

2. Tertia opinio Catharini.

Ioan. 1.

Quarta opinio Origenis, Anselmi, et S. Thomæ.

1. Reg. 9. 10.

opinionibus videri mihi vltimam, minimè omnium improbabilem.

3. Sed quod Apostolus post nomen Pauli proximè adiungit, *Seruus IESV CHRISTI*, dubitationem quandam habet. Cum enim CHRISTVS dixerit discipulis suis: *Iam non dicam vos seruos, sed amicos*: & cùm Paulus de omnibus Christianis scribat: *Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore*: Cumque secundum Iurisconsultos deterrima sit conditio seruitutis, maximaque capitis diminutio, & quæ pro maxima pœna hominibus infligitur, sicut Noe filium Chanaan seruituti fratrum addixit. Cum igitur hæc ita se habeant, cur Paulus, quasi honoris & ingentis gloriæ causa, seruum se appellat? Huic dubitationi S. Hieronymus initio commentariorum in epistolam ad Titum respondens, duplicem esse ait seruitutem: vnam esse ignobilem & abiectam, & ignominiosam, qua homo seruit homini; ad quam pertinent, quæ paulò supra contra seruitutem dicta sunt. Altera est nobilis & gloriosa seruitus, qua seruitur DEO: de qua Dauid dixit: *Ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ*: & Deipara semper virgo MARIA dixit Angelo: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Moyses certè; hoc serui & famuli DEI Epitheto insignitus & nobilitatus est. Quin etiam ipsemet Dominus noster IESVS CHRISTVS, qua homo est, apud Isaiam vocatur seruus. *Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israël conuertendas.* Et paulò antè de eodem scriptum est: *Ecce seruus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea: dedi SPIRITVM meum super eum, iudicium Gentibus proferet.* Sanè veniens Dominus in hunc mundum, factus homo, formam serui accepit, & in medio hominum erat tanquam ministrans, seruique ministerium exercuit, cum præcinctus linteo, lauit pedes discipulorũ suorum. De hac igitur seruitute Paulus glorians, seruũ se appellat CHRISTI: nec solùm CHRISTI, sed omnium etiam fidelium, ait enim: *Cum essem liber; omnium seruum me feci.* Et alibi: *Vester*, inquit, *seruus propter CHRISTVM.* Hactenus Hieronymi sententiam potius, quàm verba retulimus.

Ioan. 15. — *Ad Rom. 8.* — *Genes. 19.* — *S. Hieronym.* — *Psalm. 15.* — *Lucæ 1.* — *Isaia 49. et 42.* — *Ad Philip. 2.* — *Ioan. 13.* — *1. ad Corinth 9.* — *2. ad Corint. 4.*

Hoc

Hoc ipsum etiam nos, paulò distinctius & copiosius explicantes dicimus, triplicem esse seruitutem: Vnam esse diaboli, & peccati, nam *qui facit peccatum, seruus est peccati, & à quo quis superatus est, eius & seruus est*. Hæc est seruitus culpæ, sanè quàm ignominiosa, & fœda, reddens animum hominis ignobilem, abiectum, & turpem coram DEO: à qua seruitute nos CHRISTVS gratia liberauit, sicut ipse dixit: *Si vos Filius liberauerit, verè liberi eritis*. Altera est seruitus humana, qua homo seruit homini, quæ vilem & abiectam facit, & laboriosam, atque ignominiosam conditionem hominis, ex primo vtique peccato nata; à quo CHRISTI gratia hominẽ in præsenti vita non liberat. Quocirca Petrus & Paulus in suis epistolis hortantur seruos ad CHRISTVM conuersos, nõ vt excutiant iugũ seruitutis, sed vt Dominis suis, quasi CHRISTO, ex animo fideliter, & sinceriter obsequantur, atque famulentur. Tertium genus seruitutis est, qua DEO seruitur, cui seruiunt omnia quę in cœlo, & infra cœlum, & supra cœlum sunt, sicut Dauid dixit: *Omnia seruiunt tibi*, etiam Dæmones ei seruiunt; vtitur enim ministerio eorum, prout vult, siue ad bonos exercendos, probandosque, siue ad puniendum improbos. Verùm inter seruientes DEO, præcipui sunt sancti ANGELI: quorum vidit Daniel millia millium ministrare DEO, & decies millies centena millia ei assistere; et quidam Angelus adorari se à Ioanne prohibuit; dicens, *vide ne feceris, conseruus enim tuus sum, & fratrum tuorum, & omnium qui testimonium IESV habent*. Duplici porrò seruitutis titulo, obnoxij sumus DEO; tum creationis, & gubernationis, & conseruationis: tum magis propriè ipsius redemptionis, qua sumus ex seruitute diaboli, & peccati, magno pretio sanguinis CHRISTI ab eo redempti: quamobrem præcipuè in epistolis Pauli, nomen Domini tribuitur CHRISTO. Seruientium autem DEO tres sunt gradus: infimus, eorum, qui metu pœnæ seruiunt DEO: medius, eorum, qui mercedis cupiditate, & spe præmij ei seruiunt: summus, & perfectissimus, eorum, qui DEO propter ipsum DEVM seruiunt. Hæc est seruitus filiorum

4. *De triplici seruitute, diabolica, humana, & diuina.*

Ioan. 8.

Gal. 4.

Ioan. 8.

Psalm. 118.

Dan. 7.

Apoc. 19.

Tres gradus seruientium Deo.

1. *Ioan.* 4. liorum DEI, ex charitate, quæ foras pellit timorem, & ex diuinæ MAIESTATIS reuerentia proficiſcens, cuius ſeruitutis inenarrabilis, & inæſtimabilis eſt dignitas, atque vtilitas. *Ad Rom.* 8. Hæc facit nos verè liberos & amicos, & filios DEI, & cohæredes CHRISTI. De talibus ſeruis dici verius poteſt, quod 3. *Reg.* 10. regina Saba dixit de ſeruis Salomonis: *Beati ſerui tui, qui ſtant ante te, & vident faciem tuam.* Audiat Lector quàm præclara, *Eſaia* 65. & magnifica DEVS promittat ſeruis ſuis apud Iſaiam: *Serui mei comedent, & vos eſurietis: Serui mei bibent, & vos ſitietis. Serui mei lætabuntur, & vos confundemini: Serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis, præ dolore cordis, & præ cõtritione ſpiritus vlulabitis: & ego ſeruos meos vocabo alio nomine.*

5. Nec eſt illud non dignum animaduerſione, Paulum non appellaſſe ſe miniſtrum CHRISTI, vel militem, vel operariũ, nec alio nomine quàm ſeruum: vt profiteretur videlicet, quidquid eſſet, ſe totum eſſe CHRISTI, ei penitus addictum & mancipatum; non ſuum, ſed illius ſolius negotium agere, illi laborare, ſpirare, viuere, ſicut ipſe quodam loco dixit: *Ad Galat.* 2. *Viuo ego, iam non ego; viuit verò in me CHRISTVS.* Et de tali conditione ſeruitutis gloriabundus, dixit alio in loco: *De cætero, fratres, nemo mihi moleſtus ſit: ego enim ſtigmata Domini IESV in corpore meo porto.* *Infra* 6. Sunt autem ſtigmata, ſeruis impreſſæ notæ, quibus cognoſci, & diſcerni queant. Et *dixit* emphaticos, *in corpore meo porto*, tanquam de trophæo aliquo, vel ſigno regali glorians. Immo Paulus in ipſo vocationis, & conuerſionis ſuæ principio ſtatim profeſſus eſt, Seruum ſe *Act.* 9. CHRISTI eſſe. Cùm enim audiſſet vocem CHRISTI dicẽtis ſibi, *Saule Saule, quid me perſequeris?* Continuo reſpondit. *Quis es Domine?* & mox: *Domine, quid me vis facere?* Verè igitur illud dici ſolet: Seruire DEO, regnare eſt: nam omnino liberũ eſſe ab omni ſubiectione, nulli poteſt creatæ rei conuenire; omnia enim à DEO creata, ei ſubiecta ſunt, eiuſque indigent conſeruatione, & gubernatione. Solus autem DEVS eſt verè Dominus; qui nec vlli ſubiectus eſt, nec vlliꝰ indiget, nec vllã *Luca* 17. ab iis, qui ſeruiunt ei, capit vtilitatem. Nempe veriſſimũ eſt, quod

quod CHRISTVS Dominus discipulis suis dixit: *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.*

SECVNDA DISPVTATIO.

De Apostolorum excellentia dignitatis & potestatis.

SVPER ILLIS VERBIS:

Vocatus Apostolus.

QVID istud est *Vocatus Apostolus?* Videtur istis verbis significari, vt exponit S. Thomas, dignitatem Apostolatus nō humanis meritis acquiri, sed vocatu & gratia DEI hominem assumi ad Apostolatum. Legimus apud Marcum, in electione duodecim Apostolorum, vocasse CHRISTVM ad se quos voluit ipse, & fecisse Apostolos. Vel significatur illis verbis, Paulum simpliciter & absolutè solitum tunc vocari Apostolum, sicut etiam nunc vocari solet: quia (vt Augustinus ait libro tertio ad Bonifaciū capite tertio) pluribus ab eo scriptis epistolis erat notior; & plus cæteris laborauerat, excellentioremq; sapientiam ad prædicandum, & scribendū acceperat; & plures Ecclesias fundauerat, & præcipuè fuerat electus Prædicator & Doctor Gentium. Vel id Paulus dixit humilitatis causa; quasi diceret, Non audeo me vocare Apostolum, sed omnes me ita vocant: sicut ipsemet dicit Corinthiis: *Non sum dignus vocari* Apostolus, verùm vt germanam & propriā illorum verborum sententiam teneat Lector, scire debet, illud (vocatus) nō esse participium, quasi idem sit, atq; appellatus, seu nominatus; sed vt ex græca lectione patet (est enim græcè κλητός)

6 *S. Thomas.* *Marci 3.* *S. Augustinus.* *2. Cor. 11. & 12.* *1. Timoth. 2.* *1. ad Corint. 15.*

esse nomen absolutum, idem significans, quod vocatione Apostolus; eo scilicet modo loquendi, quo nos dicimus aliquem vocatione Monachum, & vocatione Episcopum. Significat itaq; Paulus his verbis, se non ambiuisse, vel affectasse Apostolatum, nec eius functionem sibi arrogasse, contra id, quod ipsemet scripsit ad Hebræos: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à DEO, tanquam Aaron.* Et vt dixit Ioannes: *Non potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cælo.* Insignis porrò ad Apostolatum vocatio Pauli, iam inde vsq; à conuersione ipsius declarata est ab ipsomet CHRISTO, cùm de Paulo dixit Ananiæ: *Vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram Gentibus, & regibus, & filiis Israël. Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Tunc autem ad functionem muneris Apostolici obeundam missus est, cùm SPIRITVS sanctus dixit: *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Electionis autem, & vocationis Pauli ad Apostolatum, veritas declarata & confirmata est per tres illos perinsignes Apostolos, & columnas Ecclesiæ, Petrum, Iacobum, & Ioannem; qui dextras dederunt Paulo & Barnabæ; vt ipsi in circumcisione; illi autem inter Gentes, Apostolici muneris functionem exercerent. Aduertere est in scriptura triplicem vocationis Apostolorum rationem: vnam in Petro, & Andrea, & filiis Zebedæi, & Mattheo, qui ipsius CHRISTI ore vocati sunt: alteram in Matthia, qui per sortes electus est: instinctu tamen SPIRITVS sancti eas sortes regentis: tertiam in Paulo & Barnaba, sicut paulò suprà expositum est.

Ad Hebr. 5. *Ioan. 3.* *Act. 9.* *Infra 13.* *Ad Galatas 2.* *Ioan. 1. Matth. 4. Act. 1.*

7. *Vtrum nomen Apostoli, præter significationem missionis, denotet singularem quampiã potestatẽ.* *S. Hieronymus.* *Ioan. 1.*

Nomen porrò Apostoli; si spectes eius etymologiam, latissimè patet. Significat enim vniuersè eum, qui ab alio missus est: qua significatione accipitur Ioan. 13. in illis verbis: *Non est Apostolus maior eo, qui misit illum.* S. Hieronymus in cõmentario primi capitis epistolæ ad Galatas facit quatuor genera Apostolorũ, siue Missorũ. Alij enim proximè mittuntur à solo DEO, vt Esaias, Hieremias, Moses, & Paulus, nec non & Ioannes Baptista, de quo scriptũ est: *Fuit homo missus à DEO, cui*

nomen

nomen erat Ioannes. Alij mittuntur à DEO, sed per hominē, vt Iosue à DEO per Mosen, & Eliseus à DEO per Eliam; huius etiam generis sunt, qui à suis Prælatis dignè mittuntur ad prædicandum Euangeliū, vel regendum alios, secundum disciplinam & diuinā, & Ecclesiasticam. Alij mittuntur ab homine, sed non à DEO, vt qui indignè à suis Prælatis assumuntur ad munera Ecclesiastica, vel pecunia, vel fauore. Alij demùm sunt, homines videlicet pessimi, qui nec à DEO, nec à Prelatis Ecclesiæ mittuntur, sed ipsi sibi munera Ecclesiastica impudenter arrogant, vt Pseudoapostoli, & Hæretici, in quos dictū est illud à Domino per Hieremiā: *Ipsi currebant, & ego nō mittebam eos.* Dominus aūt noster, qui à DEO PATRE missus est in terras ad redimendū genus humanū, propter excellētiam suæ missionis, absolutè & præcisè vocatur Missus, vt Gen. 49. *Donec veniat qui mittendus est.* Et Exodi 4. *Obsecro Domine, mitte quem missurus es.* Et in Euangelio Ioannis sæpenumerò vocatur Missus. Quin etiam Paulus non veretur Dominum IESVM vocare Apostolū, ita scribens ad Hebræos: *Considerate Apostolum & Pontificem confessionis nostræ IESVM.*

Locus Hieremiæ cap. 23.

Ad Hebræos 3.

8\. Nec verò, quia nomen Apostoli secundum etymologiam, significat simpliciter missum ab alio, idcirco putare cōuenit esse id nominis in scriptura tantùm nomē officij, seu legationis: continet enim secundū scripturæ, & Ecclesiæ vsum, præter Legationis ministeriū, etiam singularē quandam, & eximiam dignitatē, & potestatem, ac primatum, quod clarè docuit Paulus in prioris epistolę ad Corinthios cap. 12. scribens, DEVM posuisse in Ecclesia primò Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationū. Et subdit posthæc: *Numquid omnes Apostoli? numquid oēs Prophetæ,* &c. Idemq; repetit ad Ephes. 4. enimuero, si cōsideres nudā etymologiam eius nominis, etiam septuaginta duo discipuli CHRISTI appellarētur Apostoli, vt quos Dominus designauerit, & ad prędicandū Euangelium miserit: at secundum eius nominis vsum, quē habet Ecclesia, non vocātur Apostoli: id enim nomen CHRISTVS solis duodecim, quos separauit à ceteris, imposuit. Hoc aūt nomen postea, præter il-

Locus Pauli 1. ad Corinth. 12.

Lucæ 10.

los duodecim, etiã ad Paulum, & Barnabam translatũ eſt: idemq́; nomen Paulus per quandã eius nominis vſurpationis extenſionem, tribuit Epaphrodito. Ex his palam eſt, Hæreticos huius temporis argumentantes ex etymologia nominis Apoſtoli, nec illos duodecim, nec eorum ſucceſſores, aliam poteſtatẽ habuiſſe, quàm enuntiandi, & exponendi hominibus, quod in mandatis acceperant à DEO, id eſt, prædicandi Euangelium, infirmiſſimo, ac leuiſſimo niti argumento: non enim etymologia eius nominis omnem comprehẽdit ſignificationem, quæ eſt in vſu Eccleſiæ. Hoc item videre licet in aliis quibuſdam nominibus, vt Dictatoris, Conſulis, Epiſcopi: in quibus, ſecũdum communẽ hominum loquẽdi vſum, includitur inſignis quædam dignitas, & poteſtas, quam tamẽ nuda eorum nominum etymologia non continet. Cicero ad ſuum Atticum ſcribit, ſe conſtitutum eſſe à Pompeio, totius Campaniæ, & oræ maritimæ Epiſcopum, ad quem delectus, & ſumma negotij referretur: talis autẽ poteſtas, & auctoritas, abſolutè non continetur in nomine Epiſcopi, quod ſecundum etymologiam ſuam præciſè ſignificat inſpectorem. Maximam verò in Apoſtolis fuiſſe auctoritatẽ, & poteſtatem ſoluendi, & ligandi, & excommunicandi, datam eis à CHRISTO, patet Matthæi 18. Apoſtolicam porrò auctoritatem, & poteſtatem datam ſibi à DEO, Paulus declarat in capite decimo poſterioris epiſtolæ ad Corinthios, ita ſcribens: *Si amplius aliquid gloriatus fuero de poteſtate noſtra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem, non erubeſcam.* Et in cap. 13. *Ideo hæc* (inquit) *abſens ſcribo, vt non præſens durius agam ſecundum poteſtatem, quam Dominus dedit mihi.* Et vt ſciat Lector, hunc fuiſſe de Apoſtolorũ dignitate ac poteſtate veterum Doctorũ Eccleſiæ ſenſum; vnius modò S Hieronymi ſententiã hîc commemorabo, in principio commentariorũ ſuorum ſuper epiſtola ad Titum hunc in modum ſcribentis: Quod Paulus ait: *Vocatus Apoſtolus*, tale mihi videtur, quale ſi dixiſſet: Præfectus Prætorio Auguſti Cæſaris, vel Magiſter exercitus Tiberij Imper. Vt enim Iudices huius ſæculi, vt nobiliores eſſe videãtur, ex regibus, quib. ſeruiunt, & ex dignitate

Cicero lib. 7. ad Atticum.

S. Hieronymus.

qua

qua intumescunt vocabula sortiuntur: ita & Paulus grandem inter Christianos sibi vendicans dignitatem, Apostolum se CHRISTI, titulo prænotauit: vt ex ipsa nominis auctoritate lecturos epistolam suã terreret, indicans, omnes qui in CHRISTO crederent, debere sibi esse subiectos.

Cernere autẽ est in Apostolis multiplicem, ac multiformẽ dignitatis, ac potestatis, & cuiusdam singularis gratiæ CHRISTI excellentiam. Atq; vna quidem excellentia fuit Apostolorum, quod ab ipso CHRISTO potestatem acceperunt prædicandi Euangelium per vniuersum terrarum orbem, & docendi omnes gentes, & vbique locorum fundandi Ecclesias, & regendi. Hoc enim mandauit eis CHRISTVS dicens: *Euntes, docete omnes gentes. Et, euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Quocirca B. Paulus, quod scriptum est in Psalmo decimo octauo: *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*: refert ad prædicationem Apostolorum. Altera fuit Apostolorum excellentia, quod viderunt CHRISTVM secundum præsentiam corporalem, & loquentem audierunt, & cum ipso familiarissime conuersati sunt: quod pro magno esse habendum, ostendit CHRISTVS cum eis dixit, multos reges, & Prophetas voluisse videre, & audire quæ ipsi videbant, & audiebant; non tamen audire, vel videre potuisse. Paulus autem vidit CHRISTVM non quidem mortalem in terris vitam agentem, sed iam immortali corporis vita, & gloria præditum. Tertia excellentia: habuerunt claues regni cœlorũ, ita vt quodcunque ligarent, aut soluerent in terris, esset itidem solutum, & ligatum in cœlis. Quarta: habuerunt potestatem, & ius discernendi canonicas scripturas à non canonicis, & præscribendi Ecclesiæ, quas pro sacris & canonicis scripturis habere, & custodire deberet; quin etiam nouas condendi scripturas sacras, sicut Petrus & Paulus, Matthæus, & Ioannes, Iacobus, & Iudas. Quinta: composuerunt Symbolum Fidei, quod vniuersa Ecclesia religiose obseruat & veneratur, & in sacris precibus, & sacrificio Missæ obseruat.

9.
Duodecim excellentiæ Apostolorum.

Matth vlt.
Marc. vlt.

Ad Rom. 10.

Matth. 13.

Matth. 18.

 Fuisse

Fuisse autem id compositum ab Apostolis, & totius Ecclesię, ab eius vsque ortu, sensu, & iudicio constat; & sententia Patrum, quos non attinet hîc commemorare. Sexta: habuerunt excellentem potestatem faciendi miracula: ideo Dominus, postquam elegit duodecim Apostolos, misit eos ad prædicandum Euangelium, & ad curandum ægrotos, & fugandos Dæmones. Legimus vel ipsam Petri vmbram sanasse ægrotos, & sudaria, & semicinctia Pauli, infirmis imposita, sanitatem attulisse. Septima: habuerunt gratiam, & donum omnium linguarum: tum quia omnium linguis loqui poterant, sicut Paulus scripsit Corinthiis: *Gratias*, inquit, *ago DEO meo, quod omnium vestrum lingua loquor*: tum etiam quod sua lingua loquentes, ab omnibus aliis, quamuis essent longe diuersarum linguarum, intelligebantur, sicuti factum esse in die Pentecostes, cum in Apostolos descendit SPIRITVS sanctus, narrat Lucas. Octaua: futuri sunt, præcipua quadã, & singulari ratione Apostoli, Iudices hominum, cum veniet CHRISTVS in consummatione seculi ad iudicandũ omnes. Hoc promisit eis Dominus, vt refert Matthæus; cum dixit: *Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël.* Hoc iudicium vidit Daniel: *Aspiciebam*, (inquit) *donec throni positi sunt, & Antiquus dierum sedit* (& interpositis quibusdam, subdit) *Iudicium sedit, & libri aperti sunt.* Nona: habebant potestatem dandi hominibus SPIRITVM sanctum, visibili aliqua specie, & signo, per impositionem suarum manuum, sicut traditur in Actis Apostolorum de Petro & Ioanne, qui cum venissent Sammariam, orauerunt pro iis, qui baptizati fuerant, vt acciperent SPIRITVM sanctum, nondum enim in quemquã illorũ venerat: tunc imponebãt manus super illos, & accipiebant SPIRITVM sanctum. Decima: in iis, quæ tradebant Ecclesiæ vel credenda, vel agenda, & circa Sacramenta obseruanda, erant, vt ita loquar, infallibiles, id est, nec ipsi falli poterant, nec fallere alios. Huc sanè videtur spectare quod

Matth. 10. & 12.
Actor. 5. Infra 19.
Prima ad Corinth. 14.
Actor. 2.
Matth. 19.
Daniel. 7.
Actor. 8.

uod Dominus dixit de SPIRITV sancto; quem missurus at Apostolis: *Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia.* t item: *Docebit vos omnem veritatem.* Vndecima: Post acce- um SPIRITVM sanctum in die Pentecostes, fuerunt onfirmati in gratia, & facti, vt ita dicã, impeccabiles, quan- ım ad peccatum mortale; id verò elicitur ex illis verbis Do- ini: *Ego rogabo PATREM, & alium PARACLETVM dabit bis, vt maneat vobiscum in æternum.* Et quia fuerunt Aposto- tanquam columnæ Ecclesiæ: quod enim Paulus dixit de tro, Iacobo, & Ioanne, vocans eos tanquam columnas, id sum verè in omnes Apostolos dici potest: Idcirco quòd riptum est in Psalmo septuagesimo quarto: *Ego confirmaui lumnas eius*: non inepte neque inscitè accommodari potest Apostolos. Duodecima excellentia fuit Apostolorum, od & in gratia DEI, & in sapientia, id est, scientia rerum uinarum & mysteriorum fidei ceteris præstantiores fuere, icunque ante eos, vel post fuerunt. Quapropter Paulus ibit, Apostolos accepisse primitias SPIRITVS: & alibi ait: *Secundum diuitias gratiæ Dei, quæ superabundauit in no- in omni sapientia & prudentia.* Ob supradictas porrò Apo- olorum excellentias, Ecclesia CHRISTI licet (vt scribit ulus) fundata sit super fundamentum Apostolorum, & ophetarum, ea tamen potius vocatur Ecclesia Apostoli- , quàm Prophetica. Præter has verò excellentias, quæ in nnibus Apostolis communiter, & æqualiter fuerunt, ha- it B. Petrus super alios Apostolos, singularem quandam eximiam dignitatis & potestatis excellentiam, tanquam tra, super quam ædificata est Ecclesia CHRISTI: per quã cellentiam fuit princeps Apostolorum, & Pastor omnium HRISTI ouium, simulque pastorum, & caput, vnde ma- isterium, & regimen ad omnes CHRISTI Ecclesias dif- fundendum erat. Verùm de istiusmodi Petri ex- cellentia non est hic dicendi locus.

Ioan. 14. & 16

Ioan. 14.

Ad Gal. 2.

Ad Rom. 8.

Ad Ephes. 1.

Matth. 16.

TERTIA

TERTIA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Verſu 4.

Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute, ſecundum SPIRITVM ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum IESV CHRISTI Domini noſtri.

10.

PRO eo quod Latinus Interpres vertit *prædeſtinatus*, græcè eſt ὁρισθέντος, à verbo ὁρίζειν, quod primaria, & frequenti ſignificatione, ſignificat definire, ſtatuere, & deſtinare: nonnunquam etiam ſignificat declarare, pronuntiare, manifeſtare, iudicare. Triplex autem eſt huius loci lectio, & expoſitio. Prima eſt Græcorum, qui illud ὁρισθέντος, interpretantur declaratum, & probatum, & iudicatum, ad hunc videlicet intellectum: Is qui factus eſt ex ſemine Dauid, ſecundum carnem, ideoque fuit verus homo, etiam declaratus eſt, & probatus eſt verus Filius DEI tribus euidentiſſimis ſignis, quæ Paulus hic ponit. Primo (in virtute) id eſt, per mirabilem potentiam, qua tot, & tanta edidit miracula. Nam (in) poni pro (per) frequentiſſimum eſt in ſcriptura, maxime verò apud Dauidem, & Paulum: virtus item hîc non ſignificat habitum moralem bonū, vitio contrarium, ſed potentiam, eſt enim græcè non ἀρετὴ, ſed δύναμις. Præterea demonſtratus eſt filius DEI *ſecundum SPIRITVM ſanctificationis*, id eſt, qui credentibus remittebat peccata, quorum remiſſio attribui ſolet SPIRITVI ſancto; dixit enim Dominus Apoſtolis: *Accipite SPIRITVM ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Poſtremò, idem declaratum eſt argumento reſurrectionis ipſius à mortuis: nam licet, more ceterorum hominum, ſit mortuus; nō potuit

Tres expoſitiones & prima Græcorum.

Ioan. 20.

potuit tamen à morte detineri, sed potentia sua sibi ipse vitam restituens, resurrexit à mortuis. Hæc autem tria, Resurrectio, & Resurrectio mortuorum, & Resurrectio ex mortuis, secundum phrasim scripturæ, eandem vim, & significationem habent. Illud porrò, *IESV CHRISTI Domini nostri* positum est pro *eius* vel *ipsius*. Hebræi nempe crebrò vice pronominum, eleganter vtuntur propriis nominibus: exempli gratia: Fecit Moses sicut præceperat Dominus Mosi: Latinè diceretur: Sicut præcepit Dominus ei, vel ipsi. Atq; hæc est Græcorum expositio huius loci, Chrysostomi, inquam, Theodoreti, Oecumenij, & Theophylacti in hoc loco, & item Cyrilli libro primo de Fide ad Reginas, & Damasceni libro quarto, capite decimo nono. Lubet adscribere hîc verba Chrysostomi, quibus locus hic Pauli ab eo, ad sententiam, quam dixi, ita exponitur. Obscurum est, inquit, quod hoc loco dicit Apostolus, ob dictionum inuolutum: quare necessaria est illius distinctio. Quid est igitur quod ait: Prædicamus eum, qui ex Dauid natus est, fuisse quoque declaratum filium Dei, sed vnde declaratus? à miraculis, quæ edidit, magnæ potentiæ argumentum præbens. Hoc enim est quod ait, *cum potentia*. Deinde ab ipso SPIRITV, quem dedit credentibus in se, & per quem omnes reddidit sanctos. Et ideo subdit: *secundum SPIRITVM sanctificationis*. DEI enim filij erat, id genus, dona largiri. Postremò ipsum constitit ex resurrectione ipsius: primus enim hic solus seipsum à mortuis excitauit. Hoc esse signum euidens, & quod impudentibus os posset obstruere, ipsemet ostendit dicens: *Soluite templum hoc, & in triduo excitabo illud*: *Signum quærit generatio hæc; & signum non dabitur ei, nisi signũ Ionæ prophetæ, &c.* Quid est igitur, *declaratus?* nempe ostensus, demonstratus, iudicatus, confessus ab omnium sententia, calculo; à Prophetis, ab inusitata secundum carnem natiuitate; à largitione SPIRITVS sanctificantis, à resurrectione, per quam mortis tyrannidem euertit. Hæc Chrysostomus. Annotauit Oecumenius, quosdam illud (ὁρισθέντος)

S. Chrysost. Theodoretus. Oecumenius. Theophyl. Cyrillus. Damascenus. Chrysostomus.

Ioan. 2.

Matth. 12.

Oecumenius.

interpretari, cognitum, sic enim habet; etiam quidam illud, ὁρισθέντος, cognitum interpretantur, & ad hominum notitiam perductum. Solemus enim διὰ ὁρισμῶν τινῶν, hoc est, per definitiones quasdam, cognoscere, quæ firmiter, & non ambigendo cognouimus.

II. *Secunda expositio.* Altera expositio est quorundam veterum, qui illud (ὁρισθέντος) noluẽt exponi *prædestinatus*, sed, *destinatus*, siue definitus, non enim hîc est προορισθέντος, à verbo προορίζειν, quod est prædestinare, seu præfinire, sed est, ὁρισθέντος, à verbo simplici ὁρίζειν, quod est definire, seu destinare. Ita legit hunc locum Tertullianus in libro aduersus Praxeam, itaque legi oportere arbitratur Origenes, eo distinguens prædestinationem à destinatione, quod est eorum, quæ non sunt; destinari verò eorum, quæ sunt, & ad aliud aliquid destinantur. Cum igitur FILIVS DEI semper fuerit, non potest dici de eo quod sit prædestinatus, sed destinatus: de nobis autẽ, qui non semper fuimus, verè dicitur quod sumus prædestinati, sicuti dixit Paulus: *Quos præsciuit, & prædestinauit.* Et alio loco: *Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum*, super quibus verbis in commentario eius epistolæ similia tradit Hieronymus, indubiè mutuatus ab Origene. Verùm hæc Origenis distinctio destinati, ac prædestinati, parum firma est, nec congruit cum communi hominum loquendi consuetudine. Verbum enim destinare; non solùm in iis quæ sunt, sed etiam in iis quæ non sunt, vulgo vsurpatur. Etenim vsu venit, vt quis filium, quem de se genitum iri sperat, per anticipatam animi designationem, & deliberationem, etiam prius, quàm generatus sit, destinet vel militiæ, vel studio litterarum, vel Ecclesiasticis ministeriis, & dignitatibus, vel mercaturæ, aut alij cuipiam arti. Nonne Anna mater Samuelis, cum supplicaret DEO pro virili prole, dicebat: *Si dederis seruæ tuæ sexum virilem: dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius.* Iam tunc ante generationem filij destinauerat eum obsequio, & ministerio DEI in templo?

Tertullianus. *Origenes.* *Ad Rom. 8.* *Ad Ephes. 1.* *1. Reg. 1.*

Deinde

12. Deinde non rectè argumentatur Origenes, FILIVM DEI non potuisse prædestinari, quia prædestinatio est eorum, quæ non sunt, & ad ea, quæ nondum sunt; FILIVS autem DEI semper fuit, & semper fuit Filius DEI: Licet enim FILIVS DEI, qua Deus est, semper fuerit; quâ tamen assumpsit naturam humanam in vnitatem personę suæ, non semper fuit subsistens in illa natura, hoc enim in tempore factum est: quicquid autem in tempore factum est, ex æternitate prædestinatum fuit à DEO, vt in eo tempore fieret. Cum igitur prædestinatum à DEO fuerit, vt illa natura humana copularetur cum diuina in vnitate personæ FILII DEI; per hoc autem factum est, vt ille homo esset Filius DEI: necesse est dicere, prædestinatum fuisse, vt qui factus erat ex semine Dauid secundum carnem, esset Filius DEI. Audi Lector, B. Thomam hoc ipsum breuiter, & dilucidè his verbis docentem & probantem; Prædestinatio, inquit, propriè accepta, est quædam præordinatio DEI, ab æterno, eorum, quæ per gratiam ipsius fieri debent in tempore. Est autem per gratiam vnionis naturæ humanæ cum diuina factum in tempore à DEO, vt homo esset DEVS, & DEVS esset homo. Nec dici potest, DEVM ab æterno non præordinasse se id facturum in tempore; sequeretur enim, diuinæ menti aliquid noui accidere. Oportet igitur dicere, vnionem illam duarum naturarum in persona CHRISTI cadere sub æternam DEI prædestinationem: & ratione eius vnionis, CHRISTVM verè dici prædestinatum esse. Hæc Doctor Angelicus; qui ea sumpsit, vt multa alia, à B. Augustino; cuius super ea re, de qua nunc agitur, hæc sunt verba: Ipsum Dominum gloriæ, in quantum homo factus est DEI Filius, prædestinatum esse didicimus. Clamat enim Doctor gentium in capite epistolarum suarum: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est Filius DEI, in virtute secundum SPIRITVM sanctificationis ex resurrectione mortuorum.* Prædestinatus est igitur IESVS, vt qui futurus erat secundum carnem filius Dauid, esset tamen in virtute Fi-

S. Thomas. Tertia Par. q. 24. a. 1.

Aug. de Prædestinatione sanctorum cap. 15.

lius DEI secundum SPIRITVM sanctificationis: quia natus est de SPIRITV sancto, & Virgine MARIA. Ipsa est illa ineffabiliter facta hominis à Diuino VERBO susceptio singularis, vt Filius DEI, & Filius hominis simul propriè ac veraciter diceretur: Filius hominis propter susceptum hominem; & FILIVS DEI propter suscipientem vnigenitum DEI; ne non Trinitas, sed Quaternitas crederetur. Prædestinata est in CHRISTO naturæ humanæ tanta, & tam excelsa subuectio, vt quo attolleretur altius, non haberet: sicut pro nobis ipsa Diuinitas, quò se humilius deponeret, non habuit. Sicut ergo prædestinatus est ille vnus, vt caput nostrum esset: ita multi prædestinati sumus, vt membra eius essemus. Sic ibi Augustinus. Idem luculentè ab eo traditur in Tractatu 15. in Euangelium Ioannis. Nam explanans verba illa capitis decimi septimi: *Clarifica me, tu PATER, apud temetipsum claritate quam habui priusquam mundus esset apud te,* hunc in modum scribit: Quasi verò quisquam Fidei regulam fideliter intuens, Filium DEI negaturus est prædestinatum esse, qui eum negare non potest, factum esse hominem. Recte quippe dicitur prædestinatus, non vt est VERBVM DEI, & DEVS apud DEVM, vt quid enim prædestinaretur, cum iam esset quod erat, sine initio, & sine termino sempiternus? Illud enim prædestinandum erat, quod nondum erat, vt sic suo tempore fieret, quēadmodum ante omnia tempora prædestinatum erat vt fieret. Quisquis igitur DEI FILIVM prædestinatum negat, hunc eundem filium hominis negat. Hæc libitum est ex B. Thoma, & ex Augustino afferre aduersus Origenem negantem, piè, ac verè dici posse, FILIVM DEI prædestinatum fuisse: cum Augustinus contra dicat, eiusdem esse impietatis, negare Filium DEI esse prædestinatum, atque hominem esse factum.

13. *Tertia expositio Augustini. S. Thomæ, & ferè Latinorū.*

Tertia Lectio, & interpretatio huius loci est, quam habet Latinus interpres: *Qui prædestinatus est FILIVS DEI,* quam habet Ambrosius in suis commentariis, & sequitur Augusti-

Augustinus vbicunque locum hunc citat, omnesque posteriores Augustino Doctores Latini, & Theologi scholastici. Secundum hanc lectionem, verborum Pauli, hic est sensus: FILIVS DEI, qui factus est ex semine Dauid verus homo, prędestinatus est, id est, diuinitus ab æterno decretus est fore Filius DEI, (In virtute) id est, habens immensam illam DEI potentiam secundum naturam diuinam, quam habet in se: quæ quidem natura diuina est Spiritus sanctificationis, id est, fons omnis sanctitatis. Quod autem ille homo fuerit talis, declaratum est, atque probatũ ex resurrectione ipsius à mortuis. Secundùm hanc itaq; expositionem, prædestinatio illa refertur non ad FILIVM DEI, vt in diuina natura subsistẽtem sed vt subsistentẽ in natura humana: ꝙ enim subsistens in illa natura humana, vt sic subsistẽs, foret FILIVS DEI, id nõ semper fuit, sed cœpit esse in tempore; & ideo prædestinatũ fuit à DEO. In illis verbis: *Ex resurrectione mortuorũ IESV CHRISTI Domini nostri.* videtur supplendum esse verbum aliquod, vti est, declaratum, siue manifestatum, vt videre est apud Ambrosium; ad hunc nempe sensum; Quod prædestinatus fuerit Filius DEI in virtute, secũdum Spiritum sanctificationis, eo perspicuè declaratum est, quod sua ipse potentia surrexit ex mortuis. Et quamuis Latinis auribus videatur improprius loquendi modus, non tamen Hebræis, vt suprà dictum est. Ambrosius putat, eo loquendi modo significari, ipsã CHRISTI resurrectionem caussam esse generalis futuræ mortuorum resurrectionis.

14. *S. Augustinus.*

At enim B. Augustinus in expositione inchoata huius epistolæ, hoc; *ex resurrectione mortuorum IESV CHRISTI*, refert id (*prædestinatus*) quia CHRISTVS prædestinatus est primogenitus mortuorum, & primitiæ dormientium. Sic enim scribit: Potest etiam istorum verborum is esse ordo, vt illud, *ex resurrectione mortuorum*, non adiungatur ad illud, *secundum Spiritum sanctificationis*, sed ad illud, *Qui prædestinatus est.* Vt sit rectus hic verborum ordo: Qui prædestinatus est ad resurrectionem mortuorum FILIVS DEI in virtute secũdum Spi-

ritum sanctificationis: & nimirũ iste ordo certior, & melior videtur. Et non dixit, cum prædestinatum à mortuis, sed ex resurrectione mortuorum: non enim in resurrectione sua Filius demonstrauit propriam illam, & eminentissimam dignitatem, qua est caput Ecclesiæ, cùm & ceteri mortui resurrecturi sint: sed FILIVS DEI prædestinatus est cum quodam principatu resurrectionis, vt præ ceteris, & ante ceteros exurgeret. Quod autem post illud *prædestinatus* adiungitur *Filius* DEI *in virtute*, &c. ad documentum valet tantæ sublimitatis: non enim sic prædestinari oportuit, nisi FILIVM DEI, secundum quod etiam est caput Ecclesiæ: vnde Paulus eum alibi vocat primogenitum ex mortuis. Dicitur autem *mortuorum* IESV CHRISTI, vt discerneret mortuos electos à mortuis improbis: nam licet vtriq; sint resurrecturi, CHRISTVS tamen non nisi resurrectionis suorum mortuorum est caput & exemplar. Quo circa non dixit: Qui prædestinatus est Filius DEI ex resurrectione mortuorum IESVS CHRISTVS Dominus noster, sed ex resurrectione mortuorum IESV CHRISTI Domini nostri, id est, ex resurrectione mortuorum suorum, & ad se pertinentium in vitam æternam: ergo ille prædestinatus est primogenitus ex mortuis, & ex resurrectione suorum mortuorum. Hæc Augustinus. Verùm ista expositio, videtur Pauli verba à recta, & germana eorum sententia detorquere; rectus enim, & planus contextus verborum Pauli, istam expositionem non admittit. Hæc igitur est Latinorum explanatio illorum verborum: *Qui prædestinatus est* FILIVS DEI, &c. Sic autem Paulus consultò videtur locutus esse, vt arceret à fidelium animis duo, quæ circa incarnationem FILII DEI falsa sunt, & impia. Primum, ne quis putaret in CHRISTO duas fuisse personas, vnam diuinam, & alteram humanam, & coniunctionem naturæ humanæ cum diuina, non fuisse naturalem, & substantialem, in vnam scilicet personam VERBI, sed accidentariam tantùm per excellentem quandam gratiæ, & charitatis vnionem. Hunc errorem, quæ postea fuit hæresis Nestorij, refellunt hæc Pauli verba, di-

Coloss. 1.

ɔa, dicentis, eundem, qui factus erat ex semine Dauid, fuisse ɔrædestinatum Filium DEI. Deinde, ne quis suspicaretur, FILIVM DEI cùm est factus homo, aliquid sui perdidisse, aut lesiisse Filium DEI esse; idcirco dixit, FILIVM DEI esse factum ex semine Dauid, & nihilominus tamen mansisse Filium DEI: non enim amisit quod erat, vt canit Ecclesia; sed ıssumpsit quod non erat.

15. *Quomodo explicāda sit difficultas quæ est in verbis Pauli secundum Latinam Trāslationē quatuor expositiones.*

Hæc porrò verba Pauli: *FILIVS DEI factus ex semine Dauid secundum carnem prædestinatus FILIVS DEI:* videntur in speciem non habere verum sensum: FILIVS enim DEI & ante ıcarnationem suam, & post incarnationē semper fuit idem ILIVS DEI: non potuit igitur prædestinari, vt esset FILIVS DEI. Vt hanc difficultatem explicarent Theologi, varias istoım verborū Pauli expositiones adinuenerunt, vt veritatem ntentię Pauli demonstrarēt. Ego ad præsens quatuor expositiones breuiter commemorabo: quarum duæ sunt B. Thoæ in Tertia Parte Quæstione 24. art. 1. Prima expositio est ec: Oportet, inquit, dicere, quod ipsa vnio naturæ diuinæ, personæ CHRISTI cadat sub æternam CHRISTI prædestitionem: & ratione huius CHRISTVS dicitur esse prædestiıtus FILIVS DEI. Altera eiusdem expositio in responsione l secundum argumentum, est huiusmodi. Prædestinatio tribuitur personæ CHRISTI, non secundum se, nec secunım quod subsistit in diuina natura, sed secundū quod subtit in humana natura. Vnde cùm dixisset Paulus: *Qui factus ex semine Dauid secundum carnem.* Subiunxit: *Qui prædestitus est FILIVS DEI in virtute*, vt daret intelligere, quod :undum hoc quod est factus ex semine Dauid secundum rnem, est prædestinatus FILIVS DEI in virtute. Quamuis im sit naturale illi personæ secundum se consideratæ, esse ium DEI, non tamen ei est naturale secundum humanam turam, secundum quam hoc sibi conuenit per gratiam vnis. Et paulò infrà in Responsione ad tertium argumenıı: Antecessio, inquit, quam importat illud participium, *destinatus*, non refertur ad personam CHRISTI secundum

Prima & secunda expositio S. Thomæ.

sci-

ſeipſam, ſed ratione humanæ naturæ, quia ſcilicet perſona illa, etſi ab æterno fuit Filivs Dei, hoc tamen non fuit ſemper quod ſubſiſtens in natura humana, fuerit Filivs Dei. Vnde Auguſtinus dicit in libro de Prædeſtinatione Sanctorum: Prædeſtinatus eſt Iesvs, vt qui futurus erat ſecundum carnem filius Dauid, eſſet tamen in virtute Filius Dei. Hactenus ex B. Thoma.

Cap. 15.

16. *Tertia expoſitio Caietani.*

Tertia expoſitio eſt, cui valde annuit Caietanus hoc loco, nec abnuit Auguſtinus in expoſitione inchoata huius epiſtolæ, & in priori horum verborum Pauli expoſitione. Secundum hanc expoſitionem illud, *Prædeſtinatus*, non refertur ad id quod proximè ſequitur, *Filivs Dei*, ſed ad id, quod poſtea ſequitur, *in virtute ſecundum Spiritum ſanctificationis, & reſurrectionem mortuorum.* Non enim eſt ſenſus, Filivm Dei factum hominem prædeſtinatum eſſe vt eſſet Filivs Dei, ſed vt exiſtens Filivs Dei, veniens in mundum ad redimendum genus humanum, veniret cum virtute, & ſecundum Spiritum ſanctificationis, & ad reſurrectionem mortuorum; id eſt, exerceret diuinam ſuam potentiam edendo plurima, & inſolita miracula, quibus ſe Devm oſtenderet, & homines ad veram Dei fidem & cultum adduceret: præterea dando Spiritvm ſanctificationis, remittendo peccata, & ſanctificando animas: nec ſolùm inuiſibiliter, ſed etiam viſibiliter, & manifeſtis ſignis, vt factum eſt in die Pentecoſtes, & aliàs ſæpenumero in primitiua Eccleſia. Ac demùm ex reſurrectione mortuorũ, per ſeipſum, & ſua virtute à mortuis reſurgendo, & alios ſuſcitando à mortuis vel per ſeipſum, vel per diſcipulos. Quin etiam confirmando fidem, & ſpem futuræ vniuerſalis reſurrectionis mortuorum, & beatiſſimi ſtatus electorum, in quo ſanctitas, & felicitas eorum omni ex parte perfecta erit. Non igitur poſt illud: *Prædeſtinatus eſt Filivs Dei*, inſiſtendum eſt, ſed continenter, iunctimque legendũ quod ſequitur. *In virtute ſecundum Spiritum ſanctificationis per reſurrectionem mortuorum Iesv Christi.* Huic expoſitioni apertius fauet græca lectio, quæ nõ habet illud relatiuum (qui) ſed

Act. 2.

sed latinè ad verbum reddita sic habet: *De FILIO suo facto ei ex semine Dauid secundum carnem, destinato FILIO DEI in virtute, secundum SPIRITVM sanctificationis, & ex resurrectione mortuorum.*

Quartam expositionem tradit noster Suarez in tertiam Partem super vigesima quarta Quæstione B. Thomæ, vir nostra ætate, in doctrina Theologiæ Scholasticæ, ob subtilitatem, simulque copiam, percelebris: ponam hîc eam propriis eius verbis traditam. Verus, inquit, & proprius sensus huius locutionis est: CHRISTVM, vt est hic homo, prædestinatum esse, vt sit FILIVS DEI naturalis. Huius prædestinationis obiectum, est hic homo, vt sic: in cuius proprio conceptu non includitur persona FILII DEI, sed solùm id, quod subsistit in hac humanitate. Nam (vt suprà super Quæstione tertia dictum est) de ratione huius hominis non est hoc suppositum, sed solum subsistens in hac humanitate, vt sic. Terminus autem huius prædestinationis, est esse FILII DEI: quia suppositum FILII DEI non includitur in prædicto obiecto, seu conceptu huius hominis. Præconcipitur igitur hic homo, vt sic, prius ratione, quàm concipiatur esse Filius DEI: & per diuinam prædestinationem ordinatur, vt sit ipsemet FILIVS DEI naturalis, quæ est suprema dignitas huius hominis, quam ex sua ratione & proprio conceptu non habet, sed ex gratia, & ordinatione diuina. Ab æterno enim decreuit DEVS vt subsistens in hac humanitate, esset ipse FILIVS DEI naturalis. Sic ille. Perpendat Lector an expositio hæc aptè respondeat, & congruat verbis Pauli; is enim ait, eundem FILIVM DEI factum ex semine Dauid secundum carnem, prædestinatum esse Filium DEI: illud enim relatiuum (*qui*) refert FILIVM DEI, de quo proximè dictum erat: *De FILIO suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem.* Idque apertius fit secundum Lectionem græcam, quæ sic ad verbum habet expressa Latinè: *De FILIO suo facto ei ex semine Dauid secundum carnem,*

17.
Quarta expositio Francisci Suarez, Societatis IESV.

destinato FILIO DEI, &c. Vbi vtrumq; participium & facto, & destinato, perspicuè referuntur ad FILIVM DEI. Videtur igitur Paulus, obiectum prædestinationis facere ipsum FILIVM DEI factum hominem: non autem hunc hominem, vel subsistens in hac humanitate conceptum animo prius ratione, quam sit FILIVS DEI. Verùm hæc nos, cùm extra nostrum sint institutum, Scholasticis Theologis subtilius pensitanda relinquamus.

18. *Vtra expositio sit probabilior Græcorum an Latinorum.*

Cæterùm si de me quispiam quæreret, vtram probabiliorem esse iudicemus expositionem, Græcorum ne, qui participium illud (ὁρισθέντος) interpretantur, declaratus, & iudicatus: an Latinorum, qui exponunt, illud *destinatus, seu prædestinatus*, equidem ita responderem: expositio Græcorum, expeditior est, nullisque implicata difficultatibus, & ad intelligendum, & explicandum apertior, & procliuior creditu, & satis inhærens sententiæ verborum Pauli, eiusque consilio, & proposito bene conueniens. Latinorum autem expositio, obscura est, & perplexa, difficilis ad intelligendum, nec primo aspectu fidem sibi conciliat; sed enim attentiori animo, exactioriique consideratione penitus inspecta, reperietur congruentior sacræ Scripturæ, magisque ex vsu loquendi eius. Mihi sanè perplacet quod sensit, & in hoc loco scripsit Adamus Sasbout, cuius in plerasque Pauli epistolas commentarij laudantur meritò ab omnibus. Docet hic, auctore Dionysio Areopagita, verbum προορίζειν, esse peculiare Theologiæ; quo nomine Dionysius significat sacram Scripturam: quare germana eius verbi secundum Scripturam significatio ex vsu loquendi scripturæ petenda est. Licet autem ὁρίζειν interdum significet declarare, & probare, & iudicare, in ea tamen significatione, nusquam reperitur in Scriptura: at verò prout significat destinare, decernere, definire, frequenter vsurpatur in sacris litteris. Exempli causa, Act. 2. *Hunc definito consilio, & præscientia* DEI *traditum interemistis.* Et cap. 17. *Definiens*

Adamus Sasbout.

statuta

ſtatuta tempora. Et cap. 10. *Ipſe conſtitutus eſt à DEO iudex viuorum & mortuorum.* In iſtis ſententiis eſt idem verbum, quo Paulus vtitur hoc loco. Sicut autem verbum ſimplex ὁρίζω, ita & compoſitum (*προορίζω*) in hac duntaxat ſignificatione inuenitur in Scriptura, vt Act. 4. *Facere quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri.* Et 1. ad Corinthios 12. *Loquimur ſapientiam DEI in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit ante ſæcula DEVS in gloriam noſtram.* Ad Romanos 8. *Quos præſciuit; hos & prædeſtinauit.* Ad Epheſ. 1. *Prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum DEI.* In ſupradictis igitur Scripturæ locis qui verbum iſtud vel ſimplex, vel compoſitum per verbum declarare, vel iudicare, vel probare, voluerit interpretari, planè intelliget, id nullo modo quadrare ſententiæ verborum Pauli.

QVARTA DISPVTATIO.

De laudibus fidei, ac pietatis veterum Romanorum Christianorum.

SVPER ILLIS VERBIS:

Versu 8.

Gratias ago DEO meo per IESVM CHRISTVM pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo.

19. Chrysostomus.

CHRYSOSTOMVS ponderans illud verbum *(annuntiatur.)* Non (inquit) Paulus, dixit, manifestatur vel innotescit, sed (*annuntiatur*) quod est dicere, in omnium ore ac prædicatione versatur. Paulus certè fidem illam Romanorum indicat fuisse eximiam & admirabilem, ideoque celebratam vbique terrarum. Romani enim primò fidem acceperunt magna facilitate, magnoque ardore animi, quam magna fiducia & libertate profitebantur, peregregiis virtutum operibus exornatam. Sed cùm vix ante tredecim annos Romani essent ad CHRISTVM conuersi, quàm Paulus scripsit ad eos hanc epistolam, incredibile videtur, famam fidei Romanorum, omnes terrarum orbis regiones tam breui tempore peruadere potuisse. Putat itaque Origenes, id esse dictum per hyperbolem, non inusitatam in Scriptura etiam noui Testamenti. Tali enim figura vsus est Lucas in capite secundo, historiæ Euangelicæ, scribens, exisse edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur

Quomodo intelligẽdum sit, famã fidei Romanorum annuntiatam fuisse in vniuerso mundo.

Origenes.

tur

tur vniuersus orbis. Et in Actis Apostolorum capite secundo ait, in die Pentecostes fuisse Hierosolymis homines ex omni natione, quæ sub cœlo est. Nec sanè talis locutio mendacium continet: est enim figuratus sermo, per quem obtinuit consuetudo & vsus loquentium, vt non intelligatur tantum, quantum verba sonant, sed intelligatur magnus quidam excessus, & exuperantia. Addit Origenes duas alias interpretationes: primum enim per vniuersum mundum intelligi posse, tam homines in terris habitantes, quam ANGELOS in cœlis: nam si ANGELI, vt Dominus dixit, gaudent conuersione vnius peccatoris: quanto magis gauisos esse credendum est tanta Romanorum ad fidem CHRISTI conuersione? siquidem & Paulus dixit: *Spectaculum facti sumus mundo, & ANGELIS, & hominibus.* Deinde ait posse sic intelligi, fidem, quam Romani habebant, eandem esse illam, quæ prædicabatur ab Apostolis per totum mundum. Verùm istæ Origenis duæ interpretationes, præterquam quod à verborum Pauli sententia longè sunt remotę, etiam non declarant propriam quandam laudem fidei Romanorum, quod vult tamen Paulus ostendere: nam quod Romani haberent talem fidem, qualis prædicabatur in vniuerso mundo, id profecto communiter in omnes Ecclesias Catholicas dici potuit.

Luc. 15.

1. ad Corinth. 4.

20\.

Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, & dictus vulgo Hieronymus in hoc loco, sine hyperbolica locutione dictum esse à Paulo id interpretantur. quomodo autem potuerit tam breui tempore fides Romanorum vniuerso mundo innotescere, ita declarat Theodoretus; Non hoc Romanis dixit Paulus, eis blandiens, sed verè dicens: Neque enim fieri poterat, vt quæ Romæ eueniebant, ea illos, qui in toto erant terrarum orbe, laterent. In illa enim vrbe, olim Romanorum Imperatores regiam suam habebant: illinc emittebantur, & qui gentibus præessent, & quià ciuitatibus vectigalia exigerent. In illam quoque vr-

Theodoretus.

bem concurrebant omnes; qui regalia profitebantur beneficia: & per hos omnes vbique significabatur, quod ciuitas Romanorum CHRISTI doctrinam acceperat; id autem iis qui audiebant, maximam vtilitatem afferebat: quamobrem diuinus Paulus Dominum laudabat. Non fuisse Hieronymũ scriptorem Commentariorum in epistolam ad Romanos, qui nunc extant, multifariam in hisce Disputationibus ostendemus. Nunc autem, ac deinceps in processu operis, ne semper vtar Periphrasi, ac circumlocutione, vulgi more appellabo Hieronymum, cuius & in hoc loco, & in eam ipsam sententiam hæc sunt verba: Ostendit quo modo Romanorum fides omnibus Ecclesiis cognita sit, vel certè quod eadem fides, quã Romani tenent, in vniuerso mundo ab Apostolis prædicetur. Item prudenter laudat Romanos, vt prouocet eos ad profectũ; vel quia omni mũdo mirũ fuit Romanos credidisse, qui Idolorum nimia fuerant cultura possessi: ita vt diis omnium gentium, quas vincerent, deseruirent. Verum & simpliciter, & absolute Romanorum fidem laudasse Apostolum credendum est, cuius fidei etiam nunc deuotio demonstratur. Sic ille. Mihi non displicet expositio Catharini, obseruantis, Paulum non dixisse, fidem Romanorum annunciatam esse in vniuerso mundo, sed annuntiari: fama namque eius fidei multas iam terrarum orbis partes peruagata, in dies magis per crebescebat, & latius in ceteras mundi partes spargebatur: sicut præco, qui edictum Principis incipit in vrbe promulgare, dicitur illud promulgare toti vrbi.

Hieronymus.

Catharinus.

21. *Octo eximiæ laudes veterũ Romanorum Christianorũ.*

Ceterum iuuat plura de insigni fide ac pietate Christiana veterum Romanorum, partim ex sacris litteris, partim ex antiquis Doctoribus, & Patribus huc afferre. Principiò, si vt Poeta quispiam dixit, vera, & magna laus est, laudari à viro laudato: quantam censebimus Romanorum esse laudem, quos Paulus laudauit, ac non quidem semel, sed sæpius: nec ab vna modò virtute, sed à pluribus, iisque præclaris? Primum hoc loco laudauit eorum fidem ob insignem eius deuotionem atque constantiam vbique terrarum celebrem, dicens:

ens: *Fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo.* Deinde, à caitate, & à scientia: nam infrà capite decimo quinto: *Certus* inquit) *sum fratres mei, & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi plenistis dilectione, repleti omni scientia, ita vt poßitis alterutrum moere.* Adhæc à sana & sincera doctrina, quam ab initio acceerant: Quocirca dixit eis in capite decimo sexto: *Rogo vos ratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula faciunt, praer doctrinam, quam vos didicistis.* Ac demum à perfecta eoum obedientia, quæ omnibus in locis nota, & laudata erat. odem enim in loco ita scribit: *Vestra obedientia in omnem loum diuulgata est: gaudeo igitur in vobis.* SECVNDA laus Romanorum ducitur ex singulari eximioq; affectu dilectionis, uam Paulus habuit erga Romanos, & in hoc ipso capite vaè declarauit. Primum dicit se gratias agere DEO pro ipsis mnibus. Deinde ait se memoriam eorum sine intermisone in orationibus suis facere. Præterea, quod iam pridem agraret desiderio videndi eos, & cum eis communicandi iritualia fruendique ipsis. Postremò quod sæpe cupiuisset statuisset proficisci Romam, vt eos viseret; verum propter ias graues occupationes id se, ante id temporis, facere non otuisse.

22\. TERTIA laus est, eaque admirabilis, quòd cum essent ulta in Romanis, quæ viderentur obstare debuisse, ne illi dē CHRISTI facile acciperent: ea tamē omnia Romani mama facilitate, & incredibili robore animi superarunt. Au- *Chrysostomus.* Lector Chrysostomum hoc loco. Romani, inquit, principtum orbis terræ adepti, fastu multo turgebant, in diuitiis, deliciis vitam agentes. Euangelium CHRISTI tunc præcabant quidam piscatores Iudæi: quam gentē tum omnes, m maxime Romani oderant & abominabantur. Et illi quim Prædicatores crucifixū quendam hominem, tanquam eum adorare docebant videlicet: duramque insuper vitam endam, recipientibus disciplinam suam præscribebant. Ent porrò illi prædicatores, & pauperes, & ignobiles, & ilcrati, atque indiserti, & omnibus inuisi, exosique. Ad extremum,

tremum, credentibus in CHRISTVM, præter ignominiosæ sectæ professionem, & asperæ vitæ commutationem, timenda erat, immo pro certo habenda & honorum & diuitiarum, & ipsius vitæ priuatio, nihil tamen istorũ, pectus Romanorum infringere, nec à CHRISTI fide suscipienda, & profitenda absterrere potuit. QVARTA laus, ex Eusebio in capite decimo quarto libri secundi de Historia Ecclesiastica: Tanta, inquit, pietatis lux in Romanorum mentibus, qui Petrum audiebant, affulsit, vt non eius tantum sermonibus audiendis, nõ doctrina diuinæ prædicationis percipienda contenti essent: sed à Marco Petri comite, ac discipulo diu multumque flagitarent, vt monumentum eius doctrinæ, quam ipsis Petrus prædicatione, sermoneque tradidisset, scriptis, futuram ita stabilem, mandaret. Nec prius hominem dimiserunt, quàm eorum postulatis obsecutus, Euangelium conscripsisset: quod Petrus diuina SPIRITVS sancti reuelatione editum intelligens, auctoritate sua probatum, Ecclesiæ legendum dedit.

Eusebius.

23. QVINTA laus, & cum primis habenda, Romanos à principibus Apostolorum Petro, & Paulo fidem CHRISTI & veram, sanamque doctrinam Christianam accepisse. Hoc mirè magnificans Tertullianus in libro de Præscriptione Hæreticorum: Felix, inquit, Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt: vbi Petrus passioni Dominicæ adæquatur: vbi Paulus Ioannis exitu coronatur: vbi Apostolus Ioannes, posteaquã in oleum igneum demersus nihil passus est, in Insulam relegatur. Ego (ait Chrysostomus in homilia vltima epistolæ ad Romanos) ob id maxime ROMAM prædico beatam, quod Petrus, & Paulus adeo eam amauerunt, & fidem CHRISTI docuerunt, ac denique vitam apud eos consummauerunt.

Tertullianus.

Chrysostomus.

SEXTA laus est, eaque maxima Romanæ Ecclesiæ, quod fidem, quam semel ab Apostolis perceperat, semper vsque adhuc inuiolatam atque incontaminatam conseruauit: nulla enim ab illo tempore ad vsque præsentem diem hæreticæ

prauitatis

prauitatis labe Romanam Ecclesiam infectam, & fœdatam esse nouimus. Quocirca & Irenęus, & Tertullianus, & Optatus Mileuitanus, aliique, cum in hæreticos pugnant, hoc sæpe argumento probant, doctrinam eorum falsam esse, quòd sit contraria ei doctrinæ ac fidei, quam Romana Ecclesia à principibus Apostolorum Petro, & Paulo acceptam semper integram & immaculatam custodiuit. SEPTIMA laus petitur ex Hieronymo; à quo in Præfatione secundi libri commentariorum in epistolam ad Galatas, Romanæ plebis recta fides, & sincera pietas laudatur his verbis: Vbinam alibi tanto studio, & frequentia ad Ecclesias, & ad Martyrum sepulcra concurritur? vbi sic ad similitudinem cœlestis tonitrui AMEN reboat, & vacua idolorum templa quatiuntur? non quòd aliam Romani habeant fidem, quàm omnes CHRISTI Eccesiæ: sed quod deuotio in eis maior sit & simplicitas ad credendum. Idemque secundum librum suum aduersus Iouinianum hac ad Romanam vrbem Apostrophe finiuit: Sed & ad te loquar, quæ scriptam in fronte blasphemiam, CHRISTI confessione delesti: vrbs potens, vrbs terrarum domina, vrbs Apostoli voce laudata. Interpretare vocabulum tuum. ROMA enim aut fortitudinis nomen est apud Græcos, aut sublimitatis iuxta Hebræos. Virtus te excelsam faciet, non voluptas humilem. His addemus satis luculentum Theodoreti præconium: qui post multa de laudibus ROMÆ, quæ non attinet hîc referre, talia quædam de fide Romanorum tradit in epistola, quam scripsit ad Papam Leonem, cognomento Magnum: Præcipue, inquit, insigniter istam vrbem exornat fides, cui dignus fide Apostolus hoc perhibuit testimonium: *Fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo.* Si autem à principio Apostolicæ prædicationis, susceptis diuini verbi seminibus, tam miros fructus ROMA tulit: ad eam quæ nunc in ea vrbe versatur pietatem, meritis laudibus celebrandam, quænam suffecerit oratio?

S. Hieronymus.

Apoc. 17.

QVINTA DISPVTATIO.

An B. Petrus omnium primus Romanis CHRISTI fidem prædicauerit; & quo tempore Romam primum venerit.

24.

Petrus omniũ primus prædicauit Romæ Euangelium. Actor. 12.

SI quis ex me quæreret eius fidei Romanorũ, quam tantopere laudauit Apostolus, quisnã fuerit primus, & præcipuus Romæ prædicator, & Doctor, sine dubitatione responderem fuisse B. Petrum. Is enim per Angelum eductus ex carcere, in quem detrusus fuerat ab Herode rege, vt paulo post occideretur, Romam se contulit: tum vt longius abscedens, Herodis manus, & insectationem atque odium Iudæorum facilius euaderet: tum vt profligaret Simonem Magum, qui suis magicis præstigiis adeo Romanorum animos fascinauerat, atque in sui admirationem rapuerat, vt diuinos ei honores adhiberent. His accessit, quod diuino vel admonitu, vel instinctu, Romam venit, vt ibi sedem, & Cathedram suam locaret, immobilem in posterum mansuram. Verum quæ nunc strictim à me dicta sunt, explicatius traduntur ab Eusebio in libro secundo historiæ Ecclesiasticæ capite decimotertio, & decimo quarto. Nam cum dixisset de magicis artibus, & fallaciis, per quas admirabilem se Romanis, & quasi numen quoddam venerabilem Simon Magus fecerat, subdit hæc de B. Petro: Ceterùm ista non ad longinquum temporis spatium ex sententia Simoni processerunt: nam è vestigio sub ipso Claudij Imperio benigna & propitia DEI, totius huius vniuersitatis rectoris, erga humanum genus prouidentia, fortem ac præpotentem, & reliquorum omnium Apostolorum, propter virtutis amplitudinem, facile principem, Petrum Romam versus, ad huiusmodi pestiferam humanæ vitæ corruptelam, delendam, quasi manu deduxit. Qui quidem, vtpote generosus, & strenuus DEI Dux, diuinis armis obtectus & mu-

Eusebius.

& munitus, eximiam & pretiosam quasi mercaturam veri luminis sola mente comprehensi, ab oriente ad occasum vsq; deportauit, ipsius regni cœlorum prædicationem, cœlestem scilicet lucem, & salutarem animorum doctrinam palam diuulgauit. Sic ergo cum diuinus sermo ad Romanos peruasisset, vesana Simonis potentia extincta: est, & homo ipse confestim profligatus. Tanta porrò pietatis lux eorum mentibus, qui Petrum audiebant, affulsit, vt non tantum sermonibus eius audiendis, vel doctrinæ prædicatione contenti essent, sed vt ea perpetuò manerent, flagitauerint à Marco Petri comite, & discipulo, vt ea, quæ à Petro audierant, & didicerant, monumentis consignata, ipsis relinqueret. Sic ibi Eusebius. Et vigesimoquarto capite eiusdē libri laudat Dionysium Corinthiorum episcopum, illis temporibus in Ecclesia celebratissimum: qui in sua quadam epistola, quam scripsit ad Romanos, ait B. Petrum eos primum in Ecclesiam CHRISTI inseruisse. Chrysostomus quoque exponens verba illa Pauli de fide Romanorum: *Quia fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo*, satis indicat, Romanos fidem CHRISTI à B. Petro esse doctos: Petrus, inquit, Romæ prædicauerat: sed illius facta, sua esse dicit Paulus, vsque adeo inuidia omni supra modum vacabat. Et Hieronymus super illis verbis huius capitis: *Vt aliquid impertiar gratiæ vobis spiritualis*. Romanos, inquit, Petri prædicatione fidem tenentes, confirmare se velle Paulus dicit: nō quo minus accepissent à Petro; sed vt duobus Apostolis testibus, atque doctoribus eorum fides magis roboraretur.

Chrysostomus.

Non sum nescius, in primo libro Recognitionum Clementis proditum esse, multo ante Petrum, Barnabam venisse Romam, atque inibi prædicasse Euangelium, & multos conuertisse ad fidem CHRISTI, atque in iis Clementem Romanum, qui postea fuit summus Pontifex; & regressum in Iudæam inuenisse Petrum Cæsareæ; idemq; affirmat Dorotheus, & apud Metaphrastem Alexander monachus in Homilia de laudibus Barnabæ: qui ait, cum in Ecclesia Antiochena, iussu SPIRITVS sancti, Paulus, & Barnabas segregati

25.

Actor. 13.

gregati ſunt ad prædicandum Euangelium, tunc Barnabam peragratis multis regionibus veniſſe Romam. Sed iſta ſegregatio Pauli, & Barnabæ, aliquot annis facta eſt poſt aduentum Petri ad vrbem Romam. Facta enim eſt poſt mortem regis Herodis, vt indicat contextus, & ſeries hiſtoriæ Apoſtolicæ, quam ſcribit Lucas: mors verò Herodis competit in quartum annum Claudij: cum ſecundo eius anno Petrus Romam venerit, vt mox oſtendemus. Verum enimuerò traditio iſta de aduentu Barnabæ Romam ante B. Petrum, friuola eſt ac futilis, & contemni magis, quam refutari digna, cum plane diſcrepet iis, quæ Lucas in Actis Apoſtolorum ſcribit de Barnaba. Si quis verò eius opinionis confutationem requirat, quærat eam apud Dominum Baronium, qui commentum iſtud idoneis, & validis rationibus confutat.

Baron. Tomo 1. in Anno Domini 51.

26. *Quoto anno Claudij Petrus Romam primũ venerit.* *Euſebius.*

Sed quoto principatus Claudij anno, Petrus Romam venit? Euſebius, & S. Hieronymus (quos ego libenter ſequor) tradunt, veniſſe Petrum Romam ſecundo Claudij anno, nimirum iam exeunte: nam aduentus Petri ad vrbem, & initium Cathedræ eius Romanæ, fuit in decimo octauo die Ianuarij (eo quippe die celebratur in Eccleſia) anni verò Principatus Claudij incipiebant circa vigeſimum quartum diem Ianuarij. Euſebij verba in Chronico hæc ſunt: Anno ſecundo Claudij Petrus, cum prius Antiochenam fundaſſet Eccleſiam, Romam proficiſcitur: vbi Euangeliũ prædicans, viginti quinq; annis eiuſdem vrbis Epiſcopus perſeuerat. Similia ſcribit Hieronymus in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum, vbi de Petro agit: Petrus, inquit, poſt Epiſcopatum Antiochenſis Eccleſiæ, & prædicationem diſperſionis eorum, qui de circumciſione crediderant, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia & Bithynia; ſecundo Claudij anno ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique viginti quinque annis cathedram ſacerdotalem tenuit vſque ad vltimum Neronis annum. Sed iſtos viginti quinque annos Cathedræ Romanæ Petri, quos Euſebius

S. Hieronymus.

& Hie-

& Hieronymus memorant, nos arbitramur non fuisse plenos vigintiquinque, sed fuisse vigintiquatuor, superq; quinque menses, & dies circiter vndecim. Passus est enim B. Petrus (vt suprà ostendimus) decimo tertio Neronis anno, & vigesimo nono Iunij. A fine autem secundi anni Claudij, id est, septem circiter diebus ante, quo tempore Petrus venit Romam, vsque ad vigesimum nonum diem Iunij, decimi tertij anni Neronis, non plures quàm diximus, anni præterierunt.

27. *Bedæ opinio refellitur.*

At enim Beda exponens decimum quintum caput Actorum Apostolicorum ait, Petrum venisse Romam quarto anno Claudij, & ibi rexisse Ecclesiam Romanam viginti quinque annis, & martyrium obiisse trigesimo octauo anno post Domini passionem. Sed hæc non congruunt cum historia Ecclesiastica, neque cum iis, quæ alibi scripsit Beda. Constat enim passum esse B. Petrum sub Nerone: at si passus esset trigesimo octauo anno post passionem Domini, mortuus esset vno anno post cædem Neronis. Ab anno enim decimo octauo Tiberij, quo anno Dominus noster mortuus est, vsq; ad vltimum annum Neronis, non numerantur nisi triginta septem anni, atque hi minimè pleni. Quod si Beda referre velit passionem B. Petri ad trigesimum septimum annum post DOMINI passionem; tunc ei haud quaquam constabit ratio illorum viginti quinque annorum, quibus ait Petrum tenuisse Romanam sedem: nam à quarto anno Claudij, quo dicit Petrum, venisse Romam: qui concurrit cum decimo tertio anno à passione Domini, vsque ad vltimum annum Neronis, siue post trigesimum septimum annum post Domini passionem, computantur anni pleni, & integri tantum viginti tres. Atque hæc nostra ratio magis aduersatur opinioni B. Thomæ, qui in caput secundum epistolæ ad Galatas scriptum reliquit, B. Petrum esse passum quadragesimo anno post passionē Domini. Hinc enim sequeretur, B. Petrū esse passum, non sub Nerone, sed sub Vespasiano Imperatore, quod est contra omnes: & B. Petrum sedem Romanam te-

S. Thomas.

nuisse, non viginti quinque annis, vt ipse ait, sed viginti septem.

28. *Onuphrij sententia refutatur.* Onuphrius Panuinus in suo Chronico aduentum Petri ad vrbem Romam, signat in anno tertio Principatus Claudij, scilicet iam desinente: & ait sedisse eum in Pontificatu Romano annos viginti quatuor, menses tres, & dies duodecim, Petrum verò obiisse in decimo tertio anno Neronis, vigesimo nono die Iunij, cùm Nero tertio Idus Octobris principatum iniuisset. Sed enim, hæc inter se consonare, atque cohærere non videntur. Primum enim, à fine tertij anni Claudij vsque ad nonum mensem decimi tertij anni Neronis, quo tempore dicit Petrum præfuisse Romanæ Ecclesiæ, non præterierunt viginti quinque anni, vt ipse ait, sed tantùm viginti tres, & præterea quinque menses. Deinde si initium Romanæ Cathedræ Petri fuit in decimo octauo die Ianuarij, quod etiam ipse tradit, & obitus Petri fuit in vigesimo nono Iunij: fieri non potuit, vt sedem Romanam tenuerit Petrus, sicut ipse ait, viginti quatuor annis, & tribus mensibus, sic enim obiisset in mense Aprili: tertius quippe mensis à decimo octauo die Ianuarij, quo incipiunt anni Cathedræ Romanæ, concurrit cum mense Aprili. Si autem Petrus obiit vigesimo nono Iunij, quod ab ipso quoque traditur, necesse est, illius anni præteriisse quinque menses, prætérque dies vndecim; tantum enim est à decimo octauo die Ianuarij, vsque ad vigesimum nonum Iunij. Sed finis sit huius disputationis.

SEX-

SEXTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Non enim erubesco Euangelium. Virtus enim DEI est, in salutem omni credenti, Iudæo primùm, & Græco.

Versu 16.

REDDIT Paulus his verbis rationem eius quod proximè antè dixerat, se paratum, & promptum esse Romanis prædicare Euangelium, sicut etiam aliis quibuslibet gentibus. Licet, inquit, videatur mundo Euangelium esse erubescēdum & aspernandum, quòd in eo prædicatur CHRISTVS crucifixus, Iudæis scandalum, Gentibus autem stultitia: ego tamen non erubesco Euangelium, sciens hoc stultum DEI, sapientius esse omnibus hominibus: & hoc infirmum DEI, fortius esse cunctis hominibus. Placuit enim DEO per stultitiam prædicationis, saluos facere credentes. Subdit itaque causam. cur non erubescat Euangelium, dicens: *Virtus enim DEI est, in salutem omni credenti.* Annotauit hoc loco S. Thomas, baptizatos liniri solere in fronte, vbi est sedes verecundiæ, sancto Chrismate cum signo Crucis: nimirum, ne Euangelium & fidem CHRISTI confiteri erubescant. Dixit enim Dominus Lucæ cap. 9. *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in maiestate sua, & PATRIS, & sanctorum ANGELORVM.* Quærit Chrysostomus, cur Paulus dixerit, se non erubescere Euangelium, ac non potius, se gloriari de Euangelio: sicut alibi dixit: *Mihi absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri IESV CHRISTI.* Crux enim, & mors CHRISTI, præcipua est materia Euangelij. Nam non erubescere, dici-

22. *S. Thomas* *Chrysostomus.* *Ad Galat. 6.*

dicitur de rebus paruis, aut mediocribus, non autem de summè insignibus, & honorificis, atque gloriosis. Audiat Lector solutionem Quæstionis à Chrysostomo expositam, his verbis: Romani vehementer admirabantur & expetebant res mundi huius prosperas; diuitiarum abundantia, potentiæ magnitudine, dominationis amplitudine, honorũ splendore, victoriarum gloria, summum bonum, & felicitatem determinabant. Quin etiam Imperatores suos, & Deos nominabant, & vt Deos habebant, & aris, & templis, & sacrificiis dignabantur. Cùm igitur illi maiorem in modum istiusmodi rebus turgerent, Paulusque prædicaret IESVM filium fabri habitum, & pauperem, & humilem, & tanquam maleficum à sua gente damnatum, & inter latrones crucifixum: verisimile erat fore, vt Romani ad IESV nomen pudore suffunderentur, vt qui nihil dum rerum arcanarum, nec mysteria fidei Christianæ perspecta haberent: propterea Paulus dixit: *Non erubesco Euangelium*, illos similiter interea erudiens, ne Euangelium audire, & creditum percipere, & profiteri erubescerent. Sciebat enim, si id essent illi assecuti, statim processuros vlterius, & vsque eo peruenturos, vt de ipso Euangelio etiam gloriarentur. Ad eundem modum si & tu quoque audieris quempiam dicentem tibi, hominem crucifixum adoras? ne te pudeat, neùe ad terram oculos deiicias, sed sublatis oculis, & erecta facie liberè confitere, & gloriare, & dic vicissim illi: Ego quidem adoro DEVM, pro salute mundi crucifixum: sed non adoro DEVM adulterum, nec parricidam, nec propriorum liberorum interfectorẽ, quales erant apud Gentes Principes Deorum. Adoro eum, qui per Crucem Dæmonum euertit Imperium, eiusque infinitas incantationes, & imposturas per omnem mundum ab eo disseminatas, funditus sustulit, qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Hæc Chrysostomus.

Matth. 13.

Apoc 1.

30. Verùm Paulus dicens se nõ erubescere Euangelium, quid vocabulo Euãgelij significare, & à nobis intelligi voluit? Apud

pud externos ſcriptores nomen Euangelij triplicem habet ſignificationem. Interdum ſignificat ſacrificium Diis fieri ſolitum, & ſupplicationem pro læto, & optato nuntio haberi ſolitam: ad quam ſententiam ſpectat illud Ciceronis ad Atticum: O ſuaues epiſtolas, quibus Euangelium deberi fateor. Sæpè etiam ſignificat ipſam rei lætæ renuntiationem, & præconium: ſecundum quam ſignificationem ſacri & eccleſiaſtici ſcriptores crebrò vſi ſunt hoc vocabulo, Euangelium, & verbo euangelizo: ſeptuaginta certè interpretes omnem eiuſmodi lætam, & fauſtam annunciationem, & prædicationem vocabulo Euangelij, & verbo euangelizo ferè declarant: apud Prophetas quoque, præcipuè verò Dauidem compluribus locis, in quibus Latinus interpres vertit annuntiare, vel prædicare, græcè eſt verbum euangelizo. Itaq; noui Teſtamenti ſcriptores vocē Euangelij pro publica gratiæ, ac redemptionis per CHRISTVM partæ annunciatione prædicationeque vſurparunt. Nec verò ſolum DEI promiſſa eo nomine appellãtur, ſed etiam quæcunq; in ſcriptura quatuor Euangeliſtarum cõtinentur, ſiue ſint promiſſa, ſiue præcepta, ſiue conſilia, ſiue exhortationes, ſiue comminationes.

Quid vocabulũ Euangelij ſignificet.

Cicero.

Iam verò Euangelium, ſiue nouum Teſtamentum, à veteri Lege, & Teſtamento non differt re ipſa, nec, vt dici ſolet, ſecundum ſubſtantiam, ſed triplici accidentali differentia: primò ſecundum magis & minus perfectum; tum quia quæ illic tectè & opertè tradebantur, hîc apertè, & explicatè docentur; ac demum ſecundum differentiam temporis futuri, & præteriti ſiue præſentis: nam quæ in veteri Teſtamento ſutura promittebantur, & prædicabantur, & præfigurabantur, eadem ipſa in Euãgelio demonſtrãtur exhibita & completa, ſicut docet B. Martyr Ignatius in epiſtola quã ſcripſit ad Philadelphienſes: Quid, inquit, ſupra Legem, & Prophetas præcipuum habet Euangelium? præſentiã nempe aduẽtus SALVATORIS noſtri IESV CHRISTI, & paſſionem & reſurrectionem eius iam factam. Quæ enim Prophetæ futura annuntiarunt, dicentes: *Donec veniat, cui repoſitum eſt, & ipſe erit expectatio Gentiũ*: Hæc ipſa in Euangelio completa ſunt, dicente

S. Ignatius Martyr.

Geneſ. 49. Matth. vlt.

Domino: *Ite in vniuersum mundum, & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine PATRIS, & FILII, & SPIRITVS sancti.*

31. *Origenes.*

Sequitur illud: *Virtus DEI est, in salutem omni credenti.* His verbis secundum Origenem, traditur à Paulo definitio Euangelij: quærenti enim quid sit Euangelium, aptissimè respondetur, esse virtutem DEI in salutem omni credenti. Dicitur virtus DEI in salutem (inquit Origenes) quia etiam est virtus DEI ad perditionem, & ad exitium, qualis fuit in Ægyptios, & Assyrios. Ideo Dauid dixit: *Disperde illos in virtute tua.* Videndum itaque est, an propter istas virtutũ DEI differentias, dextra & sinistra in DEO appelletur: vt virtus DEI in salutem, sit dextera eius; virtus autem, quæ disperdit, sinistra dicatur. Et quia CHRISTVS vocatur virtus DEI, & Euangelium similiter dicitur virtus DEI, fortasse ipse CHRISTVS nomine Euangelij intelligendus est: ipse enim est Euangelium illud æternum, quod Ioannes in Apocalypsi vidit prædicari. Sic ferè Origenes. Nec omittenda est horum verborũ expositio, quam tradit Theodoretus: Non, inquit, Paulus respiciebat, quæ esse videbatur in Euangelio ignominia, sed quod ex eo ad omnes homines promanabat beneficium: qui enim ei crediderunt, ex eo salutem æternam perceperunt. Sic profectò videre licet multa in rebus sensibilibus habere virtutẽ suam, & operationem occultam, nec extrinsecus apparentẽ: etenim piper extrinsecus quidem frigidum esse videtur, & iis, qui nesciunt, nihil caloris præsefert: at qui dentibus ipsum comminuit, igni non dissimilis caloris sensum in se suscipit: & ideo medici hoc, calidum in potentia nominant, vt ꝙ non videatur quidẽ tale, sed tale tamẽ citò possit reddi. Similiter & frumentum possit esse & radix, & culmus, & spica, non tamen videtur esse tale, priusquam in terræ sulcis fuerit seminatum. Iure igitur diuinus Apostolus Euangelicam prædicationem, DEI salutarem potentiam appellauit; vt quæ solis credentibus potentiam DEI aperiat, & salutem largiatur. Sic Theodoretus.

Psal 58. & 35.

Apoc. 14.

Theodoretus.

32.

Sed quo modo Euangelium est virtus DEI? Hoc loco nomen virtutis significat potentiã: nam græcè est *δύναμις*, atque hanc

hanc etiam significationẽ apud Latinos scriptores elegantes, nomen virtutis sæpenumero habet. In diuina autẽ scriptura nomen hoc virtutis complures habet, & varias significationes, ex eadem tamen prima origine deriuatas. Primò significat potentiam & fortitudinem: in Psalmis quippe frequenter dicitur DEVS esse virtus nostra, & Simon Magus à suis sectatoribus, dicebatur virtus DEI magna: Interdum quoque significat fiduciã, & constantiam, & libertatem agendi quippiam, aut dicendi; qua significatione vsus est Lucas, scribens: *Virtute magna reddidisse Apostolos testimoniũ resurrectionis IESV CHRISTI.* Deinde nominantur virtutes cœlorum; id autem est, vel cœlestes ANGELORVM exercitus, vel propriè secundus ordo secundæ Hierarchiæ ANGELORVM, nomine virtutum insignitus; vel ipsa astra, & vires cœlorum, per quas cœli agunt in res sublunares; vel ANGELI motores cœlorum. Ad hæc Principes & Duces populorũ, & exercituum appellantur virtutes eorum, quia sua potestate, & auctoritate regunt eos, & ad agendum compellunt; qua significatione in libro Iudith cap. 14. Holofernes virtus Assyriorum nominatur. Quoniã verò virtus & potentia maximè declarantur faciendo miracula, idcirco & qui miracula faciunt, appellãtur virtutes, sic enim Paulus appellat in cap. 12. prioris epist. ad Cor. & ipsa miracula in Euangelio sępè nominãtur virtutes.

Virtutis nomen multiformiter in scriptura appellari.

Act. 8.

Act. 4.

33. Dupliciter porrò intelligi potest Euangeliũ esse virtus Dei: vel quia in Euangelio manifestatur DEI virtus, secundũ illud Dauidis dictũ: *Virtutem operum suorum annuntiauit populo suo*; Vel quia Euangelium ipsum in se continet DEI virtutẽ: nam quod dixit Dauid in Psalmo 67. Dabit voci suæ, vocem virtutis, & quæ eo loci magnificè prædicat de voce DEI, perbellè quadrant in Euangeliũ CHRISTI: est autẽ Euangelij effectus, vera salus animorũ, sicut docet Iacobus in cap. 1. suæ epist. *In mansuetudine* (inquit) *sucipite insitum verbũ, quod potest saluare animas vestras.* Trifariam verò Euangeliũ saluat hominem; Primùm, ducendo hominẽ ad remissionẽ peccatorũ, quemadmodum Dominus apud Ioannẽ dixit: *Iam mundi estis, propter sermonem quem locutus sum vobis.* Deinde conferendo ad

Quomodo Euangeliũ sit virtus Dei, & in salutem.

Psalm. 100.

Ioan. 14.

Infra 17. gratiam sanctificationis. Sicut Dominus dixit: *Sanctifica eos* PATER *in veritate; sermo tuus, veritas est.* Ac demùm perducendo ad vitam æternam, vnde Petrus dixit Domino: *Verba* *Ioan. 6.* *vitæ æternæ habes.* Confert aũt salutem Euangelium, per fidẽ ab audiente receptum, sicut scriptum est: *Prædicate Euangeliũ* *Marci Vltimo.* *omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Deinde per confessionem fidei, sicut Paulus ait: *Corde creditur ad* *Ad Rom. 10.* *iustitiam; ore autem confessio fit ad salutem.* Est itaq; hoc loco nomine salutis intelligenda, & ea, quæ præsentis temporis est, posita in remissione peccatorum, & sanctificatione animæ: & ea, quæ in futura vita, in liberatione ab omni prorsus & peccati, & pœnæ, & miseriæ malo collocata est. Sensus igitur horum verborum Pauli, est huiusmodi: Euangeliũ ex diuina virtute siue potẽtia in credentium animis per fidẽ receptum, efficax esse ad præstandam salutem, id est, iustitiam, & vitam æternam: per Euangelium quippe DEVS exeruit potentiam suam in cordibus credentium, iustificãdo eos, & ducendo ad gloriam sempiternam. Quid porrò sit hoc loco credere, cùm dicitur: *In salutem omni credenti,* discere conuenit ex aliis scripturæ locis, vt ex cap. 7. Ioannis: *Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ,* & ex cap. 16. lib. 2. Paralipomenon. *Oculi,* inquit, *Domini contemplantur vniuersam terram, & præbent fortitudinẽ iis, qui corde perfecto credunt in eum.* Corde autem perfecto credunt, qui non solùm fidem habent iis, quæ in sacra Scriptura continentur, vel quibuslibet aliis diuinis reuelatis: sed præterea omnes animi sui vires accommodant ad faciendum quodcunq; fides præscribit, & requirit ab homine. Vt credere hoc loco apud Paulũ, non sit aliud, nisi audito Dei verbo, penitus commoueri, & toto animi assensu studioq; complecti quod dicitur, & quod præcipitur, opere exercere.

Qualiter credenti Euangelium afferat salutem.

34. Restant extrema illa verba huius sententiæ Pauli: *Iudæo primùm, & Græco.* Græcè ad verbũ est, si latinè reddas: & Iudęo primùm, & Græco; vbi supplendũ est aliquid respondẽs particulę, primùm, videlicet, deinde, vel postea: Oẽs enim fermè tã Græci, quàm Latini expositores intellexerũt, Paulũ his verbis

bis denotasse ordinem quendam inter Iudæos,& Græcos in prædicatione Euangelij,& susceptione fidei: prius enim prędicatum est Euangelium Iudæis,& à multis eorum creditum, postea verò Græcis, siue Gentibus. Sedenim videtur hæc sententia contraria ei,quod scripsit Paulus infra in capite decimo huius epistolæ,dicens, *Nõ est distinctio Iudæi & Græci.* Sed facilis est responsio. Etenim in ordine ad ipsam iustificationẽ,& quantũ ad participationẽ gratiæ,& consecutionẽ vitæ æternæ, nulla planè est distinctio Iudæi, & Græci, secundũ illud quod dixit Petrus: *In veritate comperi,quia non est personarũ acceptor DEVS,sed in omni gente qui timet DEVM & operatur iustitiam, acceptus est illi.* Quocirca in vinea DOMINI æqualem mercedem acceperunt nouissimi, atque primi. Quantum verò ad ordinem temporis seruatum in prædicatione Euangelij, & in conuersione hominum ad fidem CHRISTI, procul dubio priores fuere Iudæi, quàm Græci, siue Gentiles: nam licet paulo superius gentes distinxerit Paulus in Græcos & Barbaros; nunc tamen omnes gentes indifferenter appellat vno vocabulo Græcorum. Ergo particula illa (primum) secundum Chrysostomum, & alios, non aliud significat nisi ordinem temporis. At enim plus videtur ea particula significare apud Paulum præsertim infrà capite vndecimo, & decimoquinto huius epistolæ; videtur enim indicare, quod Gentes ex quadam DEI misericordia admissæ fuerint ad gratiam Euangelicam, quæ Iudæis fuerat quasi ex hæreditate: siquidem eorum Patribus peculiariter fuerat promissus CHRISTVS, qui etiam dixit Samaritanæ: *Salus ex Iudæis est.* Et Isaias: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem.* Et ipsemet Paulus infrà capite decimo quinto hunc in modum scribit: *Dico enim CHRISTVM IESVM ministrum fuisse circumcisionis, propter veritatem DEI, ad confirmandas promissiones Patrum: Gentes autem super misericordia honorare DEVM,* & subdit ad id probandum verba illa Dauidis: *Laudate DOMINVM omnes Gentes: Quoniam confirmata est super nos misericordia eius, & veritas DOMINI manet in æternum.*

Actor. 10.

Matth. 20.

Ioan. 4.

Isaias 2.

Psalm. 116.

æternum. Vbi misericordia refertur ad Gentes, veritas autem ad Iudæos. Non igitur quidam inscitè illud (primùm) interpretantur præcipue, siue potissimum.

35. *Multiplex discrimen inter Euangeliũ, & legem veterẽ.*

Ex hac breui descriptione, siue definitione Euangelij sic à Paulo posita, enotescit triplex discrimen inter Euangelium, & legem veterẽ. Primò dicitur Euangeliũ esse virtus DEI; id est, potens & efficax; Lex autem erat egena, & infirma, atque impotens. Deinde cum adiungitur *in salutem.* lex namq; non poterat animis hominum salutem dare, quæ continet remissionem peccatorum, & sanctificationem animæ coram Deo. Ad hæc cum additur, *omni credenti.* Lex quippe non in vniuersum, nec indifferenter quibuslibet lata erat, sed vni tantùm populo Hebræo. Augustinus tum in libro de Spiritu & littera, tum alibi, multiplici distinctione luculentè declarat, quid Euangelium, & lex vetus differant. Lex, inquit, habet mandatum bonum in littera demonstrante: Euangelium in Spiritu adiuuante. Quando præcepta seruantur timore pœnæ, lex vetus est: Illa fuit quasi lex puerorum, sub qua erant Iudæi, tanquam sub pædagogo; Euangelium verò est tanquam lex virorum, virili iam virtute, & constantia, & libertate operantium. Qui externam sectatur iustitiam in obseruatione ceremoniarum, externoque tantùm cultu DEO seruiens, is viuit secundum legem veterem: qui autem interiorem hominem percolit, atque interiori cultu fidei, spei, & charitatis in Spiritu & veritate DEO seruit, is profectò secundum Euangelium viuit. Ceterùm cum hoc loco dicitur Euangelium esse virtus DEI, non intelligitur nomen ipsum, siue vox Euangelij, vel scriptura Euangelij, sed res in Euangelio contentæ, & per Euangelium annuntiatæ: velut sunt mysteria Incarnationis, & Passionis, mortisque & resurrectionis, eiusque merita: septem item sacramenta nouæ legis, & quæ nobis applicantur CHRISTI merita; ac demum præcepta diuina, quæ ex charitate obseruata, & facta, vitam nobis æternam promerentur.

S. Augustinus.

Ad Gal. 4.

SEPTIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Iustitia enim DEI in eo reuelatur ex fide in fidem.

Vers. 17.

36. Theodoretus.

HVNC locum Theodoretus ita exponit: Non reuelatur iustitia DEI omnibus, sed iis, qui habent oculos Fidei. DEVS autem ita nobis ab initio prouidit, vt ea, quæ credituri eramus, per Prophetas ante prædicta forent: quin etiam ante Prophetas habuit ipse in se absconditum de iis consilium. Nam & alibi Paulus dixit: *Mysterium absconditum in DEO, qui omnia creauit.* Et alio loco: *Loquimur sapientiam in DEO absconditam, quam præfiniuit DEVS ante secula in gloriam nostram.* Non itaque Paulus dixit hoc loco dari iustitiam credentibus, sed reuelari: quæ enim prius abscondita fuerat, manifestatur credentibus. Ideo subdit: *Ex fide in fidem,* oportet enim credere Prophetis, & per illos deduci ad fidem Euangelij. Habent etiam verba hæc alteram quandam intelligentiam, qui enim CHRISTO credit, & sanctissimi baptismatis gratiam suscipit, & refert gratiam adoptionis filiorum: per ea ipsa deducitur, vt futuris credat, mortuorum inquam resurrectioni, & vitæ æternæ, & regno cœlorum. Dixit autem Paulus, iustitiam DEI reuelari per Euangelium, non solùm eam, quæ nobis à DEO suppeditatur; sed & quæ in ipso dispensationis mysterio aperte ostenditur. Non enim per suam omnipotentiam DEVS nostram salutem procurauit, nec solo Imperio suo mortis potentiam euertit; sed cum iustitia misericordiam mirabiliter commiscuit. Etenim vnigenitus DEI, Adę naturam indutus, cum se ab omni peccato immunem seruasset,

Coloss. 1.

1. Cor. 2.

uaſſet, eam pro nobis obtulit: & naturæ debito perſoluto, cõmune omnium hominũ debitũ diſſoluit. Sic Theodoretus.

37. *Quid hoc loco Iuſtitiæ vocabulo intelligere oporteat, quinq; expoſitiones.*

Cum hoc loco dicitur: *Iuſtitia enim* Dei *reuelatur.* Illa particula, *enim*, denotat quod hic ſubiungitur, eſſe probationem eius, quod proxime anteceſſit, Euangelium eſſe virtutem Dei in ſalutem omni credenti, & in hac probatione arx totius cauſæ, & ſtatus rei principaliter tractandæ in hac epiſtola, poſita eſt. Sed quid per Iuſtitiam Dei hoc loco intelligere oportet? Origines, Ambroſius, & Chryſoſtomus intelligunt iuſtitiam, quæ in ipſo eſt; ſed eam varie interpretantur. Origenes exponit iuſtitiam diſtributiuam, qua Devs ſine acceptione perſonarum iuſtiſſime reddit vnicuique hominum pro meritis eius, ſiue præmium, ſiue ſupplicium. Ambroſius interpretatur iuſtitiã, qua Devs verax eſt, omnino præſtans quodcumque promiſit. Chryſoſtomus intelligit bonitatem, & facilitatem, & benignitatem Dei miſericorditer ſubuenientis humano generi per Filivm ſuum. Sic enim non rarò accipi nomen iuſtitiæ, patet ex Pſalmis, 50. 21. 30. 130. 35. 70. 102. 142. Theodoretus ſignificari putat iuſtitiam Christi quam exhibuit pro redemptione humani generis, ſatisfaciens pro peccatis noſtris Deo per mortem ſuam ſecundum rigorem iuſtitiæ, vt loquuntur Theologi Scholaſtici, & generale debitum humani generis pleniſſimè, cumulatiſſimeque Deo perſoluens. Verùm probabilior eſt intelligentia, & interpretatio B. Auguſtini, qui in libro de Spiritu & littera cap. 9. Dei iuſtitiam hoc loco appellari à Paulo interpretatur, non qua Devs iuſtus eſt, ſed qua hominem induit, dum eum iuſtificat. Vocatur autem iuſtitia Dei, quòd à Deo infunditur homini, & quod eum facit iuſtum apud Devm; & quò diſtinguatur à iuſtitia Iudaica, & Philoſophica. Atque hac ſignificatione crebro Paulus vtitur nomine iuſtitiæ, vt in capite tertio huius epiſtolæ: *Iuſtitia* Dei *per fidem* Iesv Christi *in omnes, & ſuper omnes qui credunt in eum*. Et in capite decimo: *Iuſtitiam* Dei *ignorantes, & ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ* Dei *non ſunt ſubiecti.*

Origenes. Ambroſius. Chryſoſtomus. Theodoretus. S. Auguſtinus.

iecti. Et in capite tertio epistolæ ad Philippenses: *Quæ ex* D E O *est*, (inquit) *iustitia in fide.* Ex quibus locis satis liquet, Paulum iustitiam D E I vocare eam, qua D E V S hominem gratis iustificat. Sicut igitur dicitur salus D E I, non qua ipse saluus est, sed qua nos saluos facit: & vocatur fides CHRISTI, non qua ipse credit, sed qua nos in eum, beneficio eius credimus: ad eundem planè modum iustitia D E I nominatur, qua nos à D E O iustificamur, quòd à D E O nobis donetur, & nos coram iustos faciat. Appellatur etiam nonnunquam iustitia fidei, cui Paulus opponere solet iustitiam nostram, vel ex operibus nostris, vel quæ ex lege est. Hæc porrò iustitia D E I, quam D E V S gratis donat digne credenti in eum, & quæ apud ipsum valet plurimum, reuelatur, siue patefit in Euangelio, siue per Euangelium: ea namque iustitia duas res complectitur, tam remissionem peccatorum, propter quæ obnoxij erant homines iræ, & vindictæ D E I: tum rectitudinem animi, dono sancti S P I R I T V S in eo effectam: qua mens, antea D E O inuisa, & exosa, placet ei, & potest exercere opera bona, D E O q; accepta, quibus iustitiæ, quam accepit, incrementum, & vitæ æternæ præmium promeretur: quam iustitiam Paulus vbique legi & operibus per se consideratis denegat, & tribuit fidei.

38. *Quid sit illud: Ex fide in fidē, Varia expositiones.*

Sed extrema illa verba huius sententiæ: *Ex fide in fidem*, quam habeant sententiam, declarandum est. Varias admodum reperire est apud expositores eorum verborum, interpretationes. Verùm ante alia sciendum est, ista verba: *Ex fide in fidem*, posse referri ad illud, *Iustitia* D E I, hoc intellectu: Iustitia D E I, quæ est, siue quæ contingit homini ex fide in fidem, reuelatur potissimum in Euangelio. Possunt etiam verba ista referri ad verbum, *reuelatur*, hoc nimirum sensu: Iustitia D E I reuelatur ex fide in fidem: nam quæ in lege veteri, & in Prophetis erat velata, & operta, & quam implicitè tantùm habebant Iudæi; ea retegitur, & palam prædicatur; & in Euangelio aperte docetur, eam contingere ex fide in fidem, id est, ex fide cuiusuis ætatis. Ab exordio

quippe mundi, nemo in vlla ætate, ac tempore iustificatus est, nisi per fidem. Vt sit phrasis hebraica, secundum quam legimus in scriptura: *A seculo in seculum, ab anno in annũ, ex die in diem, & progenie in progeniem.* Id autem est, omni seculo, & omni anno, & omni die, & in omni progenie, seu generatione. Alij sic interpretãtur: Ex fide legis, & Prophetarum, in fidem nouæ legis & Euangelij, vel, ex fide prędicantium in fidẽ audientiũ, & prędicationi obedientium atque credentium, quemadmodũ exponit Augustinus in vndecimo capite libri de Spiritu, & littera. Sunt etiam qui sic exponant: Ex fide DEI promittentis, in fidem hominis promissis DEI credentis: vel, ex fide rerum iam præteritarum, & quæ in CHRISTO contigerunt, in fidem futurarum, quæ in nobis implebuntur. Nam sicut credimus, CHRISTVM à mortuis resurrexisse, & cœlum ascendisse; ita per hoc ducimur ad credendum, nos quoque resurrecturos esse, & cœlum ascensuros. Vel, ex fide terrenorum bonorum, quæ per Mosem promissa fuerant in veteri Testamento, in fidem bonorum cœlestium, quæ nobis in nouo Testamento promittuntur, quorum illa gesserunt quasi vmbram quandam, & figuram. Vel, ex fide informi, in fidem formatam, & viuam, quæ per dilectionem operatur. Nonnulli per iustitiam DEI, ipsum CHRISTVM intelligunt; sic enim appellatur à Paulo, tum quia in eo, & per eum DEVS potissimum demonstrauit iustitiam suam; tum quia propter eius merita iustificat homines. Reuelatur porrò CHRISTVS ex fide veteris Testamenti in fidem, vel per fidem Noui; nam qui non satis intelligebat illud Isaiæ vaticinium: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium*, iam illud intelligit ex Euangelio Lucæ, vbi narrat Angelum dixisse B. MARIÆ: *Ecce concipies in vtero, & paries filium.* Et illud Michææ: *Egressus eius ab initio, à diebus æternitatis eius,* dictum de Messia, nec satis tunc intellectum; id reuelatum est in Euangelio Ioannis dicentis: *In principio erat VERBVM, & VERBVM erat apud DEVM, &c.* Sunt etiam qui illud: *Ex fide in fidem* hunc in modum declarent,

S. Augustinus. *Ad Heb. 10.* *Ad Gal. 5.* *Isa. 7.* *Luc. 1.* *Michaa, 1.*

rent, iustitiam nostram, sicut incipit à fide, ita quoque in fidem desinere; non enim saluabitur, nisi qui vsque in finem credere perseuerauerit. Illa quoque satis est probabilis interpretatio. Est enim duplex iustitia, & altera vocatur prima; qua quis ex impio fit pius, & iustus: altera, secunda, qua iam iustificatus, & pius, fit in dies iustior, proficiente, crescenteque iustitia. Est igitur sensus, iustitiam, qua homo in hac vita Iustus est, procedere ex fide iustificante, vel præparante ad iustificationem, in fidem, quæ alit, & promouet iustitiam. Paulum verò vocabulo iustitiæ non tantùm primam, sed etiam secundam, atque omnem iustitiam hominis in hac vita comprehendere; licet intelligere ex illo testimonio Habacuc, quod ad sententiæ suæ confirmationem affert: *Iustus ex fide viuit.* Vbi palam est sermonem haberi de ea iustitia, qua peruenitur ad vitam æternam. Ergo iustitia DEI, qua iusti sumus coram DEO, procedit ex fide in fidem, id est, ex fide promouente in dies, ac subinde augescente, similiter vt in Psalmo 83. dictum est; *Ibunt de virtute in virtutem.* Id est, in omnem virtutem procedent, vel, in dies magis ac magis proficient in virtute.

Habac. 2.

39. Si quis autem cupiat superiores expositiones ad certum aliquem numerum redigi, atque earum cuiusque proprium auctorem vel probatorem indicari: id quoque à nobis breuiter accipiat. Prima sit expositio Origenis, Chrysostomi, Theodoreti: Ex fide veteris Testamenti in fidem Noui, quod illa ducit ad hanc, tanquam pædagogus. SECVNDA Ambrosij & S. Thomæ: Ex fide promittentis DEI, in fidem hominis credentis DEI promissis. TERTIA Theophylacti, Oecumenij, Adami: Ex fide incipiente, in fidem proficientem, atque in dies augescentem. QVARTA Oecumenij, & Theodoreti: Ex fide rerum præteritarum, & in CHRISTO gestarum, in fidem futurorum, & quæ in nobis gerenda, & complenda sunt. QVINTA, S. Thomæ; *Ex fide in fidem.* Id est, per fidem in omni æta-

te, & tempore; nullo enim tempore, cuiquam hominum, nisi per fidem CHRISTI, salus contigit. SEXTA Anselmi: Ex fide vnius DEI, in fidem TRINITATIS, & ex fide primi aduentus CHRISTI ad redimendum hominem, in fidem secundi aduentus ad iudicandum homines: vel: ex fide humanitatis CHRISTI, in fidem DIVINITATIS eius. SEPTIMA Augustini, quam sequitur etiam Catharinus: Ex fide prædicantium, in fidem audientium, atque obedientium Euangelio, sicut Paulus ait infrà in capite decimo huius epistolæ: *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum CHRISTI.* Dixi supra: Istorum verborum: *Ex fide in fidem*, duplicem esse posse constructionem, siue connexionem: in altera enim iunguntur hæc verba cum illo verbo (reuelatur) ad hunc sensum: iustitia DEI reuelatur (ex fide in fidem:) in altera connectuntur cum illo, *iustitia DEI* hunc in modum: iustitia DEI, quæ est ex fide in fidem, nec aliter vllo tempore contigit homini, nisi per fidem; reuelatur potissimum in Euangelio. Atque hanc posteriorem connexionem, & lectionem, Pauli consilio & proposito congruentiorem esse, satis indicat subiunctum ab eo testimonium illud Habacuc: *Iustus ex fide viuit*. Ex quo apparet, illud: *Ex fide* iunctum fuisse antea cum illo: *Iustitia DEI*, cum dixit: *Iustitia DEI reuelatur ex fide in fidem.*

Habac. 2.

OCTA-

OCTAVA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Iustus ex fide viuit.

TRES quæstiones sunt explicandæ super hoc testimonio Habacuc, quo Paulus probat quod proximè antè dixerat, Iustitiam DEI esse ex fide in fidē, & reuelari in Euangelio. Prima Quæstio est circa citationem verborum Prophetæ, quam facit Paulus: aliter enim citat ea verba, quàm sunt apud Prophetam, tam secundum lectionem Hebraicam, quàm secundum traductionē LXX. Interpretum. Nam Hebræa hanc reddunt sententiā: *Iustus ex fide sua viuet*. Aquila & Theodotio, vt refert Hieronymus super caput tertium epistolæ ad Galatas ita transtulerūt. *Iustus ex fide eius viuet*. Symmachus significantius, quàm cæteri, sic est interpretatus, referente Hieronymo in cap. 2. Habacuc: *Iustus per fidem propriam suam viuet*. Et ipsemet Paulus tam in hoc loco, quàm in capite tertio epistolæ ad Galatas, similiter citat eum locum hoc modo: *Iustus ex fide viuit*, sine illis pronominibus (mea) vel (sua) vel (eius) quod eiusmodi pronomina passim subaudiri soleant. At verò in capite decimo epistolæ ad Hebræos ita citat: *Iustus meus ex fide viuit*, spectans haud dubiè translationem LXX. Interpretum; nam quod illi verterunt *ex fide mea*, ipse dixit: *Iustus meus*, id est, à me iustificatus, & coram me iustus. Existimat B. Hieronymus LXX. Interpetes in hoc loco transferendo, ob elementorum similitudinem, esse lapsos: nam littera (vau) cùm est appendix dictionis, vim habet huius nominis *(sui)* vel *(eius)*: *(Iod)* item littera adiecta fini dictionis, vim habet pronominis *(meus)* quare cùm duo hæc elementa, mensura tantùm inter se distent apud Hebræos, putat ipsos, quod facillimè accide-

40. *Varietas Lectionis.*

re potuit, pro (Vau) legiſſe (Iod) At enimuerò ſiue legamus, ex fide ſua, aut eius, ſiue, ex fide mea, quantum ad veritatem ſententiæ, nihil differt: quin etiam credibilius videtur, ſeptuaginta conſultò ita vertiſſe, vt diſceret lector, gratuitum DEI donum eſſe fidem: ſicut etiam Paulus dixit: *Fides donum* DEI *eſt*. Miror equidem quod ab Hieronymo ſuper caput ſecundum Habacuc annotatum eſt: ait enim Paulum in hoc loco epiſtolæ ad Romanos citaſſe teſtimonium hoc Prophetæ, non ſecundum lectionem Hebraicam, ſed ſeptuaginta interpretum, quòd eorum translatio eſſet notior & vulgatior apud Gentes: cùm tamen in hoc loco epiſtolæ ad Romanos, & item ad Galatas capite tertio ita citet: *Iuſtus ex fide viuit*, non autem, *ex fide mea viuit*, vt habent ſeptuaginta: atque huiuſmodi citationem habent concorditer omnes tam Latini: quàm græci Codices, qui nunc extant. Verba S. Hieronymi ex eo loco in hunc tranſpoſita ſic habent: Porrò quod Apoſtolus LXX. Interpretum magis teſtimonio abuſus eſt ad Romanos ſcribens: *Iuſtus autem ex fide mea viuet*. Et non eo quod habetur in Hebræo, cauſa perſpicua eſt: ſcribebat enim Romanis, qui ſcripturas Hebraicas neſciebant, nec erat ei curæ de verbis, cùm ſenſus eſſet in tuto, & damnū ex eo præſens diſputatio non haberet. Alioquin, vbicunq; diuerſus eſt ſenſus, & alter ſcriptus eſt in Hebraico, alter apud ſeptuaginta; nota, eum iis vti teſtimoniis, quæ à Gamaliele doctore legis didicerat. Sic ibi Hieronymus. Incidit mihi ſuſpicio, ne fortè cùm hæc ſcriberet, aut dictaret S. Hieronymus, per obliuionem, aut per incogitantiam locum epiſtolæ ad Romanos nominauerit pro eo loco, qui eſt in capite decimo epiſtolæ ad Hebræos, vbi Paulus ſeptuaginta interpretes, vt videtur, ſequens, ita citauit hunc locum: *Iuſtus autem meus ex fide viuit*, nam hæc lectio, eadem videatur ei, quæ eſt apud LXX. *Iuſtus ex fide mea viuet*, vt paulò ſuprà docuimus. Vel S. Hieronymus habuit tunc Codices Latinos, in quibus ita, vt ipſe refert, legebatur hoc teſtimonium Habacuc in hoc loco epiſtolæ ad Romanos. Altero etiam modo differt

Ad Epheſ. 2.

S. Hieronym.

Act. 22.

differt citatio Pauli ſecundum Latinum interpretem, ab ipſis verbis Prophetæ: nam Latinus interpres & hic, & ad Galatas tertio, & ad Hebræos decimo, vertit per tẽpus præſens, *viuit*, cùm apud ipſum Prophetã tam in Hebræo, quàm apud ſeptuaginta interpretes ſit in futuro *viuet*. Quin etiam in hoc loco epiſtolæ ad Romanos græcè eſt in futuro ζήσεται, id eſt, viuet. Sedenim, vt vertit Latinus interpres, ita multi veterum legerunt, & citarunt hunc locum, velut Tertullianus libro quinto aduerſus Marcionem, & Cyprianus libro quarto de immortalitate, & ipſe Hieronymus in tertium caput epiſtolæ ad Galatas, & Ambroſius tam in expoſitione huius loci, quàm in libro de Fuga ſeculi, cap. 3. & Auguſtinus vbicunque locum hunc Prophetæ citat; nempe, quantum ad veritatem ſententiæ ſpectat, nihil differt, ſiue viuit, ſiue viuet, legatur: vita quippe æterna, quam in cœlis victuri ſumus, iam ipſa per fidem & charitatem in nobis incipit in hac vita; eademque, ſecundum ſubſtantiam, res eſt, vita iuſtorum præſens, atque futura: Iuſtitia namque præſens, eſt gloria inchoata: & gloria, eſt iuſtitia conſummata.

Tertullianus. Cyprianus. Hieronymus. Ambroſius. Auguſtinus.

41. *Diſputatio de litterali ſenſu huius teſtimonij Habacuc.*

Altera Quæſtio eſt, An Propheta in eo loco, vnde Paulus hoc teſtimoniũ accepit, loquatur ſecundum litteralem ſenſum de CHRISTO, & de fide, & expectatione eius; an potius de fide, & expectatione promiſſionis DEI, promittentis futuram Hebræorum captiuitatis ſolutionem, & atrociſſimam Regis Nabuchodonoſor tunc feliciter regnantis punitionẽ: de CHRISTO autem tantùm loquatur ſecundum myſticum ſenſum. Duplex ſuper hac re ſentiendi, & loquendi modus eſt. Quidam opinantur, Prophetam eo loco ſecundum litteralem & hiſtoricum ſenſum agere de captiuitate Iudæorũ, & de Rege Nabuchodonoſor, & de fide atque expectatione liberationis Iudæorum, & punitionis Nabuchodonoſor, à DEO promiſſa: ſecundum verò ſenſum myſticum intra corticem illius hiſtoriæ contentum, præcipueque à SPIRITV ſancto ſpectatum, agi de fide, & expectatione CHRISTI venturi, ad liberandum genus humanum à captiuitate ac ſerui-

tute

tute Diaboli oppressum, & ad frangendam Diaboli tyrannicam potentiam, & imperium motis euertendum. Verùm quo melius probabilitas huius sententiæ cognoscatur, paulò altius repetendo, quemadmodum Propheta ab initio suæ prophetiæ procedat, & deueniat ad illam vsque sententiam; quæ nunc tractatur, breuiter indicandum est. Propheta initio primi capitis, suscepta persona eius qui murmurat aduersus prouidentiam & iudicia DEI, videtur quodammodo cõqueri de DEO, ob ingentes calamitates populi Hebręi, ductis in captiuitatem tribu Iuda & Beniamin, direpta, vastataque ciuitate, atque incenso templo: & ob maximam prosperitatem Nabuchodonosor, innumeras gentes Imperio suo subiugantis, & feliciter regnãtis; qui tamen erat maximè impius, & hostis gentis Iudæorum, quam grauissimis malis contriuerat. Et hæc est querimonia Prophetæ. Deinde ponitur responsum DEI, fore promittentis, vt & populus Hebræus captiuitate illa liberaretur; & Rex Nabuchodonosor in tantas calamitates, tantumque rueret exitium, vt vix antequam eueniret, credi posset. Monet porrò, ne quis, ob dilationem huius promissi, diffidat, aut desperet. Quapropter initio secundi capitis dixit Prophetæ DEVS: scribe visum, qui licet procul adhuc sit, tandem tamen apparebit, nec fallet. Si diutius opinione, ac desiderio tuo differetur; ne deficias credendo, aut sperando, sed expecta patienter; haud dubiè enim eueniet, quod promissum est. Qui autem incredulus fuerit, non erit recta anima eius in semetipso, hoc est, non erit iustus in conspectu meo. Posthæc verò subdit: *Iustus enim ex fide, siue in fide sua viuet.* Id est: sustentabit se certa fiducia, & spe futuræ liberationis. Cùm igitur Propheta, hoc nomine fidei, & persuasionem, siue firmum mentis assensum, & fiduciam siue spem comprehenderit; non est dubitandum, quin Paulus citans eius verba, itidem nomine fidei vtrumq; complectatur. Nec sanè Paulus detorsit hoc vaticinium à fide, quæ erat de liberatione captiuitatis Iudæorum, & punitionis Nabuchodonosor, ad finem liberationis humani generis à pecca-

peccato, & Diabolo per CHRISTVM perficiendæ, transferens. Nam licet cortex litteræ proponat captiuitatem Hebræorum sub Nabuchodonosor, & liberationem eorum, quæ facta est per Regem Cyrum: non tamen iste vel solus, vel præcipuus sensus est, sed alter præstantior, magisque intentus, qui latet sub cortice illius historiæ: is verò est de captiuitate generis humani sub tyrannide Diaboli, & de liberatione eius per CHRISTVM. Scribe (ait Prophetæ DEVS) visum. Nunc populus meus tenetur captiuus à Diabolo, veniet qui venturus est, & promissus est vobis, & à vobis expectatus, qui Diaboli potestatem euertet: nec propterea quis in fide huius promissionis deficiat, quòd in longum ea protrahatur: si quis enim longi temporis dilatione fatigatus diffidere cœperit huic meæ promissioni, *non erit recta anima eius in semetipso*, hoc est, Non perdurabit nec perseuerabit in rectè agendo, sed relicta probitate, paulatim ad vitia delabetur. *Iustus autem ex fide sua viuet*, id est, constanti fiducia huius meæ promissionis tandem adimplendæ, perseuerabit in bona vita: cuius bonæ vitæ initium per fidem, & spem promissi à me propitiatoris CHRISTI, iam antè adeptus fuit.

42. Est altera sententia, eaque (meo quidem iudicio) longè probabilior, Prophetam eo loco secundum primarium, & litteralem sensum loqui de CHRISTO & de fide eius venturi, & promissi ad liberandum humanum genus captiuitate ac tyrannica seruitute Diaboli. Ita locum illum Prophetæ interpretatus est Eusebius in libro sexto de demõstratione Euangelica, capite decimo quarto, atque ita esse interpretandum censet. Beatus verò Hieronymus ait esse manifestam de CHRISTO prophetiam: Manifesta, inquit, in his verbis Prophetæ de CHRISTI aduentu prophetia est. Vnde & proposita quæstio soluitur, quod donec ille veniet, iniquitas dominetur in mundo, & iudicium non perueniet ad finem, & verus Nabuchodonosor capiat reti suo homines quasi pisciculos, & rationabile animal quasi reptile, non ha-

Eusebius.

bens principem. Sic ille. Septuaginta etiam interpretes cum initio secundi capitis locuti essent de visione, quam Propheta iussus est scribere, mox commutato genere fœminino in masculinum, loquentes de Christo, subdunt: *Si defecerit, sustine eum; quia veniens veniet, & non tardabit*, quibus verbis septuaginta Christum significare voluisse, ne Hieronymus ipse, qui eos de tali commutatione generis fœminini in masculinum videtur reprehendere, inficiari potuit. Hunc porrò esse germanum, & principalem sensum Prophetæ, in eo loco, vt dicamus, non alia opus est probatione, quàm ipsius Pauli auctoritate, qui eo sensu, Prophetæ verba interpretatus est. Quippe in capite decimo epistolæ ad Hebræos, verba illa Prophetę: *Iustus ex fide viuit*, de secundo aduentu Domini interpretatur, in quo & bonis præmia, & malis supplicia manifestè decernentur. Verba Pauli sunt hæc: *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem: patientia enim vobis necessaria est, vt voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. Adhuc enim modicum aliquantulumq́, qui venturus est, veniet, & non tardabit, Iustus autem ex fide viuet.* Ac demùm verba ipsa Prophetæ, si obseruatè considerentur, idipsum apertè demonstrant. Nam illud, *veniens veniet*, secundum morem scripturæ, & secundum communem sensum, & iudicium, & intelligentiam populi Hebræorum expectantium Messiam, propriè denotabat ipsum Messiam, qui solet in scripturæ hisce nominibus. *Qui venturus est, veniens, siue venturus, expectatus, desideratus*, denotari. Vt Genesis quadragesimo nono: *Donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* Et in Psalmo cẽtesimo decimo septimo: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Et apud Matthæum capite vndecimo: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Siue vt est græcè: *Tu es ille venturus?* Et in Actis Apostolorum: *Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ populum, dicens, In eum qui venturus est post, in Christum vt crederent.*

Locus Pauli ad Hebraeos cap. 10

Act. 13.

43. Cùm autem dicitur: *Iustus ex fide viuit*, illud, *viuit*, significat

An Propheta dicens: (Iustus ex fide viuit.) Locutus sit de vita gratiæ, q̄ datur homini in prima eius iustificatione.

cat vitā gratiæ, per quam qui mortuus erat in peccato, accepta fidei iustitia viuit DEO. Quapropter perinde est dicere: *Iustus ex fide viuit*, ac dicere, Iustus ex fide iustificatur, & est iustus. Sanè Paulus hoc testimonio vsus est, & in hoc loco epistolæ ad Romanos, & in 3. cap. epist. ad Galatas, vt probaret, hominem iustificari non per opera Legis, sed per fidē CHRISTI. Hoc enim est quod docet in hoc loco, Iustitiā, qua DEVS facit hominē iustum, per fidem dari homini, & hoc maximè reuelari in Euāgelio. Apertius etiam in epist. ad Galat. cap. 3. vbi ait: *Quoniam aūt in Lege nemo iustificatur apud DEVM manifestum est, quia Iustus ex fide viuet; Lex aūt non est ex fide.* Et quia non solùm fides primo iustificat hominē, sed etiam factum iam iustum alit, & promouet eius iustitiā, & in rebus aduersis roborat atq; sustentat: idcirco Paulus idē testimoniū Prophetæ, exhortando Hebræos, vt in rerum aduersarū perpessione constantes essent, & perseuerantes in bono, ac se ipsos sustentarent certissima expectatione futurorū præmiorum, vsurpauit, scribens eis: *Nolite amittere confidentiā vestram, quæ magnam habet remunerationē. Patientia enim vobis necessaria est, vt voluntatē DEI faciētes, reportetis promissionē. Adhuc enim modicū, aliquantulumq; qui venturus est veniet & nō tardabit; Iustus aūt meus ex fide viuet.* Id est, fide sustentabit se, & in reb. etiam aduersis perdurabit in bono, qa sine fide, & fiducia futuri prę-mij deficeret homo, & ab exercitio bonorū operū desisteret.

44. *Obiectio.*

Verùm contra id, quod suprà dictū est, Prophetā in eo loco, vel potius DEVM respondentem Prophetæ petitioni, vel querimoniæ, loqui secundum principalē, ac litteralē sensum de fide in CHRISTVM & expectatione aduentus eius, posset illud obiici, talem DEI responsionē non videri satis respondere, & congruere quæstioni, vel conquestioni Prophetæ de captiuitate, & calamitatib. populi Hebræi, & de impunitate, ac prosperitate impiissimi regis Nabuchodonosor eorū hostis. Sed obiectio hæc ita diluitur: MESSIAS in eum præcipuè finem promissus fuerat Hebræis, & ab ipsis ob id potissimum tanto desiderio expectabatur, quod ipse hostes populi sui penitus erat profligaturus, & malis omnib. ereptum populum

suum amplissimis cumulaturus bonis,& in tranquillũ ac florentem,& prosperum,vitæ,ac regni statũ vindicaturus. Hoc autem passim in scriptura, præsertim verò apud Prophetas legitur, vt in Cantico Zachariæ: *Iusiurandũ quod iurauit ad Abraham patrem nostrũ, daturum se nobis: vt sine timore de manu inimicorum nostrorũ liberati,seruiamus illi.* Atq; huiusmodi liberationis,quã facturus erat MESSIAS, primus & septuagesimus Psalmus totus fermè refertus est. Quapropter qui hunc MESSIÆ aduentum expectabant, dicuntur in scriptura expectasse visitationẽ,& consolationem, & redemptionẽ Israël. Quoniam igitur Propheta querebatur,videri quodammodo DEVM non curare res humanas, quòd impij homines, veri DEI cultores impunè affligerent,& opprimerent;quin etiã,rebus omnibus ad eorum voluntatẽ fluentibus, prosperè viuerent, & regnarẽt: respondit Prophetæ DEVS, venturũ esse in mundum FILIVM suum,qui iudicabit vniuersos homines in veritate,& iustitia, meritis eos vel suppliciis, vel præmiis afficiẽs. Itaq; licet breui floreant impij, æternas tamen postea daturi sunt pœnas:cõtra verò,licet ad breue tempus malè sit bonis, breuis tamen & leuis eorum afflictio immensum æternæ gloriæ pondus(vt Paulus inquit)operabitur in illis.

Luca 1.

2.Cor. 4.

45. Sciat præterea Lector,morẽ esse diuinę scripturæ,maximè verò apud Prophetas,cùm de re quapiam agitur,quæ perinsignem figurã gerat venturi MESSIÆ, repentè inter tractandũ eam rem, inferre sermonẽ de vẽturo MESSIA,quòd eius aduentus optatissimus esset Iudæis: ideoq; cõmemoratio eius, ad consolationẽ & confirmationẽ eorum,plurimum valeret. Exempli gratia, Dauid,& Salomon multifariã præfigurarunt CHRISTVM;quo fit,vt cùm de illis agitur, vel in Psalmis, vel apud Prophetas, sæpenumerò inseratur mentio ipsius MESSIÆ,multaq; de eo magnificè dicantur, quæ illis non propriè conueniunt. Daniel,vt scriptum est in capite nono libri eius, animaduertens instare iam finem illorum septuaginta annorũ,quibus expletis,prædixerat Hieremias liberatũ iri populũ Babylonica captiuitate, obnixè supplicauit DEO, vt promissam liberationem perficeret. Missus est ad erudiendum eum Ange-

Mos diuinæ scripturæ valde obseruandus.

Angelus GABRIEL, qui de illa populi liberatione pauca dixit, multa verò, & præclara de tempore aduentus MESSIÆ, aliisque mysteriis eius prædixit. Consimiliter itaque quoniam illa captiuitas Iudæorum, de qua conquerebatur Propheta, erat figura captiuitatis humani generis sub peccato; & ille Nabuchodonosor, typum gerebat Diaboli tyrannica seruitute humanum genus captiuum tenentis, idcirco DEVS ex huius occasione, illustrissimum edidit oraculum de aduentu in terras FILII sui, qui & captiuitatem humani generis dissoluturus erat, & Diaboli Imperium ac tyrannidem euersurus. Quasi diceret DEVS Prophetæ: Tu satagis, & queribundus es propter captiuitatem populi tui, & impunitatem Nabuchodonosor; Ego autem dico tibi, nō solùm captiuitatem istam solutum iri, & Nabuchodonosor atrocissime punitum: verùm etiam in terras venturum ad vos FILIVM meum, qui mala omnia propulsabit à vobis, bonaque non fluxa, & caduca, sed mansura perpetuò, ac sempiterna donabit vobis. Vide, quæso, lector, quemadmodum B. Hieronymus super caput tertium epistolæ ad Galatas nouo modo, longeque diuerso, quàm omnes alij expositores illam Prophetæ sententiam interpretetur: *Iustus ex fide viuit.* Mihi visum est indicare locum, atque eam expositionem, breuitatis studio tacitam hîc præterire.

46. *Quomodo fides dicatur viuificare & iustificare hominē.*

Restat tertia quæstio, Quomodo Paulus & Propheta dicant, iustum ex fide viuere, cum secundum catholicam doctrinam, vita gratiæ potissimum proueniat ex caritate, & consistat in obseruantia diuinæ legis, bonorumque operum effectione. Dominus enim dixit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Et alio loco de pręceptis diuinę legis loquens, dixit cuidam: *Hoc fac, & viues.* Beatus item Ioannes in sua prima epistola vitam animæ per gratiam DEI, manifestè tribuit charitati: & Iacobus in sua epistola, affirmat fidem sine operibus esse mortuam. Verùm in promptu est ad hanc quæstionem responsio. Nimirum dupliciter Theologi distinguunt iustificationem, siue iustitiam: & vnam vocant primā,

Matth. 19.

Luc. 10.

Iacob. 2.

Duplex iustificatio hominis.

qua ex iniusto & inimico DEI fit homo iustus, DEIque amicus & filius: quam iustificationem negat Paulus fieri merito præcedentium hominis operum, siue moralium, siue legalium, sed per gratuitam DEI voluntatem, ac misericordiam. Alteram siue iustitiam, siue iustificationem appellant secundam, quæ non est aliud nisi iustitiæ iam acceptæ profectus, atque incrementum per bona opera factum ab eo, qui iam est iustus. Secundum hanc significationem scriptũ videlicet est in libro Apocalypsis capite vigesimo secundo: *Qui iustus est, iustificetur adhuc: Et sanctus, sanctificetur adhuc.* Et in libro Ecclesiastici capite decimo octauo: sic est: *Non impediaris orare semper, & ne verearis vsque ad mortem iustificari: quoniam merces DEI manet in æternum.* Si loquamur igitur de prima iustificatione, fides dicitur iustificare hominem, quod sit exordium, & fundamentum, & quasi radix iustificationis, vt ex qua proueniant cetera quæ præparant hominem, & perducunt ad gratiam iustificationis. Fides enim, (vt dicere solet Augustinus) prima datur homini, vt per eam ille quærat, & petat, & impetret, & quodammodo promereatur gratiam iustificationis. Sic enim de fide loquitur Augustinus in epistola centesima quinta ad Sixtum presbyterũ hoc modo scribens: Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat; neque enim nullũ est meritum fidei, qua fide ille dicebat: *DEVS propitius esto mihi peccatori, & descendit iustificatus.* Restat igitur, vt ipsam fidem, vnde omnis iustitia sumit initium, non humano tribuamus arbitrio, nec vllis præcedentibus meritis, quoniam ab ea incipiunt bona quæcumque sunt merita, sed gratuitũ donum DEI esse fateamur, quia sicut Apostolus dixit: *Deus vnicuique partitur mensuram fidei.* Hæc Augustinus. In Concilio quoque Tridentino, in capite octauo sessionis sextæ Patres declararunt, cum Paulus dicit, iustificari hominem per fidem, ea verba in eo sensu intelligenda esse, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit, & expressit: vt scilicet per fidem ideo iustificari dicamur, quia fides est humanæ

S. Augustinus.

Luc. 18.

Ad Rom. 12.

manæ ſalutis initium,& fundamentum,& radix omnis iuſti-ficationis, ſine qua impoſſibile eſt placere DEO, & ad filiorũ eius conſortium peruenire.

Heb. 11.

47. Sin autem loquamur de ſecunda iuſtificatione, ſiue iuſtitia, id autem eſt de profectu, & incremento iuſtitiæ iam acceptæ; fides eam facit, alens, & promouens, & augens acceptam iuſtitiam; non tamen fides informis, & expers charitatis, & qualis erat prior illa fides reſpectu primæ iuſtificationis: ſed fides viua, & per charitatem formata, bonorumque operum frugifera, & quæ auctore Paulo, per charitatem operatur. Et hæc fides eſt, quæ tantopere in ſacris litteris, maxime verò à Paulo commendatur, & prædicatur. Super qua diſputans Auguſtinus in libro de ſpiritu & littera, capite trigeſimo ſecundo: Hæc eſt, inquit, fides, ex qua iuſtus viuit: hæc eſt fides, qua credimus in eum, qui iuſtificat impium. Hæc eſt fides, qua impetratur largitas ſpiritus, de qua dicitur; *Nos ſpiritu ex fide ſpem iuſtitiæ expectamus*; ſpem autem iuſtitiæ dixit, vel qua ſperat iuſtitia, vel qua ſperatur ipſa iuſtitia: quoniam iuſtus ex fide viuens, ſperat vtique vitam æternam. Itemque fides eſuriens, ſitienſque iuſtitiam, renouationem videlicet de die in diem interioris hominis, proficit in ea, & ſperat in ea ſatiari in vita æterna, ſicut ſcriptum eſt: *Qui ſatiat in bonis deſiderium tuum.* Hæc eſt fides, qua ſalui fiunt, quibus dicitur: *Gratia ſalui facti eſtis per fidem, & hoc non ex vobis; donum enim DEI eſt.* Poſtremò hæc eſt fides, quæ per dilectionem operatur, non per timorem: non formidando pœnam, ſed amando iuſtitiam. Hæc Auguſtinus.

Ad Galatas 5.
Quæ fides potiſſimum laudetur in ſcriptura.
S. Auguſtinus.
Ad Gal. 5.
Pſal. 102.
Epheſ. 2.
Ad Gal. 5.

Sed quemadmodum fides ſe habeat ad iuſtificationem, copioſius differendi, maior nobis erit opportunitas, cum ad tertium caput huius epiſtolæ ventum fuerit.

NONA

NONA DISPVTATIO.

Quam varia ſit huius vocis (Fides) in ſacris litteris vſurpatio.

48. TRACTATVS huius Diſputationis, ſit explanatio variæ ſignificationis, qua nomen fidei vſurpatur in ſacris litteris, præcipue autem in epiſtolis Pauli. Omnes fermè ſignificationes fidei reduci ad duas commode poſſunt. Vel enim fides ſignificat virtutem moralem, quæ eſt in voluntate, & eſt fundamentum iuſtitiæ ſeruans veritatem, & conſtantiam in dictis, & promiſſis. De hac intelligendum eſt, cum dicitur: Nulla fronti fides, &, Bona, vel mala fide quidpiam agere, & præſtare fidem, aut violare fidem. Significat præterea nomen Fidei, virtutem intellectualem, qua aſſentimur rebus à nobis minime viſis, nec euidenter cognitis: quæ ſignificatio oriri videtur ex priori: nam cum ille, qui priori modo fidem habet, & eſt verax, atque fidelis, mihi quippiam dicit, aut promittit, facit vt ego illi facile credam. Ac licet Grammatici quidam, quod græcè dicitur πίςις, melius latinè dici contendant perſuaſionem, quàm fidem: falluntur tamen; nam Cicero in Topicis ait, argumentum eſt ratio rei dubiæ faciens fidem: & in primo libro de Officiis, Iis, inquit, fidem habemus, quos plus intelligere, quam nos arbitramur. B. Auguſtinus in libro de ſpiritu & littera capite trigeſimo primo has duas fidei ſignificationes inter ſe diſtinguens: Aliter, inquit, dicimus, Non mihi fidem habuit; & aliter, Non mihi ſeruauit fidem: nam illud eſt; Non mihi credidit quod dixi; hoc autem eſt, non fecit quod dixit. Secundum hanc fidem qua credimus, ſumus nos fideles DEO; ſecundum

Cicero.

S. Auguſtinus.

ecundum illam verò, qua fit quod promittitur, etiam DEVS ipse dicitur fidelis nobis. Sic enim locutus est Paulus, cum dixit: *Fidelis DEVS, qui non permittit vos tentari supra id quod potestis.* Et in capite tertio huius epistolæ dixit: *Nunquid incredulitas eorum fidem DEI euacuauit?*

1. Cor. 10.

49.

Verùm omissa priori significatione, posteriorem fidei significationem paulo subtilius expendamus. Nomen fidei sæpe numero in sacris litteris vsurpatur pro certa credulitate, siue persuasione, qua credimus vera esse, quæ nobis à DEO siue per sacram scripturam, siue per Ecclesiam reuelata sunt, qualiacumque fuerint siue historiæ, siue præcepta, siue promissiones, aut comminationes. Ad hunc intellectum fidei pertinet quod Paulus dixit ad Hebræos 11. *Fide intelligimus aptata esse secula verbo DEI.* Et item illud: *Accedentem ad DEVM credere oportet, quia est, & inquirentibus se, remunerator sit.* Et quod Martha dixit Domino: *Ego credidi, quia tu es CHRISTVS Filius DEI viui, qui in hunc mundum venisti.* Et eunuchus reginæ Candacis dixit Philippo: *Credo Filium DEI esse IESVM CHRISTVM.* Paulus etiam eandem fidei significationem spectauit, cum in capite decimo tertio prioris epistolæ ad Corinthios scripsit: *Nunc manent fides, spes, charitas.* Vbi cum fides distinguitur à spe, liquet nomen fidei poni pro nuda credulitate, & persuasione. Sedenim, cum ea, quæ credimus esse vera, si fuerint bona, & vtilia nobis, & promittantur ab eo, cui fidem habemus, afficitur animus noster amore, & desiderio eorum, vt ex bonitate, & benignitate erga nos promittentis ea nobis, concipiamus animo spem, & fiduciam ea consequendi. Quo fit vt sæpe nomen fidei, quæ est promissorum nobis à DEO bonorum, non solùm comprehendat credulitatem, & persuasionem, sed coniunctam quoque secum habeat, & nomine fidei comprehensam spem siue fiduciam. atque sic nomine fidei vsus videtur Iacobus in primo capite suæ epistolæ scribens: *Si quis indiget sapientia, postulet à DEO: postulet autem in fide, nihil hæsitans: qui enim hæsitat, similis est fluctui maris,*

Heb. 11.

Ioan. 11.

Actor. 8.

Locus epistolæ Iacobi capite primo.

qui à vento circumfertur. Iuxta significationem hanc est, quod dixit Dominus Petro, cum submergeretur in mari: *Modicæ fidei quare dubitasti?* Et quod dixit Chananeæ: *O mulier, magna est fides tua.* Et Paulus in capite quarto huius epistolæ de fide loquens Abraham, secundum hanc fidei significationem dixit: *Non est infirmatus fide; nec in repromissione DEI hæsitauit diffidentia; sed confortatus est fide, dans gloriam DEO.* In supradictis itaque locis nomine fidei comprehenditur etiam spes & fiducia. Sanè Paulus in capite vndecimo epistolæ ad Hebræos, vbi de fide disputat, ita nomen eius vsurpat, vt sæpè à fiducia ad credulitatem, & viciſſim à credulitate ad fiduciam delabatur. Est porrò fiducia tanquam proles fidei; nimirum fiducia est roborata spes ex certa fide, aut vehementi opinione alicuius boni vel promissi nobis, vel per nos comparabilis. Ductum autem est nomen fiducia à fide, ad quam pertinet credere aliquid, & alicui. Propriè verò fiducia pertinet ad spem, secundum illud Iob: *Habebis fiduciam, proposita tibi spe.* Quocirca nomen fiduciæ hoc principaliter significare videtur, quod aliquis spem concipiat ex eo, quod credit verbis alicuius, auxilium, vel bonum aliquod sibi promittentis. Videat Lector, quæ de fiducia, quomodo se habeat ad fidem, & ad spem, pluribus scribit B. Thomas in secunda secundæ quæstione vigesima nona articulo sexto.

Matth. 14. *Infra 15.* *Locus Iob. c. 11.* *S. Thomas.*

50. *Quomodo Hæretici distinguant tripartito fidem.*

Nostri huius temporis hæretici trifariam distinguunt fidem, & vnam vocant historicam; alteram, miraculorum; tertiam, diuinarum promissionum. Historicam fidem vocant, qua credimus vera esse omnia, quæ narrantur in veteri, & nouo Testamento de creatione Mundi, de Diluuio Noë, de sanctis Patriarchis, de Mose, de populi Hebræi iudicibus, & Regibus, & Prophetis; in nouo Testamento de mysteriis vitæ, & mortis CHRISTI, de dictis eius & factis, de Ioanne Baptista, de Discipulis Domini, de actis Apostolorum. Fidem autem miraculorum appellant, per quam magna fiunt miracula, sicut Paulus dixit: *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam,*

1. Ad Cor. 13.

transferam, &c. Et Dominus dixit discipulis suis: *Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc illuc, & transibit, & nihil impossibile erit vobis.* Fidem porrò diuinarum promissionum nominant, qua quæ à DEO in ipsum credentibus promissa sunt, non solùm vera esse credimus, verùm etiam eorum nos participes fieri indubitanter credimus atque confidimus: huiusmodi sunt in nouo Testamento: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Et: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Et; *Sic DEVS dilexit mundum, vt FILIVM suum vnigenitum daret; vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et: *Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est.* Arbitrantur itaque isti, hominem iustificari per fidem, non qualecumque, non enim per fidem historicam, vel miraculorum, sed per fidem diuinarum promissionum, & per fidem, qua quis omnino credens DEI promissionibus de iustificatione impij, & de remissione peccatorum per CHRISTVM efficienda, omnino confidit earum se promissionum participem factum. Talis itaque fiducia istorum, per quam iustificari hominem censent, non solùm est in genere, qua confiditur DEVM esse paratum homini peccata remittere, nisi obstiterit ipse, ac seipsum minime idoneum & capacem reddiderit, sed etiam in particulari; aiunt enim vnumquemque certò debere credere, & confidere, sibi absolute remissa esse peccata per gratiam CHRISTI, & per hanc specialem fiduciam comparari remissionem peccatorum, & gratiam iustificationis coram DEO. At enim istam specialem fiduciam, merum esse figmentum Hæreticorum, planè contrarium diuinæ scripturæ, non est difficile multis & firmis rationibus concludere: verùm super ea re infra super caput tertium huius epistolę propriam & accuratam instituemus disputationem.

Marc. 11.

Marc. vlt.

Ioan. 20.

Supra 3.

Ibidem.

DECIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Verſ. 18. Reuelatur enim ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem & iniuſtitiam hominum eorum qui veritatem DEI in iniuſtitia detinent.

§ I. *Ambroſius.*

HVNC locum Ambroſius ita exponit: ſicut in illo, qui credit, iuſtitia Dei reuelatur in eius ſalutem, vt proxime ab eo dictum eſt: ita in eo, qui non credit, ira DEI & vindicta reuelatur de cœlo, aduerſus impietatem, & iniuſtitiam hominum non credentium in DEVM. Ex ipſa enim cœli fabrica iratus iſtis DEVS videtur: idcirco enim tam pulchra condidit aſtra, vt ex iis quantus & quàm mirabilis creator eorum eſt, poſſit agnoſci; & quod ſolus adorari debeat, intelligi. Cœli enim enarrant gloriam DEI, vt ait ſcriptura, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. Per naturalem igitur legem DEVS reum facit genus humanum: potuerunt enim id per legem naturæ apprehendere, fabrica mundi teſtificante, auctorem omnium DEVM, ſolum eſſe colendum atque diligendum. Sed ipſi facti ſunt impij non colendo Creatorem; & iniuſtitia in eis apparet, dum videntes veritatem diſſimulant tamen, & occultant eam, non confitentes vnum & verum DEVM. Vt enim DEVS, qui naturâ inuiſibilis eſt, etiam viſibiliter poſſet ſciri, opus viſibile factum ab eo eſt, quod opificem viſibilitate ſua manifeſtaret, vt per certum ſciri poſſet, quod incertum eſt, & per opus quod impoſſibile factu ceteris eſt, ille eſſe DEVS omnium crederetur, qui tale hoc opus fecit. Vnde Paulus ſubdit: *DEVS enim manifeſtauit illis.* Manifeſtauit ſe videlicet

Pſal. 18.

cet

cet Deus illis, dum opus fecit, per quod posset ab illis manifestè cognosci. Hæc Ambrosius. Cuius sententia hæc citatur à Magistro in primo sententiarum, Distinctione tertia.

52. Illa particula, *enim*, cum dicitur: *reuelatur enim ira* DEI indicat, Paulum his verbis rationem quandam, & probationem adiicere eorum, quæ proximè antecesserunt. Duæ autē sententiæ proximè præcesserunt: prior quidem, fuit illa: *Euangelium, est virtus* DEI *in salutem omni credenti:* posterior verò est illa: *Iustitia* DEI *reuelatur in eo ex fide in fidem.* Potest igitur præsens sententia esse declaratio, & confirmatio illius prioris, hoc sensu: In Euangelio reuelatur fore, vt in die Iudicij DEVS ostendat iram & vindictam suam aduersus omnes impios, & peccatores, & qui Euangelio suo credere, ac obedire noluerunt; & tunc apparebit clarissimè virtus, & potentia DEI, omnes mortuos reuocantis ad vitam, atque omnium merita diiudicantis, æternisque suppliciis peccatores condemnantis. Potest etiam esse declaratio posterioris sententiæ, tanquam ita Paulo ratiocinante: *In Euangelio reuelatur ira* DEI *super omnes homines*, ergo reuelatur in eo iustitia DEI ex fide in fidem: quæ quidem ratiocinatio optima est, si expressè suppleantur nonnulla, quæ hîc subintelliguntur, ad hunc nempe modum: Euangelium vbique personat, omnes homines esse mancipatos peccatis, & obnoxios iræ ac vindictæ DEI: ergo nulli mortalium potest meritis suis contingere iustificatio coram DEO. Quapropter quicunque vult iustitiam consequi, confugere eum necesse est ad misericordiam DEI, quæ apprehenditur, & obtinetur per fidem CHRISTI. Euangelium igitur reuelans sub ira DEI esse omnes peccatores, manifestè ostendit, non contingere homini iustitiam nisi per fidem. Quod autem Euangelium reuelet iram DEI super omnes peccatores, manifestum est ex multis locis Euangelicæ, & Apostolicæ doctrinæ, in quibus agitur de futura post hanc vitam æterna punitione, & quod CHRISTVS venturus sit ad iudicandum omnes homines, bonis, æternæ felicitatis præmia; peccatorib⁹, æternæ mortis supplicia red-

diturus. Quo etiam ſpectat, cùm & in Euangelio, & in aliis noui Teſtamenti ſcripturis monentur peccatores, vt dignam pœnitentiam agant peccatorum ſuorum, vt iram DEI, & perpetua ſupplicia effugere queant. Sanè Præcurſor Domini Ioannes Baptiſta, atque adeò Dominus ipſe prædicationem ſuam orſi ſunt dicentes: *Pœnitentiam agite*. Et ipſe Baptiſta dicebat Iudæis: *Quis demonſtrauit vobis fugere à ventura ira?* quaſi diceret: Præſentem iram, quam DEVS in hac vita exercet in peccatores, temporalibus eos puniens ſuppliciis, cognoſcere potuiſtis à DEO, & Prophetis, & ipſi ſæpius experti eſtis, magnis non rarò calamitatibus, propter inobedientiam, ac impietatem veſtram à DEO contriti. Sed venturam iram DEI, quæ poſt hanc vitam, maximè verò in die extremi iudicij apparebit, quis docuit vos fugere? nam aperta eius prædicatio, & teſtificatio, propria eſt noui Teſtamenti. Et poſt hæc ſubdit Ioannes Baptiſta: *Iam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Et mox adiungit de CHRISTO loquens: *Cuius ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Præterea Dominus dicebat Iudæis: *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis.* Et, *Qui non crediderit, condemnabitur.* Et, *Qui incredulus eſt FILIO, non videbit vitam, ſed ira DEI manet ſuper eum.* Et Paulus in Areopago diſputans: *Tempora*, inquit, *huius ignorantiæ deſpiciens DEVS, nunc annuntiat hominibus vt omnes vbique pœnitentiam agant; eo quod ſtatuit diem, in quo iudicaturus eſt orbem terræ in æquitate, in Viro, in quo ſtatuit fidem, præbens omnibus, ſuſcitans eum à mortuis.* Vides igitur, optime Lector, quomodo iram DEI reuelet Euangelium ſuper omnes peccatores, niſi per fidem CHRISTI ad ipſum conuertantur.

Locus Matthæi cap. 3.

Lucæ 13.

Marci vlt.

Ioan. 3.

Act. 17.

53. *An ira Dei in peccatores euidentius reuelata ſit in veteri Teſta-*

Hinc porrò diluitur obiectio, quæ fieri poſſet contra ſententiam hanc Pauli, dicentis, iram DEI erga peccatores præcipue reuelari in Euangelio. Poſſet enim obiici, multò euidentius declaratam eſſe iram DEI aduerſus peccatores, in lege na-

ge naturæ, & in lege Mosis, quàm tempore legis Euangelicæ. Exempli causa, in generali totius orbis diluuio, & in cœlesti, sceleratarum vrbium incendio, & in decem plagis Ægypti, & Pharaonis, totque millium Ægyptiorum in Mari rubro submersione: & cum terra dehiscens tot homines viuos absorbuit: & cum Angelus DEI vna nocte centum octuaginta quinque millia Assyriorum occidit, talia profectò, tantaque diuinæ in peccatores iræ exempla in nouo Testamento non sunt edita. Sed enim ira DEI supradictis suppliciis in veteri Testamento declarata, fuit ira temporaria, & corporalibus, ac temporariis in hac vita pœnis castigans peccatores: illa verò, quæ reuelatur in Euangelio; est ira sempiterna, per quam peccatores post hanc vitam æternis torquentur cruciatibus. Nempe de hac ira scriptum est: *Qui incredulus est FILIO, non videbit vitam, sed ira DEI manet super eum.* De hac item ita dixit Paulus: *Secundum duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & iusti iudicij DEI, qui reddet vnicuique secundum opera eius.* Hæc demùm est ira illa, quam Præcursor Domini vocauit venturam iram, dicens: *Quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira?* Supplicia porrò, quibus peccatores in hac vita plectuntur, si vel grauitate, vel diuturnitate comparentur cum suppliciis, quæ post hanc vitam peccatores manent, leuissima profectò sunt, & tanquam nihili: ira quoque, quam in peccatores DEVS in hac vita exerit, parua est, & mollis admodum ac leuis, præut erit futura post hanc vitam ira eius contra peccatores. Quippe verum est quod apud Iob scriptum est de DEO: *Nunc non infert furorem suum, nec vlciscitur scelus valde.* Hoc ipsum discipulos suos docere voluit Dominus cùm dixit eis: *Dico vobis amicis meis: Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam, ita dico vobis hunc timete.*

mento quàm in nouo. *Gen. 7 & seqq.* *Exod. 7. & seqq.* *Num 16.* *4. Reg. 19.* *Locus Ioan. 3.* *Ad Rom. 2.* *Locus Iob. 35.* *Lucæ 12.*

54. Paulus igitur hoc loco docet, per Euangelium declarari, omnes homines esse iniustos, ideoque subiectos iræ DEI: idque

que primò demonſtrat in Gentibus, deinde in Iudæis; & in vtroque explicando & reſiduum huius primi capitis, & totum caput ſecundum, & dimidium tertij capitis conſumit: Poſthæc verò redit ad principalem diſputationem, quod iuſtitia DEI, qua verè fit homo iuſtus, nulli mortalium contingat, niſi per fidem IESV CHRISTI. Superuacuum autem fuerit admonere Lectorem, cùm ira dicitur in DEO, id ſecundum phraſim hebræam dici pro vindicta DEI, ad ſimilitudinem hominum iraſcentium, qui ardore atque impetu iræ concitantur ad agendam vindictam. Cùm tamen DEVS ſumma tranquillitate vindictam exerceat, ſicut in libro Sapientiæ capite duodecimo ſcriptum eſt: *Tu autem Dominator noſter cum tranquillitate iudicas.* Atque hoc valet ad redarguendos quoſdam Philoſophos, qui aiebant, DEVM non exigere pœnam peccatorum ab hominibus; & prouidentiam DEI circa cœleſtia tantùm verſari, nec demitti vſque ad res terrenas; quorum verba illa refert Iob capite 22. *Circa cardines cœli perambulat, nec noſtra conſiderat*, cùm tamen in Pſalmo decimo tertio ſcriptum ſit: *Dixit inſipiens in corde ſuo, Non eſt DEVS: corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis: non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Dominus proſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens, aut requirens DEVM.*

55. *Quid ſignificet iram Dei reuelari de cœlo.* Sed quid eſt, iram DEI reuelari de cœlo? Secundum Ambroſium, ſignificat, ipſos cœlos demonſtrare, meritò DEVM eſſe iratum peccatoribus, & ipſos fore accuſatores eorum, & damnationis approbatores: quod cùm ex magnitudine cœlorum verum DEVM, effectorem eorum, cognouiſſent, ſuper omnia vtique diligendum atque colendum, ipſi poſthabito vero DEO, diuinum cultum, & honorem, etiam viliſſimis rebus adhibuerunt. Vel illud (de cœlo) ſignificat iram & vindictam DEI fore cunctis hominibus, vbiuis locorum fuerint, conſpicuã & manifeſtam: nam quod in cœlo apparet, id cunctis mortalibus, qui in terris ſunt, aſpectabile, & conſpicuum eſt. Sic videtur accipi, quod dicitur in Pſalmo nona-

nonagesimo sexto: *Annuntiauerunt cæli iustitiam eius.* Et hoc mox declarans subdit: *Et viderunt omnes populi gloriam eius.* Et item quod legitur in Psalmo quadragesimo nono: *Annūtiabunt cæli iustitiam eius: quoniam DEVS iudex est.* Quasi dicat: Cùm DEVS veniet iudex ad iudicandum omnes homines, erit omnibus iustitia eius tam erga bonos, quàm aduersus improbos manifesta, & cœlestibus signis ac prodigiis declarabitur. Vel potius per iram de cœlo reuelandam, intelligere oportet iram eius in extremo iudicio declarādam, quemadmodum Chrysostomus, & Theophylactus, & Oecumenius interpretantur. Nam licet illud (de cœlo) videatur referendum ad verbum illud (reuelatur) legenti tamen caput quartum prioris ad Thessalonicenses, & caput primum posterioris ad eosdem epistolæ: quibus in locis hæc eadem particula (de cœlo) ponitur, proculdubiò videbitur ea particula referri debere ad illam iram DEI ingentem, grauissimamque vindictam, qua DEVS de cœlo descendens in flamma, & cum ANGELIS virtutis suæ peccatores æternis mactabit suppliciis. Secundum Caietanum, reuelari de cœlo, idem est, ac reuelari in Euangelio, vt ante dixerat, quia Euangelium de cœlo est. Vel dixit, (*de cælo*) ad differentiam vindictarum, quas DEVS ordinariè per homines exercet.

Locus Psalmi 49 & 96.

Chrysostom. Theophyl. Oecumen.

56. Sequitur illud: *Super omnem impietatem, & iniustitiam hominum, qui veritatem DEI in iniustitia detinent.* Impietas, & iniustitia hoc in loco ita distingui possent, vt nomine impietatis significetur, quicquid peccatur contra DEI cultum, & religionem, vt est periurium, blasphemia, & idololatria. Nomine autem iniustitiæ denotentur cætera omnia peccata, quæ quocunque modo committuntur. Veritatem porrò DEI vocat veram, quam de DEO habuêre Ethnici cognitionem: ea verò dicitur detineri in iniustitia, quia cùm sit in intellectu incitans hominem ad studium virtutis, prauæ tamen voluntatis affectu tenetur quasi captiua, nec sinitur in opus suum prodire. Sensus igitur totius sententiæ huius Pauli hic est: Iram DEI reuelari contra eos, qui prauitate

suæ voluntatis efficiunt, ne quæ de DEO verè cognouerant, debitum in ipsis habeant effectum, qui est DEVM verum super omnia colere, & glorificare. Et quanquam neminem Paulus hoc loco nominatim appellet, in quem hæc ab ipso dicantur, verba tamen eius non obscuram habent Philosophorum significationem, quos Paulus, omisso vulgo, ostendere voluit impios atque iniustos fuisse. Nam improbitas vulgi, per se manifesta erat omnibus, nec difficile intellectu esset, credere vulgus Gentium peccatis mancipatum esse, si, Philosophos ipsos, qui sanctiorem vitam profitebantur, & rationem benè, ac beatè viuendi docebant alios, grauissimis iniustitiæ, atque impietatis criminibus opertos fuisse demonstratum esset. Illud, *super omnem impietatem, atque iniustitiam hominum.* Idem significat, atq; , super omnes homines impios & iniustos: Vel potius ita locutus est Paulus, quia in vno homine multa & varia impietatis & iniustitiæ crimina, quæ omnia sigillatim sub iudicium & sententiam DEI subiicientur, esse possent. Tres (inquit Hieronymus) esse videntur impietates: prima, & maxima in DEVM, quæ aut per blasphemiam, aut per idololatriam admittitur. Secunda est in parentes, vel per iniuriam, vel per contemptum eorum. Tertia, in extraneos, secundum illud: *Et tu remisisti impietatem peccati mei*, siue omnis impietas, ad diuersas Idolorum culturas referenda est: vt impietas propriè ad iniuriã DEI; Iniustitia verò ad cætera peccata pertinere videatur.

S. Hieronymus.

Psalm 39.

57. *Quid sit Dei veritatem detineri in iniustitia*

S. Basilius.

Illud: *Qui veritatem DEI in iniustitia detinent.* Simpliciter ferè, vt nos exposuimus, interpretatus est B. Basilius in Regulis suis breuioribus: vbi sexagesima quinta interrogatio est huiusmodi: Quomodo veritatem in iniustitia aliquis detinet? & hanc subdit responsionem. Tunc nempe id fit, quotiescunque datis à DEO bonis, ad proprias voluntates, & voluptates abutimur: quod vitium in se fuisse negauit Paulus, cùm scripsit Corinthiis: *Non sumus sicut plurimi, adulterantes verbum DEI.* Et item: *Neque aliquando fuimus in sermone adulationis; sicut scitis: neque in occasione auaritiæ, DEVS testis est.*

2. ad Corint. 2.

1. ad Thessal. 2.

Nec

Nec quærentes ab hominibus gloriam, neque à vobis, neque ab aliis. Sic ille. Prior quoque huius loci expoſitio apud Chryſoſtomum conſimilis eſt: nam poſterior expoſitio eius, illud, *in iniuſtitia*, refert ad idololatriam: quid enim iniuſtius eſſe poteſt, quàm vero DEO, quem nouerant Philoſophi, & Sapientes Gentium ſuper omnia colendum, & glorificandum, diuinum honorem, & cultum non adhibere; ſed eo poſthabito, tribuere eum ſimulacris falſorum Deorum, quin etiam rebus viliſſimis, & abiectiſſimis? Hanc expoſitionem ſequens Auguſtinus in ſermone quinquageſimo quinto de verbis Domini, ſecundum Euangelium Ioannis, ita ſcribit in Philoſophos, & ſapientes Ethnicos, qui cognitum ab ipſis DEVM non glorificauerunt, ſed potius adorauerunt Idola: Inueniſti DEVM, ô homo, & colis Idolum? Inueniſti veritatem, & ipſam veritatē in iniuſtitia detines; & quod per DEI opera cognouiſti, per opera manuū hominum perdidiſti. Totum mūdum cōſideraſti, cœli, terræ, maris, elementorū ordinem collegiſti: & non vis attendere quod mundus opus eſt DEI; Idolum autem, opus eſt fabri. Si faber Idolo, ſicut dedit figuram, etiam cor, & animum dediſſet, ab ipſo vtiq; Idolo faber adoraretur: Quēadmodū enim, ô homo, faber tuus DEVS eſt, ſic homo Idoli faber eſt. Ecce in qua iniquitate veritatē Ethnici tenuerunt, & ad poſſeſſionem eius veritatis, quam viderunt, minimè peruenerunt. Hæc Auguſtin. Iuxta hanc interpretationem Chryſoſtomus, quemadmodū Ethnici veritatem DEI detinuerint in iniuſtitia, declarat hac ſimilitudine. Quemadmodum cui regales pecuniæ creditæ fuerunt, mandatumque accepit, vt eas in Regis honorem impendat; is ſi eas pecunias in prædones & ſcorta, & Magos contulerit, hoſque regiis pecuniis opulentos, & ſplendidos reddiderit; tanquam qui maximè Regis voluntatem offenderit, grauiſſimas pœnas perſoluit: Ita & Sapientes Ethnicorum, cum notitiam DEI accepiſſent, eiuſque ſuper omnia gloriam & maieſtatem cognouiſſent; nihilominus tamen honorem, & cultum ſoli DEO debitum, vaniſſimis Idolis adhibentes,

Chryſoſtomus.

S. Auguſtinus.

Chryſoſtomus.

tes, in iniuſtitia veritatem detinuerunt; & quantum in ipſis fuit, cognitionem DEI, affecerunt iniuria, non ea ſicut decens, & iuſtum fuit, vſi: quamobrem inexcuſabiles ſunt, maximiſque digni ſuppliciis.

VNDECIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Verſu 19.

Quod autem notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtauit.

58.

ILLA particula (quia) ſignificat, Paulum his verbis occurrere cuidam interrogationi, quæ ob verba proximè ſuperiora fieri poterat. Dictum enim eſt, Philoſophos Ethnicos veritatem DEI detinuiſſe in iniuſtitia: ſed quæri poterat, vnde illi, qui nec legem Moyſis, nec Prophetas, nec vllas DEI reuelationes habuerant, veritatem DEI cognitam habere potuerunt? Reſpondet nunc Paulus, multas DEI veritates, humanæ rationis facultate inueſtigabiles, cognouiſſe; DEVMQVE multa de ſe, per lumen naturale inditum humanæ menti, & per rerum à ſe conditarum contemplationem, manifeſtaſſe ipſis. Ad hunc modum Auguſt. hanc ſententiam cum ſuperiori connectit, ita ſcribēs in ſermone quinquageſimo quinto de verbis Domini, ſecundum Euangelium Ioannis: Sed vnde illi veritatem DEI nouerant, vt eam detinerent in iniuſtitia? num DEVS ad quemquam illorum locutus eſt? num legem acceperunt ſicut Hebræi per Moyſen? Audite quod ſubdit Apoſtolus: *Quia quod notum eſt DEI, manifeſtum eſt illis: DEVS enim illis manifeſtauit:* mox adiungit:

S. Auguſtinus.

Inui-

Inuiſibilia enim eius per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Interroga mundum, ornatum cœli, fulgorem, diſpoſitionemque ſiderum, ſolem diei ſufficientem, lunam noctis ſolatium, interroga terram herbis, & arboribus fructificantem, & animalibus plenam, & hominibus exornatam: interroga mare tot tantiſq; natatilibus plenum: interroga aëra innumeris refertum volatilibus: interroga omnia, & vide ſi non illa ſenſu ſuo tanquam tibi reſpondeant: DEVS nos fecit. Hæc & Philoſophi nobiles quæſierunt, & ex artificio, atque opificio mundi, DEVM eius opificem, effectoremque cognouerunt. Hac itaque ratione illi veritatem Dei agnouerunt, & DEVS ſui cognitionem impertiuit eis; qua tamen illi per ſummam iniuſtitiam abuſi ſunt, poſthabito vero DEO adorantes & colentes idola. Sic Auguſtinus.

59. Sed nos perpendamus verba Pauli: *Quod notum eſt Dei,* pro *notum,* græcè eſt (γνωςὸν) quod latine ad verbum dixeris, noſcibile, ſiue, vt Catonis vtar verbo, cognobile. Ergo Philoſophis nota fuerunt de DEO, quæ citra ſupernaturale auxilium eius, per lumen naturale mentis, humana ratione inueſtigari & cognoſci poſſunt. Sunt enim alia in DEO, quæ abſque ſingulari eius reuelatione nulli mortalium certò nota eſſe poſſunt; vt eſt myſterium TRINITATIS, & Incarnationis. *Manifeſtum eſt in illis,* videtur illa particula (in) vacare, nam mox ſubdit: *DEVS enim illis manifeſtauit.* Omittens particulam (in) vel dixit (in illis) pro, inter illos, & apud illos, vel per illos. Vel dictum eſt (in illis) ſecundum Anſelmum, pro cordibus eorum, & vt paulo ſupra dixit B. Hieronymus, in conſcientiis ipſorum: nam licet veritatem DEI ſibi notam ore taceant, exterioriq́ue conuerſatione diſſimulent; in mentibus tamen, animiſque ſuis agnoſcunt eam, & tacitè confitentur.

Anſelmus.

60. *DEVS enim illis manifeſtauit.* Trifariam, vel etiam quadrifariam DEVS cognitionem ſui manifeſtat homini. Primò, quia indidit vnicuique hominum naturalem quendam, atque indeficientem appetitum noſcendi DEVM. Omnis

Quatuor modis manifeſtat ſe homini Deus modo naturali.

Arist. 1. Metaphys. enim homo naturaliter ſcire deſiderat, præcipuè verò DEVM: vnde naturaliter in homine generatur notitia quædam DEI, per quam ſuſpiciens cœlum, vota facit, inde ſibi bona dari, & auerti mala poſtulans. Deinde quia DEVS in animo accendit lumen quoddam intellectuale, quo non ſolum res corporeas & ſenſibiles, ſed incorporeas quoque, & ſupra captum omnium ſenſuum poſitas, ſcrutari, explorare, ac percipere queat, & in his præcipue ipſum DEVM, principium omnium, ac finem: de quo lumine interpretantur quidam illud Dauidis in Pſalmo 35. *In lumine tuo videbimus lumen.* De hoc ſane DEI munere, Dauid gratias *Locus Pſal. 15.* DEO agit in pſalmo 15. dicens: *Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum.* Ad hæc, expoſuit DEVS, & obiecit hominis ſenſibus, & mentibus tot, & tanta opera ſua, quæ in hoc mundo perfecit: ex quorum aſpectu & contemplatione facile poſſet, quaſi manu deduci in effectoris eorum cognitionem, ſicut ex pulchritudine opificij, artificis præſtantia cognoſcitur. Et ob has quidem cauſas dicitur DEVS in ſcriptura docere hominem ſcientiam, ſicut Dauid dixit in Pſalmo 93. de DEO loquens: *Qui docet hominem ſcientiam.* *Locus Iob. c. 35.* Et apud Iob cap. 35. ſcriptum de DEO eſt: *Qui docet nos ſuper iumenta terræ, & ſuper volucres cœli erudit nos.*

61. *Catharinus.* Catharinus his tribus viis, & modis, quibus DEVS ſe ſuaque manifeſtauit etiam ethnicis hominibus, addit quartum modum manifeſtandi ſe, per ANGELOS videlicet interius illuminando hominem, & applicando mentem eius ad capeſſendam DEI cognitionem. Nuda quippe cognitio DEI ex creaturis tantùm petita, ob infirmitatem humanæ mentis & præſtigias, & fallacias Dæmonum facile poteſt vel contrariis argumentis in ſpeciem probabilibus, vel Dæmonum fallaciis infirmari, & labefactari; niſi DEVS ſingulari quapiam illuminatione præcipue hominem iuuet, firmetque in ſui cognitione. In hanc ipſam ſententiam ſuper hoc loco ſic Anſelmus ſcribit; *DEVS illis manifeſtauit.*

festauit. Id autem est: Non solum naturalis ratio ad id profuit illis, sed DEVS etiam quotidie adiuuit, ne sola natura sufficere videretur. Iudæis porrò manifestauit multa DEVS, non modo supra sensus, verùm etiam supra humani intellectus facultatem: De quo præ gentibus meritò gloriantes, & exultantes cantabant: *Notus in Iudæa DEVS*. Rectè porrò Caietanus ex hoc Pauli loco argumentatur, esse non nulla, quæ de DEO euidenter ab homine cognosci, & demonstratiue probari queant: alioqui enim non dixisset Paulus, Philosophis, quæ de DEO naturaliter sciri possunt, fuisse manifestata à DEO. Verba Caietani sic se habent: *Manifestum est in illis*, hoc est, in intimis ipsorum. Et bene nota, dici à Paulo, *Manifestum est*, contra eos, qui nulla putant ratione demonstrata esse ea, quæ sunt de DEO: isti enim non solùm contradicunt Philosophiæ, sed Apostolico textui; nam si manifestum est, ergo demonstratum esse oportet. *DEVS enim illis manifestauit*, non dicit, reuelauit, ne lumen gratiæ immisceat: sed dicit, *manifestauit*, vt diuinum concursum, mediante lumine naturali, quod donum DEI est, significet. Modum verò manifestandi subiungit, dicens: *Inuisibilia enim eius, &c.* Est enim modus naturalis homini, ex effectu cognoscendi causam, & de sensibilibus intelligibilia. Ita Caietanus.

Psal. 85.

DVODE-

DVODECIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Versu 20.

Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt, intellecta, conſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus eius & diuinitas.

62.

DIXERAT DEVM ethnicis quædam de ſe manifeſtaſſe: nunc docet, quænam ſint iſta, & qua via & ratione manifeſtata ſint. Tria numerat manifeſtata illis; primò inuiſibilia Dei; deinde ſempiternã eius virtutem; tum diuinitatẽ eius. Modũ verò manifeſtandi, ait, fuiſſe per cognitionẽ, & contemplationem eorum, quæ à DEO facta ſunt, & in hoc mundo cernuntur. Theodoretus ſic exponit hunc locum: Creatio, inquit, rerum, & horarum mutationes, & temporum viciſſitudines, noctis & diei ſucceſſiones, & nubium velut quædam parturitiones imbrium, & auræ ventorum, & herbarum, arborumque & fructuum ex ſeminibus productiones, & alia huiuſmodi permulta, quæ in hoc mundo cernuntur; apertè nos docent, & DEVM eſſe omnium effectorem, & gubernationis eorum, quæ fecit, clauum ſcitè ac ſapienter tenere. Qui enim ſola bonitate ſua, & benignitate adductus, omnia fabricatus eſt; nunquam eorum quæ fecit, curam abiecerit, & abſque adminiſtratione reliquerit. Et ideo non dixit diuinus Apoſtolus: *Inuiſibile ipſius.* Sed plurali numero: *Inuiſibilia ipſius.* Id autem eſt, creatio rerum, & prouidentia eorum, & iuſta DEI in vnumquemque ſententia, rerumque adminiſtrandarum multiplices ac variæ rationes. Quamobrem veniam non merentur, qui cùm eiuſmodi præceptores habuerint, ex tot

Theodoretus.

tot eorum doctrinis nullam vtilitatem percepere. quare meritò subiunxit Apostolus: *Ita vt sint inexcusabiles.* Hæc Theodoretus.

63. Sed cum sit hic locus Pauli celebratissimus, & quo maxime nitatur vniuersa naturalis Theologia, &, quam Philosophi vocant Metaphysicam, siue primam Philosophiam; dignus profectò est, qui subtiliter à nobis & copiose, accurateque tractetur; & ante alia, singula eius verba considerate pensitentur. *Inuisibilia ipsius.* Origenes inuisibilia DEI hoc loco putat esse inuisibiles creaturas, hoc est, ANGELOS; mũdus namq; constitutus est partim ex visibilibus creaturis, vt sunt cœli, & elementa, & ex his mixta, & composita corpora: partim ex inuisibilibus, cuiusmodi sunt spiritus incorporei, & Angelici. Verùm hæc Origenis interpretatio, Pauli consilio, & proposito incongrua, & aliena est. Vult enim Paulus redarguere hîc Philosophos, qui cum cognouissent Deum, non ei debitum honorem, & cultum, sed creaturis adhibuerunt; nihil igitur ad propositum eius facit mentio ANGELORVM. Deinde, proxime ante Paulus dixerat, multa de DEO fuisse manifestata Philosophis: quænam vero ista essent, declarauit mox subiungens: *Inuisibilia enim ipsius*: hęc igitur inuisibilia non ad ANGELOS, sed ad DEVM pertinent. Ad hæc, Paulus ait, inuisibilia DEI conspicua fieri ex his, quæ facta sunt ab ipso DEO; at ex creaturis corporeis, & sub aspectum sensusque hominum subiectis, non euidenter cognoscuntur ANGELI, neque enim ANGELI creatores fuere Mundi, nec eius principalem tenent gubernationem. Præterea paulo infra Paulus dicit de Philosophis: *Qui cum cognouissent DEVM, non sicut DEVM glorificauerunt, aut gratias egerunt.* Ergo quæ hoc loco dicuntur à Paulo, ea non ad ANGELORVM, sed ad DEI cognitionem referenda sunt. Theodoretus, vt ex verbis eius paulo supra memoratis manifestũ est, *Inuisibilia DEI*, exponit creationem mundi, & prouidentium omnium rerum, & iustam in vnumquemque sententiam, rerumque ministrandarum varias & multiformes ratio-

Quæ sint inuisibilia Dei. Origenes.

nes. Alij per inuisibilia Dei exponunt ea, quæ à Theologis vocantur attributa, vt est potẽtia, bonitas, sapientia, iustitia, quæ licet ipsa ex se sint maxime visibilia siue intelligibilia, nobis tamen propter infirmitatẽ nostri intellectus coniuncti sensibus corporeis, & per eos cognitionẽ rerum aucupantis, sunt inuisibilia: sicut enim se habet oculus noctuæ ad lumen solis, ita noster intellectus ad res incorporeas, & diuinas. quo videtur spectasse diuina scriptura, cum ait, DEVM habitare lucem inaccessibilem, & posuisse in tenebris latibulum suũ. Sed verius dictu est, appellari inuisibilia, quòd nec oculis videri, nec sensibus corporis cognosci possint, ad eorum tamen cognitionem per visibilium, & sensibilium rerum notitiam perueniri posse. Dixit porrò multitudinis numero, *inuisibilia* DEI, id quod paulo ante numero singulari dixerat, *quod notum est* DEI. Nec dicit, ipsum DEVM cognosci, quia verè non cognoscitur ipse DEVS in se, & vt est vna res simplicissima, omnis prorsus expers compositionis: sed secundum multiplices rationes à nostro intellectu conceptas, & prout res illa vna æquipollet plurimis perfectionibus quæ in creaturis diuisæ, ac determinatæ reperiuntur.

1. Tim 6. Psal. 17. Iob. 22.

64. Quid hoc loco significet: (Creatura mundi) tres expositiones. S. Chrysost. Theodoretus. Theophyl. Augustinus.

A creatura mũdi. Horũ verborũ triplex apud Auctores reperitur expositio. Vel.n. hoc loco creatura mũdi significat ipsã creationẽ, & effectionẽ mũdi, sicut exponunt Chrysostomus, & Theodoretus, & Theophylactus super hoc loco, & Augustinus in libro tertio de ciuitate, Dei, & in Tractatu secũdo in Euangeliũ Ioannis. Et secundũ hanc expositionem dupliciter exponi possunt hæc verba: primo sic: Ab ipsa vsque creatione mundi, id est, ex quo mundus creatus est, semper ex creaturis cognobilis fuit DEVS: vt significetur, non esse nouam hanc facultatem, & rationem cognoscendi DEVM ex creaturis, sed ab initio, cum est creatus mundus, datam esse homini: Et hæc est prima huius loci expositio. Altera est, vt per creaturam mundi intelligamus ipsum mundum à DEO creatum hoc sensu: ex eo quod mundus factus est, & à seipso fieri non potuit, necesse est factũ esse ab alio: eius autem effector DEVS est. Ergo per creaturam mundi intelligimus res

creatas,

creatas, quæ sunt in hoc mundo, vt sit sensus, Ab ipsa creatura, quæ mundus est, & est opificiũ ipsius DEI, potest DEVS cognosci. Nec mirũ videri debet, vocẽ creaturæ hoc loco accipi vel pro creatione, vel pro re creata: nam sicut vox græca, quę est hoc loco (κτίσις) significat apud Græcos & creationem, & rem creatã; sic apud Latinos scriptores Ecclesiasticos nomẽ creaturæ vtrumq; significat, ad eum modum, quo vtrũq; itidem significant hæc nomina, structura, iunctura, captura. Legunt autem hoc loco creaturam mundi, vt habet Latinus interpres, & non creationem mundi: Interpres Origenis hoc loco, & Ambrosius tam hic, quàm in libro de iis qui initiantur mysteriis, capite tertio. Faustus in Gallia episcopus, eius operis, quod de libero arbitrio scripsit aduersus Pelagianos libro secundo, capite septimo, Hilarius in Expositione Psalmi sexagesimi quinti super illis verbis. *Dicite Deo, quam terribilia sunt opera tua Domine*, & Augustinus tum alibi, tum in libro de spiritu & littera, capite duodecimo. Tertia demũ interpretatio est, vt per creaturã mundi intelligatur homo: is enim tum quia est princeps, & tanquã dominus omniũ creaturarum huius mundi corporei, tum etiam quia in eo omnis creatura quodãmodo continetur, idcirco simpliciter, & absolute appellatur creatura: quemadmodũ eo nomine vsus est Dominus dicens Apostolis: *Prædicate Euangeliũ omni creaturæ.* *Marc. vlt.* Additur verò, *mundi*, id est, huius mundi corporei, ad differẽtiam creaturę supramundanæ, & cœlestis, hoc est, ANGELI: is enim ingenita sibi subtilitate & sublimitate intellectus nõ ex aliis creaturis, sed ex seipso, & in seipso, nec morose per discursum, sed celeriter ac subito Deum cognoscit. At homo, huius mundi sensibilis incola, & spectator, vtens adminiculo sensuũ, ex rerũ creatarũ, & sensibilium cognitione, quam per sensus haurit, paulatim sibi quasi gradũ facit, & ascensum parat ad DEI cognitionẽ. Hanc expositionẽ sequitur B. Bernardus in sermone quodã super illis verbis Dauidis: *Audiam quid loquatur in me Dominus DEVS.* *B. Bernardus.* *Psal. 84.* Vbi ait, post diem iudicij creaturã hanc mundi visuram DEVM, non vt nunc, per speculũ, neq; in ænigmate, sed quo modo creatura cœli nunc il-

 lum

lum naturaliter videt. Interim porrò opus habere, vt in hoc mundo sensibili, velut in communi quodam libro sapientiam Dei agnoscat: & velut quodam vehiculo creaturæ, in Dei cognitionem assurgens deuehatur. Eandem loci huius expositionem tradit Magister sententiarum in primo libro distinctione tertia, eamque in eo loco sequuntur Scholastici Theologi. Harum porrò trium expositionum, videtur secunda propterea non esse probabilis, quòd secundum eam idem prorsus significaret illud, *à creatura mundi*, atque quod mox adiungitur, *per ea quæ facta sunt*: idem enim est, cognosci Devm ex hoc mundo corporeo, qui est opificiũ Dei, atq; cognosci eũ per ea, quæ sunt in hoc mundo, quæ sunt opera ipsius Dei; quare alterutrum esset superuacuum. Nisi fortè quispiã dicat, idcirco nõ esse vitiũ Tautologiæ; quia quod posteriori loco positũ est, sit declaratio prioris dicti: nã quia subobscurũ erat illud, *à creatura mũdi*, dilucidius factũ est subiuncto illo, *per ea, quæ facta sunt*. Dicere autẽ idẽ diuersis verbis & modis, ita vt posterius dictũ, sit prioris dicti expositio, non solũ vitio caret, sed ad laudem etiã pertinet eloquentiæ; in scriptura quidem certe satis vsurpatum, atque vsitatum est.

Magister sententiarum.

65. *Per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Hæc est via, & ratio, & modus, quo Devs Philosophis multa de seipso manifestauit; opera nimirum quæ fecit, & in hoc mundo spectanda homini exposuit. Licet autẽ illud: *Intellecta*, sit participium præteriti temporis, & reddere videatur hunc sensum, inuisibilia Dei quodammodo conspici à nobis, cum intellecta fuerint ea, quæ à Deo facta sunt: græcè tamen est *νοούμενα*, participium scilicet præsentis temporis, ideoq; reddens hanc sententiam: Licet inuisibilia Dei nec per seipsa, neque in seipsis videri à nobis queant; ea tamen quodammodo cerni, & conspici à nobis, dum opera Dei aspicimus & contemplamur; in ipso enim eorum intellectu, & contemplatione lucet quædã notitia illorum inuisibiliũ Dei, æternitatem dico Dei, & omnipotentiam, & bonitatẽ & sapientiã, & id genus alia. Quemadmodũ per ipsum contuitum speculi cernitur, quæ in eo repræsentatur imago; & cõtemplantibus

pulchrum

pulchrum aliquod opificium, ſeu artificium, ſimul etiam eius qui fecit, ars agnoſcitur: vel, quod propoſito aptius videtur, aſpiciens imaginem alicuius vel abſentis, vel iam demortui, ſed antea ſibi tamen bene noti, videre ſibi eum videtur in ea imagine. Ac diuinitatis quidem in homine, & Angelo expreſſa & ſimilitudo, & imago, in cæteris quæ ratione carent, eſt velut vmbra, & tanquam impreſſa veſtigia, quibus facilè indagari, & attingi poſſit DEI notitia. Illud porrò, *intellecta*, quanquam ſecundum latinam lectionem iungi poſſit, & componi cum illo: *quæ facta ſunt*, ad hunc modũ: Inuiſibilia DEI conſpiciuntur à nobis per ea, quæ facta ſunt, intellecta, vel his quæ facta ſunt, intellecta: hanc tamen cõſtructionem, & ſententiam excludit græca lectio; quæ pro illo, *quæ facta ſunt*, qui eſt Accuſatiuus pluralis, habet in Datiuo plurali ποιήμασι, Datiuus autem apud Græcos præſtat vicem & vſum noſtri Ablatiui. Ergo illud, *intellecta*, non eſt Accuſatiuus cohærens cum illo, *quæ facta ſunt*. Sed eſt nominatiuus pluralis, ſicut eſt græcum νοούμενα, pertinens ad illud, *inuiſibilia DEI*. Eſt itaque integra hæc ſententia. Quæ in DEO ſunt nobis inuiſibilia oculis corporeis, ea dum ex ipſis DEI operibus intelliguntur, quodammodo videtur, & conſpiciuntur à nobis.

66. Non abs re fuerit, explanationem horum verborum Pauli grauem profectò & piam, traditam in ſuis commentariis ab Anſelmo hîc adſcribere. Super illis enim verbis: *Per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*. Si vigilanter, inquit, exteriora conſpicimus, per eadem ipſa ad interiora reuocamur. Veſtigia quippe creatoris, ſunt mira opera viſibilis creaturæ: quoniam per hæc, quæ ab ipſo ſunt, imus ad ipſum. Menti enim noſtræ, peccato ſuo, exterius ſparſæ, nec dum DEVS ſicut eſt, interius innoteſcit; ſed dum facturæ ſuæ DEVS pulchritudinem, & decus, foris exponit, quaſi quibuſdam nutibus innuit nobis, quæ intus ſequamur, oſtendens; miroq́; modo formis exterioribus, nos ad interiora perducit. Viæ quippe ad CREATOREM, ſunt opera conſiderata creaturæ:

S. Anſelmus.

quæ dum facta cernimus, potentiam factoris miramur. Nam quocunq; se verterit anima, si vigilanter intendit, in eisdem ipsis rebus DEVM inuenit, per quas, DEVM, peccando, reliquit; eiusque potentiam ex eorum rursus considerationе cognoscit, quorum amore ipsum deseruit: & per quæ aduersa cecidit, per hæc conuersa reuocatur. Vbi enim lapsi sumus, ibi incumbimus, vt surgamus. Et quasi ibi sistendo, manus considerationis figimus, vbi pede amoris lubrici corruentes, negligendo iacebamus. Et quia ab inuisibilibus per visibilia cecidimus, dignum est, vt ad inuisibilia, ipsis rursum inuisibilibus innitentes redeamus: & quo casu anima venit ad infima, eo gradu reuertamur ad summa. Hæc Anselmus. Beatus etiam Bernardus initio libri quinti de Consideratione ad Eugenium hunc ipsum locum B. Pauli, nimium quam diserta, & dulci oratione enarrat, cuius tamen disputationem, licet memoratu dignam, quòd sit aliquanto prolixior, commemorare, hîc supersedeo.

B. Bernardus.

67. *Quid sit sempiterna Dei virtus, & diuinitas.*

Sempiterna quoque virtus eius, & diuinitas. Quidam putant, hoc esse declarationem proximè superioris sententiæ: nam quod generatim dixerat, *inuisibilia DEI*, nunc specialiter ac distinctè vocat sempiternam DEI virtutem, & diuinitatem. Nec officit huic expositioni particula illa, *quoque*, denotans hæc addi tanquam diuersum quid, superioribus: græca enim lectio non habet vocem significantem Latinum, *quoque*, sed quæ significat Latinam coniunctionem, *que*, *siue*, *&*, ea verò coniunctio non raro solet inseruire expositioni. His porrò verbis Pauli tria indicantur, quæ Philosophis de DEO præcipuè nota fuerunt: Æternitas DEI, & virtus, siue potentia eius, & Deitas. Cùm enim dicitur: *Sempiterna virtus*, necessariò subintelligitur æternitas naturæ diuinæ, cuius est illa virtus; nam ex virtutis æternitate, necessariò concluditur æternitas naturæ, & substãtiæ: iã verò cum notione æternitatis complicata est notio immutabilitatis. Vocat aũt sempiternã virtutẽ, id est, indeficientẽ, & quãtum ad durationẽ, & quantum ad facultatẽ operandi, nunquã. n. operando exhauritur, vel aliquatenus diminuitur. Vel sempiterna dicitur, quia fecit

res,

res, saltem in futurũ, æternas, vt ANGELOS, & cœlos. & Animos hominũ. Cùm igitur omnia facta sint per istam potentiã DEI, eam non esse factam, ob idque sempiternam esse necesse est. Per diuinitatẽ intelligit Caietanus ipsam DEI ESSENTIAM, DEITATEM à Theologis appellatam. Hæc verò postremo loco nominata est, quia ex aliis DEI notionibus ante perceptis deniq; cognoscitur, & quantum ad hoc, quod est, & quantũ ad multas eius cõditiones, tam negatiuas, quàm positiuas: ex quibus omnibus simul iunctis, & præcognitis, aliquo modo scitur à nobis DEITAS: non tamen propriè sciri potest quid sit DEVS; soli enim DEO, qui seipsum videt in seipso, naturale est scire quid sit DEVS: naturalis autẽ cognitio ANGELI, & hominis de DEO est per eius effectus. Ac licet eadem sit potẽtia DEI, atq; eius DEITAS; distinguuntur tamen in nostra cognitione: res enim illa quæ est DEVS, cùm sit omnino simplicissima, à nobis non vnico & simplici conceptu, sed multiplicatis rationib. & notionib. cognoscitur.

68. Ceterùm quid significetur hoc loco nomine virtutis DEI, & diuinitatis, percẽsendo varias eorum verborum interpretationes, ostendamus. Virtus (Origenes inquit, & ab eo mutuatus Anselm.) est, qua DEVS regit omnia; diuinitas, qua cõtinet vniuersa. S. Thomas illud, *inuisibilia*, interpretatur ESSENTIAM diuinam, secundum illud Ioannis 1. *DEVM nemo vidit vnquam*. Et illud Pauli: *Regi seculorum immortali, & inuisibili*. Per virtutem, potentiam DEI, per quam facta sunt omnia, & perpetuò gubernantur, & conseruantur: Per diuinitatem, ipsum, esse vltimum finem, & summũ bonum, in quod omnia tendunt, diuinum enim bonum, est bonum commune, quod ab omnibus appetitur. Tria porrò hæc, continent tres modos cognoscendi DEVM: ESSENTIA quippe DEI cognoscitur per viam negationis: Virtus, per viam causalitatis: Diuinitas, per viam excellentiæ. Nonnulli tria hæc accommodant ad tres personas diuinas. Nam inuisibilia DEI referunt ad PATREM, qui, vt diximus; à Paulo vocatur immortalis, & inuisibilis: Virtutem DEI, interpretantur FILIVM DEI; ipse enim est DEI virtus, & sapientia, vt dixit Paulus: per diuini-

Origenes. *Anselmus.* *S. Thomas.* *1. ad Corint. 1.*

uinitatem intelligunt diuinam Bonitatem, quæ appropriatur Spiritvi sancto. Hanc certè interpretationem ex sententia Græcorum refert hoc loco Theophylactus, eamq́; tradit Ambrosius lib. 1. de Fide ad Gratianum, & lib. 3. de Spiritv sancto cap. 2. & Cyrillus lib. 1. Thesauri cap. 5. & Anselmus, atq; Glossa super hoc loco Pauli. Non est tamẽ existimandũ, potuisse Philosophos ex creaturis distinctè tres diuinas personas cognoscere, cùm illæ non proueniant à trib. personis, prout sunt inter se distinctæ, sed prout sunt vnicum principiũ earum effectiuum, & gubernatiuũ, & conseruatiuum; sed cognouerunt tria illa Dei attributa, potentiam, sapientiam, & bonitatem, quæ appropriantur tribus personis diuinis; quæ tamen appropriatio non fuit eis nota. Vel dicuntur nouisse S. Trinitatem, quia nõnulli eorũ, vt Platonici, vmbram quãdam videre S. Trinitatis appellantes Devm Patrem eius intellectum, & Verbvm & Animam mundi; à quib. tribus omnia esse facta, & omnino pendere dixerunt.

Græci expositores. *Ambrosius.* *Cyrillus Alexand.* *Anselmus.*

69. Ego B. Pauli consilio, & proposito non incongruum putauerim, quam ipse vocat hoc loco Divinitatem interpretari Maiestatem Dei; illam dico naturæ diuinæ super omnia eminentiam, atq; excellentiam, summo omnium cultu, atq; honore honorandam, atq; venerandã. Nimirum cognita Dei sempiterna virtute, per quam omnia facta sunt, & reguntur atq; gubernantur, consequenter innotescit, ipsum esse summũ, & primum, & perfectissimũ Ens, à quo omnia vsquequaq; pendent: ideoq; solùm eum diuino cultu & honore honorandum, & colendũ esse; eiq́; preces fundi, vota nuncupari, & sacrificia fieri; ab eo bonorũ nostrorum largitionẽ, malorumq́; depulsionem expeti, & expectari; & pro beneficiis ab eo acceptis, condignas ei gratias agi oportere. Hæc sanè omnia pertinent ad cultũ, & venerationẽ Divinitatis, id est, Maiestatis diuinæ. Atq; huic interpretationi aptè cohæret, quod mox subdit Apostolus, affirmãs istiusmodi Philosophos esse inexcusabiles, quod cùm Devm cognouissent, nõ sicut Devm glorificauerunt, aut gratias egerunt. Sed pergamus ad alia.

DECI-

DECIMATERTIA DISPVTATIO.

Quibus viis humana mens, per naturalem intelligendi vim, & facultatem sibi inditam, DEI cognitionem inuestigare & reperire, & percipere queat.

70. *Quinque gradus, siue modi cognoscendi DEVM.*

ILLVD hoc loco ante alia scire conuenit, multos esse gradus cognitionis DEI. Ac primò quidem est cognitio DEI intuitiua, & comprehensiua qua DEI ESSENTIA videtur, & quantum est cognoscibilis, tantum cognoscitur: Hæc autem est summa, & perfectissima cognitio DEI, cum alia re, quæ DEVS non est, minimè communicabilis, sed vnius tantùm DEI propria. Cùm enim DEVS sit infinitæ perfectionis, non potest comprehendi, nisi ab intellectu æquè infinito: talis porrò intellectus, nullus est alius nisi diuinus. Deinde, est cognitio Dei, nō quidem comprehensiua, sed tamen intuitiua, qua clarè videtur DEI ESSENTIA. Hanc cognitionem solus DEVS naturaliter habet, gratia tamen eius, & dono, habent omnes beati. Adhæc, est cognitio DEI, certa quidem, non tamen euidens, per quam de DEO cognoscuntur quædam supranaturalia, vt quod sit TRINVS, & VNVS, & alia, ad quorum notitiam humana ratio aspirare non potest: hanc cognitionem habent fideles Christiani, eaque carent omnes infideles. Præterea, est cognitio quædam DEI scientifica, ex DEI operibus hausta, secundum multas proprietates, quæ de DEO naturaliter sciri possunt, quam Ethnici Philosophi habuerunt. Postremò, est quædam DEI cognitio non demonstratiua ratiocinatione, nec scientifica conclusione comparata; sed

ex naturali quodam instinctu, & magisterio proueniens, per quam cunctis hominibus, etiam idiotis notum est, atq; persuasum, Deum esse, & in cœlo esse, & esse omnipotentem, & videre omnia, & exaudire preces & vota inuocantium ipsum; & quod sit iustus, vnicuique redditurus secundum eius merita. Hæc DEI cognitio, est quodammodo naturaliter insita homini: ea tamen excitatur, & augetur, & roboratur, operum DEI, quæ in hoc mundo cernuntur, aspectu, & contemplatione. Super hoc, pulchram Tertulliani sententiam non celabo Lectorem. In Apologetico, ad hanc sententiam scribit: Vultis Deum recognoscere ex operibus ipsius tot ac talibus, quibus continemur, quibus sustinemur, quibus oblectamur, quibus etiam exterremur? Vultis ex animæ ipsius testimonio comprobemus? Quæ licet carcere corporis pressa, licet prauis institutionibus circumscripta, licet libidinibus, & concupiscentiis euigorata, licet falsis diis exancillata: cùm tamen resipiscit, tanquam ex crapula, & velut, ex somno, vel ex aliqua valetudine, & sanitatem suam patitur, & DEVM nominat solùm, quia propriè verus hic vnus Deus, bonus, & magnus: & quod Deus dederit, omnium vox est. Iudices quoque cùm testatur; DEVS, inquit, videt, & Deo commendo, & Deus mihi, aut illi reddet. O testimonium animæ naturaliter Christianæ. Deniq;, pronuntians hæc non ad Capitolium, sed ad cœlum respicit: ibi enim nouit sedem esse Dei viui. Sic ille.

Pulchra Tertulliani sententia.

71. Tribus porrò viis humana mens naturali ratione, Dei cognitionem inuestigare ac reperire potest. Prima via vocatur in scholis, via causalitatis: per quam ex ingenti, & admirando opificio huius mundi, cognoscitur effector, & artifex eius Deus, simulque conseruator, & gubernator eius, vltimusque finis omnium, quæ in eo sunt. Primum enim efficiens, & vltimus finis, necessariò, vt demonstrant Philosophi, in vnam eandemq; rem conueniunt. Hinc etiam consequenter elucescunt diuinæ proprietates, & perfectiones congruentes ei, vt esse primum principium, & vltimum finem omnium; vt esse

Tres viæ naturales perueniendi ad cognitionem Dei.

vt esse summè bonum, summeque potentem, & sapientem. Altera via nominatur via negationis; per hanc enim cognoscimus non esse in DEO ea, quæ repugnant primo principio, vt non esse corporeum, non esse mutabilem, non esse mortalem: est verò hæc via cognoscendi DEVM, auctore Dionysio, facilior, & sincerior, & certior, quàm via cognitionis eius per affirmationem; promptius videlicet, atque expeditius est scire, quid non sit DEVS, & qualis non sit DEVS, quàm quid, & qualis sit. Tertia via cognoscendi DEVM, est per excellentiam, seu eminentiam: hæc autē oritur ex superioribus duabus viis, causalitatis, & negationis. Nam quia DEVS est omnium causa, necesse est in eo esse perfectiones omnium rerū excellenter, atque eminenter: secundum enim illam Aristotelis percelebrem apud Philosophos sententiam: Quod est causa aliis vt talia sint, ipsum est maximè tale. Vt quia ignis est aliis, causa caloris, est ipse calidissimus: & quia Sol causa est, vt alia corpora luceant, est ipse lucentissimus. Iam verò, quia Deus nō est causa rerum vniuoca, sed æquiuoca, hoc est, diuersæ, ac præstantioris naturæ, necesse est perfectiones omnium rerum esse in Deo, multò excellentius, quàm sint in rebus ab ipso creatis.

Dionys. Areopag.

Arist. lib. 2. Metaphys.

72\. Dicitur porrò DEVS continere perfectiones omnium rerum eminenter, quatuor ob causas: primò, quia perfectiones in rebus creatis sunt diminutæ, in Deo autē sunt in summo gradu; sicut dicitur ignis eminenter continere calorem, & Sol lucem. Deinde, quæ sunt in rebus creatis perfectiones habent esse ignobilius, id est, vel materiale, vel certè valdè limitatum, & determinatum; in Deo verò habent esse prorsus immateriale ac diuinum: vnde iactatur in scholis illud Anselmi: Creatura in Deo, est creatrix ESSENTIA: exempli causa, Architectus, qui fabricatur domum, habet eam in se prius quàm fabricetur: sed domus in mēte artificis, habet esse nobilius, nempe immateriale, atque intelligibile: domus verò fabricata, habet esse ignobilius, materiale scilicet & sensibile. Adhæc DEVS habet perfectiones, nulli admixtas imperfectioni:

Deus quadrupliciter continet perfectiones omniū rerum eminēter.

ctioni: at quælibet perfectio cuiuſcunque rei creatæ, permixta eſt quadruplici imperfectioni. Etenim omnis creatura habet perfectionem ab alio dependentem, & participatam: & habet eam limitatam, & certo aliquo gradu determinatã; & vltima perfectio cuiuslibet creaturæ, eſt accidentaria; conſiſtit enim in eius operatione, quæ differt ab eſſentia eius: ac demùm perfectiones creaturæ ſunt mutabiles: horum autem nihil eſt in diuinis perfectionibus. Poſtremò DEITAS continet eminenter perfectiones omnium rerum, quia vnica & ſimpliciſſima res quæ eſt DEITAS, in dignitate & perfectione æquiualet, immo in infinitum plus valet omnibus, etiam ſimul coniunctis, rerum creatarum perfectionibus; quemadmodum vnus nummus aureus eminenter continet multos argenteos, quoniam multis æquiualet.

DECIMAQVARTA DISPVTATIO.

Quibus rationibus adducti ſint Philoſophi ad cognitionem veri DEI.

73.
S. Auguſtinus.

BEATVS Auguſtinus in libri octaui de ciuitate DEI capite ſexto, docens quemadmodum Platonici (quos, quod attinet ad cognitionem DEI, diuinarumque rerum, aliis Philoſophis anteponendos eſſe cenſet) cognitionem DEI, & rerum diuinarum ſolerter ratiocinando indagauerint, atque perceperint, ad hunc modum ſcribit: Viderunt iſti Philoſophi (Platonici) quos cæteris non immeritò fama atque gloria prælatos videmus, nullum corpus eſſe DEVM, & ideo cuncta corpora tranſcenderunt, quærentes DEVM; viderunt quicquid mutabile eſt, non eſſe ſummum DEVM, & ideo

Via indagandi Deum quam inſtiterunt Platonici.

ideo omnem animam, mutabilesq; ſpiritus tranſcenderunt, quærentes ſummum DEVM, deinde viderunt omnem ſpeciem, in re quacumque mutabili, qua eſt quicquid illud eſt, quoquo modo, & qualiſcumque natura eſt, non eſſe poſſe niſi à DEO, qui verè eſt, quia & incommutabiliter eſt. Ac per hoc, ſiue vniuerſi mundi corpus, ſiue figuras, qualitates ordinatumque motum, & elementa diſpoſita à cœlo vſque ad terram, & quæcumque corpora in eis ſunt; ſiue omnem vitam, vel quæ nutrit & continet, qualis eſt in arboribus; vel quæ & hæc habet, & in ſuper ſentit, qualis eſt in pecoribus, vel quæ præter hæc etiã intelligit, qualis eſt in hominibus; vel quæ nutritorio ſubſidio non indiget, ſed tantùm continet, ſentit, & intelligit, qualis eſt in ANGELIS; niſi ab illo eſſe non poſſe, qui ſimpliciter eſt. Quia non aliud illi eſt eſſe, & aliud viuere, quaſi poſſit eſſe non viuens; nec aliud illi eſt viuere, & aliud intelligere, quaſi poſſit viuere non intelligens: nec aliud illi eſt intelligere, atque beatum eſſe, quaſi poſſit intelligere, & non beatus eſſe: ſed quod eſt illi viuere & intelligere, & beatum eſſe, hoc eſt illi eſſe. Propter hanc incommutabilitatem & ſimplicitatem, intellexerunt eum, & omnia iſta feciſſe, & ipſum à nullo fieri potuiſſe. Conſiderauerunt enim quicquid eſt, vel corpus eſſe, vel vitam: meliuſque aliquid vitam eſſe quàm corpus; ſpeciemque corporis eſſe ſenſibilem, vitæ autem intelligibilem: proinde intelligibilem ſpeciem ſenſibili prætulerunt. Senſibilia dicimus, quæ viſu tactuque, aliiſue ſenſibus corporis ſentiri; intelligibilia verò, quæ conſpectu mentis ſolum intelligi poſſunt. Nulla quippe eſt pulchritudo corporalis, ſiue in ſtatu corporis, ſicut eſt figura; ſiue in motu, ſicut eſt cantilena, de qua non animus iudicet: quod profectò non poſſet, niſi melior in illo eſſet hæc ſpecies ſine tumore molis, ſine ſtrepitu vocis, ſine ſpatio loci vel temporis. Sed ibi quoque, niſi mutabilis eſſet, non alius alio melius de ſpecie ſenſibili iudicaret: melius ingenioſior, quàm tardior, melius peritior quã imperitior, melius exercitatior, quàm minus exercitatus; vt idem ipſe

vnus, cum proficit, melius vtique, postea quàm prius. Quod autem recipit maius & minus, siue dubitatione mutabile est. Vnde ingeniosi & docti, & in his exercitati homines facile collegerunt, non esse in eis rebus primã speciem, vbi mutabilitas esse conuincitur. Cum igitur in eorum conspectu & corpus & animus magis minusq; speciosa essent, & si omni specie carere possent, omnino nulla essent: viderunt esse aliquid, vbi prima esset incommutabilis species, ideoq; nec comparabilis: atq; ibi esse rerum primum principium rectissime crediderunt, quod factum non esset, & ex quo facta cuncta essent. Atq; ita quod notum est DEI, DEVS ipse manifestauit istis Philosophis; cum ab eis inuisibilia eius, per ea quæ facta sunt, intellecta conspecta sunt, sempiterna quoque virtus eius & diuinitas, à quo etiam sensibilia & temporalia cuncta creata sunt. Sic ibi Augustinus de via, quam Platonici instituerunt ad indagandam Dei cognitionem.

74. *Aristoteles.*

De via porrò, quam secutus est Aristoteles in vestigando cognitionem Dei, non attinet hîc dicere, cum ea notissima sit ex iis, quæ disputauit ipse, & scripta reliquit tum in octauo libro Physicorum, tum in duodecimo libro Metaphysicorum. Theodoretus in sermonibus de Prouidentia, quinque vias fuisse dicit Philosophis non ignotas tendendi, & perueniendi ad cognitionem DEI: Primam ex contemplatione cœli, & syderum, non modo secundum magnitudinẽ, & pulchritudinem, sed præcipue ex ordinatissimo eorum motu; Alteram ex consideratione elementorum, vt aëris, terræ, maris, fluuiorum & fontium, & ignium: Tertiam ex admirabili structura humani corporis: Quartam ex manibus humanis, & inuentis artibus: Quintam ex imperio quod homo habet in animalia omnia, quæ ratione carent. Hæc omnia copiosissime, ac disertissime tractat apud Ciceronem in libro secundo de natura Deorum, Balbus Stoicus. Quinque etiam vias demonstrandi DEVM esse exponit B. Thomas in prima parte quæstione secunda articulo tertio, ferè desumptas ex Aristotelis doctrina: Primam, ex motu corporum, quæ in hoc mundo mouentur: Alteram ex ratione caus-

Theodoretus de quinq; viis perueniendi naturali ratione, ad notitiam Dei.

ne causæ efficientis: Tertiam ex possibili & necessario: Quartam ex variis gradibus perfectionis eorum: Quintam ex gubernatione rerum. Videat lector complures alias rationes ad idem probandũ, ab Anselmo initio Monologij & Prosologij, & ab Hugone in Didascalico in libro septimo acute disserteque tractatas.

Anselmus. Hugo S. Victoris.

75. Verum & viris doctis, mihique valde probatur ratio illa cognoscendi & demonstrandi DEVM esse, quæ ducitur ex naturali quodam instinctu, communique ferme hominum sensu, ac persuasione, qua persuasum est omnibus, DEVM esse, & in cœlo esse, & potentem, ac sapientem, & iustum esse, & curam gerere humanarum rerum, & pro suis cuiq; hominum meritis, aut præmia redditurum aut supplicia. Firmitudo & robur huius rationis ex eo est, quia quod omnes homines, aut plerique omnes sentiunt, id falsum esse non potest. Sic enim argumentatur Aristoteles initio libri de Diuinatione per somnia. & in libro septimo Ethicorum capite decimo tertio, & libro decimo capite secundo: veraque est illa quæ legitur in prima Tusculana Ciceronis sententia: CONSENSVS omnium gentium, vox est naturæ, & meritò quidem. Verum quippe est, quod pluribus locis ab Aristotele traditur, & magno Philosophorum consensu approbatur: Quodcumq; omnibus indiuiduis alicuius speciei, vel ferè omnibus aut semper, aut plurimum conuenit, id esse secundum naturam illius speciei, & illorum indiuiduorum censeri oportet: quod autem paucis indiuiduis inest, & rarò accidit, id esse præter naturam illorum existimandum est. Natura enim vel semper, vel vt plurimum eodem modo operatur. Quocirca cum notio DEI cunctis ferè hominibus, atque omni tempore insita sit, ea secundum naturam esse, ac verissima esse iudicari debet. Ergo si qui fuêre aliquando, aut etiam nunc sunt, qui DEVM esse non putant, istos, tanquam errata quædam naturæ, & quasi monstra humani animi & ingenij aspernari, & abominari conuenit.

DECIMA

DECIMA QVINTA DISPVTATIO.

An hic locus Pauli pugnet cum altero eiuſdem primæ ad Corinthios primo:

76. CETERVM illud hoc loco difficultatem affert, quod hæc ſententia Pauli de Philoſophis, qui verum DEVM cognouerunt, videtur contraria eſſe alteri eiuſdem Pauli ſententiæ, quæ in primo capite prioris epiſtolæ ad Corinthios ſcripta eſt his verbis: *Nam quia in DEI ſapientia non cognouit mundus per ſapientiam DEVM, placuit DEO per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes. Quoniam & Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt: Nos autem prædicamus CHRISTVM crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam; Ipſis autem vocatis, Iudæis atque Græcis CHRISTVM DEI virtutem, & DEI ſapientiam.* Super quibus verbis annotauit Theodoretus, triplicem eo loco nominari à Paulo ſapientiam DEI; Primò, cum dicit: *Quia in DEI ſapientia.* Deinde cum ait: *Non cognouit mundus per ſapientiam DEVM.* ad hæc, cum vocat CHRISTVM DEI ſapientiam. Quemadmodum verò triplex iſta vocis, *ſapientia*, vſurpatio intelligenda ſit, declarat ipſe ad hunc modum: Paulus hoc loco nominat duas vel potius tres DEI ſapientias. Etenim eam, quæ ſtultitia exiſtimatur, ſapientiam eſſe oſtendit, & aliarum præſtantiſſimam. Dicit itaque vnam ſapientiam, quæ hominibus data eſt, per quam & ratione præditi ſumus, & ea, quæ ſunt agenda diſcernimus, & artes ſcientiaſque inuenimus, & DEVM cognoſcere poſſumus. Secundam vocat ſapientiam, quæ in rerum creatarum contemplatione verſatur. Videmus enim cœli magnitudinem, ſolis pulchritudinem, aſtrorum choream, ter-

Theodoretus.

ræ, &

ræ, & maris amplitudinem, planetarum, & animalium differentias, & cetera, quæ in hoc mundo cum admiratione cernuntur. Tertiam autem appellat ſapientiam, eam, quæ eſt ſecundum SALVATOREM noſtrum, quam qui non credunt, vocant ſtultitiam. Dicit igitur Paulus, oportuiſſe homines, naturali accepta à DEO cognitione, per creaturas, tanquam per quædam pedum veſtigia deduci, atque earum opificem adorare. Sed quia nullam illi ex his vtilitatem accipere voluerunt, benignus & clemens DEVS, alia eis ratione ſalutem procurauit, & per eam, quę à ſtultis ſtultitia vocatur, eos ab errore liberauit. Hæc Theodoretus.

Explicatur quæ in ſpeciem videtur duarum inter ſe Pauli ſententiarum repugnantia.

Sed redeo ad propoſitam difficultatem. Paulus in hoc loco epiſtolæ ad Romanos ait, ſapientes huius mũdi cognouiſſe verum DEVM ex operibus eius: in loco autem citato epiſtolæ ad Corinthios videtur contrarium dicere, ſcribens, mundum, id eſt, mundanos homines non cognouiſſe Deũ, nec per ſapientiam ſuam, id eſt, ſolertiam, & acumen ingenij, vel ſcientiam Philoſophiæ: nec in ſapientia DEI, id eſt, in operibus eius, in quibus lucet ipſius ſapientia. Et cum hoc loco videtur congruere quod ſcripſit B. Ioannes initio ſuæ hiſtoriæ Euangelicæ, dicens: *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit.* Sed enim duobus modis licet difficultatẽ hanc exoluere. Caietanus exponens locum illum epiſtolæ ad Corinthios, ita reſpondet. Non dicit Apoſtolus hoc loco, quod nullus ex hoc mundo cognouit DEI ſapientiam, quoniam ad Romanos ſcribens dixit, quod DEVS à multis cognitus eſt: ſed dicit, quod mundus non cognouit DEVM: quoniam Philoſophi, qui cognouerunt DEVM, agnitam veritatem DEI, in iniuſtitia detinuerunt; & ſic mundus communiter non cognouit DEVM. Sic ille. Vt igitur ſententia illa Pauli, quod *mundus non cognouit DEVM*, ſit vera, ſenſus eſt, pleroſque mundanorum hominum non cognouiſſe verum DEVM, tametſi pauci aliquot Philoſophi eum cognouerint: illi enim pauci qui cognouerunt, comparati cum vniuerſa hominum, qui verum DEVM nõ cognouerunt, multitudine, quaſi pro nullis ſunt habendi

Locus primæ epiſtolæ ad Corinthios cap. 1. & alter ſimilis Ioan. 1.

habendi ſecun-

ſecundum communem hominum loquendi conſuetudinē, quam ſequi etiam ſolet diuina ſcriptura. Pauciſſimos verò fuiſſe hominum, etiam ipſorum Philoſophorum, qui veram & ſinceram Dei cognitionem habuerint, facile intelliget, qui opiniones de Deo veterum Philoſophorū legerit, quas percenſet in libro primo de placitis Philoſophorū Plutarchus.

Plutarchus.

77. *Duplex DEI cognitio, & vtra melior atque vtilior.*

Altera eiuſdē difficultatis ſolutio ſit hæc: Duplex haberi poteſt DEI cognitio; quarum vna eſt tantū ſpeculatiua, qua cognoſcitur DEVS eſſe, & mundi eſſe conditor, & rector: quæ ſi nuda, & ſolitaria ſit, infructuoſa eſt homini, quin etiā nonnunquam ad maius ei crimen, pœnamq; imputatur. Altera eſt cognitio Dei, præter ſpeculatiuam Dei notitiam, coniunctum etiam habens debitum animi erga DEVM affectum, timorem dico DEI ſuper omnia, & venerationem, & dilectionem, & gratitudinē animi in agendo gratias pro acceptis ab eo beneficiis, eumq; ſolum DEVM adorando, & interno atq; externo cultu venerando, cultū autem idolorum, falſorūq; Deorum execrando. Hæc cognitio appellari poſſet, affectiua & practica, quam non habuere Philoſophi illi, quibus Deum eſſe cognitum, affirmat Paulus in epiſtola ad Romanos. Siquidem inibi dicit eos, cum DEVM cognouiſſent, non ſicut DEVM glorificauiſſe, nec ei gratias egiſſe. Ergo priorem illā notitiam Dei ſpeculatiuam habuere nonnulli Philoſophi; poſteriorem verò nullus ſapientium huius mundi habuit, & de hac poſteriore cognitione DEI loquitur Paulus in epiſtola ad Corinthios. Enimuero, Philoſophi illi qui DEVM cognouerunt, ita ſe geſſerunt externo vitæ cultu, & in ſuis moribus, & ſermonibus, factiſq;, quaſi non cognouiſſent Deū: non enim manifeſtabant eum aliis, nec externo cultu venerabantur, ſed publicum vulgi errorem ſequentes, ſimulacra falſorum Deorum pro vero DEO adorabant: quam ob cauſam dicti ſunt à Paulo detinuiſſe veritatem DEI in iniuſtitia.

DECIMA SEXTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Ita vt ſint inexcuſabiles: quia cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, &c.

QVOD ſupra dixerat Paulus, quoſdam Ethnicorum veritatem DEI ſibi per creaturas eius manifeſtatam, detinuiſſe in iniuſtitia; ideoque obnoxios eſſe iræ ac vindictæ DEI: id nunc explicatius declarans, docet, quemadmodum illi, ſcilicet Philoſophi, & ſapientes mundi, cognitionem Dei, quam perceperant, detinuerint in iniuſtitia: quia videlicet cũ DEVM cognouiſſent, non ſicut DEVM glorificauerunt, aut ei gratias egerunt: quin etiam in tantam deuenerunt impietatem, & ſtultitiam, atq; animi, & mentis cæcitatem, vt debitũ vero DEO, quem cognouerant, cultum & honorem, non ſolum ei nõ tribuerint; ſed vel metu, vel ambitione obcœcati, vulgiq; ſequẽtes errorẽ, inanibus ſimulacris hominum, atque adeo viliſſimorũ etiã animalium diuinos honores cultumque adhibuerint. 78.

Vult igitur Paulus his verbis oſtendere, quod Philoſophi DEVM, non vt par erat, coluerint, id non accidiſſe, quia ignoraſſent DEVM, vtpote quem ex operibus ipſius, quæ in hoc mundo cernuntur, quantum ſatis erat, vel cognouerint, vel noſſe potuerint. Duplex nempe ignorantia eſt: vna eſt cauſa culpæ, vel erroris, & eſt inuincibilis, atque hæc excuſat: altera eſt ignorantia, cuius cauſa eſt ipſa culpa, cum noſtra ſcilicet culpa fit, vt ignoremus, quod ſcire debebamus, & facile poteramus: quæ quidem ignorantia non excuſat culpam. Si igitur ignorantia non excuſat, quanto minus ſcientia? dixit enim Dominus: *Seruus ſciens voluntatem Domini,* 79. *Luc. 12.*

Iacob. 4.

& non faciens, vapulabit multis. Et sanctus Iacobus: *Scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi.* Dupliciter porrò indicat Paulus his verbis, Philosophos cognouisse DEVM, tum sicut naturam quandam omnium perfectissimam, cunctisq; supereminentē; quamobrem ei debebant tribuere, super omnia, honorem, & gloriam. Fuerunt itaque inexcusabiles, vel quia debitum ei cultum non exhibuerunt, vel quia eius potentiam, & scientiam aliquatenus tantum determinauerunt, contra id quod scriptum est in capite quadragesimo tertio libri Ecclesiastici: *Benedicentes Dominum, exaltate illum quantum potestis: exaltantes eum replemini virtute: ne laboretis, non enim comprehendetis. Quis magnificabit eum, sicut est ab initio? multa enim abscondita sunt maiora his; pauca enim vidimus operum eius*: tum etiam cognouerunt DEVM Philosophi, tanquam effectorem, & largitorem omnium bonorum: ob idq; debebant ei gratias agere. Glorificatio DEI continet verba laudis eius, & preces ad ipsum factas & vota, & sacrificia, omnēque cultum externum, atque etiam internum soli debitum DEO. Gratias verò agere, est agnoscere, & confiteri, quicquid boni habemus, vel habere possumus, id nobis à DEO donari, ob idq; gratias ipsi agere, & in omnibus suis actionibus, quod DEO placitum esse nouerit, consectari, & perficere velle.

Locus Ecclesiastici cap. 43.

80. *Posse naturali ratione cognosci certò et euidenter aliqua de Deo.*

Ex tribus porrò B. Pauli sententiis continenter in hoc loco positis, quarum prima fuit: *Quod notum est DEI, manifestum est in illis, DEVS enim illis manifestauit*; Altera fuit: *Inuisibilia DEI, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Tertia fuit: *Ita vt sint inexcusabiles, quia cū Deū cognouissent, nō sicut Deū glorificauerūt, aut gratias egerunt.* Ex tribus, inquam, hisce Pauli sententiis manifeste concluditur, aliqua esse, quæ naturaliter de Deo necessaria demonstratione, à nobis probari, euidenterq; cognosci queant. Si.n. Deus multa de se manifesta fecit Philosophis, ergo fuerūt illa euidenter ipsis cognita, alioqui nō dicerentur manifesta ipsis fuisse, vel manifestata à Deo. Si etiā inuisibilia Dei ex intellectu & contēplatione operū eius possūt cōspici, ergo possunt perspicue atq; euidēter cognosci.

illud

illud .n. *conspici*, similiter vt illud superius (manifestari) perspicuam, euidentemq; DEI notitiã demonstrant. Iam verò, si inexcusabiles fuerunt Philosophi, quia cùm Deũ cognouissent, non sicut DEVM glorificauerunt; ergo certa, & indubitata ratione Deum cognouerunt, non enim aliter prorsus inexcusabiles fuissent: potuissent namque seipsos excusare ac dicere, propterea se non esse ausos diuino cultu, & honore Deum venerari, quod ipsum esse verum Deum, nequaquam exploratè perceptum liquidoque cognitum habuissent. Similia quoque huiusmodi sententiis Pauli leguntur in cap. decimo tertio libri Sapiẽtiæ; vbi vanitatis & stultitiæ accusantur, & arguuntur homines, qui ex magnitudine & pulchritudine rerum, quæ sunt in hoc mundo, Conditorem earum rerum, gubernatoremque Deum, ex istiusmodi operibus suis euidenter cognobilem, haud quaquam cognouerunt. *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia* DEI, *& ex iis, quæ videntur bona, non potuerũt intelligere eum*, QVI EST; *neque operibus attendentes, agnouerunt quis esset artifex: sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarũ, aut nimiam aquam, aut Solem, aut Lunam, rectores orbis terrarum Deos putauerunt. Quorum si specie delectati Deos putauerunt; sciant quanto is dominator eorum speciosior est. Speciei enim generator hæc omnia constituit: aut si virtutem & opera eorum mirati sunt, intelligant ex illis, quoniam qui ea fecit, fortior est illis. A magnitudine enim speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit creator horũ videri. Quod si tantum potuerunt scire, vt possent æstimare sæculum quomodo huius Dominũ non facilius inuenerũt?* Manifestè hoc loco diuina scriptura docet, per aspectum, & contemplationem visibilis mundi magnitudinis, ac pulchritudinis, ad certam, & euidentem DEI notitiam perueniri posse.

81. Est autem hoc maximè consentaneum rationi. Si enim homo lege naturali tenetur DEVM super omnia diligere, eumque constituere sibi vltimum finem suarum actionum, ad quem se, suaque omnia referat, & dirigat, necesse est confiteri, posse Deum ab homine certa, & manifesta ratione cognosci;

gnosci; alioqui non teneretur naturaliter præcepto illo colendi, & diligendi Deum, & ad ipsum, tanquam ad vltimum finem, sua omnia referendi. Adhæc, cùm vltima naturalis felicitas hominis, consistat potissimum in cognitione, & cōtemplatione Dei, vt rectè probauit Aristoteles in decimo libro Ethicorum, & libro duodecimo Metaphysicorum; si certa, & manifesta Dei cognitio impossibilis esset homini, esset quoq; impossibilis ei naturalis felicitas. His accedit, quod esse Deum, est præambulum, & quasi fundamentum quoddam fidei; cumque fides diuina nitatur reuelatione Dei, necessariò præsupponit Deum esse: talis igitur cognitio certa, & necessaria potest ab homine comparari. Et verò, ob id Deus mundum condidit, non solùm vt esset in vtilitatem, & vsum corporalem hominis, sed potissimum vt excitaret eum ad cognitionem ipsius Dei, & vt eum cognitum super omnia diligeret, & honoraret. Hoc si verum est, illud quoque verum est, DEVM ex opificio mundi, euidenter cognosci posse. Ex his apparet omnino esse repudiandam, explodendamq; opinionem quorundam Nominalium, qui non sunt veriti dicere, Deum non posse à nobis naturali ratione demonstratiuè probari, euidenterque cognosci: id enim non modò rectæ ac sinceræ philosophiæ, verùm etiam sacræ doctrinæ, quæ hoc loco traditur, & in aliis diuinæ scripturæ locis, planè contrarium est. Quantam verò Philosophi, per naturalis rationis inuestigationem, & rerum à Deo effectarum contemplationem, atque scientiam, habuerint Dei cognitionem, vel habere potuerint; ex hoc item Pauli loco facilè est intelligere. Si enim tantam Dei cognitionem habuerunt; vt ait hoc loco B. Paulus, vt secundum eam deberent glorificare DEVM, & gratias ei agere; necessū profectò fuit, eis cognitū & persuasum esse, nō modò DEVM esse primā ac nobilissimā, & perfectissimā naturam: sed etiam omnium rerum esse causam efficientem, & regentem, & prouidentem; habereque prouidentiam, & curam hominum non in vniuersali tantùm, sed etiam in particulari; & ab eo donari bona hominibus,

Aristoteles.

bus, atque eorum esse vltimum finem, ad quem humana omnia referri, & dirigi oporteat.

DECIMA SEPTIMA DISPVTATIO.

An talis cognitio DEI, qualem Philosophis attribuit Paulus, satis illis fuerit ad consequendam æternam salutem: An verò præter illam, necessaria ipsis fuerit cognitio aliqua supernaturalis & diuinitus infusa?

SI quispiam de me quæreret, num cognitio illa naturalis DEI, quam habuerunt Philosophi, sufficiens ipsis fuerit ad salutem, ac beatitudinem consequendam: ita vt quod attinet ad DEI cognitionem, non eguerint alia cognitione supernaturali & reuelata: equidem responderem, B. Paulum non id agere hoc loco, vt doceat, cognitionem DEI, quam Philosophi ex creaturis eius perceperunt, satis eis fuisse ad æternam animæ salutem: sed id solùm ostendere ac probare velle, Philosophos non ignoratione veritatis, fuisse impios, diuinum honorem & cultum, qui vero DEO debebatur, tribuendo creaturis: quippe qui verum Deum cognouerunt; ob idque summè colendum, & glorificandum esse intellexerunt: quapropter eo grauius peccarunt, quod contra scientiam & conscientiam suam, nomen Dei & cultum iis rebus adhibuerũt, quas planè nouerant non esse Deos, quin etiam taciti contemnebant atque irridebant. Quod si secũdum cognitionem naturalem

82.

ralem, quam illi acceperunt, ipsum Deum coluissent, & glorificassent, legem naturalem obseruare satagentes, existimare conuenit, Dei gratiam non fuisse ipsis defuturam, sed & interiori suo auxilio eos iuuisset, & quod ad salutem eis necessarium erat, non denegasset. Hæc enim de DEO credita nobis, & persuasa esse oportet, Nec Deum ab homine exigere impossibilia; & facienti homini, pro naturali sua facultate, quantum in ipso est, DEVM non defuturum ipsi: id enim suauissimæ eius prouidentiæ ac benignitati maximè cõsentaneum est.

Sed quia valdè grauem, & quæ pleniorem, & accuratiorem deposcit explicatum, difficultatem continet quæstio, quæ in titulo huius disputationis posita est, super ea nunc differendum nobis est, & Lectori, quæ sit nostra sententia, indicandum, illud præmonendo, non hîc disputari an potuerit quispiam Philosophorum, absque supernaturali Dei gratia, & per solam cognitionem ipsius Dei, & proprias liberi arbitrij vires æternam salutem consequi; id enim neque hoc loco nos in disputationem adducimus, neq; ab vllo Catholicorum in dubium vocari potest; cùm manifestum sit ex doctrina sacræ Scripturæ, ex pluribus conciliis Oecumenicis, ex Patrum, Theologorumque consensu, omni homini, & in omni tempore supernaturalem Dei gratiam fuisse necessariam, vt iustus coram Deo esse possit, & vitam æternam promereri. Nunc autem quæritur, An, quod attinet tantùm ad cognitionem Dei, fuerit Philosophis ad salutem percipiendam sufficiens cognitio DEI, quam naturali ratione comparare sibi potuerunt: an verò necessaria eis fuerit etiam cognitio diuinitus reuelata aliquarum rerum supernaturalium, cuiusmodi est fides diuina. Videri autem posset, satis fuisse Philosophis ad salutem animæ, cognitionem illam DEI, quã naturaliter adipisci potuerant, & adeptos eam fuisse, testatur hoc loco B. Paulus. Etenim quæ sunt impossibilia homini, Deus ab eo non exigit: sed illis Philosophis impossibile tunc erat habere cognitionem rerum supernaturalium, & fidem diui-

Argumenta quod naturalis cognitio Dei sufficit ad salutem.

diuinam; nemo enim eis talem fidem prædicauit, nec ſine prædicante percipere eam poterant, affirmante Paulo: *Quomodo*, inquit, *credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient, ſine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur? ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum* CHRISTI. Cùm igitur doctrinam rerum ſupernaturalium nec DEVS illis Philoſophis per ſe reuelauerit, nec aliquos miſerit, qui eam prædicarent illis, videtur talis cognitio non fuiſſe ab illis exigenda, neque fuiſſe illis neceſſaria. Deinde, ſi ita cognouerunt DEVM, vt ſcirent eſſe ſuper omnia glorificandum, eique gratias eſſe agendas; ergo cognouerunt, & DEVM eſſe, & ipſum eſſe benefactorem, & remuneratorem hominum: quæ duo accedenti ad DEVM, planè cognita, penituſque perſuaſa eſſe oportere, docet B. Paulus in capite vndecimo epiſtolæ ad Hebræos. Ad hæc, ſecundum eam cognitionem, quam Paulus hoc loco tribuit Philoſophis, poterant ipſi rectè vitam ſuam inſtituere, & obſeruãtiæ legis naturalis ſtudere, & ritè actiones ſuas ad DEVM, tanquam vltimum hominis finem dirigere, & bene ſe gerere tam erga DEVM quàm erga ſeipſos, & alios homines: talis igitur cognitio DEI videtur illis fuiſſe ſufficiens, vt accedente ſupernaturali DEI gratia interius iuſtificante ipſos, ſalui fierent.

Ad Rom. 10.

83. *S. Chryſoſtom.*

Et verò, ſanctus Chryſoſtomus adſtipulator huius opinionis videri poſſet. Is enim in homilia trigeſima ſeptima in Matthęum ſignificat, Gentibus, ante CHRISTI aduentum, ſecundum rationem benè viuentibus, fidem CHRISTI non fuiſſe neceſſariam ad ſalutem. Homines (inquit) qui ante CHRISTI aduentum, obierunt, poterant etiam tunc, non ipſum confeſſi, eſſe ſalui: tunc enim CHRISTI qui nondum venerat, ab illis fides, & cultus non petebatur: ſed vt Idolorum cultu contempto, vnum DEVM conditorem omnium agnoſcerent, & colerent. Et paulò infrà: ſi qui (ait) ante CHRISTVM obierunt, & ideo ipſum non cognouerunt, & ab Idolorum cultu receſſerunt, & vnum DEVM adorauerunt, ſi præterea honeſtam vitam peregerunt, æternæ beatitudinis

Ad Rom. 2. *Iustinus mart.*

bona adepti sunt, dicente Paulo: *Gloria, & honor, & pax omni facienti bonum.* Idem quoq; Iustinus Martyr affirmat in Apolog. 2. pro Christianis, dicens; Qui cum ratione olim vixerunt, Christianos esse appellandos, etiamsi non CHRISTVM nouisse existimati sunt, quales apud Græcos Socrates, Heraclit⁹, & alij fuerunt. Clemens item Alexandrinus in lib. 6. Stromatum eos ait, qui ante CHRISTVM fuerunt, iustos esse factos vel per Legem Mosis, vel per Philosophiam; sed defuisse eis tãtum fidem in CHRISTVM: quapropter in inferno expectasse CHRISTI & Apostolorum aduentum, eorumq; ibi prædicatione fidem CHRISTI percepisse, ac demùm seruatos esse. Quibus verbis Clemens spectasse videtur id, quod scripsit B. Petrus in capite tertio prioris epistolæ, dicens, CHRISTVM & iis, qui in carcere erant, spiritibus prædicasse, qui increduli fuerant aliquando.

Clemens Alexandrinus.

84.

Auctoris sententia, quod omni homini, et in omni tempore necessaria fuerit doctrina reuelata diuinitus.

At enim isti sententię, clarissima voce reclamant, valideq; repugnant Theologi: sed omniũ maximè B. August. magna pluribus in locis asseueratione confirmans, non solùm sine doctrina diuinitus reuelata, vel absq; supernaturali fide simpliciter, verùm etiã sine fide ipsius CHRISTI neminẽ hominum salutẽ æternam consecutũ esse. Audiat Lector verba ipsius ex epist. 157. ad Optatũ Episcopum, huc trãslata. Illa fides (inquit) nobis salua sit, qua credimus nullũ hominum cuiuscumq; sæculi, aut ætatis fuerit, liberari à peccato, & morte æterna, nisi per vnũ DEI, & hominum mediatorẽ CHRISTVM cuius saluberrima fide etiã illi iusti qui prius fuerũt quàm veniret in carne, salui facti sunt. Profectò quòd scriptũ est, Non esse aliud nomen sub cœlo, in quo oportet nos saluos fieri, ex eo tẽpore valet ad saluandũ genus humanũ, ex quo in Adam vitiatum est genus humanũ. Similia horum reperiet Lector apud eundẽ August. in epist. 89. ad Hilarium, & in libro de natura, & Gratia cap. 44. & in lib. 2. de peccatorum remissione cap. 29. Verùm Theologi sententiã hanc B. August. interpretantur de fide CHRISTI vel explicita, vel implicita: qua itidẽ interpretatione superior illa sententia Chrysost. dicentis fidem CHRISTI non fuisse necessariam iis, qui ante aduentum

Act. 4.

tum eius fuerunt, reuocari ad verum sensum potest; satis enim erat antiquis hominibus, si qui absque CHRISTI fide manifesta, salutem adepti sunt, habuisse fidem eius implicitam, in fide vnius DEI inclusam, credentes videlicet DEVM esse humani generis seruatorem secundum ordinem, & modos ipsi notos, & in sua mirabili prouidentia occultos. Supradictam Augustini sententiam adiuuant illa B. martyris Ignatij verba: Omnes sancti saluati sunt per CHRISTVM in ipso sperantes, atque ipsum expectantes, & per ipsum salutem adepti sunt, qui erant digni dilectione, & digni laude, sanctificati à CHRISTO IESV.

Ignatius in epist. ad Philadelphienses.

85. Quod autem aliqua fides CHRISTI necessaria, omni tempore, fuerit homini ad salutem æternam, ex eo probatur, & ab Augustino, & ab aliis Patribus, quòd ex eo tempore quo Adam peccauit, & in eo peccauere omnes eius posteri, neminem mortalium nisi per CHRISTVM à peccato liberari, & salutem æternam consequi potuisse, pluribus in locis apertissimè diuina scriptura demonstrat. Id enim declarat illa Petri sententia: *Non est alius nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Et illa Pauli: *Mediator DEI & hominum homo CHRISTVS IESVS.* Ob hanc causam vocatur CHRISTVS via, & ostium, quia, nisi per eum, perueniri ad vitam æternam, & cœlum intrare nemo possit, dicente ipso etiam Domino: *Nemo venit ad PATREM, nisi per me.* Ob id quoque appellatur Agnus DEI tollens peccata mundi: & in Apocalypsi dicitur Agnus occisus ab origine mundi: hoc etiam indicat Antithesis Adami & CHRISTI, quam tractat Paulus in capite quinto epistolæ ad Romanos disputans, sicut per vnum hominem Adamum, omnes homines peccauerunt, & obnoxij fuerũt damnationi; ita per vnum hominẽ CHRISTVM, omnes homines iustificari, & saluari. Cùm igitur CHRISTVS fuerit saluator omnium hominum, quicumq; salui facti sunt, existimare conuenit, fidem huius SALVATORIS, fuisse omni tempore ad salutem animæ necessariam hominibus, fidem dico eius vel apertam, & expressam,

Act. 4. 1. Tim. 2. Ioan. 14. Ioan. 10. Ioan. 4. & 6. Ioan. 1. Apoc 13.

vel opertam & velatam. Hinc autem necessariò concluditur, solam cognitionem naturalem DEI, qualiscumque, & quantacumque sit, nec illis Philosophis, nec vlli hominum, satis aliquando fuisse ad vitam æternam consequendam.

86. Cæterùm nulli hominum veram iustitiam contigisse vnquam sine fide diuina, & reuelata doctrina aliquarum rerum supernaturalium, euidentius probatur ex diuina Scriptura his rationibus. Principiò, hoc ipsum indicauit Paulus suprà, cùm dixit; in Euangelio reuelari, & manifestari iustitiam DEI ex fide in fidem, id est, in omni tempore per fidem esse homines iustificatos à DEO: ad quod probandum proximè adiecit testimonium Habacuc dicentis: *Iustus ex fide viuit.* Si autem nec iustitia diuina, nec animæ vita potest cuipiam accidere sine fide; ergo sola cognitio naturalis DEI, quam habuere Philosophi, non fuit eis sufficiens ad comparandam iustitiam, & vitam æternam. Idem quoque patet ex illa ratiocinatione, qua vtitur Paulus in capite decimo epistolæ ad Romanos, dicens: *Omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Quomodo autem inuocabunt, in quem non crediderunt?* Hinc licet nobis etiam argumentari ad hunc modum: Nemo potest esse saluus, qui non inuocauerit nomen Domini; sed nemo potest inuocare nomen Domini, qui non crediderit in eum, & habuerit fidem in eum acceptam per auditum & prædicationem? Ergo nemo potest esse saluus sine fide DEI. Præterea, B. Paulus in capite vndecimo epistolæ ad Hebręos probat, Henoch habuisse fidem, eo quod placuit DEO, sicut traditur in capite quinto libri Genesis: *Impossibile autem est* (inquit Paulus) *sine fide placere DEO:* quæ Pauli probatio inualida foret, nisi pro certo, atque indubitato poneretur, neminem placere DEO, & iustum esse posse, in quocunque tempore, sine fide.

Habac. 2.

87. Fidem verò supernaturalem, necessariam esse homini ad salutem, non solùm ex parte subiecti (vt loquimur in scholis) præbendo scilicet assensui mentis, & actui credendi talem certitudinem & firmitatem, quali opus est ad salutem; verùm

Fidem esse necessariam homini ad salutem non solùm

rum etiam ex parte obiecti, quia fides reuelat homini veritates aliquas supernaturales; ex illo ipso epistolæ ad Hebręos loco perspicue demonstratur. Paulus enim disputaturus copiose in eo capite de necessitate, & dignitate fidei, vt ostenderet, de qua necessitate fidei facturus verba esset, præmisit initio eius capitis, quasi fundamentum futuræ disputationis, definitionem illam fidei: *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*: ex qua definitione liquet, Paulum de fide loqui respectu obiecti supernaturalis, & reuelati: cuiusmodi sunt res, quæ à nobis sperantur, & quæ nec sensibus, nec mentibus hominum naturaliter apparent, & innotescunt. Idem patet ex eo, quod proxime subdit; *Fide*, inquit, *intelligimus aptata esse secula verbo DEI, vt ex inuisibilibus visibilia fierent*, nimirum creatio mundi, & modus creationis eius, ad obiectum fidei reuelatum pertinet. Adhæc, demonstraturus Paulus necessitatem fidei, sententiam illam generalem pronuntiauit: *sine fide impossibile est placere DEO*, quam sententiam quasi probans, mox subdit, quæ sit necessitas fidei ex parte obiecti, dicens: *Oportet enim accedentem ad DEVM, credere quia est, & inquirentibus se, remunerator sit*. Licet autem prius illud, *quia DEVS est*, ab aliquibus possit humana ratione cognosci: posterius tamen illud, *quod remunerator sit inquirentibus*, excedit omnem facultatem humanæ rationis. Etenim remuneratio, qua DEVS post hanc vitam iustos remuneratur, non aliter nisi per fidem, & DEI reuelationem cognosci potest, secundum illud quod ab Isaia dictum est, & postea citatum à Paulo: *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit DEVS iis, qui diligunt ipsum.* Ex quo licet intelligere, vltimum simpliciter finē hominis, cuius certa cognitio cuilibet hominum necessaria est ad salutem, esse supernaturalem, nec nisi supernaturaliter cognobilem. His accedit, quod præter cognitionem vltimi finis, necessum est, hominem scire medium simpliciter necessarium ad finem consequendum: hoc autem medium est supernaturalis Dei

ex parte subiecti, sed etiam, obiecti.

Genes. 1.

Locus Pauli ad Hebræos 11.

Locus Isaiæ 64. & 1. Cor. 2.

lis DEI gratia, quæ gratis datur homini, & supernaturaliter infunditur. Alioqui laberetur homo in errorem Pelagij, existimans se naturali facultate proprij liberi arbitrij, & per sua opera moraliter bona, ad vltimum finem suum, & felicitatem peruenire posse. Postremò necesse est homini notum & persuasum esse, humanam naturam esse corruptam, & peccatis obnoxiam, nec per seipsum posse hominem à peccatis mundari, nec vitare peccata, nec vniuersam legem naturalem obseruare, sed ad hæc præstanda opus sibi esse speciali DEI auxilio, & gratia. Huius autem rei certa, & qualis oportet, cognitio, non per humanam rationem, nec per Philosophiam, sed per fidem tantum & doctrinam reuelatam haberi potest. Sit igitur lectori omnino persuasum, certumque, nec Philosophos illos, de quibus Paulus loquitur, nec vllum mortalium, per solam cognitionem naturalem, & sine diuina fide, & supernaturalium quarundam veritatum doctrina diuinitus reuelata, veram iustitiam æternamque salutem percipere vnquam potuisse.

DECIMA-

DECIMA OCTAVA DISPVTATIO.

An credibile ſit veram iuſtitiam, æternamque ſalutem percepiſſe aliquem gentilium Philoſophorum, eorum præcipue, qui ob ſapientiæ ac pietatis præſtantiam apud Ethnicos maxime celebrati ſunt, vt Socrates, & Plato, & Seneca & Triſmegiſtus.

88. *Catharinus.*

CATHARINVS ſuper hoc loco quæſtionem proponit, An, quod Paulus dixit de Philoſophis, eos, cum nouiſſent verum DEVM, non eum tamen glorificaſſe, id de omnibus Philoſophis intelligendum ſit, ita vt nullus eorum, rite colens DEVM ſaluus fuerit: An verò ſententia Pauli accipienda ſit de pleriſque Philoſophorum, non autem de omnibus. Atque in hanc partem magis ipſe ſuam inclinat ſententiam: nimis enim durum ſibi, & acerbum videri ait omnes Philoſophos, æternæ damnationis & mortis reos facere. Certe de Socrate ac Platone meliora fortaſſe dignum eſt opinari, quàm quæ Paulus hoc loco generaliter Philoſophis obiicit. Sed enim cum venitur ad particulares perſonas, ſolius DEI eſt noſſe, vel eorum, qui à Deo reuelationem habuerunt, quis illorum Philoſophorum ſalutem æternam adeptus fuerit. Ita Catharinus. Notum eſt illud Eraſmi dictum, qui tantam de Socratis ſanctimonia exiſtimationem habuit, vt quodam

in loco

in loco dicere non sit veritus: vix me contineo, quin dicam: sancte Socrates, ora pro me.

89. Ego si nullum Philosophorum fuisse saluum dixero, inscienter profecto ac temere dixero: præsertim cum legam apud Dionysium Areopagitam in libro de cœlesti Hierarchia, nonnullos gentilium, per ANGELOS, qui singulis Gentibus præpositi sunt, esse ad veri DEI cognitionem cultúmque deductos, & scriptura ponat nobis ante oculos Iob, & amicos eius, & gentiles, & in media gentilitate viuentes, etiam ante legem Mosis, Christianos propemodum Philosophos, & Theologos. Et verò, soli DEO notum esse potest, qualem quisque Philosophorum (quod ad salutem animi attinet) exitum vitæ habuerit: cum doceat scriptura, facile esse in oculis DEI, subito honestare pauperem: & in quocumque tempore, etiam exhalabundus animam, peccator ad DEVM sese conuerterit, inuenturum esse misericordiam & gratiam apud DEVM. De Socrate tamen & Platone, de quorum salute Catharinus bene existimat, ausim dicere, eos, quantum ex factis & dictis eorum intelligi potest, nec veram habuisse iustitiam, nec æternam salutem percepisse. Quanquam enim illi aspernabantur Deos gentium, & vnum esse DEVM omnium agnoscebant, idque familiares suos, atque intimos docebant; palam tamen, & in publico, communem vulgi errorem de diis sectabantur; sacrificando illis, omnemque cultum diuinum, extrinsecus exhiberi solitum, exhibendo. Hoc autem illi faciebant contra conscientiam suam, vel metu pœnæ, vel adulationis vitio, vel desperatione emēdandi vulgus, quod putabant nō esse capax veræ sapientiæ, vel quod vtiliter in illo cultu Deorū exerceri vulgus, & à male agendo reuocari existimabant. In istos itaq; verè conuenit, quod Apostolus supra dixit: *Qui veritatem DEI in iniustitia detinent.* Nā cum verū DEVM cognouissent, & super omnia colendum, hoc tamen dissimulantes & celantes, in errorem atque impietatem vulgi volentes ac scientes consentire videri voluerunt.

Eccles. 11.

His

90.

Socratem vere impium fuisse.

Xenophon, & Plato.

His autem quæ diximus, Xenophon, & Plato fidem faciunt, Socratem vindicantes ab ea calumnia, qua oppressus interiit, quod Deos Græcorum contemneret: affirmant enim bene Socratem de diis Græcorum sensisse, & sacrificasse illis, & ad eorum cultum exhortari alios. & incitare solitum. Sed iuuat commemorare hoc loco quæ in hanc ipsam sententiam distinctius & luculentius scripta reliquit Eusebius in octauo & vndecimo capite libri decimi tertij de præparatione Euangelica his verbis: Nos Platonem maxime admirantes, quod sacram scripturam sequi videatur diligenter, Philosophiam tamen eius reiiciemus, quia purissimum scripturæ aurum, non omnino immaculatum seruauit. Sola enim diuina eloquia vsquequaque sancta, & pura sunt, & ab omni mendacio longe remota. Ceterùm omnium dicta singula, & scripta, quoniã humanis cogitationibus atq; coniecturis ad considerandam naturam rerum ducti sunt, nonnihil falsitatis habent. si quis enim consideret Platonem, comperiet, eum simulacris hominum, DEI appellationem, & cultum turpiter attribuisse. Itaque, post sublimem illam Theologiam, qua PATREM & Creatorem vniuersi, vnum DEVM asseruit, à cœlo in profundum idololatriæ delapsus, Atheniẽsis populi superstitiosis opinionibus ferebatur. Nec veritus est Socratem in Pyræum ad soluenda Deæ vota descendentem laudare: gallum item Æsculapio sacrificari iussum à Socrate: quin etiam Delphium Dæmonem, paternum Græciæ interpretem appellat, & diuinis laudibus libenter celebrat. Audi, quæso, quam turpiter vulgarem & fabulosam de diis opinionem confirmat. Cum enim in Timæo multa de bono DEO, mundi conditore verè ac sapienter disseruisset, ad extremum, tam præclaram doctrinam suam, inquinauit atq; corrupit, adiiciens, etiã diis, quos gentes colebant, fidem & haberi, & diuinum cultum atq; honorem, propter legum obseruantiam, exhiberi oportere. Verba eius sunt hæc: Ceterorum qui dæmones appellantur, & cognoscere, & enuntiare generationem maius est opus, quàm ferre nostrũ

valeat ingenium. Priscis itaq; viris hac in re credendum est: qui diis geniti, (vt ipsi dicebant) parentes suos optime nouerant. Impossibile profecto est, filiis Deorum fidem non habere, licet nec necessariis, nec verissimis rationibus eorum oratio confirmetur. Verum quia de domesticis rebus loqui se affirmabant, nos legem secuti, fidē illis præstabimus. Sic igitur vt ab iis est traditū, horum Deorum generatio habeatur, atq; dicatur. Hæc ibi Plato, & cetera, quæ post hæc de fabulosa Deorū generatione, ex Theogonia Hesiodi subtexit. Nobis igitur Plato, quia secum ipse de DEO scribens, turpitur dissidet, relinquendus est. Nam qui Poëtas, Poetarumque fabulas de diis, in libris de legibus contemnit, quiq; mentitū esse dixit eum, qui primus finxit ea, quæ cœlum fecisse tradit Hesiodus; quomodo nunc Deos, & Deorum nepotes, Saturnum, & Iouem, & Iunonem diuino & nomine & honore dignos iudicat?

Impia Platonis sententia de cælis & stellis.

Idem Plato cum dixisset, stellas, & cœlos à DEO, molitore omnium rerum, esse conditos: in Epinomide tamen iis rebus diuinū cultum exhiberi iubet: Cœlum, inquit, sicut alios omnes dæmones, atq; Deos honorare oportet, & vota ipsi apprime facere. Et paulo post hæc: Deos, inquit, visibiles, maximos, colendissimos, perspicacissimos, ac omnino primos, stellarum naturam dicere oportet; secundum hos verò colendi sunt dæmones. Quomodo autem, si hæc omnia facta sunt à DEO, vt ipse in Timæo docuit, Deorū cultu honoranda sunt? cum ei soli, qui omnium creator est, diuinus honor, cultusque debeatur? Quanto verius & sanctius Moyses de stellis philosophatus est, scriptū hoc relinquens in capite quarto Deuteronomij: *Ne forte eleuatis oculis ad cælum, videas solem, & Lunam; & omnia cæli astra, & errore deceptus, adores ea, & colas, quæ creauit DEVS tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cælo sunt.*

91.

Tertullianus.

Tertullianus etiam in Apologetico, cum dixisset, Socratem in contumeliam Deorū, quos gentes colebant, quercū, & hircum, & canem deierare solitum; paulo tamen infra de eodem

eodem Socrate hæc ſcribit: ſecundum Deos, Philoſophi dæmones deputant: Socratis vox eſt: Si dæmonium permittat. Idē & cum de veritate aliquid ſapiat, Deos negans, Æſculapio tamen gallinaceum proſecari, iam in fine iubebat. Credo ob honorem patris eius, quia Socratem Apollo ſapientiſſimum omnium cecinerat.

O Apollinem inconſideratū: ſapientiæ teſtimonium reddidit ei viro, qui negabat Deos eſſe. Iſtorum ſimilia ſcribit B. Chryſoſtomus homilia tertia ſuper hanc epiſtolam Pauli ad Romanos. Nam cum enarraſſet, quæ Paulus hoc loco ſcribit de cœcitate Philoſophorū, cognoſcentium verū DEVM, & adorantiū tamen idola, ſubdit hęc: Dices; Quid hæc ad Philoſophos? Ad hos maxime omnium, quæ dicta ſunt, pertinent. Etenim illi, rerum harum inuentores, Ægyptios præceptores habuerunt, vt Plato, qui ceteris grauior eſſe videtur, hinc gloriatur: eiuſq; pręceptor hęc ipſa admiratus, ad ea obſtupeſcit. Hic enim eſt, qui gallū iubet Æſculapio ſacrificari. Hinc brutorū horum animantiū & reptilium imagines, & cum his Apollinē; & Liberū coli videas. Neq; verò hinc tantùm, ſed & aliunde videas, eorū anteſignanum (Platonem) iis, quæ diximus, obnoxium eſſe. Nam cum Poëtas in vnū cogit, illiſq; fidem habendā affirmat in iis, quæ de diis ſentiunt, tanquam exacte callentibus, nihil aliud, quam nugamentorum congeriē accumulat, & horum multū riſum, dicens, credere oportere verū eſſe quod illi dicunt, licet ſine vera, & veriſimili ratione dicant. Hæc ferè Chryſoſtomus.

Chryſoſtomus.

92.
Seneca impietas.

Senecam porrò (quem non inſcite quidam Chriſtianum Stoicum appellarunt) ex eorum fuiſſe numero, quos Paulus ait hoc loco, cum DEVM cognouiſſent, non vt DEVM glorificauiſſe, ſed idololatriam vulgi, quam animo contemnebant, atque irridebant in, publico ſecutos eſſe: non alium teſtem afferam quàm ipſummet Senecam. Is enim, in eo libro quem ſcripſit contra ſuperſtitionem, cum primo grauiſſima oratione vehementer inuectus fuiſſet in abſurdiſſimas Græcorum & Romanorum circa idololatriam

ſuperſtitiones: ad extremum tamen præcipit, ritus Idololatriæ in publico, propter inueteratam conſuetudinem, & legum obedientiam retineri, & obſeruari debere. At licet nunc liber ille de ſuperſtitione, vt alia quædam Senecę ſcripta, non extet, qui eum tamen librum diligenter legit, quam diximus ſententiam Senecæ, B. Auguſtinus in capite decimo libri ſexti de ciuitate DEI ita refert: Libertas, inquit, in reprehendendo ciuilem Theologiam, & idololatriam, Senecæ, quem nonnullis indiciis inuenimus Apoſtolorum noſtrorum claruiſſe temporibus, non quidem ex toto, verum ex aliqua parte defuit: affuit enim ſcribenti, defuit viuenti. Nam in eo libro, quem contra ſuperſtitionem condidit, multo copioſius atque vehementius reprehendit ciuilem, & vrbanam Theologiam, quam Varro Theatricam atque fabuloſam. Cum enim de ſimulacris ageret, ſacros, inquit, & immortales, atque inuiolabiles Deos, in materia viliſſima, atque immobili dedicant: habitus illis hominum, ferarumque, & piſcium, quidam verò mixto ſexu diuerſis corporibus induunt: numina vocant, quæ ſi Spiritu accepto ſubito occurrerent, monſtra haberentur. Poſt hæc, in varias idololatriæ ſpecies, & fœdiſſimas, atque ridiculas cæremonias pluribus verbis, cum irriſione contemptuque inuectus, eas non in animi religione ſapientem habere debere, ſed in externis actibus fingere. Ait enim; Quæ omnia ſapiens ſeruabit, tanquam Legibus iuſſa, non tanquam diis grata: atq; omnẽ iſtam ignobilem Deorum turbam, quam longo æuo, longa ſuperſtitio cõgeſſit, ſic adorabimus, vt meminerimus, cultũ eius magis ad morem, quam ad rem pertinere. Sic ille. nec leges igitur illæ, ait Auguſtinus, nec mos ille antiquus & publicus id inſtituerunt in Theologia ciuili, quod diis gratum eſſet, vel ad rem pertineret. Sed iſte, quem Philoſophi quaſi liberũ fecerunt, tamen quia illuſtris populi Romani ſenator erat, colebat quod reprehendebat; agebat quod arguebat; quod culpabat, adorabat: quia ſcilicet magnum aliquid cum Philoſophia docuerat, ne ſuperſtitioſus eſſet in animo:

S. Auguſtinus.

Sed

Sed propter leges, moresque hominum, non quidem ageret fingentem ſcenicum in theatro, ſed imitaretur in templo; eo ſanè damnabilius, quòd illa, quæ mendaciter agebat, ſic ageret, vt eum populus veraciter agere exiſtimaret. Hactenus de Seneca ex Auguſtino.

At enim quanto ſincerior & ſanctior Philoſophus atque Theologus fuit venerabilis ille ſenex Eleazarus, plus ducentis annis ætatem Senecæ antegreſſus? Is enim, vt ſcriptum de eo eſt in capite ſexto poſterioris libri Machabæorum, cùm Rex Antiochus iuberet ad eſum porcinæ carnis Iudæos cogi, & ad comedendum carnes in ſacrificiis immolatas; ſuadentibus amicis vt comedere eas ſimularet, nec tamen comederet, quo regis iram, & ſupplicium mortis euaderet: conſtantiſſimo animo negauit, ſe tali vnqam ſimulatione vſurum: *Non enim,* inquit, *ætati noſtræ dignum eſt fingere: vt multi adoleſcentes, arbitrantes Eleazarum, nonaginta annorum, tranſiſſe ad vitam alienigenarum, & ipſi propter meam ſimulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur: & per hoc maculam & execrationem meæ ſenectutis conquiram. Nam etſi in præſenti tempore ſuppliciis hominum eripiar, manum tamen* OMNIPOTENTIS, *nec viuus, nec defunctus effugiam. Quamobrem fortiter vita excedendo, ſenectute dignus apparebo; Adoleſcentibus autem forte exemplum relinquam, ſi prompto animo, ac fortiter pro grauiſſimis & ſanctiſſimis legibus honeſta morte defungar.*

Locus 2 lib. Machabaeor. 6.

93.

Sed quia, & ſapientiam, & ſuperſtitioſam colendorum ſimulacrorum diſciplinam, Romani à Græcis, Græci verò ab Ægyptiis acceperunt; ſicut de ſapientibus Græcorum & Romanorum diximus, ita de ſapientibus Ægyptiorum nonnihil etiam hoc loco dicendum eſt: Nam verba illa Pauli de fœdiſſima Gentium idololatria: *Et mutauerunt gloriam incorruptibilis* DEI *in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium*, præcipuè feriunt Ægyptios. Sapientiſſimus porrò omnium Ægyptiorum, immo primus & maximus in Ægypto ſapientiæ doctor fuiſſe di-

se dicitur Hermes Trismegistus: qui multa de DEO scripsit & vera, & similia doctrinæ Mosis: prorsus adeò, vt nonnulli eum vocauerint Mosen Ægyptium: hic tamen quem ob admirationem sapientiæ eius tantoperè venerata est antiquitas, de idolorum effectione atque cultu plenā non solùm impietatis, verùm etiam insipientiæ, & stultitiæ sententiam habuit, & scriptis prodidit: vt verissimè in istum competant, quæ Paulus hoc loco de Philosophis dixit: *Qui cū cognouissent DEVM, non sicut Deū glorificauerūt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationib. suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Sententiā porrò huius Hermetis, siue Mercurij Trismegisti de cultu simulacrorum, B. Augustinus in vigesimo tertio capite libri octaui de ciuitate DEI ad hunc modum refert, Hermes Ægyptius, quem Trismegistum vocant, alios Deos dicit esse à summo DEO factos, alios qui ab hominibus. Hoc qui audit, sicut à me positum est, putat dici de simulacris, quia sunt opera manuum hominum. At ille visibilia, & contrectabilia simulacra velut corpora Deorum esse asserit: & his inesse quosdam spiritus inuitatos, qui valeant aliquid siue ad desideria eorum nonnulla complenda, à quibus diuini eis honores, & obsequia deferuntur. Hos ergo spiritus inuisibiles, per artem quandam, visibilibus rebus corporalis materiæ copulare, vt sint quasi animata corpora illis spiritibus dicata, & subdita simulacra: hoc esse dicit Deos facere, eamque magnam & mirabilem Deos faciendi accepisse homines potestatem. Deinde quasi lugens, futurum tempus prædicit, quo simulacrorum omne apud Ægyptios studium, & cultus, & religio penitus interitura sint. Quibus verbis prædicere videtur hoc tempus, quo Christiana religio, quanto est veracior, & sanctior, tanto vehementius & liberius cuncta fallacia figmenta subuertit: vt gratia verissimi SALVATORIS liberet hominem ab iis diis, quos fecit homo, & ei DEO subdat, à quo factus est homo. Sed iste sapiens in tantam venit stultitiam, vt futurum simulacrorum casum, tanquam exitialem

Impia & insipientissima Trismegisti de Idolis sententia.

tialem

tialem Ægyptiis deploraret. Erat enim de iis, quos Paulus dixit, cùm DEVM cognouissent, non vt DEVM glorificauerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis: & cum sapientes se esse dicerent, stulti facti sunt. Multa quippe iste Mercurius talia dixit de vno vero DEO, fabricatore mundi, qualia veritas habet. Et nescio quo modo mira cordis obscuratione ac cœcitate, eo delabitur, vt diis, quos ab hominibus fieri confitetur, semper velit homines subdi; eorumque futuro tempore cultum plangat auferri. Talem verò idolorum futuram euersionem, qualem post CHRISTI aduentum, & prædicationem Euangelij euenisse cernimus, non ei reuelauit SPIRITVS sanctus, sicut reuelauit sanctis Prophetis, qui eam intellexerunt: sed indicauerunt illi nequissimi spiritus, prænoscentes futura tempora suæ perditionis, qui etiam timentes præsenti Domino dixerunt: *Quid venisti ante tempus perdere nos?* Ante tempus dixerunt, siue quia subitum illis fuit; nam licet futurum sciebant, tardius fore tamen opinabantur: siue quòd perditionem suam, hanc ipsam dicebant, qua fiebat vt cogniti spernerentur ab hominibus; & hoc erat ante tempus, id est, ante diem iudicij, quo æterna damnatione puniendi sunt cum omnibus etiam hominibus, qui eorum Societate detinentur. Hactenus ex Augustino.

Locus Matt. 8.

DECI-

DECIMA NONA DISPVTATIO.

De multiformi & fœdissima Gentium Idololatria.

SVPER ILLIS VERBIS:

Versu 25.

Et mutauerunt gloriam incorruptibilis DEI, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.

94. *Ambrosius.*

HÆc verba exponens Ambrosius in Commentario huius loci: Sic, inquit, obcœcatum fuit cor illorum, vt maiestatem inuisibilis DEI, quem ex factis ab eo operibus agnouerant, non in homines, sed (quod peius est & inexcusabile crimen) in similitudinẽ hominum mutarent: vt forma corruptibilis hominis, DEVS ab illis vocaretur, hoc est, simulacrum hominis, vt quos viuos hoc nomine donare non auderent, mortuorum imagines in Deorum gloriam reciperent. Quanta hebetudo, quanta stultitia? Se sapientes vocant ad suam damnationem, apud quos plus potest imago, quàm veritas, & mortui potiores sunt viuis? Sed illud vltra omnem hebetudinem est & stultitiam; quod DEI maiestatem, & gloriam in tantum minuerunt, vt eorum, quæ praua sunt, & inimica homini, similitudini, DEI honorem tribuerent. Primi enim Babylonij DEVM vocauere figmẽtum Beli cuiusdam hominis mortui, qui principatum in eos gessisse dicitur. Coluerunt & serpentem draconem, quem occidit Daniel, cuius similitudinem habent. Ægyptij verò colebant quadrupedem, quam

Dan. 6.

dice-

dicebant Apim, in ſimilitudinẽ vaccæ: quod malum imitatus eſt Hieroboam, vaccas inſtituẽs in Samaria, quibus ſacrificarent Iudæi. Volucres quoque adorabant Gentes, quia Coracina ſacra habent Pagani. Harum autem omnium rerum, quas memoraui, ſimulacra coluerunt Ægyptij, & alia, quæ nunc dicere non eſt neceſſe. Hæc ab illis facta ſunt, qui ſe ſapientes æſtimauerunt in mundo. Nam quia inuiſibilem DEVM agnoſcentes, non adorauerunt eum iſta faciendo, nec in iis quæ viſibilia ſunt, ſapere potuerunt. Difficile enim in maioribus prudens in minoribus non ſapit. Sic Ambroſius.

3. Reg. 12.

95. *Cyrillus Hieroſolymitanus.*

Sed B. Cyrillus Hieroſolymitanus in Catecheſi ſexta miſerrimam iſtiuſmodi idololatrarum cæcitatem grauiſſima oratione reprehendens, ſimulq́; deplorans, ita ſcribit: Cùm tantus ſit DEVS, vt vel minimam eius præſtantiæ particulam dignè eloqui, ne omnes quidem poſſint ANGELI, etiamſi in vnum conueniant: homo tamen exculpens lapidem, lapidi dixit: DEVS meus es tu. O magnam cœcitatem, à tanta magnitudine in tantam vilitatem delabi. Lignum, quod DEVS plantauit & pluuia humectauit, & deinde combuſtum, atque in cinerem redactum, vel manu hominis figuratum eſt, DEVS appellabitur? Vſque adeò autem fornicatio hæc idololatriæ abundauit, vt feles, lupos, & canes pro Deo adorauerint. Leo deuorator hominum, ſerpens, & draco æmulus hominis, & qui nos ex Paradiſo eiecit, pro diis ab homine adorãtur. Cæpe apud quoſdam colitur; vinum datum eſt à DEO, vt exhilaret cor hominis: & Bacchus tanquam inuẽtor vini pro DEO celebratur. Frumentum DEVS fecit, vt cor hominis confirmet; & Ceres tanquam frumenti Dea colitur. Ignis, vel lapidum colliſione etiam hodie elicitur, & Vulcanus tanquam ignis inuentor, Deus appellatur. Incorporeus eſt DEVS; & ipſi adulteria, & iurgia, & pugnas diis ſuis attribuunt. Taceo Iouis in Cygnum mutationes; Pudet dicere illius in bouem transformationem. Mœchus apud Græcos Deus eſſe dicitur, & mortes, & defectiones, & tonitrua vocarunt Deos. Hæc Cyrillus. Quantoperè autem idololatriam iſtam, quam

Hierem. 2.

Geneſ. 3.

Pſalm. 103.

Ibidem.

memorat hoc loco Apostolus, & quam etiam ipsi Iudæi aliquando vsurparunt, detestaretur DEVS, satis ostendit prophetæ suo Ezechieli verbis illis: *Fili hominis, fode parietem. Et cum fodissem parietem, apparuit ostium vnum, & dixit ad me: Ingredere, & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic. Et ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptilium, & animalium abominatio, & vniuersa idola filiorum Israël depicta erant in pariete in circuitu per totum, & septuaginta viri de senioribus domus Israël, & Iezonias filius Saphan stabat in medio eorum stantium ante picturas: & vnusquisque habebat thuribulum in manu sua: & vapor nebulæ de thure consurgebat. Et dixit ad me* (Dominus) *Certè vides fili hominis, quæ seniores domus Israël faciunt in tenebris, vnusquisque in abscondito cubilis sui, dicunt enim: Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram.*

Locus Ezechielis cap. 8.

96. Cæterùm quò huius sententiæ Pauli de multiformi Gentium Idololatria tractatus, explicatusque plenior, atque illustrior existat, visum est mihi hoc loco adscribere nonnulla ex veterum monumentis petita, è quibus vanissima, & fœdissima Ægyptiorum, & Græcorum, atque Romanorum absurdissima circa simulacrorum cultum superstitio clarius Lectori enotescat. Ac superstitionem quidem Ægyptiorum varia animantium genera diuino cultu & honore venerantium graphicè descripsit Diodorus Siculus in capite quarto libri secundi historiæ suæ: cuius verba, quæ ad id spectant, quod nunc agimus, huiusmodi sunt: Colunt Ægyptij animantia quædam præter modum, non solùm viua, sed etiam mortua, sicut feles, Ichneumonas, Canes, Accipitres, Ibides, Lupos, Crocodilos, & eiusmodi plura; quorum causas reddere, si prius pauca de his disseruerimus, enitemur. Primum singulis animantibus quæ colunt, separatim quampiam regionem sacrant, quæ satis sit ad eorum curam, ac victum. Faciunt etiam diis quibusdam vota Ægyptij pro pueris, qui de morbo euaserint, radentesque capillos, ac in auro, argentóue ponentes, dant munus Magis.

Diodorus de Vanissima Aegyptiorum in cultu animalium superstitione.

gis. Qui eiuſmodi animalium curam habent, alij carnes inciſas accipitribus volantibus proiiciunt; magna voce, donec carnes capiant, appellant: In cibis verò felis, ac Ichneumonis blandientes illis, ac allicientes, panem in lacte ponunt, aut nutriunt piſcibus Nili. Eodem pacto & animalibus cæteris opportunum cibum præbent. Non ſolùm verò horum cultum palam profiteri non erubeſcunt: ſed tanquam in honoribus Deorum effuſi, laudi ſibi, & decori tribuunt. Cumque cum ſignis illorum propriis vrbes ac varia loca circumeant, procul oſtentantes quæ obſeruant animalia, ea more ſupplicum, ſinguli venerantur. Cùm aliquod eorum moritur, ſindone contectum, cum vlulatu pectus percutientes, ſale liniunt, ac cedri liquore, vnguentiſque odoriferis, quò diutius ſeruetur corpus vnctum, in ſacris locis ſepeliunt. Si quis, quod horum ſponte animalium occiderit, morte damnatur, Eluro, & Ibide exceptis: quos ſponte, aut ſecus occiderit, interficitur accurrente turba; & abſque iudicio hominem variis ſuppliciis affectum interficiente. Quo timore, qui hos mortuos conſpexerit, procul aſtans lamentatur, teſtificans, animal abſque ſua culpa mortuum eſſe. Adeo autem mentes horum ea ſuperſtitio peruaſit, adeoque infixus animis horum eſt cultus, vt quo tempore Ptolemæus rex ſocius à Romanis, atque amicus dictus eſt, applaudentibus Ægyptiis, Italoſque ad ſe venientes ſummo ſtudio colentibus, maximeque annitentibus, ne quam diſſenſionum, aut belli cauſam præberent, tamen cum quidam Romanus felem occidiſſet, ad domum eius concurſu plebis facto, neque à Regibus ad id miſſis principibus, neque Romanorum amore à pœna hominis abſterreri potuerunt, quamuis non ſponte beſtiam occidiſſet. Quam rem non auditu percepimus, ſed viſu, cum eo tempore in Ægyptum nauigaſſemus. Videntur hæc forſan indigna fide nonnullis; & fabulis, quàm vero ſimiliora. Sed indigniora multo videri debent quæ ſequuntur. Premente aliquando Ægyptios fame, adeò vt plures ab humana carne, ob inopiam cibi

non abſtinerent, animalia ſacra omnino intacta reliquêre. Sicubi verò canis domi mortuus repertus eſſet, ſinguli eius domus corpus facta lamentatione radunt. Hoc quoque eſt mirabilius, ſicubi vinum frumentumúe, aut aliud quid victui accommodatum, vbi ſimile animal expirauit, inuentum eſſet, non amplius illis vtebantur. Eodemque luctu etiam ad alia loca profecti, eluros & accipitres mortuos ad Ægyptum, deficiente perſæpe viatico deferebant. Quamuis etiã facile ſit quomodò apud Memphim Apis, apud Heliopolim Meneuis, apud Midatam hircus, Crocodilus apud Miridem paludem, Leo apud Leontem ciuitatem, multaque alia variè colantur, referre: tamen difficile eſt, ea apud huiuſmodi rerum inſcios credi. Nutriuntur hæc animalia ſumma cura, atque impenſa in templorum ambitu à viris haud quaquam contemnendis, quæ ſimilagine, & alica, variiſque epulis lacte conditis cibant. Anſeres inſuper tum elixos, tum aſſos apponunt quotidie. His qui cruda edunt, aues captas præbent. Denique eas omnes magna ſuſtentant cura, ac ſumptu. Lauant inſuper aqua vnguentiſq; optimis odoriferiſque, lectos quoque illis ſumptuoſos ſternunt, atque ornatos. Si quid ex eis infirma natura naſcitur, diligenter curant, præterea femellas cuique generi animalium præparant ſpecioſas, quas appellant pellices. Inque his nutriendis plurimum impenſæ, atque operæ ponunt. Eorum mortem æquè, ac filiorum lugent, ſepeliuntq; ſumptuoſius, quàm eorum facultas ferat. Poſt Alexandri obitum, cum Ptolemęus Lagus Ægyptum teneret, boue in Memphi ex ſenecta mortuo, qui illius nutriendi curam ceperat, pecuniam, quæ in eius ſumptum data erat permagnam, ac inſuper quinquaginta talenta argenti mutuo à Ptolemæo ſumpta in eius ſepulturam impendit. Noſtra quoque ætate quidam qui ea animalia nutrierant, in illorum ſepulcra haud minus centum talenta contulêre. Hęc Diodorus.

97. *Septiformis Græcorũ Idololatria ex Plutarcho.*

De ſeptiformi autem Græcorum Idololatria nõ aliud hoc loco dicatur; niſi quod in ſexto capite primi libri de Placitis

Philo-

Philoſophorum tradit Plutarchus his verbis: Qui cultum Deorum nobis tradiderunt, tribus formis vſi ſunt, naturali, fabuloſa, & teſtimonio legum. Naturalem Philoſophi, fabuloſam Poëtæ docent, leges ſuas, circa Deorum cultum, ſingulæ habent ciuitates. Tota doctrina in ſeptem diſtribuitur partes. Prima eſt eorum, quæ in cœlo, & in ſublimi fiunt, obſeruatio: homines enim cœperunt DEVM agnoſcere, cum viderent ſtellas tantam concinnitatem efficere, ac dies, noctesque, æſtatem, & hyemem, ſuos ſeruare ſtatos ortus, atque obitus, indeque terram, animantia, & fruges, fructusq; proferre. Itaque pro patre cœlum, pro matre terram acceperunt. Patrem illum, quod aquam, inſtar ſeminis, effunderet; matrem hanc, quod imbribus perfuſa, & grauidata ſeminibus pareret, atque ederet fructus. Cumque viderent ſtellas perpetuò moueri, & in cauſa nobis eſſe, vt ſolem, & lunam contemplaremur, Deorum iis nomen fecerunt à curſu ductum. Secundo, & tertio loco Deos diſtinxerunt in Deos vtiles, Iouem ſcilicet, Iunonem, Mercurium, & Cererem: & in damnoſos atque noxios, vt Diras, Furias, & Martem: quos vt violentos, & ſæuos; placant ſacris, atque auertunt. Quartum, & quintum locum virtutibus, & motibus animi aſſignauerunt, vt Amori, Veneri, & Deſiderio, & de virtutibus, ſpei, iuſtitiæ, æquitati. Sextum locum figmenta Poëtarum occupauerunt. Heſiodus enim cum vellet diis genitis patrem ſtatuere, Deorum genitores fecit huiuſmodi, Cœum Hyperiona, & Iapetum. Itaque hic locus fabuloſus dicitur. Septimo loco diuinitas iis tributa eſt, qui ob beneficia in vſum communis vitæ collata, diuinis honoribus ſunt affecti, cum humano eſſent more, modoq; nati, vt Hercules, Caſtor, & Pollux, & Bacchus. Formam porrò humanam diis adſcripſerunt; quia omnium rerum principatus eſt penes numen. Omnibus verò animalibus præſtat homo triplici excellentia, pulchritudinis videlicet, & virtutum, ac mentis. Præſtantiſſimos itaque omnium rerum Deos, ſimiles earum rerum corporearum, quæ omnibus

bus rebus antecellunt, rectè censuerunt. Hæc Plutarchus.

98. *Multiplex, fædaq; Romanorum idololatria. Tertullianus.*

Iam verò innumerabilem propemodum turbam Deorum, quos Romani colebant, perstringens in Apologetico Tertullianus, Romanis loquens: Vos, inquit, non negabitis, & iumēta omnia, & totos Cantherios cum sua Hippona coli à vobis. vosque omnium pene pecudum & bestiarum esse cultores. Vos Larentiam, publicum scortum, inter Cereres ac Dianas adoratis. Vos Simonem magum statua, & inscriptione, sancti DEI inauguratis. Vos de pædagogis, vel aulicis nescio quem Cynædum, DEVM facitis. Vester etiam Romanus Cynicus Varro, trecentos Ioues, siue Iuppiteres dicēdum sit, sine capitibus introduxit. Multa in hanc sententiam Arnobius, multa item Athenagoras scripserunt. Verùm disertissime futilitatem Deorum ostendit apud Ciceronem Cotta in libro tertio de Natura Deorum. Quamobrem Arnobius libro tertio aduersus Gentes affirmat, libros istos Ciceronis fuisse gentibus inuisos & exosos; seq; de multis audiuisse, qui magna indignatione dicerent, statui oportere per senatum, vt illa Ciceronis scripta penitus abolerentur; vt quibus videlicet religio Christiana valde comprobaretur; & antiquæ religionis Deorum opprimeretur auctoritas.

Arnobius.

99. Sed audiamus B. Augustinum in capite duodecimo libri tertij de Ciuitate DEI, de multiiugi Romanorum idololatria hæc scribentem: Non his tantum sacris Roma contenta fuit, quæ tam multa illic Numa Pompilius constituerat. Nam nondum ipsius Iouis summū templum habebat. Rex quippe Tarquinius ibi Capitolium fabricauit. Æsculapius autem ab Epidauro abiuit Romā, vt peritissimus medicus, in vrbe nobilissima artem gloriosius exerceret: Mater etiam Deum, nescio vnde, à Pessinunte: indignum enim erat, vt cum eius filius iam colli capitolino præsideret, adhuc ipsa in loco ignobili latitaret. Quæ tamen si omnium Deorum mater est, non est secuta solum Romam quosdam filios suos, verùm & alios præcessit secuturos. Miror sanè, si ipsa

peperit

peperit Cynocephalum, qui longe poſtea venit ex Ægypto. Verum etiam Dea febris ex illa nata ſit, viderit Æſculapius pronepos eius. Sed vndecumque nata ſit, non opinor, audebunt eam ignobilem dicere dij peregrini Deam ciuem Romanam. Sub hoc tot Deorum præſidio, quos numerare quis poteſt? Indigenas & alienigenas, cœlites, terreſtres, infernos, marinos, fontanos, fluuiales, &, vt Varro dicit, certos, atque incertos, atque in omnibus generibus Deorum, ſicut in animalibus, mares, & fœminas: ſub hoc ergo tot Deorum præſidio conſtituta Roma, non debuit, tam magnis, & horrendis cladibus, quales ex multis paucas connumerabo, agitari, affligique. Nimis enim multos Deos, grandi fumo ſuo, tanquam ſigno dato, ad tuitionem congregauerat: quibus templa, altaria, ſacrificia, & ſacerdotes inſtituendo, atque præbendo, ſummum verum DEVM, cui vni hæc ritè debentur, offenderet: & felicior quidem cum paucioribus diis vixit. Sed quanto maior facta eſt, ſicut nauis nautas, tanto plures adhibendos eſſe Deos putauit: credo deſperans, pauciores illos Deos, ſub quibus, in comparatione prioris vitæ, melius vixerat, non ſufficere ad opitulandum granditati ſuæ. Hactenus ex Auguſtino. Addam denique velut clauſulam de multiplici Romanorum idololatria, illam magni Leonis Papæ in ſermone primo de Natali die Apoſtolorum Petri & Pauli ſententiā: Roma, inquit, ignorans ſuæ prouectionis auctorem, cum penè omnibus dominaretur gentibus, omnium pene ſeruiebat erroribus: & magnā ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionē, quia nullam reſpuerat falſitatē; in qua, diligentiſsima ſuperſtitione habebatur collectum, quicquid vnquā fuerat variis erroribus inſtitutum.

S. Leo Papa.

100. Marcus Varro vnum & quadraginta libros ſcripſit Antiquitatum, quos in res humanas, & diuinas diuiſit: Rebus humanis viginti quinque: diuinis autem rebus ſexdecim libros tribuit. In libris porrò de humanis rebus, triplicem facit Theologiam, id eſt, doctrinam, ſiue rationem, quæ de diis explicatur: vnam vocat mythicam; id eſt,

Varro de triplici Theologia apud Veteres Ethnicos.

id est, fabulosam & poëticam; alteram, physicam, id est, naturalem: tertiam ciuilem, siue politicam. In genere Theologiæ, quam dixi fabulosam, vel poëticam; multa sunt, (inquit Varro) (referente verba eius Augustino in capite quinto libri sexti de ciuitate DEI) contra dignitatem, & naturā Deorū immortalium ficta, velut quod DEVS alius ex capite, alius ex femore sit, alius ex guttis sanguinis natus; quod dij sint furati, quod adulterarint, quod seruierint homini. Deniq; in hac Theologia omnia diis atribuuntur, quæ nō modo in hominem, sed etiam in contemptissimum hominē cadere possunt. De secundo genere Theologiæ, quod physicum, id est, naturale diximus, multos libros Philosophi reliquerunt, inquibus, est, qui sint dij, vbi sint, quod genus eorum, & quale, & quid agant, ex quonam tempore, & an sempiterno fuerint; an ex igne sint, vt credit Heraclitus; an ex numeris, vt Pythagoras; an ex atomis, vt Epicurus; & alia, quæ facilius intra parietes in schola, quàm extra, in foro ferre possunt aures. Tertium genus est ciuile, quod in vrbibus ciues, maxime sacerdotes nosse, atq; administrare debent: in quo est, quos Deos publicè colere; quæ sacra, & sacrificia facere quemque par sit. Prima Theologia, maxime accommodata est ad theatrum; secunda, ad mundum; tertia, ad vrbem. Hæc Varro ex B. Augustino.

Augustinus.

Annotauit porrò B. Thomas super hoc loco Pauli, cum in hac sua disputatione aduersus Gentium idololatriam, triplicem eorum, proxime dictam, Theologiam perstringere. Primo quidem, carpit ciuilem, quæ à pontificibus obseruabatur in templis, in adoratione, cultuque simulacrorum. Et ad hoc referendum est illud: *Mutauerunt gloriam incorruptibilis DEI, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis.* Contra Theologiam verò, quam poetæ tradebant fabulose, ac mendaciter, & in theatris repræsentabatur ab histrionibus, faciunt verba illa Pauli; *Qui commutauerunt veritatem DEI in mendacium.* Denique Theologiam naturalem, quam in mundo Philosophi obseruabant, colentes varias mundi partes,

S. Thomas.

tes, maxime verò cœlestes, reprehendit Paulus illis verbis: *Seruierunt potius Creaturæ, quam* CREATORI.

VIGESIMA DISPVTATIO.

De pœna qua DEVS puniuit ſapientes Ethnicorum propter Idololatriam.

SVPER ILLIS VERBIS:

Propter quod tradidit illos DEVS in deſideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis. *Verſ. 24.*

DOCET Paulus his verbis, & deinceps ſequentibus, grauiſſimã, ſimulque iuſtiſſimam pœnam, qua DEVS puniuit impietatem Ethnicorum ſapientum, cultum veri DEI ad ſimulacra hominum, & animalium transferentium. Nimirum illi ob DEI notitiam, quam præ ceteris adepti fuerant, elati, & inſoleſcẽtes, non coluerunt DEVM, nec ei gratias egerunt, ſed pro DEO inania ſimulacra venerati ſunt. Quam ob culpam, pœna conuenienti puniti ſunt: vt qui mentem vero DEO ſubiicere noluerunt, ſubiiciantur ipſi viliſſimis, & turpiſſimis ſenſuum appetitionibus, ſequendo cupiditates, non quaſlibet, ſed eas maxime, quæ ſunt omnium abiectiſſimæ, & probroſiſſimæ; quin etiam turpiores, & abiectiores, quàm ſunt brutorum. 101.

Sed quid eſt, *tradidit in deſideria, vel in concupiſcentias?* Eſt ſinere venire hominem in ſubiectionem ſuarum cupiditatum, vt quaſi ſeruus obediat deſideriis carnis ſuæ. DEVS enim, ſicut ſeruos ſuos liberat à concupiſcentiis, vt non

regnent in eorum corporibus, nec ipsi obsequantur eis; sed potius robore mentis, & spiritus, desideria carnis refrenent, atque eis dominentur: ita reprobos tradere dicitur in suas concupiscentias, quia dimittit eos ire post desideria, & sequi quocunque rapit eos cupiditas. Magnum profectò supplicium, tradi hominem in manus tam crudelium dominorum; nam de istis verè dici potest, quod per Isaiam capite decimo nono de Ægyptiis DEVS dixit: *Tradam AEgyptum in manus dominorum crudelium.* Est enim hoc contra naturalem ordinem humanæ naturæ, secundum quem ratio dominari debet appetitui, sicut DEVS homini dixit Genes. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Rectè igitur monet nos Sapiens in capite quinto libri Ecclesiastici: *Ne sequaris in fortitudine tua concupiscentias cordis tui: & ne dixeris: Quomodo potui, aut quis me subiiciet propter facta mea? Deus enim vindicans vindicabit.* Et in capite decimo & octauo eiusdem libri: *Post concupiscentias* (inquit) *tuas non eas, & à voluntate tua auertere.* Huius rei perinsignem atq; illustrem figuram animaduertere licet in Hebræis, quos propter concupiscentiam carnium murmurantes contra DEVM, tradidit DEVS in desideria cordis eorum, dans illis maximam copiam coturnicum. Sed, *adhuc erat esca in ore ipsorum, & ira DEI descendit super eos*: tanta enim mox seueritate in eos animaduertit DEVS, totq; eorum millia interemit, vt locus ille in posterum appellatus fuerit, *sepulcra concupiscentiæ.* Ergò DEVM sinere nos exequi, & explere desideria, & cupiditates nostras, non propitij, & benefici, sed offensi, atque irati, & eo ipso vindicantis argumentum est: sicut ex aduerso, prohibere, & auertere aliquem ab exequendo cupiditates suas, magnum est diuinæ beneuolentiæ, & benignitatis beneficium.

Locus Ecclesiastici cap. 5 & 18.

Psal. 77.

Num. 11.

102. *Obseruandum documentum.*

Ex hoc autem loco Pauli, licet intelligere, quàm sit atrox & horrenda, & quantolibet corporali supplicio seuerior DEI vindicta in peccatores, sinere eos obsequi, & seruire turpissimis cupiditatibus suis, & ruere in fœdissima scelera. Nã cum maximum sit crimen idololatriæ, ideoque supplicium

eius

eius esse debeat grauissimum; Paulus ait hoc loco, DEVM in pœnam idololatriæ quam Ethnici commiserant, tradidisse eos in fœdissima desideria carnis, & in abominanda flagitia. Verissimum itaque mihi visum est, quod dixit quidam huius memoriæ nostræ nobilis Theologus, qui Commentarios in hanc Pauli epistolam minime aspernandos edidit, ex hac Pauli sententia cogitari, & intelligi posse, quam sint crudeles belluæ, & in hominem truculentæ, nostræ ipsorum effrenatæ cupiditates ac libidines. Homines, n. illi, de quibus hic agit Paulus, qui propter honorem diuinum in vilissima animalia translatum, acerrima luere supplicia debebant, non vrsis, nec leonibus, nec tigribus discerpendi, & deuorādi traditi à DEO sunt; sed in obsequium, & seruitutem suarum cupiditatum, & libidinum. Desideria igitur nostra, & cupiditates, quibuslibet truculentissimis feris crudeliores, nobisque nocentiores sunt. Huius autem rei in aperto est ratio. Etenim homo est animal rationale, & mortale: quæcumque igitur nobis mors, quamlibet atrox, contingat, nihil accidit naturæ nostræ alienum, nedum contrarium: mortales quippe, morimur. Cum autem quid agimus rationi contrarium (tale verò est omne peccatum) tunc conditioni, & naturæ nostræ rationalis dignitati perinsignis irrogatur contumelia. Quoniam verò nulla res externa inuitos de rationis statu deturbare nos potest, sed liberū tantummodo arbitrium nostrum: nullum propterea decerni potuit in homines impios asperius tormentum acerbiorue cruciatus, quàm si in propria traderentur desideria, atque ea quidem turpia, & probrosa, quæ naturam ipsam fœdissimis flagitiis inquinarent, atq; infamarent.

Dominicus Sotus.

103. At enim verò locus hic Pauli perarduam excitat quæstionem: ter enim, paruo interuallo, Paulus affirmat, DEVM Ethnicos illos tradidisse in turpissimas cupiditates, & in fœdissima scelera. Primo enim ait: *Propter quod tradidit illos DEVS in desideria cordis eorum, in immunditiam, &c.* Et paulo post. *Tradidit illos DEVS in*

Ardua quæstio. Quomodo Deus tradat hominem in peccata.

paßiones ignominiæ. Et paulo infra: *Tradidit illos DEVS in reprobum ſenſum.* Verbum porrò illud, *Tradidit,* denotare videtur vim quandam, & actionem DEI, tanquam impellentis & protrudentis homines illos ad flagitia: quam etiam ſignificationem eius verbi agnoſcere, & approbare videtur quibuſdam in locis S. Auguſtinus, ſcribens, verbum illud tradendi, non tantum permiſſionem DEI, & patientiam ſignificare, ſed præterea etiam actionem quandam DEI inclinantis voluntatem hominis ad mala. Hoc certe Pauli loco abutuntur Hæretici noſtri temporis ad probandum illud dogma ſuum impium, DEVM eſſe cauſam efficientem peccatorum; & hominum peccare, à DEO impulſum, &, vt ita loquar, neceſſitatem. Quocirca Lutherus in articulo trigeſimo ſexto eorum articulorum, quos damnauit Leo Papa, dixit, non eſſe in poteſtate noſtra malas vias facere; ſed mala opera in impiis DEVM operari: & Bucerus ſuper hoc ipſo Pauli loco affirmatè ſcribit, DEVM eſſe cauſam cogentem hominem ad peccandum: adeo, vt qui hoc negauerit, DEVM neget eſſe DEVM, quia negat DEVM eſſe cauſam efficacem effectus, quem vult fieri: hoc enim apertè declarat verbum illud, *tradidit,* quo vſus eſt Paulus. Nota eſt, ſatiſque vulgata alius cuiuſdam iſtorum gregalis ſcelerata, meritoque execrata ſententia, tam eſſe à DEO proditionem Iudæ, quàm confeſſionem Beati Petri. Sedenim non modo perſpicue falſum, ſed etiam plane abſurdum eſt opinari, DEVM eſſe cauſam peccati: quomodo enim qui eſſentialiter, atque infinite bonus eſt, eſſe queat mali cauſa? ſi DEVS effector eſſet peccati, vellet vtique ipſum peccatum: De eo enim quodam loco ſcriptum eſt: *Diligis omnia quæ ſunt, & nihil odiſti eorum quæ feciſti.* Peccatum verò propterea eſt peccatum, dignumque ſupplicio, quia eſt contrarium legi, ac voluntati diuinæ, & quæ, obſecro, iuſtitia eſſet prohibere DEVM, & punire peccata in hominibus, quos tamen ipſe incitet, & impellat, & neceſsitet ad peccandum, quin etiam peccatum ipſum faciat? Nam ſi verum eſt, quod

Hæreticorum dogma impiũ.

Deum non eſſe cauſam peccati.

Sap. 11.

B. Iacobus

B. Iacobus dixit: *Devs intentator malorum est:* quanto verius dictu fuerit, Devm non esse malorum effectorem? Scriptum est Prouerbiorum decimo sexto capite: Vniuersa Devm operatum esse propter semetipsum: At peccatum ordinari ad Devm nullo modo potest, vt quod in se manifestam includat inordinationem & auersionem à Deo. Tota igitur huius quæstionis difficultas in eo est, vt declaretur, quomodo Paulus in his locis vsurpauerit verbum illud, *tradidit*, nam si non significat propriè actionem, & efficientiam Dei, explicandum est, qua significatione, quoue modo & acceptum à Paulo sit, & à nobis intelligendum.

Iacob. 1.

104.

Prima expositio Origenis, Chrysostomi, Theodoreti, Oecumenij, Ambrosij, Hieronymi.

Varias ego reperio apud expositores huius epistolæ rationes interpretandi verbum illud, *tradidit*, ita vt pias aures minimè offendat, sed veram, & piam reddat sententiam. Ac prima quidam interpretatio est multorum, & veterum, præcipuè verò Græcorum expositorum, qui aiunt dictum esse à Paulo, *tradidit*, pro eo quod est, permisit, id est, deseruit eos, nec prohibuit eos sequi cupiditates suas. Sic exponūt Origenes, Chrysostomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, & de Latinis Ambros. & Hieronymus. Chrysost. sic ait: Nihil aliud est hoc loco, *tradidit*, quàm permisit. Quemadmodum enim si dux aliquis & imperator exercitus, ingruente prœlio se subduceret, diceretur tradidisse milites hostibus: non quod illos ipse in stragem impulisset, sed quòd eos, cùm maximè opus eius auxilio erat, deseruisset: Ad eundem planè modum, Devs eos, qui oblatum ab ipso auxilium complecti nolentes, priores ab ipso resilierunt, dereliquit. Et Theodoretus: Paulus, inquit, hoc loco posuit hoc verbum, *tradidit*, pro permisit. Nam cùm vidisset eos Devs nec velle per mundi opificium ad effectorem eius colendum deduci: nec facultate rationis inditæ ipsis, in rebus agendis meliora eligere, fugere autem deteriora; illos sua prouidentia priuauit, & tanquam cymbam absque rectore ferri permisit. Similia tradit Theophylactus declarans exemplo Medici, qui videns ægrotum præceptis suis obtemperare nolle,

ſed arbitratu ſuo facere omnia, ne artis ſuæ operam perdat, & incaſſum laboret, ſinit ægrotum indulgere voluntati ſuæ, & facere quodcumque libitum fuerit. Ex quo ille, vehementius ingraueſcente morbo, denique interit; & Medicus vulgo dicitur tradidiſſe illum morti. Ambroſius itidem exponit verbum, *tradidit*, per verbum, permiſit; Quoniam, inquit, ad iniuriam creatoris DEI, figuras rerum deificauerunt, cùm ſe à DEO auertiſſent traditi ſunt diabolo. Tradere autem eſt permittere, non autem incitare, aut immittere: vt ea, quæ in deſideriis conceperant, adiuti à diabolo explerent in opere. Hieronymus verò ad eandem ſentẽtiam ſuper hoc ipſo Pauli loco ita ſcribit: In eo quod dicitur DEVS eos tradidiſſe propriis eorum deſideriis oſtenditur, non quod ipſe ſit cauſa, ſed quod per longanimitatem & patientiam non inferendo vindictam, patitur eos ſecundum cordis ſui agere voluntatem: hoc autem facit DEVS, volens eos tandem ad pœnitentiam conuerti. Item tradere in ſcripturis dicitur DEVS, cum non retinet delinquentes, propter arbitrij libertatem, ſicut in quodam Pſalmo ſcriptum eſt: *Dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum: ibunt in adinuentionibus ſuis.* Damaſcenus certè in capite vigeſimo libri quarti de Fide orthodoxa docet, eſſe conſuetudinem ſcripturæ, permiſſionem DEI, vocare actionem, ſiue efficientiam DEI, vt quod DEVS permiſit fieri, id dicatur ipſe facere: quod cùm aliquot ſcripturæ teſtimoniis declaraſſet; ſubdit, talia non vt DEO agente accipienda eſſe, ſed vt DEO permittente, ob liberam arbitrij facultatem, quia ſine violentia bonum eſſe debet.

2. Pet. 2. *Pſalm. 80.* *Damaſcenus.*

105. *Præcipere & præceptum nõnunquam pro permittere & permiſſione. Deut. 24.*

Nec ſolùm permiſſio DEI vocabulis ſignificantibus actionem & efficientiam denotari ſolet; Verùm etiam permiſſio DEI nomine præcepti nonnunquam appellatur. Libellum enim repudij, quem Iudæi dare iubebantur vxoribus, quas repudiabant, Matthæus capite decimo nono ſcribit, fuiſſe eis permiſſum ob duritiam cordis eorum; At verò Marcus capite decimo ait, fuiſſe eis præcepto impoſitum.

positum. Matthæi verba sunt hæc: *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras.* Marcus verò ita scribit: *At IESVS dixit eis: Quid vobis præcepit Moyses? Qui dixerũt: Moyses permisit libellũ repudij scribere, & dimittere. Quibus respondens IESVS ait: Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis præceptum istud.* At enim, permissio DEI, in quocunque hominis peccato, etiam in primo locum habet; nihil enim fit ab homine siue bonum, siue malum, quod DEVS fieri non velit, vel sinendo vt fiat, vel etiam ipse faciendo, vt tradit Augustinus in Enchiridio: DEVM autem tradere homines in peccata non dicitur in Scriptura de primis & leuibus peccatis hominum, sed de grauissimis, & fœdissimis, & quæ hominis animum, & corpus maximè dehonestant, & dedecorant, & infamant, & in quæ DEVS tradit eos tanquam in pœnam antecedentium peccatorum, sicut animaduertere licet in hoc loco, vbi Paulus ostendit, in pœnam fœdissimæ idololatriæ quam admiserant, qui verum tamen DEVM cognouerant, fuisse eos traditos à DEO in obsequium & seruitutem turpissimarum cupiditatum & flagitiorum. Vel igitur plus quippiam significat hoc loco verbum illud, *tradidit*, quàm verbum, *permisit*, vel duplicem facere oportet DEI permissionem, sicut facit in commentario huius loci Sotus; vt sit vna quædam permissio generalis DEI, quæ in quolibet hominis peccato locum habet: & talis permissio DEI, vt homo peccet, non vocatur DEI traditio hominis in peccatum; quippe quæ non dicitur nisi in maximis peccatoribus, & in grauissimis peccatis. Altera est singularis quædam & valdè formidabilis, atque horribilis DEI permissio, cùm permittit homines excœcari & obdurari in peccatis, in vindictam & pœnam multorum, & grauium scelerum prius admissorum; quæ quidem permissio adiunctam semper habet subtractionem diuinam auxiliorum tam spiritualium, quàm corporalium, quæ non denegat DEVS etiam peccatoribus, nondum tamen multitudine & grauitate scelerũ obstrictis.

Locus Matth. 19 & Marc. 10.

B. Augustinus.

Sotus.

Talis

Talis porrò permissio DEI vocatur, licet non propria, sed figurata locutione, Traditio hominum in peccata, & in reprobum sensum; & item dicitur excœcatio, & induratio hominis in peccato.

106. *Secunda expositio Chrysostomi, Augustini, Gregorij, S. Thomæ.*

Altera est ratio interpretandi verbum illud, *tradidit*, multorum etiam illustrium Doctorum: qui aiunt DEVM dici tradere homines in peccata, non quidem directè ac positiuè (vt loquimur in scholis) quasi DEVS impellat hominem ad peccandum, & necessitatem ei afferat peccandi, aut prauitatem ipsam peccati in eo efficiat; sed indirectè ac priuatiuè, quia exigentibus eius peccatis plurimis, & grauissimis, deserit eum, priuatque gratia sua, pluribusque auxiliis, quibus ille priuatus, nequaquam resipiscens, nec tentationibus diaboli resistens, cœco animi impetu in quælibet fertur flagitia. Quemadmodum gubernator nauis præsentiam & industriam suam gubernandæ naui subducens, si exorta tempestate submergatur, dicitur submersionis eius fuisse causa. Et qui demolitur columnam, supra quam ingens saxum tenebatur, dicitur fuisse casus illius saxi causa. Nec solùm dicitur occidere hominem, qui gladio eum interficit; sed etiam, qui ei subtrahit alimenta, sine quibus non potest viuere. Similiter etiam, quia DEVS subtrahit auxilia sua, quibus adiutus homo, etiam peccator, cohibetur, & retrahitur à committendo aliqua fœdissima & execranda flagitia, ex eo fit, vt qui priuatus est illis auxiliis, quasi nauis sine gubernaculo, & gubernatore, coorta tentationum tempestate, in profundum scelerum demergatur.

107. *Chrysostomus.*

Est autem huiusmodi interpretatio & Chrysostomi, & Augustini, & Gregorij, & S. Thomæ, & aliorũ. Verba Chrysostomi in homilia sexagesima septima in Euangelium Ioannis sunt huiusmodi. Dicitur DEVS in scriptura quosdam homines indurasse, & alios tradidisse in reprobum sensum: non quod hæc à DEO fiant, quippe cum à propria hominum malitia proueniant: sed quia DEO iustè homines deserente, hoc illis contingat. Cùm enim deserimur à DEO, tradimur diabolo;

bolo; in cuius potestatem redacti, innumeris malis afficimur. DEVS autem non derelinquit nos, nisi fuerit à nobis derelictus. Id enim apertè ostendit Isaias cap. 59. dicens: *Peccata vestra diuiserunt inter vos, & inter DEVM vestrum.* Et in Psalmo 72. scriptum est: *Qui elongant se à te, peribunt: perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.* Sic B. Chrysostomus. Ad eandem porrò interpretationem, & sententiam pertinent, quæ scribit S. Gregorius in libro trigesimo primo Moralium capite trigesimo nono, exponẽs verba illa: *Priuauit eum* (Struthionem) *DEVS sapientia, nec dedit illi intelligentiam.* Quamuis, inquit, aliud sit priuare, & aliud, non dare: hoc tamen loco, idem vtrumque significat: nam quod prius dixerat, *priuauit,* mox idem repetens dixit, *non dedit.* Perinde quasi diceret, non iniustè sapientiam abstulit, sed iustè non dedit. Vnde & cor Pharaonis indurasse DOMINVS dicitur, nõ quod ipse duritiam ei contulit; sed quod, exigentibus eius meritis, nulla illud desuper infusi timoris sensibilitate molliuit. Et in capite octauo libri vndecimi Moralium exponens verba illa Iob: *Si destruxerit, nemo est qui ædificet: si incluserit hominem, nullus est qui aperiat.* DEVS, inquit, humanum cor destruit, cùm relinquit: ædificat, dum replet. Neque enim humanam mentem debellando destruit, sed recedendo: quia ad perditionem suam, sufficit ipsa sibi dimissa: vnde plerunque fit, vt cùm audientis cor, exigentibus culpis, omnipotentis DEI gratia non repletur, incassum exterius à prædicatore moueatur; quia mutum est os omne quod loquitur, si ille interius in corde non clamet, qui aspirat verba quæ audiuntur, vnde Propheta dixit: *Nisi Dominus ædificauerit domum, in vanum laborant, qui ædificant eam.* Et Salomon: *Considera opera DEI, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit.* Bene igitur dicitur: *Si incluserit hominem, nemo est qui aperiat.* Quia sicut nemo obsistit largitati vocãtis DEI, ita nullus obuiat iustitiæ relinquentis. Includere autem DEI, est clausis non aperire. Vnde ad Moysen de Pharaone dixit DEVS: *Ego obdurabo cor eius.* Obdurare cor DEVS per iustitiam dicitur,

S. Gregorius.

Psalm. 126.

Eccles. 7.

Exod. 14.

quando cor reprobum, per gratiam non emollit. Includit igitur Devs hominem, quem in suorum operum tenebris relinquit. Hactenus ex B. Gregorio. Idem quoque sensisse B. Augustinum existimare conuenit: eius namque est illa celebris sententia. Non indurat cor Devs, impertiendo malitiam, sed non largiendo gratiam, quibus autem non impertit gratiam, nec digni sunt illi, nec merentur, quin potius vt non impertiatur eis Devs gratiam suam, hoc digni sunt illi, & hoc merentur. Hæc ait Augustinus in epistola centesima quinta, quam scripsit ad Sixtum. Idemque in capite quarto libri de Prædestinatione & Gratia: Indurare, inquit, dicitur Devs eum, quem mollire noluerit: & excæcare dicitur eum, quem illuminare noluerit: & repellere dicitur eum, quem vocare noluerit.

S. Augustinus.

108. *S. Thomas.* *Iacobi 1.*

Eodem quoq; modo B. Thomas in Commentario huius loci Pauli interpretatur verbum illud (tradidit) ita scribens: Cùm huiusmodi immunditia, in quam Devs illos homines tradidit secundum Paulum, sit peccatum, videtur, quod Devs non in eam homines tradit; quia vt dicitur Iacobi primo: *Devs intentator malorum est*. Sed dicendum est, quod Devs non dicitur tradere homines ad immunditiam directè, inclinando affectum hominis ad malum: quia Devs ordinat in seipsum omnia quæ fecit, sicut scriptum est Prouerb. 16. *Vniuersa propter se operatus est Dominvs*. Peccatum verò non est ordinabile ad Devm, quia vt peccatum est, continet auersionem à Deo, sed indirectè tradit homines in peccatũ, in quãtum subtrahit gratiam, per quam homines continebantur ne peccarent. Sicut si aliquis tolleret sustentaculum alicuius, diceretur facere casum eius. Et in prima secundæ quæst. 79. art. 3. doctè, & copiosè declarat quomodo Devs excœcet, & obduret hominem, non quantum ad prauitatem hominis inhęrentis malo, & auersi à Deo, quod est propriè peccatum: sed quantum ad subtractionem diuinæ gratiæ, ex qua sequitur, vt mens non illuminetur diuinitus ad rectè videndum:

dum: neque cor emollitur ad rectè viuendum: & quantum ad hoc DEVS est causa excœcationis, & obdurationis. Nam quia DEVS non ex necessitate naturæ illuminat animos hominum, sicut Sol illuminat corpora; sed proprio iudicio, & voluntate sua lumen gratiæ non immittit eis, in quibus obstaculum inuenit. Idcirco causa subtractionis gratiæ, est non solùm ille, qui ponit obstaculum gratiæ, sed etiam DEVS, qui suo iudicio gratiam non apponit. Quod autem & in hoc loco dixit B. Thomas de obduratione, & excœcatione hominis, & paulò suprà etiam Augustinus, & Gregorius, idem sentire, ac dicere oportet de traditione hominis in reprobum sensum, & in peccata: eandem quippe omnia hæc quæstionem & difficultatem habent, & ad eundem modum interpretanda, & intelligenda sunt.

109. *Tertia expositio secundũ B. Augustinum.*

Tertia ratio interpretandi, quemadmodum dicatur DEVS tradere homines in grauissima peccata, & in reprobum sensum, & excœcare mentes, & indurare cor, huiusmodi traditur à B. August. Multa DEVS facit, & operatur circa insignes peccatores, & intra ipsos, & extra ipsos, à quib. illi occasionẽ capiunt grauius peccandi, & multò deteriores existunt. Cùm enim diu, multumque peccando iam corruptum habeant animum, omnia quæ eis accidunt, tam mala, quàm bona, in suam conuertunt perniciem. Sicut enim diligentibus DEVM, omnia, etiam mala, cooperantur in bonum: ita malis, à DEO vehementer auersis, & abalienatis, omnia etiam bona, vertuntur in exitium eorum. Quod enim scriptum est in libro Sapientiæ capite decimo quarto, quotidianis experimentis, & exemplis verissimum esse exploratum est. *Creaturæ DEI* (ait eo loco Scriptura) *in odium factæ sunt; & in tentationem animabus hominum, & muscipulam pedibus insipientium.* Multa itaque DEVS facit erga peccatores, quæ proficere eis deberent ad emendationem vitæ, vt sunt inspirationes internæ, externæ admonitiones, correctiones, flagella, beneficia, miracula: quæ illi aspernantes,

Ad Rom. 8.

Locus Sapientiæ cap. 14.

& pro nihilo ducentes, euadunt peiores. Largitur præterea illis abundantiam bonorum temporalium, ſanitatem valetudinis, firmitatem virium, optatos honores, & dignitates, ac demùm vitã vſquequaque iucundam, & quietam, & proſperam; quibus tamen rebus deprauatus vitiis eorum animus, Deique gratia, & auxilio ſpoliatus, ad maiorem DEI offenſam, ad impurius, & flagitioſius viuendum, ac denique ad maiorem animæ ſuæ perniciem abutitur. Hæc porrò, & alia facit DEVS, vel fieri permittit, ſciens, peccatores illis ipſis rebus vehementius incitatum iri ad grauius, & pertinacius peccandum; tum in pœnam antecedentium peccatorum, quibus meruêre ita deſeri, & tractari à DEO: tum ad declarandam ſeueritatem iuſtitiæ ſuæ, & ad incutiendum aliis ſalutarem quendam timorem, quo & qui ſunt in peccatis, confeſtim reſipiſcant; & qui ſunt in DEI gratia, ſolicitè caueant, ne deſerti à DEO, in miſerrimum iſtiuſmodi peccatorum decidant ſtatum.

100. *S. Auguſtinus.* Hanc (vt dixi) rationem declarandi, quomodo DEVS tradat peccatores in peccata, & induret eos, approbauit maximè omnium ſanctus Auguſtinus, diſputans in libro quinto aduerſus Iulianum capite tertio, DEVM in Scriptura dici tradere aliquos in reprobum ſenſum, non ſolùm per patientiam & longanimitatem, & permiſſionem, ſed per quandam potentiam, & quaſi actionem: Facit hæc, DEVS, (inquit ille) miris atque ineffabilibus modis; qui nouit iuſta iudicia ſua non ſolùm in corporibus hominum, ſed etiam in ipſis cordibus operari: qui non facit voluntates malas, ſed eis iam malis, vtitur, vt voluerit, cùm ipſe aliquid iniquè velle non poſſit. Sed hoc ipſum latius, enucleatiuſque declarat in libro Quæſtionum in Exodum, in Quæſtione decima octaua, cuius verba hîc non adſcribam, quòd alibi ſint à nobis commemorata; & in promptu futurum ſit Lectori ea legere apud ipſum Auguſtinum. Atque has duas poſteriores interpretationes, equidem probabiliores arbitror: præſertim verò, cùm ſit mos diuinæ ſcripturæ, ſicut docet

cet Chrysostomus super illis verbis Domini apud Ioannem capite decimo septimo: *Nemo ex iis periit, nisi filius perditionis, vt scriptura impleretur*, quod est euentus, attribuere causæ, id est, quod ex dicto, vel facto alicuius euenit, etiamsi præter consilium, & voluntatem eius, id ei tamen, secundum vulgarem loquendi morem, attribuere, quasi eius consilio, & voluntate factum fuerit, quam quidem scripturæ consuetudinem etiam Damascenus in libro quarto de fide Orthodoxa capite vigesimo pluribus exponit. Hoc igitur intellectu, & sensu dictum est in Psalmo decimo: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam*. Nam quia ex peccato mortali sequitur reatus æternæ mortis animæ nostræ; Licet, qui peccat, non intendat mortem animæ suæ, nec animam suam odio habeat: quia tamen id facit, vnde sequitur mors animæ suæ, dicitur odisse animam suam, & velle perditionem eius. Sic etiam vulgo dici solet de ægroto intemperante, & præcepta medici contemnente, quod quærat, & procuret mortem suam; quòd ea faciat videlicet, quæ mortem ei sint allatura. Ergo quia ex eo quod DEVS subtrahit gratiæ suæ auxilia quibusdam, & circa eos multa operatur, quibus illi, vitio, & culpa sua, peiores efficiuntur, atque hinc euenit & obduratio eorum, & cœca mens, ac reprobus sensus: idcirco secundum morem loquendi, & scripturæ, & omnium ferme gentium, & induratio peccatorum, & traditio eorum in reprobum sensum, attribui solet DEO, non propriè, sed figurate loquendo. Alia permulta super hac controuersia, & tractari, & cognosci digna, possent huc afferri: Sed ea, sciens ego, & volens hîc tacita prætereo, quòd hac ipsa de re copiose & diligenter, per decem integras disputationes disserui in primo nostro Tomo selectarum Disputationum, in iis Disputationibus quas feci super caput vndecimum Exodi. Hic autem primus Tomus Ingolstadij, typis excusus, superiori anno millesimo sexcentesimo primo prodiuit in lucem.

Psal. 40.

Damascenus.

VIGESIMA PRIMA DISPVTATIO.

An vnum peccatum verè dici queat pœna alterius peccati præcedentis, & an DEVS peccatis puniat peccata.

SVPER ILLIS VERBIS:

Verſ. 26. & 27. Propterea tradidit illos Deus in paſſiones ignominiæ. Nam fœminæ eorum mutauerunt naturalem vſum in eum vſum qui eſt contra naturam: ſimiliter & maſculi, relicto naturali vſu fœminæ, exarſerunt in deſideriis ſuis inuicem, maſculi in maſculos turpitudinem operantes; & mercedem, quam oportuit erroris ſui in ſemetipſis recipientes.

111. DEMONSTRAT his verbis Paulus impietatem illorum hominum conuenienti & condigna pœna eſſe punitam à DEO, etenim homo (vt ſapienter hoc loco docet S. Thomas) medium locum tenet inter DEVM & animalia bruta, & aliquid habet cum vtriſque commune: Cum DEO quidem intellectum, & voluntatem; cum animalibus verò ſenſum, & appetitum ſenſitiuum. Sicut igitur homo id quod erat DEI, mutauit vſque ad beſtias, gloriam DEI attribuens ſimulacris hominum, & beſtiarum; ita DEVS, quod erat diuinum in homine ſecundum rationem & mentem, ſubdidit ei, quod in ipſo eſt ani-

est animale & brutale, desideriis scilicet & cupiditatibus sensitiuis. Verè itaque in talem hominem à Dauide dictum est in Psalmo quadragesimo octauo: *Homo cum in honore esset* (scilicet diuinæ imaginis propter rationem) *comparatus est iumentis insipientibus*, (scilicet impetum suæ sensualitatis ad flagitia, abiecto rationis freno, toto affectu sequendo.) Sed quid est illud, *in passiones ignominiæ*? Est hebraismus, significans passiones ignominiosas, & infamiæ plenas, quas, solius naturæ instinctu, omnes sanæ mentis abominantur. Pro latina voce *passiones* græcè est πάθος, quam vocem Quintilianus vertit affectus, Cicero, perturbationes; alij, morbos animi; quidam cupiditates. Erasmo & Vallæ displicet nomen Passionis: quod tamen nec Augustino, nec Gregorio, nec Hieronymo, nec Cypriano displicuit. Putat Erasmus huic loco maxime quadrare nomen morbi. Horatius quippe, effœminatam libidinem, de qua loquitur in hoc loco Paulus, morbum appellauit, sed aliud esse morbum animi, & aliud passionem, patet ex vitio infidelitatis, quod morbus est animi maximus, πάθος autem appellari non potest. In sua tamen editione noui Testamenti Erasmus vertit hoc loco cupiditates: cum tamen cupiditas sit quædam species πάθους, continet enim cupiditatem, & timorem, & gaudium, & laborem. Valla reddit affectus, siue affectiones: sed nullus Latinorum Patrum hunc Pauli locum citans dixit, vel morbos, vel cupiditates, vel affectus; sed vt habet Latinus interpres Passiones.

De voce passiones.

Sequitur *Mercedem quam oportuit, in semetipsis recipientes.* Significantior est hoc loco vox græca ἀντιμισθία, significans non quamlibet mercedem, sed mercedem, meritis respondentem, & quandam veluti compensationem. Consentaneum videlicet fuit, vt qui relicto vero DEO subdiderant se factitiis diis, ligneis, & lapideis; ipsi turpissimis cupiditatibus, fœdissimisque flagitiis, notabili eorum probro, & infamia subderentur. Ac licet nomen mercedis ferè in bono ponatur, hîc tamen transfertur ad malum,

sicut

ſicut etiam infra capite ſexto dicitur, ſtipendium peccati mors. Annotauit ſuper hoc loco ſanctus Thomas, congruenter B. Paulum idololatriæ pœnam poſuiſſe vitia, quæ ſunt contra naturam, quæ grauiſſima ſunt inter peccata carnalia. Etenim ſimul cum idololatria vſus nefandi peccati cœpiſſe videtur, in tempore videlicet Abrahæ, quo tempore initium publicæ idololatriæ factum eſſe creditur: tunc autem primo legimus Geneſis decimo nono, nefandum vitium viguiſſe apud Sodomitas, & atroci ſupplicio cœlitus fuiſſe punitum. Similiter idololatria creſcente, creuerunt etiam huiuſmodi vitia: ſcriptum quippe eſt in capite quarto poſterioris libri Machabæorum, quod Iaſon auſus eſt ſub ipſa arce, optimos quoſque Ephœborum in lupanaribus ponere: erat autem hoc non initium, ſed incrementum quoddam, & profectus gentilis, & alienigenæ conuerſationis.

S. Thomas.

112. Ex hoc autem Pauli loco, in quo diſputat ipſe, ſapientes illos Ethnicorum, qui verum DEVM cognouerunt, in pœnam fœdiſſimæ idololatriæ, traditos fuiſſe in reprobum ſenſum, & in turpiſſima flagitia, ex hoc, inquam, loco & ſancti Patres ac Doctores Eccleſiæ, & Theologi Scholaſtici in ſecundo Sententiarum Diſtinctione trigeſima ſexta docent ac probant, eſſe quædam peccata, quæ ſint & cauſæ ſequentium peccatorum, & pœnæ antecedentium. quadriformem enim faciunt peccatorũ rationem; eſt enim quoddã peccatũ, quod non modo eſt peccatũ, verùm etiã eſt cauſa ſubſequẽtis peccati: & eſt peccatũ, quod nõ ſolũ eſt peccatũ, ſed eſt pœna etiã præcedentis peccati: & eſt peccatũ, quod eſt pœna antecedentis peccati, ſimulq; cauſa ſubſequẽtis: ac demũ eſt peccatum, quod nihil horũ habet: nã neq; eſt cauſa peccati, nec pœna peccati, ſed ipſum per ſe tantummodo eſt peccatũ: veluti ſi primum peccatum mortale, quod quis admiſit, confeſtim deleat per pœnitentiam. Multiformem peccati rationem B. Gregorius in libro vigeſimo quinto Moralium capite duodecimo, vel ſecundum aliam editionem, nono, declarat

Quadruplex ratio peccatorum.

S. Gregorius.

clarat huiusmodi exemplo: effrenata ventris ingluuies in feruorem luxuriæ, plenitudinem carnis instigat: perpetrata autem luxuria, sæpe aut periurio, aut homicidio tegitur, ne humanarum legum vltione puniatur. Ponamus igitur ante oculos, quod quidam voracitatis sibi fræna laxauit: quod voracitate superatus, adulterij facinus admisit: deprehensus autem in adulterio, latenter virum adulteræ, ne ad iudicium traheretur, occidit. Hoc ergo adulterium, inter voracitatem, & homicidium positum, de illa videlicet nascēs, & hoc generans, peccatum est, & pœna, atque causa peccati; Peccatum est per semetipsum: pœna autem peccati est, quia culpam voracitatis auxit: causa etiam peccati est, quia subsequens homicidium generauit. Vnum itaque idemq; peccatum, & pœna peccati præcedentis est, & causa culpæ subsequentis, quia etiam transacta peccata dum exaggerat, damnat; & adhuc sequentia, quæ damnari debeant, seminat. Sic eo loco Gregorius: qui hanc ipsam doctrinam alio quodam exemplo, in homilia vndecima super Ezechielem declarat atque confirmat. DEVM porrò peccatis peccata punire non solum in hoc loco docet B. Paulus, sed etiam in capite secundo posterioris epistolæ ad Thessalonicenses illis verbis: *Quia claritatem veritatis non receperunt vt salui fierent; ideo mittet illis DEVS operationem erroris, vt credant mendacio: vt iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati*: hoc ipsum docet Propheta Dauid, vel CHRISTVS in persona, & verbis Prophetæ, cum in Iudæos dixit ad DEVM PATREM: *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, & non intrent in iustitiam tuam.*

Locus Psal. 68.

113. *S. Augustinus.*

Hanc verò Apostolicam, & propheticam doctrinam secutus beatus Augustinus, super eâdem re in capite tertio libri quinti contra Iulianū ita scribit: Cæcitas mentis, quam solus remouet illuminator DEVS, & peccatum est, quo in DEVM non creditur; & pœna peccati est, qua cor superbum, digna animaduersione punitur: & causa peccati est, cum mali aliquid cœci cordis errore committitur. Sed copiosius

idem traditur ab Auguſtino in libro de natura, & gratia contra Pelagianos: nam in capite eius libri vigeſimo ſecundo, diſputans in quendam, qui valde abſurdum putabat dicere, vnum peccatum eſſe vindictam alterius peccati, ſic ait: Non cogitat iſte, præuaricatorem legis, quàm dignè lux deſerat veritatis, qua deſertus, vtique fit cœcus, & plus neceſſe eſt offendat, & cadendo vexetur, vexatuſque non ſurgat: vt ideo tantum audiat vocem legis, quo admoneatur implorare gratiam SALVATORIS. An nulla pœna eſt eorum, de quibus dixit Apoſtolus: *Quia cum cognouiſſent DEVM, non ſicut Deũ glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum?* Vtique iſta obſcuratio, vindicta & pœna iam fuit: & tamen per hanc pœnam, id eſt, per cordis cœcitatem, quæ fit deſerente luce ſapientiæ, in plura, & grauiora peccata collapſi ſunt. Nam ſubdit: *Dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.* Grauis hæc pœna, ſi quis intelligat: ſed ex hac pœna vide quo ierunt. *Et mutauerunt*, inquit, *gloriam incorruptibilis DEI, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium.* Ita nimirum perierunt illi ex peccati pœna, qua obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, & propter hæc tamen, quæ licet pœnalia etiam ipſa peccata ſunt, ſubiungit dicens: *Propterea tradidit illos DEVS in deſideria cordis eorum, in immunditiam.* Ecce quemadmodum DEVS grauius condemnauit, tradens illos in deſideria cordis eorum, & in immunditiam. Videte præterea quid ex hac pœna faciant. *Vt contumeliis*, inquit, *afficiant corpora ſua in ſemetipſis.* Et quia pœna eſt iſta iniquitatis, cum ſit & iniquitas, euidentius commendat dicens: *Qui tranſmutauerunt veritatem DEI in mendacium, & ſeruierunt creaturæ potius quàm CREATORI: propter hoc tradidit illos DEVS in paſſiones ignominiæ.* Ecce quoties vindicat DEVS, & ex eadem vindicta, plura & grauiora peccata conſurgunt. Hic nunc iſte dicat, Non debuit ſic vindicari peccatũ, vt peccator, per vindictam, plura committeret peccata. Hactenus ex Auguſtino.

Eadem

Eadem quoque B. Gregorij doctrina, & sententia est. Exponens quippe verba illa DEI Ezechielis tertio: *Si conuersus iustus à iustitia sua fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo,* in Homilia vndecima in Ezechielem hæc scribit: cur adhuc DEVS ei ponet offendiculum, quem iam impie egisse, & cecidisse per iniquitatem, quam perpetrauerat, conspicit? sed districta valde sunt omnipotentis DEI iudicia. Nam qui peccatorem diu expectat vt redeat, ei non redeunti, atque contemnenti, ponit adhuc vbi grauius impingat. Peccatum quippe, quod per pœnitentiam citius non deletur, aut peccatum est, aut causa peccati, simul & pœna peccati. Omne enim quod prius committitur contra legem DEI, peccatum est: sed si citius per pœnitentiam non tergitur, iusto iudicio DEVS, obligatam peccatis mentem, etiam in culpam alteram permittit cadere: vt qui flendo, & corrigendo noluit mundare quod fecit, peccatum incipiat peccato cumulare. Peccatum ergo, quod pœnitentiæ lamento non diluitur, peccatum est simul, & causa peccati; quia ex illo oritur, vnde adhuc peccatoris animus altius obligetur. Peccatum verò, quod ex peccato sequitur, peccatum simul est, & pœna peccati: quia excrescente cœcitate, ex retributione prioris culpæ generatur; vt quasi iam quædam sint in peccatore supplicia, ipsa incrementa vitiorum. Vnde DOMINVS per Ezechielem dixit: *Si conuersus iustus à sua iustitia fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo.* Ac si aperte dicat: quia videre pœnitendo noluit, vbi iam impingit; iusto eum iudicio deserens, ponam ei vt & alibi impingat: quod tamen Domini ponere, est, non ad peccandum impellere, sed nolle à peccato liberare: sicut de Pharaone dicitur: *Ego indurabo cor eius.* Non enim cor peccantis Dominus obdurat: sed obdurare dicitur, cum ab obduratione non liberat. Sic B. Gregorius. Similia planè scribit Isidorus in capite decimo nono libri secundi de summo BONO: Pœna, inquit, peccati, peccatum admittitur, quando pro merito cuiusque peccati, DEO deserente, in aliud peccatum

114.

Locus Ezechielis cap. 3.

Exod. 14.

Isidorus.

deterius itur, de quo amplius qui admiserit, sordidetur. Præcedentia itaque peccata, sequentium criminum sunt causæ, vt illa quæ sequuntur, sint præcedentium pœna. Præcedentium verò peccatorum pœna, ipsa vocatur induratio, veniens de diuina iustitia. Hinc est quod Isaias capite 63. dixit Deo: *Indurasti cor nostrum ne timeremus te.* Neque enim qui mali sunt, impelluntur vt mali fiant: sed dum mali iam sunt, indurantur, vt deteriores existant: sicut dixit Apostolus in secundo capite posterioris epistolæ ad Thessalonicenses: *Quoniam veritatem Dei non receperunt, vt salui fierent, misit illis Deus spiritum erroris.* Facit ergo Devs quosdam peccatores: sed in quibus talia iam peccata præcesserunt, vt iusto iudicio eius, mereantur in deterius ire. Hæc Isidorus.

115. *Difficile intellectu esse, quod peccatum sit pœna peccati.*

Sed enim hæc doctrina, licet verissima sit, magnam tamen secum habet complicatam difficultatem & quæstionem; Quomodo vnum peccatum possit esse pœna alterius peccati; & quomodo verè dici queat; Devm peccatis punire peccata. Etenim peccatum, vt peccatum, adeo esse voluntarium necesse est, vt si voluntarium non sit, peccatum esse non possit: at pœna, vt pœna est, inuoluntaria est; nec pœna esset propriè loquendo, si voluntaria esset: nō igitur peccatum, vt peccatum, pœna esse potest. Deinde omnis pœna est iusta, à diuina descendens iustitia, vt disputat Augustinus in libro primo Retractationum capite nono, & in libro tertio de libero arbitrio, capite decimo octauo. Peccatum verò, omnino iniquum, & iniustum est. Ac demum, Devs non est auctor peccati; est autem Devs auctor pœnæ, qua vindicatur peccatum: ergo peccatum vt peccatum, non est pœna.

S. Augustinus.

116. *Magister sententiarum.*

Hanc difficultatem explicare cupiens Magister sententiarum in libro secundo; Distinctione trigesimasexta, interpretatur, peccatum dici pœnam peccati, non vt habet rationem culpæ à libera voluntate commissæ: sed secundum effectum, quem in anima peccantis producit, qui est corruptio boni naturæ: facit enim inordinationem quandam in anima,

anima, & inclinationem ad malum, & reatum æternæ mortis. At enim hac ratione, omne peccatum, etiã primum, posset dici pœna; quod alienũ est à sententia Pauli quæ est in hoc loco, & Augustini, qui in primo libro Retractationum cap. 15. tradit, quædam esse peccata, quæ non sunt pœnæ aliorum peccatorum, idemq; apertius declarat & confirmat, exponẽs verba illa Psalm. 57. *Supercecidit ignis, & non viderunt solem.* Sed respondet Magister: Licet quodlibet peccatum sit pœna peccantis; non tamen, omne peccatum est pœna alterius peccati, sed tantummodo peccatum subsequens, est pœna præcedentis peccati, quod fuit causa illius. Atqui, si non aliter peccatum est pœna, nisi propter corruptionem boni naturalis, & reatum æternæ mortis, vt ipse vult: cùm talis, (vt ita loquar) pœnalitas, proueniat ex proprio peccato, vnde efficitur, non debet ea referri ad aliud peccatum, sed assignari tantũ debet proprio peccato, à quo efficitur. Certè B Paulus hoc loco, pœnas peccatorum præcedẽtium, commemorat peccata, ea ratione vt peccata sunt grauissima & fœdissima: & August. atq; Gregorius, & Isidorus, vt verba eorũ suprà memorata indicant, peccatum, vt peccatum, faciunt pœnam peccati, non autem propter illam corruptionem boni naturalis. Quapropter alia quæpiam ratio quærenda est, commodius explicandi propositam difficultatem.

117. *S. Thomas.*

B. Thomas melius expediens hanc difficultatem in prima secundæ, quæst. 87. artic. 2. ait: Peccatum, si consideretur secundum formam, & naturam suam, nõ habet rationem pœnæ: peccatum enim, vt peccatum est, esse voluntarium, & ab hominis electione profectum. At verò si peccatum consideretur secundum suam causam, ex qua oritur, puta subtractionem diuini auxilij, quo seruabatur & tenebatur homo, ne rueret in maxima scelera; sic vnum peccatum est pœna peccati, hac enim ratione occulto, & seuero DEI iudicio, sicut ait Augustinus, vindicatur peccatũ; dum offensus DEVS præcedentibus peccatis, subtrahit auxilium gratiæ suæ: quo amoto, partim impulsu dæmonum, partim procliuitate car-

nis, atque infirmitate humani animi, præcipitatur homo in omne peccati genus. Propter hanc igitur subtractionem gratuitæ præseruationis hominum à peccando, quam & efficit Devs, & quæ est pœna quædam & supplicium peccatorum; peccatum quod ob talem subtractionem deinde committitur, dicitur peccatum esse & pœna peccati. Idem S. Thomas in Commentario huius loci epist. ad Romanos enucleatius docens, quemadmodum vnum peccatum sit alterius peccati vel causa, vel pœna, hunc in modum scribit: Vnum peccatũ potest esse causa alterius vel directè, vel indirectè. Directè quidem, quando ex vno peccato inclinatur homo ad aliud peccatum, & hoc fit dupliciter: Primò secundum rationem causæ finalis, vt si quis ex auaritia incitetur ad faciendum homicidium. Vel secundum rationem causæ materialis, sicut peccatum gulæ, inducit ad peccatum luxuriæ, ministrãdo scilicet materiam. Vel secundum rationem causæ mouentis, & efficientis, vt cùm ex multis actibus alicuius peccati, generatur habitus ad simile peccatum inducens. Indirectè autem vnum peccatum est causa alterius peccati, tanquam remouẽs prohibens: sicut primum peccatum meretur exclusionẽ gratiæ, qua subtracta, homo ruit in aliud peccatum, & sic primũ peccatum est causa secundi, sed indirectè, & per accidens, & tanquam remouens prohibens. Illud porrò etiam notãdum est, quod peccatum vt peccatum non potest esse pœna; siquidem pœnam patimur contra volũtatem nostram: peccatum autem est voluntarium, vt dicit Augustinus. Sed quia peccatum habet quædam adiuncta, quæ sunt contra voluntatem peccantis, ratione eorum, peccatum dicitur pœna pręcedentis peccati: & hoc dupliciter: vel quia est aliquid præcedens peccatum, cuiusmodi est subtractio gratiæ, ex qua sequitur, vt homo peccet: vel est aliquid adiunctum ipsi peccato, aut interius, sicut est inordinatio animi, dicente Augustino in primo libro Confessionum: Iussisti Domine, & sic est, vt pœna sibi sit, omnis inordinatus animus: aut est aliquid adiunctum peccato, quantum ad exteriores actus, quibus labores

& dif-

& difficultates adiunguntur, secundum illud quod dicunt impij: *Ambulauimus vias difficiles*. Vel deniq; quantum ad id, quod sequitur peccatum, sicut est remorsus conscientiæ, & infamia, & similia. Hactenus B. Thomas. Atque hæc proculdubio fuit sententia B. Pauli, & Patrum, quorum verba suprà memorauimus, Augustini, Gregorij, & Isidori aientium, peccatis DEVM punire peccata, & posteriora peccata esse supplicia præcedentium. Hoc enim sic exponunt: Deum in pœnam præcedentium peccatorum, deserere hominem, & multis eum spoliare præsidiis, & auxiliis suis, quib. ille cohibebatur à grauissimis criminibus, & turpissimis flagitiis. Priuatus autem peccator istiusmodi auxiliis DEI, reprobo iam sensu, & cæca mente præcipitatur iu omne vitiorum genus. Pœna igitur præcedentium peccatorum, fuit subtractio illa diuinorum auxiliorum, quæ à DEO prouenit, eiusq; causa DEVS est: Sed quia ex tali subtractione diuinorum auxiliorum sequuntur grauissima illa peccata; idcirco ipsa quoq;, figurato & vulgari modo loquendi, dicuntur pœnæ antecedentium peccatorum, & DEVS dicitur posterioribus peccatis vindicare priora peccata.

Sap. 5.

118. *Quomodo intelligendum sit quod Augustinus dixit, Deũ inclinare voluntates peccatorum ad malum.*

Restat etiã nunc non parua difficultas, quam habet sentẽtia quædam B. August. in lib. 5. cõtra Iulianum cap. 3. affirmantis, DEVM trahere peccatores in praua desideria, & in reprobum sensum non modò per nudam permissionẽ, vel per patientiam, sed per quandã potentiam, & actionem, inclinãdo voluntates eorũ, sicut idẽ August. scribit in libro de gratia, & libero arbitrio ad Valentinũ, & in eius libri capite 21. Nam cùm ante retulisset aliquot Scripturæ loca, quibus dicitur DEVM trahere homines in peccata; subdit hæc verba: His & talibus testimoniis diuinorum eloquiorum, quæ omnia commemorare nimis longum est, satis, quantum existimo, manifestatur, operari DEVM in cordib. hominũ ad inclinandas eorũ voluntates quocunq; voluerit; siue ad bona, pro sua misericordia; siue ad mala, pro meritis eorũ; iudicio vtiq; suo aliquãdo apto, aliquãdo occulto, semp aũt iusto. Sic ibi.

Verùm

Verùm, ſi concedatur, DEVM, propriè loquendo, inclinare voluntates hominum ad mala, mouẽdo ſcilicet eas,& determinando; quomodo negari poterit, DEVM eſſe veram cauſam, verumq; auctorem mali? quod tamen apertiſſimè contrarium eſt diuinæ ſcripturæ, & rationi: quin etiam doctrinæ ipſius Auguſtini pluribus in locis ab eo traditæ aduerſatur. Is enim in eo libro,in quo reſpondet ad articulos quoſdam ſibi falsò impoſitos,multifariam docet,& probat, DEVM nullo modo eſſe cauſam peccati, nec auctorẽ malæ voluntatis hominum. In reſponſione quippe ad decimũ articulum ſic ait: Deteſtanda, & abominanda opinio eſt,quæ DEVM cuiuſquã malæ voluntatis,vel malæ actionis credit auctorẽ.Mala enim homines cùm admittunt,ſuis concupiſcentiis, & cupiditatibus ſeruiunt, quas ab illa prima voluntariæ præuaricationis labe traxerunt. Et in reſponſione ad artic.13.Nefas eſt,inquit, DEO adſcribere cauſas peccatorum, & ruinarum hominum. Si enim à iuſtitia,& pietate quis deficit, ſuo in præceps fertur arbitrio: ſua concupiſcentia trahitur:ſua perſuaſione decipitur. Nec in tali negotio quicquã diuinæ voluntatis interuenit: cuius ope ſcimus multos ne laberentur, retentos;nullos autem,vt laberentur, impulſos. Ac demùm in reſponſione ad art.14. Fieri,inquit,non poteſt,vt per quem à peccatis ſurgitur, per eum in peccata decidatur. Si à ſanctitate receditur, & ad peccata tranſitur, nihil ibi DEVS malæ tentationis immittit: & receſſurum ipſe non deſerit,antequam ille deſerat, & facit plerunq; ne deſerat; aut etiam,ſi diſceſſerit, vt redeat. Cur autem illum retineat,& alium non retineat,nec poſſibile eſt comprehendere,nec licitum inueſtigare. Sed illud ſcire ſufficit,& ab illo eſſe quod ſtatur;& non eſſe ab illo quod ruitur. Hæc Auguſtinus.

119. Explicandum igitur eſt, quemadmodũ Auguſtinus intellexerit DEVM inclinare voluntates hominum ad malum.Intellexit nempe inclinare eas DEVM,ad malum, non propriè, & efficienter mouendo eas, & (vt non ita pridem à Theologis dici cœptum eſt) phyſicè mouendo & determinando ad malum:

malum: ſed quia multa circa peccatores, qui indurantur, & excæcantur in peccatis operatur, per ſe quidem nō mala, ſed è quibus tamen occaſionē illi capiunt grauius peccandi, magiſq; animū ſuum in peccatis obfirmandi. Non igitur DEVS malitiam infundit voluntati, nec eam efficienter mouet ad malū, verùm, iuſto iudicio, vindicans peccatorē, diu multūque in magnis peccatis verſatū, non modò non infundit gratiam, qua prohibeātur praui motus & appetitiones humanæ voluntatis; ſed etiam quod ponat eis occaſiones & offendicula, ad quæ grauius illi impingant; ſuo tamen vitio, vertentes videlicet occaſiones, quib. reſipiſcere atq; emendari debebant, in maiorem occaſionē peccandi: ſic ut videre licet in Pharaone. Quæ autem & qualia ſint, quæ DEVS operatur circa peccatores, per quæ illi, ſuo vitio, peiores euadunt, expoſuimus in 1. Tom. ſelectarū diſputationū ſuper cap. 11. Exodi, in 8. Diſputat. earum decē, quas de induratione humani cordis tractauimus, ad numerum marginalem 58. Videat Lector hanc ipſam, quam nunc tradidimus explicationem illius ſententiæ Auguſtini, quemadmodū ipſemet Auguſt. luculentè declaret in libro quæſtionum in Exodum, in Tractatu quæſt. 18. cuius verba hîc referre ſuperſedemus, quòd ea ſint à nobis cōmemorata & expoſita in eo, quo dixi loco. Ergo, ſecundū Auguſtinum, DEVS inclinat voluntatem hominis ad malum, non efficienter mouendo eam, ſed tantùm per occaſionem, &, vt ita dicam, obiectiuè: quod multa faciat, & obiiciat homini vitiis corrupto, quæ illius prauam voluntatē inclinatura ſunt ad malum: quæ Auguſtini doctrina congruit cum eo, quod dixit DEVS per Ezech. cap. 3. *Si iuſtus conuerſus fuerit à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, ponā offendiculum corā eo.* Et cum eo quod ſcriptum eſt in libro Sapientiæ cap. 14. creaturas DEI factas eſſe in odium, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium.

Ezech. 18.

IN CAPVT SECVNDVM EPISTOLÆ AD ROMANOS.

DISPVTATIONES DECEM ET SEPTEM.

Pergit oſtendere, Gentes in peccatis eſſe, & obnoxias DEI vindictæ: præcipuè autem docet, Iudæis, Moſaicæ legis præuaricatoribus, nec prærogatiuam legis, nec circumciſionis profuturam.

CAPVT II.

Verſu 1. PROPTER quod inexcuſabilis es, ô homo, qui alterum iudicas. In quo enim iudicas alterum, teipſum condemnas: eadem enim agis quæ iudi-
2. cas. * Scimus enim quoniam iudicium DEI eſt ſecundum veritatem in eos, qui talia agunt.
3. *Exiſtimas autem hoc, ô homo, qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effigies iudi-
4. cium DEI? * An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas DEI ad pœnitentiam te
5. adducit? * Secundum autem duritiam tuam, & impœnitẽs cor, theſaurizas tibi iram in die irę,

&

& iusti iudicij DEI? * qui reddet vnicuique secundum opera eius: * iis quidem, qui secundũ patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: * iis autem, qui sunt ex circumcisione, & qui non acquiescunt veritati, credunt autem iniquitati, ira, & indignatio. * Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis bonum Iudæi primùm, & Græci: * gloria autẽ, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm, & Græco: * Nõ enim est acceptio personarum apud DEVM. * Quicunq; enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt: & quicũque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. * Non enim auditores legis iusti sunt apud DEVM, sed factores legis iustificabũtur. * Cùm enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: * qui ostendũt opus legis scriptum in cordibus suis: testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicẽ cogitationib. accusantibus, & defendentibus, * in die, cùm iudicabit DEVS occulta hominum, secundum Euangelium meũ per IESVM CHRISTVM. * Si autem tu Iudęus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in DEO, * & nosti voluntatẽ eius, & probas

6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18.

19. bas vtiliora, instructus per legem, * confidis te ipsum esse ducem cœcorum, lumen eorum, qui
20. in tenebris sunt, * eruditorem insipientiũ, magistrum infantium, habentē formam scientiæ,
21. & veritatis in lege. * Qui ergo alium doces, te ipsum non doces: qui prædicas non furandũ,
22. furaris: * qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola; sacrilegium facis:
23. * qui gloriaris in lege, per præuaricationem le-
24. gis DEVM inhonoras. (* Nomen enim DEI per vos blasphematur inter Gentes, sicut scri- *Isa. 52 b. 5. Ezech. 36 c. 20.*
25. ptum est.) * Circumcisio quidem prodest si legem obserues: si autem præuaricator legis sis,
26. circumcisio tua præputium facta est. * Si igitur præputium iustitias legis custodiat: nónne prçputium illius in circumcisionem reputabi-
27. tur? * & iudicabit id, quod ex natura est præputium, legem consumans, te, qui per litteram, &
28. circumcisionem præuaricator legis es? * Non enim qui in manifesto, Iudæus est: neque quæ
29. in manifesto in carne, est circumcisio: * Sed qui in abscondito, Iudæus est: & circumcisio cordis in spiritu, non littera: cuius laus ex hominibus, non ex DEO est.

PRI-

PRIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

PROPTER quod inexcusabilis es, ô homo omnis qui iudicas: in quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas, eadem enim agis quæ iudicas. Scimus enim quoniam iudicium Dei est secundum conscientiam in eos, qui talia agunt. Existimas autem hoc, ô homo, qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei? *Vers. 1. 2. 3.*

I. ILLA particula, *Propter quod,* quæ est nota & illationis, & causalitatis, indicat, quę dicuntur in hoc secundo capite, inferri ex iam dictis in capite præcedenti. Sed ex quibus potissimum? Quidam putant, initium huius capitis inferri ex omnibus, quæ dicta sunt præcedenti capite; ab eo præcipuè loco: *Reuelatur enim ira* DEI *de cœlo, &c.* Vsque in finem capitis. Sed probabilius dictu est, initium secundi huius capitis inferri ex vltimis illis verbis primi capitis: *Qui talia agunt, digni sunt morte: & non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Vt cõsilium & propositum Pauli sit, docere, nullam habere homines probabilem suorum criminum excusationem: siue Iudæi iudicent, & damnent gentes tanquam idololatras; siue gentes accusent Iudæos impietatis, tanquam diuinæ legis transgressores. Quapropter Paulus vtriusque populi deprimere volens superbiam, in vniuersum demonstrat, quemlibet hominem esse inexcusabilem, suoque ipsiusmet iudicio, *Ratio connexionis secundi capitis cum primo.*

dignum morte: cùm peccata, quæ in aliis condemnat, vel natura ipsa docente, vel lege scripta, diuinitus per Mosen lata, demonstrante, committit. Ergo & lex naturalis in cordibus omnium hominum inscripta, inexcusabiles reddit gentes, vt peccatis suis ignorantiam eius quod fieri aut caueri oportet, non queant obtendere: & lex diuina per Mosem promulgata, omnem prorsus adimit Iudæis excusationis peccatorum suorum speciem: quippe qui non solùm contra conscientiam suam, sed etiã contra legem Moysis peccabant. Caietanus putat, postquam Paulus præcedenti capite ostendit, doctores & professores sapientiæ apud Ethnicos, fuisse grauissimis & fœdissimis criminibus obstrictos atque inquinatos, ob idque obnoxios vindictæ DEI, ac dignos morte: in hoc capite demonstrare eum idem de iis, qui sunt iudices aliorum, & post sapientes primum auctoritatis locum tenent. Sicut igitur suprà probauit, sapientes illos fuisse inexcusabiles, ex ipsa eorum sapientia, cum ipsorum operibus collata: Ita nunc conuincit, iudices esse inexcusabiles, ex proprio ipsorum iudicio, cum eorum factis comparato. Iudices namque, etiam ipsi, sicut illi sapientes, detinent veritatem, quam nouerunt, in iniustitia, dum illa vtuntur in iudicando, & condemnando alios; secundum quam tamen ipsi nequaquam viuunt, sed in suis moribus & factis iniusti sunt.

Exod. 20. *Caietanus.*

2. *S. Augustinus.* Valet ad illustrandum hunc locum Pauli, quod pluribus verbis tradit S. Augustinus in epistola centesima quinta, quæ est ad Sixtum presbyterum: ex quo loco pauca quædam eius verba huc transferam. Sic enim ait: Humana superbia, tanquam confidens de viribus liberi arbitrij, excusatam se putat, quando ignorantiæ, non voluntatis videtur esse quod peccat. Secundum hanc excusationem, inexcusabiles dicit esse diuina scriptura, quoscunque, scientes peccare conuincit: DEI tamen iustum iudicium nec illis parcit, qui non audierunt: *Quicunque enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt.* Et quamuis se ipsi excusare videantur, non admittit tamen hanc excusationem, qui scit se fecisse hominem rectum,

Eccles. 7.

ctum, eiq; obedientiæ dediſſe præceptum: nec niſi eius, quo malè vſus eſt, libero voluntatis arbitrio, etiam, quod tranſiret in poſteros, manâſſe peccátum. Neque enim damnantur, qui non peccauerunt, quandoquidem illud ex vno in omnes pertranſiuit: ac per hoc inexcuſabilis eſt omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento propriæ voluntatis; ſiue qui nouit, ſiue qui ignorat: ſiue qui iudicat, ſiue qui non iudicat: quia & ipſa ignorantia, in eis qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt; in eis verò, qui non potuerunt intelligere, pœna peccati eſt. Ergo in vtriſq; non eſt iuſta excuſatio, ſed iuſtã damnatio. Ideo autem diuina eloquia eos inexcuſabiles dicunt, qui non ignorantes, ſed ſcientes peccant, vt ſecundum iudicium ſuperbiæ ſuæ, quo multum confidunt de viribus propriæ voluntatis: ſe inexcuſabiles videant: quia de ignorantia iam non habent excuſationem; & nondum tamen in eis eſt iuſtitia, cui præſumebant propriam ſufficere voluntatem. Sic Auguſtinus.

Ad Romanos 5.

3\. Sequitur illud: *In quo enim alterum iudicas, te ipſum condemnas.* Pro illo, *In quo*, græcè eſt (ἐν ᾧ) quod ſecundum proprietatẽ ſermonis græci, ſignificat idem quod (eo ipſo quod) vt ſit ſenſus: eo ipſo quod alium iudicas, te ipſum condemnas; vel alium iudicando, te ipſum condemnas. Nam iudicium, & ſententia, quã pronuntias in alium, fecit quoque te ipſum, eiuſdem criminis participem. Hoc ſanè intellectu Latinus interpres in capite ſecundo prioris epiſtolæ B. Petri, eandem particulam græcam (ἐν ᾧ) vertit. *In eo quod*, ſic enim ait: *In eo quod detrectant de vobis, tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent* D E V M *in die viſitationis.* Hoc autem loco noſter interpres ità reddidit, vt ſignificaret, in quo crimine quis alterũ iudicat, in eo ipſum ſe condemnare, cum idem crimen admittit: quam interpretationem horum Pauli verborum ſecuti ſunt Origenes & Theophylactus in hoc loco, & Cyrillus libro quarto commentariorum in Ioannem, capite quinquageſimo primo, & Cyprianus libro tertio ad Quirinum, & Auguſtinus libro tertio contra Creſconium

Origenes. Theophylactus. Cyril. Alex. Cyprianus. Auguſtinus.

ſconium Grammaticum capite vigeſimo ſeptimo, & in epiſtola centeſima ſexageſima ſecunda, & Hieronymus in fine libri ſecundi commentariorum in Ezechielem.

Hieronymus.

Eadem enim agis quæ iudicas. Quod perinde eſt ac ſi diceret: Tametſi iudicando alium, ſimulas te innocentem eſſe, & purum à malefactis, quæ damnas, & confidenter in alterũ ſententiam pronuntias: eadem tamen ipſe facis vel opere, licet clam alios, vel affectu. Quod ſi abſtines, ab iſtiuſmodi peccatis, facis id quidem tu non amore iuſtitiæ: ſed timore vel pœnæ, vel infamiæ, vel alicuius detrimenti. Sciat porrò lector, græcos codices, qui nunc extant, pro illo, *quæ iudicas*, cõcorditer habere, *qui iudicas*. Vt ſit ſenſus: ſimiliter peccas, ſiue eodẽ peccato, ſiue alio. Nam quia tu qui iudicas, facis eadẽ, quę facit reus à te iudicatus, ex eo apparet, quod ſentẽtia cõtra illũ à te pronuntiata, continet condemnationẽ tuam & pœnam, quam mereris. Si enim tu adulter damnas alterum adulterum, & in eum pœnam decernis; iſtud ipſum iudiciũ tuum continet & condemnationem, & pœnam, quam tu mereris. At enim latina lectio habens, *quæ iudicas*, & antiqua eſt, & in omnibus latinis codicibus emendatis reperitur, eamque olim habuerunt Cyprianus, & Hieronymus, & Auguſtinus, locis paulò ſuprà citatis: vt credibile ſit vtramque lectionem fuiſſe in libris græcis.

4\. *An Iudex manens in aliquo peccato, & alium einſdem peccati condemnans, peccet.*

Caietanus ſuper his Pauli verbis ponit quæſtionem huiuſmodi: Quid ſit illud, à quo inexcuſabilem eſſe Paulus dicit iudicem, facientem eadem, de quibus alterum iudicat & condemnat. Nam ſi illud eſt impœnitentia, quia eum non pœnitet peccati ſui, cuius ſimile condemnat in altero: ergo alij, qui non ſunt iudices, excuſabiles eſſent ab impœnitentia. Sin autem eſt noua culpa, quã iudex contrahit, eo ipſo quod iudicat, exiſtens in ſimili crimine: ergo Iudex, qui & ex officio, & iuſtè condemnat adulterum, ſi etiam ipſe commiſit adulterium, peccaret exercendo iuſtitiam: quod videtur durum. Ad hoc reſpondet Caietanus, talem iudicem dici inexcuſabilem eſſe à licentia ſuorum criminum: non enim poteſt

test habere excusationẽ ignorantiæ, quod illud esset illicitũ, cùm idẽ crimen in alio iudicat, & condemnat, tanquã illicitum, & pœna dignum. Inexcusabilis quoque redditur à noua culpa, quam contrahit iudicando, & perseuerat in eodem crimine. Si enim turpe est doctori, cùm culpa redarguit ipsum, quanto magis iudici? Intelligo autem nouam culpam, non peccatum mortale. Sanctus quoque Thomas super eadem re in commentario huius loci, hæc tradit: sciendum est, quod cùm aliquis aliquem iudicat de peccato, quod ipse committit, non per hoc sibi semper condemnationem acquirit, quia nõ semper mortaliter peccat sic iudicando, semper tamen suam damnationem manifestat. Si enim publicè sit in peccato, de quo alium iudicat, videtur scandalizare iudicando; nisi fortè humiliter se simul cum illo reprehendat, pro suo peccato ingemiscens. Si verò sit in eodem peccato occultè, non peccat iudicando alium de peccato eôdẽ, maximè cum humilitate, & conatu ad resurgendũ. Sic B. Thomas.

S. Thomas.

5. *Quando quis in iudicando peccet.*

Quando autem Iudex peccet, aut non peccet, iudicando, & condemnando alios, docet idem, sequens doctrinam B. Augustini, & ad hunc modum scribens: Non omne iudicium, condemnationis causa est iudicanti: triplex quippe iudicium est. Vnum est iudicinm iustum: quod fit secundum regulam iustitiæ; de quo dictum est sapientiæ primo. *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram.* Alterum est iudicium non iustum, quod fit contra regulam iustitiæ: ad quod pertinent verba illa scripturæ, Sapientiæ sexto. *Cùm essetis ministri regni eius, non rectè iudicastis.* Est præterea tertium iudicium, quod vocatur temerarium: de quo dicitur Ecclesiastici quinto: *Ne temerè quid loquaris.* Et hoc dupliciter admittitur: vno modo, cùm quis ad iudicandum procedit, absque certa veritatis præcognitione: contra quam faciebat sanctus Iob, qui de se ipso dixit capite 29. *Causam quam ignorabam, diligentissimè inuestigabam.* Altero modo iudicium fit temerarium, si quis vsurpet sibi iudicium de occultis, de quibus iudicare solius est DEI, sicut Paulus dixit capite quarto prioris epistolæ ad Corinthios:

Locus Sapientia primo & sexto.

Locus Ecclesiastici cap. 5. *Quando fiat iudicium temerarium.*

Locus primæ ad Corinth. cap 4. rinthios: *Nolite ante tempus iudicare, quoad vſque veniat Dominus: qui & illuminabit abſcondita tenebrarum & occculta cordium.* Dupliciter porrò eſt aliquid occultum, vel quo ad nos, vel ſecundum ſui naturam, & hoc ad ſolam DEI cognitionem pertinet: eiuſque duo ſunt genera. Nam & ſunt occulta cordium, ſecundum illud Hieremiæ: *Prauum eſt cor hominis & inſcrutabile; quis cognoſcet illud? Ego Dominus, ſcrutans corda, & probans renes.* Sunt etiam futura contingentia, ſecundum illud Iſaiæ 51. *Annuntiate quæ ventura ſunt in futurum, & dicemus quia dij eſtis vos.* Hæc S. Thomas à Magiſtro ſuo didicit

S. Auguſtinus. B. Auguſtino, qui capite 28. libri ſecundi de ſermone Domini in monte, eandem in ſententiam ſcribens: Duo ſunt, inquit, in quibus temerarium iudicium cauere debemus, cum incertum eſt, quo animo quidque factum fuerit, vel cùm incertum eſt, qualis futurus ſit, qui nunc vel bonus, vel malus apparet. Si ergo quiſpiam, verbi gratia, conqueſtus de ſtomacho, ieiunare noluit: & tu id non credens, edacitatis vitio tribueris, temerè iudicabis: Item ſi manifeſtam edacitatẽ, & ebrioſitatẽ cognoueris, & ita reprehenderis, quaſi illa poſſit corigi, atq; mutari, in hoc minus temerè iudicabis.

Matth. 7. Nõ ergo reprehendamus ea, quæ neſcimus quo animo fiant; neq; ita reprehendamus, quæ manifeſta ſunt, vt deſperemus ſanitatẽ. Sic enim euitabimus iudicium, de quo dixit Dominus: *Nolite iudicare, ne iudicetur de vobis.* Sic Auguſtinus.

6. Sequitur illud: *Scimus enim, quoniam iudicium DEI eſt ſecundum veritatem in eos, qui talia agunt.* Pro illa particula, *enim,* græci codices habent (*autem*) & itidem legit Ambroſius. Eſt autem hic ſenſus: ſcimus autem quod DEVS iudicans, non ſequitur ſpeciem rei, externaque ſigna & coniecturas more hominum, qui arcana cordis non vident; nec ea quæ clam ipſos fiunt, liquidò norunt. Nec item DEVS per gratiam & fauorem, iudicium peruertit more iniquorum iudicum; ſed facit iudicium ſecundum merita & dignitatem operum. Licet autem poſſit hoc intelligi de omni iudicio DEI; at-

Ambroſius. tamen Oecumenius, & Ambroſius interpretantur id de iudicio

dicio extremo, & generali omnium hominum. Duas autem ob causas poterant homines non curare iudicium DEI: vel ex parte intellectus, non credendo post mortem futurum diuinum iudicium de hominibus, quod est peccatum infidelitatis: & ad hoc pertinent verba hæc Pauli; & ea, quæ mox adiungit: *Existimas, ô homo, quod tu effugies iudicium DEI?* Ob hoc enim homines promittunt sibi impunitatem. Vel non curant homines DEI iudicium, ex parte voluntatis: nam cùm videant DEVM conferre beneficia in malos, quin etiam liberalius quàm in bonos, beneficia dico, bona temporalia: & præterea videant eos impunè peccare, DEVMq; peccata eorum dissimulare, ac sæpè impunita relinquere in hac vita; putant eum etiam post hanc vitam non punituru̅ improbos, præsertim verò æternis suppliciis.

Oecumenius. Ambrosius.

Non prætereibo hîc tacitus documentum quoddam, & verissimum, & admodum salutare, quod B. Augustinus de pia, & cauta, & vtili ratione alios iudicandi, & reprehendendi tradit in capite trigesimo libri secundi de sermone Domini in monte, his verbis: Piè, cauteque inuigilandum est, vt cùm aliquem reprehendere, vel obiurgare nos necessitas coëgerit, primùm cogitemus, vtrum tale sit vitium, quod nos nunquam habuimus, vel quo iam caremus. Si nunquam habuimus, cogitemus & nos homines esse, & habere potuisse. Si verò habuimus, & nunc non habemus, tangat memoriam communis fragilitas, vt illam reprehensionem, aut obiurgatione̅ non odium, sed misericordia præcedat: vt siue ad correctione̅ eius, propter quem id facimus, siue ad peruersionem valuerit (nam incertus est exitus) nos tamen de simplicitate oculi nostri securi simus. Si autem cogitantes nosmetipsos, inuenerimus, nos in eo esse vitio, in quo est ille, quem reprehendere parabamus, non reprehendamus, neque obiurgemus, sed tamen congemiscamus, & non illum ad obtemperandum nobis, sed ad pariter cauendum inuitemus. Rarò ergo, & in magna necessitate obiurgationes adhibendæ sunt: ita tamen, vt etiam in iis ipsis non nobis, sed

7. Pia & cauta, maximeque salutaris ratio iudicandi, & reprehendendi ex B. Augustino.

Domino, vt ſeruiatur, inſtemus. Ipſe enim eſt finis, vt nihil duplici corde faciamus, auferentes trabem de oculo noſtro, inuidentiæ, vel malitiæ, vel ſimulationis, vt videamus eiicere feſtucam de oculo fratris. Videamus eum oculis columbæ, quales in ſponſa CHRISTI prædicantur, quam ſibi elegit DEVS glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, neque rugam, id eſt, mundam, & ſimplicem. Hactenus ex Auguſtino.

Matth. 7.

Cant. 1.

Epheſ. 5.

8. *Locus libri 2. Regum cap. 12.*

Veritatem illius ſententiæ Pauli: *Inexcuſabilis es, ô homo, qui iudicas: in quo enim alterum iudicas, teipſum condemnas: eadem enim agis, quæ iudicas.* Cùm alia manifeſtè confirmant, tum illud apertè comprobauit, quod de Nathan propheta, & rege Dauide legitur in capite duodecimo libri ſecundi Regum. Nam cùm Nathan, DEI iuſſu, obiurgatum iret Dauidē de adulterio Bethſabee, & cæde Vriæ, quo ſuum ei crimen apertins oſtenderet, efficaciuſque probaret, propoſita regi quadam parabola, fecit, vt rex alium condemnans, multò magis culpabilem ſe, damnabilemque agnoſceret. Cùm enim rex audita parabola (eam autem rem geſtam ipſe putabat) magna cum indignatione dixiſſet: *Viuit Dominus, quoniā filius mortis eſt vir, qui fecit hoc,* continuò Nathan adiecit: *Tu es ille vir,* & confeſtim Dauid ſuo ſe iudicio & ſententia damnatum agnoſcens, criminum ſuorum verè pœnitens, ingenti cum doloris ſenſu dixit: *Peccaui Domino.* Qua eius confeſſione, adeò placatus eſt DEVS, vt protinus Nathan, DEI nomine, ei diceret: *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum: non morieris.*

9. *Bonum eſſe debere qui malos accuſat, & damnat.*

Nec verò Iudices tantùm, & qui aliorum crimina iudicandi & puniendi ius & poteſtatem habent; ſed etiam quicunque aliorum peccata verbis aut ſcriptis accuſant, & obiurgant, & ſe bene viuendi, & virtutum profeſſores & doctores iactant, vitiorumq; inſectatores, & hoſtes; ſi eiſdem ipſi vitiis tenentur obſtricti, & lingua pugnat cum corde, & doctrina diſcordat à vita, multò quàm alij culpabiliores & damnabiliores cenſentur. Memorabilis profectò eſt, & ad hoc

quod

quod diximus illustrandum aptissima, Ciceronis illa sententia: Omnes qui alterum, nullis impulsi inimicitiis, nulla priuatim læsi iniuria, nullo præmio adducti, in iudicium vocant; prouidere debent, quantum in omnem vitam negocij suscipere conentur. Legem enim sibi indicunt innocentiæ, continentiæ, virtutumque omnium, qui ab altero rationem vitæ reposcunt. Nam qui sibi hoc sumpsit, vt corrigat mores aliorum, ac peccata reprehendat, quis huic ignoscat, si qua in re ipse ab religione officij declinarit? Ita enim postulatur ab omnibus, vt ab iis se abstineant maximè vitiis, in quibus alterum reprehenderunt. Furem aliquem, aut rapacem accusaris, vitanda tibi semper erit omnis auaritiæ suspicio: Maleficum quempiam adduxeris, aut crudelem; cauendum erit semper, ne qua in re asperior, aut inhumanior fuisse videare: Corruptorem & adulterũ; prouidēdum diligenter, ne quod in vita vestigium libidinis appareat: Omnia postremò, quæ vindicaris in altero, tibi ipsi diligenter fugienda sunt. Etenim non modò accusator, sed ne obiurgator quidem ferendus est is, qui quod in altero vitium reprehendit, in eo ipse deprehenditur. Ita Cicero. Scitum est, quod Seneca quodam in loco dixit, Philosophos, qui recta docent, & facundè laudant, prauis ipsi ac perditis moribus, in suum ipsorum cõuitium & opprobrium esse doctos ac disertos. Versum illum Pacuuij:

Ciceronis in quinta Verrina, in principio, pulchra sententia.

Seneca.

Ego odi homines ignaua opera, & philosopha sententia.

Macedo philosophus scribi debere censebat, pro foribus omium templorum; nihil enim fieri posse indignius, neq; intolerantius dicebat, quàm quod homines ignaui ac desides, operti barba & pallio, mores & emolumenta philosophiæ, in linguæ verborumque artes conuerterent: & vitia facundissimè accusarent, intercutibus ipsi vitiis madentes.

Refert hoc Aul. Gell. lib. 13. cap. 8.

SECVNDA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Versu 4. & 5. An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & iusti iudicij DEI.

10. *S. Gregorius.*

AD huius loci expositionem conducit quod B. Gregorius in homilia vndecima in Ezechielem scribit his verbis: Misericors DEVS, tempus nobis ad misericordiam relaxat; sed cùm eius gratiæ patientiam, nos in augmentũ vertimus culpæ; hoc ipsum tempus, quod ad parcendum piè disposuit, districtius ad feriendum vertit: vt quia reuerti quis, etiam spatio temporis accepto noluit, per hoc mala sua ad reatum augeat, per quod ea diluere potuit, si conuerti voluisset. Vnde scriptum est: *Ignoras quoniam benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit? secundum duritiam autem tuam, & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram.* Ergo DEI benignitate abutens, iram sibi DEI reprobus thesaurizat: quia dum ad pœnitendum tempus accipitur, & id tamen ad peccandum adhibetur, ipsum remedium gratiæ, vertit ille in augmentum culpæ. Vnde & omnipotens DEVS, quia collata remedia conspicit ad culpæ incrementum trahi, ipsam benignitatem, quam contulit, in iudicij districtionem vertit, vt inde post amplius feriat, vnde nunc amplius expectat. Sic Gregorius. Luculentam quoque loci huius explanationem continet, quod tradit beatus Augustinus

gustinus super illis verbis Psalmi centesimi secundi: *Miserator, & misericors Dominus: longanimus & multum misericors.* Quid, inquit, tam longanimum? quid tam multum in misericordia? Peccatur, & viuitur: accedunt peccata, augetur vita: blasphematur quotidie, & facit solem suum oriri super bonos & malos. Vocat vndique ad correctionem, vocat vndique ad pœnitentiam: vocat beneficiis creaturæ, vocat impertiendo tempus viuendi: vocat per lectorem, vocat per tractatorem, vocat per intimam cogitationem, vocat per flagella correptionis, vocat per misericordiam consolationis. Sed obserua, ne longitudine misericordiæ DEI malè viuendo sic tibi thesaurizes iram DEI, vt dixit Apostolus, cùm ait: *An diuitias benignitatis, & longanimitatis eius contemnis? Ignoras quia patientia DEI ad pœnitentiam te adducit?* Quod tibi parcit, putas quia places ei? *Hæc fecisti*, inquit, *& tacui*, suspicatus es iniquitatem, quod ero tui similis. Non placent mihi peccata, sed per longanimitatem quæro rectè facta. Si statim punirem peccatores, non inuenirem confessores. Ergo te DEVS, longanimitate sua parcendo, ad pœnitentiam adducit: tu autem quotidiè dicis. Finitur hodiernus dies, & sic ero etiam crastino die. Non enim erit cras vltimus dies, & idem dicis tertio die: & subitò venit contra te ira DEI. Fratres non tardetis conuerti ad DOMINVM. Sicut enim qui præparant conuersionem & differunt, & fit in illis vox coruina; Cras, cras: Coruus enim ex Arca missus, non est reuersus. Non quærit DEVS dilationem in voce coruina, sed reuersionem ad se, & confessionem in gemitu columbino: nam & columba missa fuit ex Arca, sed reuersa est ad eam. Quandiu cras, cras? puta esse hoc vltimum cras, quia ignoras quod sit vltimum cras. Sufficiat quod vixisti vsque ad hodiernum diem peccato: sæpe hoc audis: quotidiè audis, & quotidiè non corrigeris. Tu enim secundum duritiam cordis tui, & cor impœnitens, thesauri-

S. Augustinus.

Matth. 5

Psalm. 41.

Eccles. 5.

Genes. 8.

zas tibi iram. Non sic tibi videatur DEVS misericors, vt non videatur & iustus. Audis: *Miserator, & misericors Dominus:* Et gaudes: Audi & illud: *Iustus & verax Dominus, & reddens vnicuique secundum opera sua.* Si gaudes ad superiora verba, ad hæc posteriora treme: Sic enim misericors est & longanimis, vt sit etiam verax & iustus. Sed tu thesaurizas tibi iram in die iræ: & quem nunc benignum contemnis, tunc experiere iustum. Hactenus ex Augustino.

II.

Vnde peccatori accidat fiducia indies peccandi magis.

Idem S. Augustinus; vt refert Prosper in libro sententiarum eius, pulchrè tractans hunc ipsum Pauli locum: Animus, inquit, malè sibi conscius, dum videtur sibi nullam pœnam pati, credit quia non iudicet homines DEVS: cum abuti patientia DEI, & non intelligere parcentis benignitatem, pœna iam magna sit, & damnatio. Nunc enim misericordiæ tempus est, nondum autem iudicij. Nisi enim primò DEVS per misericordiam parceret, non inueniret postea, quos per iudicium coronaret. Audi Apostolum distinguentem vtrumque tempus. *Existimas*, inquit, *ô homo, qui iudicas eos, qui faciunt ea, quæ tu etiam facis, quoniam tu effugies iudicium DEI?* Non vni homini hæc loquitur Paulus, sed in vniuersum, hominum generi. Videbat se homo peccator committere multa mala quotidie, ac tamen viuere, & nihil mali sibi contingere: & putabat aut dormire DEVM, aut res humanas non attendere, aut amare facta hominum mala. Tollit istam cogitationem Apostolus de corde humano, dicens: *Existimas qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quoniam tu effugies iudicium DEI?* Et quasi responderet peccator. Cur igitur mihi tot, & tanta mala quotidiè facienti, nihil mali à DEO contingit? Subdens Paulus, ostendit illi tempus misericordiæ: *An*, inquit, *diuitias benignitatis, & patientiæ, & longanimitatis eius contemnis?* magisque sollicitos faciens eiusmodi contemptores diuinæ longanimitatis, mox addit: *Ignoras quoniam benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit?* Ecce tibi tempus

pus misericordiæ: ac ne putaret semper futurum hoc tempus misericordiæ, terret illum, denuntians ei seuerissimum iudicij DEI tempus futurum: *Tu autem*, inquit, *secundum duritiam tuam, & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij DEI, qui reddet vnicuique secundum opera sua.* Ecce nunc tempus misericordiæ: ecce futurum postea tempus iudicij: de vtroque DEVS laudatur, & amatur à Sanctis. Vnde Dauid ait: *Misericordiam & iudicium cantabo tibi, Domine.* Formidandum vtique malis est iudicium DEI propter pœnam: sed amandum, & optandum bonis propter coronam. Sic eo loci Augustinus.

Locus Psal. 111.

12.

S. Augustinus. Dupliciter peccatores grauiter periclitari.

Docet porrò Augustinus in Tractatu trigesimo tertio in Euangelium Ioannis, alterutro animi morbo laborare ac periclitari solere eos, qui diu multumque in peccatis versati sunt, aut nimium sperando, aut nimis desperando: contrariis nempe rebus, contrariisque affectionibus. Sperando vtique decipitur, qui ait: Bonus est DEVS, & misericors: faciam quodcunque mihi placet, laxabo habenas cupiditatibus meis, explebo desideria animæ meæ. Quare hoc? quia, inquit, bonus, & misericors, & mansuetus est DEVS. Isti nimia spe, ac fiducia periclitantur. Contrà verò, desperatione periclitantur, qui plurimis, & maximis peccatis commissis, & putantes sibi non posse iam ignosci pœnitentibus, & statuentes se ad damnationem sine dubio destinatos, dicunt apud semetipsos: Quoniam iam damnandi sumus, faciamus interea quodcumque volumus, animo videlicet gladiatorum, iam ferro destinatorum. Ideo autem molesti, & pessimi sunt desperati, & vehementer timendi, quia quod timeant, non habent, & vt dixit Paulus: *Desperantes, semetipsos, tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis, in auaritiam.* Hos igitur desperatio necat: spes illos: inter spem, & desperationem fluctuat animus. Metuendum enim est, ne multum sperans de misericordia DEI, in eius iudicium incidas: metuendum rursus est, ne desperans, & pu-

Locus Pauli Ephes. 4.

tans iam tibi non esse ignoscenda quæ commisisti, non agas pœnitentiam, sed incurras in iudicem sapientiam, quæ dixit: *Et ego vestræ perditioni super ridebo*.. Cæterùm Dominus vtroque morbo periclitantibus succurrit, & medetur: nam spe nimia periclitantibus dicit: *Ne tardes conuerti ad Dominum: & ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te*. Et Paulus dixit: *Benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit: tu autem secundum duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij DEI*. Illis verò, qui desperatione periclitantur, per Prophetam dixit: *In quacumque die iniquus conuersus fuerit, omnes iniquitates eius obliuiscar*. Ergo propter eos, qui desperatione periclitantur, proposuit amplissimum indulgentiæ portum; propter eos autem, qui nimia spe & fiducia, & nouis semper dilationibus illuduntur, & decipiuntur, fecit diem mortis incertum, vt quando venturus sit vltimus dies, nemo sciat. Ingratus es, qui habens hodiernum diem, in quo possis vitam tuam corrigere, contemnis. Hactenus ex Augustino.

Prouerb. 1.

Locus Ecclesiastici cap. 5.

Locus Ezech. cap. 18. & 33.

13. Sed nos celeberrimam hanc Pauli sententiam frequentissimè à Patribus vsurpatam, ad commouendum, terrendumque eos, qui peccare, benignitate DEI, ac longanimitate cõfisi, perseuerant, diligenter, enucleatéque, per partes, explanemus. *An diuitias bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis eius contemnis?* Diuitias vocauit Paulus, secundum phrasim hebraicam, ingentem copiam, & abundantiam: Et vocabulo, diuitiæ, ac diues, delectatus, crebrò vsus est, eo, ad res diuinas, & spirituales translato. Nam infrà capite vndecimo appellauit altitudinem diuitiarum sapientiæ & scientiæ DEI, & alibi, diuitias gloriæ, & sapientiæ, & misericordiæ, & in huius epistolæ capite decimo ait, eum esse diuitem in omnes, qui inuocant illum. Et ad Ephes. 2. ait, DEVM esse diuitem in misericordia. Quam locutionem habet etiam lingua Italica, quæ ingentem copiam & exuperantiam alicuius rei, appellat diuitias.

Pro

Pro voce benignitatis, græcè est χρηστότητος, quam vocem Latinus interpres hoc loco primò bonitatem, & paulò pòst benignitatem vertit: nam vtrobique eadem est græca vox, quæ significat propriè benignitatem: & verò definitur à Philosophis virtus, qua quis spontè ac benignè omnium vtilitati expositus est. Et hinc putat Iustinus Martyr appellatos esse Christianos, quasi Christotatos, hoc est, commodissimos, & vtilissimos, & benignissimos erga omnes. Diuitiæ igitur bonitatis DEI, significant exuberantem eius benignitatem, qua spontè largeque cumulat peccatores beneficiis suis. Patientiam DEI nominat, qua peccatorem, eiusque sceleratam vitam tolerat; Longanimitatem verò dicit, qua diu pœnam differt, diuque correctionem, & emendationem expectat. Ergo primùm DEVS vtitur erga peccatores benignitate, beneficia quæ ad vitam sustinendam pertinent, non denegans eis, faciens oriri solem suum, & pluere super bonos & malos: nec solùm temporalia, sed etiam spiritualia interius exteriusque suggerit eis, quibus à sceleribus cohiberi & reuocari queant. Vtitur etiam DEVS patientia, quæ hîc græcè vocatur ἀνοχή, & significat latinè tolerantiam, & vt ita loquar, sustinentiam, præsertim autem erga peccatores, qui ex aliqua ignorantia, vel infirmitate peccant. Vtitur demùm longanimitate erga eos, qui peccant ex inueterata peccandi consuetudine, & ex malitia, non statim eis pœnam, atque damnationem inferendo, vel ad ipsorum emendationem, vel in exemplum aliorum, vel ad bonorum exercitationem. Audiat lector Anselmum, istas DEI bonitatis, & patientiæ, & longanimitatis diuitias breuiter ita declarantem. Diuitiæ bonitatis DEI in hoc manifestantur, quod tanta quotidiè in terris mala faciunt homines, quibus tamen DEVS & vitam conseruat, & solem suum exhibet; & pluuias ministrat, multaque largitur bona; quasi blandiens eis, vt ad pœnitentiam eos, per beneficia, prouocet. Diues item monstratur patientia eius, qui homines tot, & tanta scelera facientes patienter sustinet. Diues est

Iustinus mart. in Apologia pro Christianis.

Matth. 5

Anselmus.

& longanimitas eius, quia non ſtatim punit eos, ſed expectat ad pœnitentiam per multa tempora. Has porrò DEI diuitias contemnit, qui non eis vtitur ad agendam pœnitentiam, ſed ad vanam ſecuritatem conuertit, exiſtimans aut non curare DEVM res humanas, aut donare quod differt.

Cæterùm variat loci huius lectio. Sicut habet Latinus interpres primo loco bonitatem, & tertio loco longanimitatem, ita quoque legunt beatus Hieronymus in expoſitione Orationis Hieremiæ, & Cyprianus in ſermone tertio de bono patientiæ. Secundo autem loco pro vocabulo patientiæ, habent iſti Auctores ſuſtentationem. Omninò autem ſimiliter interpreti Latino, legunt hunc locum Ambroſius, & hîc, & in libro de fuga ſæculi capite tertio, & pluribus locis Auguſtinus.

S. Hieronymus. S. Cyprianus. Ambroſius. Auguſtinus.

14. *Ignoras quoniam benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit?* Græcè eſt participium ἀγνοῶν, id eſt, ignorans, quomodo refert hunc locum Hieronymus libro quinto commentariorum in Ezechielem capite primo, & in Amos libro primo capite primo, atque ita etiam inuenimus apud Cyprianum, & Irenæum: & multa & vetuſta exemplaria Latina itidem habent. Totam enim hanc orationem Pauli legunt ſub vna interrogatione; ad hunc modum: *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis cõtemnis, ignorans quoniã benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit?* Et hîc demùm ponenda eſt nota interrogationis. Verùm alij hunc ipſum locum per duplicem interrogationem legunt, & per verbum ignoras, ſicut habet noſter interpres. Sic etiam legit Hieronymus ſuper trigeſimum ſecundum caput Hieremiæ, & in explanatione Orationis eius, & Auguſtinus in libro Quæſtionum ſuper Exodum, quæſtione vigeſima quarta; Et Ambroſius in hoc loco, & de fuga ſæculi, capite tertio. Fauſtus quoque primo libro de libero arbitrio, capite decimo octauo. Nec ſanè dubium eſt, quin ſi diſtinguamus totam hanc Pauli orationẽ in duas, vel in tres interrogationes, quarum poſterior priore ſit grauior, & acrior, ac ſeuerior, maiorẽ ea vim

Hieronymus.

ea vim, & efficaciam ſit habitura: vt ſit prima interrogatio: *Exiſtimas, ô homo, quod tu effugies iudicium* DEI? Secunda: *An diuitias longanimitatis eius contemnis?* Tertia: *An ignoras quod benignitas* DEI *ad pœnitentiam te adducit?* Auguſtinus certè apud Proſperum in libro ſententiarum eius, locum hunc per tres diſtinctum interrogationes legit, & interpretatur, cuius verba paulò ſuprà commemorauimus.

15. *Quomodo benignitas Dei dicatur adducere ad pœnitentiam induratos in peccatis.*

Sed quomodo Paulus ait, quod benignitas DEI adducit peccatores ad pœnitentiam, cum ipſe proximè antè dixerit, eos contemnere benignitatem DEI; & mox ſubiungat, eos habere cor durum, & impœnitens, & per hoc, theſaurizare ſibi iram DEI? nam adducere ad pœnitentiam, eſt perducere ad agendam pœnitentiam? Sciendum igitur eſt, pro illo *adducit*, græcè legi (ἄγει) hoc eſt, agit vel ducit; quod interpretantur quidam, allicit, & inuitat, & prouocat, ſicut legit Hieronymus in Ezechielem loco ſuprà citato. Idem tamen in libro primo commentariorum in Amos, & in explanatione orationis Hieremiæ, & Ambroſius tam hoc loco, quàm in libro de fuga ſæculi, nec non Cyprianus & Auguſtinus pluribus locis legunt *adducit*, quod Ambroſius exponit, adducere debet. Sed profectò lectio hæc Interpretis latini longè maiorem habet energiam, quam ſi legatur, allicit, vel prouocat. Significat enim DEVM peccatores ad pœnitentiam non modò allicere, & prouocare, ſed etiam, quantum in ipſo eſt, adducere eos, & quodammodo trahere. Tanta enim erga eos vtitur benignitate ac longanimitate, & tot, ac tantis eos cumulat, & obruit beneficiis, vt fieri non poſſet, quin ita trahentem ſequerentur, niſi offirmata animi peruerſitas, ex hominibus faceret quaſi lapides inſenſibiles, & immobiles. Enim verò, dum nihil prætermittit DEVS eorum, quæ conducere poſſunt ad promouendam iſtiuſmodi hominũ conuerſionem, nonne trahere videtur, & quantum in ipſo eſt, perducere ad pœnitentiam? Tale nimirum eſt, quod per Iſaiam dixit Dominus: *Popule meus, quid vltra debui facere vineæ meæ, & non feci?* Et Matthæi 23. *Hieruſalem, Hieruſalem, quoties* *Iſa. 5.*

volui congregare filios tuos: quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti.

16. *Hieronymus.* Doctè, copioseque hanc Pauli sententiam tractans & declarans Hieronymus: ex hoc, inquit, loco apparet, cur Deus toleret peccatores, & cum posset vel prohibere peccantes, vel inferre vindictam, mauult tamen eos conuerti ad pœnitentiam. Sed num propterea tibi, ô homo, blandiris, de impunitate securus, quia DEVS in præsenti non puniat; & tu longitudinem temporis, & abundantiam bonitatis intuens, putas iam non esse iudicium? Audi scripturæ sententiam: *Non tardat Dominus promissa, sed patienter agit propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam conuerti.* Bonus est expectando, iustus est puniendo. Vnde admonet scriptura: *Ne tardes conuerti ad Dominum, neque differas de die in diem, subitò enim veniet ira eius, & in tempore vindicta disperdet te.* Et iterùm: *Ne dixeris, Peccaui, & quid accidit mihi triste? est enim Altissimus patiens redditor.* Multi se homines propter DEI patientiam seducunt: & quia non statim peccatores punit, putant eum res humanas non curare, aut culpas indulgere, quia differt vlcisci. Plerique etiam calumniari DEI prouidentiam non verentur, dicentes, cur DEVS peccatores in præsenti non punit, & iustos ab iniustis suo discernit iudicio? non intelligentes, si DEVS ista faceret, nullum penè hominem remansurum in mundo, nec vnquam de iniustis fierent iusti. Idcirco autem videtur DEVS hominibus nimis diu expectare peccantes; quia nos cum exigui temporis simus, annos centum quasi æternitatem computamus: ille verò, apud quem mille anni pro vno sunt die, centum annos trium horarum spatio non coæquat: quapropter hoc paruum est apud DEVM, cùm etiam homines soleant multo tempore correptionem sperare peccantium. Sic ille.

Secunda Pet. vlt. *Ecclesiast. 5.* *Psal. 89* *2. Pet. 3.*

17. Docet igitur nos hoc loco B. Paulus, veram & præcipuã causam cur DEVS tanta longanimitate toleret homines, grauiter, perseueranterque peccantes, dissimulans eorum peccata, diuque vltionem differens. Cùm enim DEO sit naturalis,

ralis, & substantialis, atque indeficiens, & infinita bonitas & benignitas, non vult perire peccatorem, sed conuerti ad pœnitentiam, & viuere. Hanc porrò doctrinam Pauli comprobant etiam complures aliæ, quæ in sacris litteris leguntur, percelebres sententiæ. Scriptum nempe est in libro Sapientiæ: *Misereris omnium, quia omnia potes: & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti. Parcis autem omnibus quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas.* Et Iob ait: *Dedit ei DEVS locum pœnitentiæ, & ille abutitur eo in superbiã.* Simile est quod Isaias dixit; *Expectat vos Deus, vt misereatur vestri.* Nec est dissimile quod scripsit B. Petrus in capite tertio posterioris epistolæ suæ: *Nõ* (inquit) *tardat Deus promissum, sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiã reuerti.* Nec desunt qui putent B. Petrum, cùm in extremis verbis suæ posterioris epistolæ, loquens de longanimitate DEI erga peccatores, refert Paulum ea de re sapienter scripsisse, hunc præcipuè locum epistolæ ad Romanos spectasse: nusquam enim alibi quàm hoc loco explicatius ea de re disseruit Paulus: nec alia in epistola quàm in hac, clarius elucet eius sapientia.

1. Tim. 2. & 2. Pet. 3.

Locus Sapientiæ 11.

Locus Iob 24. & Isa. 5.

18\. Sed præter hanc causam, sunt etiam aliquot aliæ, propter quas DEVS diuturnam impunitatem peccatoribus in hac vita concedit. Primum enim sicut ex eo magis splendescit bonitas DEI & misericordia (vt dixit quidam Prophetarũ,) præstabilis super malitia hominum: ita etiam contra, indidem enitescit quanta sit hominum malitia, & cæcitas animi, tanta DEI erga ipsos benignitate, in suam ipsorum perniciem, exitiumque abutentium. Deinde, quò iustior postea appareat istiusmodi hominum vindicta, grauiorque illis, & acerbior accidat: Sapienter enim à quodam Ethnico scriptore dictum illud est: Lento gradu ad vindictam sui diuina procedit ira; tarditatemque supplicij, grauitate compensat. Memorabilis item super eâdem re, Cæsaris est illa sententia, cõsuesse DEVM immortalem, quo grauius homines, ex commutatione

Valerius Maximus lib. 1.

mutatione rerum doleant, quos pro ſcelere eorum vlciſci velit, his ſecundiores interdum res, & diuturniorẽ impunitatem concedere. Adhæc, diuturna improborum hominum aduerſus DEVM contumacia, & peruicacia, occaſionem præbet ei mira edendi prodigia, quibus eius omnipotentia mirandum in modum apud multos inclareſcit, atque illuſtratur. Sicut in Ægypto erga Pharaonem factum eſſe legimus in libro Exodi. Docet præterea DEVS exemplo ſuæ benignitatis ac longanimitatis, vt ſimiliter & nos faciamus, patienter, & longanimiter tolerando inimicos noſtros, etiam eos, quibus benefacimus, & qui noſtris, contra nos, beneficiis abutuntur. Ac licet talis DEI patientia, & longanimitas quibuſdam non proſit, aliis tamen prodeſt plurimum: qui licet in magnis peccatis diu, multumq; volutati eſſent, contemplatione tamen tantæ benignitatis, & longanimitatis DEI, ſalutariter commoti ſunt, & remedium pœnitentiæ percipientes veram animi ſanitatem, & ſalutem conſecuti ſunt. non profuit Pharaoni longa DEI patientia; ſed profuit pluribus Ægyptiorum, qui flagellorum eius terrore conuerſi ſunt ad verum DEVM, relictaque Ægypto ſecuti populum Dei. Non profuit Pharaoni, ſed profuit tamen plurimũ regi Nabuchodonoſor, qui vehementer à DEO flagellatus, pœnitentiam egit fructuoſam. Ac demùm quid ex tali benignitate ac patientia DEI, boni proueniat, declarat Paulus in primo capite prioris epiſtolæ ad Timotheum, illis verbis: *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, quia CHRISTVS IESVS venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere: quorum primus ego ſum. Sed ideo miſericordiam conſecutus ſum, vt in me primò oſtenderet CHRISTVS IESVS omnem patientiam ad informationem eorum qui credituri ſunt illi in vitam æternam.*

Dan. 4.

Locus prima ad Timoth. 1.

19. Reſtat tertia illa, & extrema huius loci ſententia Pauli: *Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij DEI.* Pro illa voce, *impœnitens*, græca vox ἀμετανόητον, ad verbum latinè ſignificat (impœnitibile) id autem eſt, quod nec minis, nec beneficiis

ficiis molliri, nec flecti poteſt ad pœnitentiam. Græcum verbum, *theſaurizas*, amplam habet ſignificationem, & talem, vt eam vnum verbum aliquod latinum non æquè reddat & exprimat. Significat .n. primò, per partes colligere & cumulare: tum, in abditum aliquem locum & tutum reponere ac recondere; nec tamen quaslibet res, ſed pretioſas; atque in eum finem, vt in tempore, largiter expromantur. Quare non eſt mirum, eo verbo delectatum eſſe latinum interpretem, frequenterque vſum; ſicut etiam à Latinis patribus crebrò vſurpatum eſt. Senſus igitur horum verborum Pauli, eſt huiuſmodi: Secundum cor tuum durum, & ferreum, & pœnitere neſcium; quodque nulla DEI beneficentia emolliri poteſt, & inflecti ad pœnitentiam; cumulas tibi in dies, & coaceruas diuinam tuorum peccatorum vindictam, quæ denique vniuerſa deprometur, &, in modum theſauri, effundetur in te. Ad illuſtrandum porrò quod diximus de ſignificatione verbi theſaurizo, & de modo quo contemptor bonitatis DEI, theſaurizat ſibi iram eius, valet quod B. Auguſtinus in libro primo contra Aduerſarium legis, & Prophetarum ſcriptum reliquit, hunc ipſum Pauli locum pertractans. Theſauros, inquit Auguſtinus, hoc loco appellat Paulus occultas diſpoſitiones DEI, qui diſponit, & reddit vnicuique ſecundum opera eius. apud quem enim theſaurizat ſibi iram impœnitens, niſi apud eum, qui viuos iudicaturus eſt, & mortuos? Dixit Apoſtolus, exponens conſilium patientiæ DEI: *Exiſtimas*, inquit, *qui talia agis, quia tu effugies iudicium* DEI? *An diuitias bonitatis, & longanimitatis eius contemnis? ignoras quia patientia* DEI *ad pænitentiam te adducit? Tu autem ſecundum duritiam cordis tui, & cor impænitens theſaurizas tibi iram, &c.* Ille ergò auget longanimitatem, & tu auges iniquitatem: erit illius theſaurus in ſempiterna miſericordia, ſed in eos qui non contempſerunt miſericordiam: tuus autem theſaurus in ira inuenietur: & quod ponis quotidie per modicum, ingentem poſtea maſſam inuenturus es. Tu minutatim

S. Auguſtinus.

nutatim imponis, ſed poſtea cumulum inuenies. Noli attendere minuta peccata tua quotidiana: de minutiſſimis enim guttis flumina implentur. Sic ibi Auguſtinus.

20. Idem in ſermone quodam ſuper illis verbis Pſalmi quadrageſimi noni: *DEVS manifeſtè veniet, & non ſilebit?* copiosè luculenterque diſſerit de duplici hominum theſauro apud DEVM; quorum alterum ſibi comparant boni, alterum mali. *S. Auguſtinus.* Quicquid, inquit, in hac vita facit homo, in theſaurum mittit: in theſaurum cœleſtem boni quod colligunt, ſciunt: mali quid colligant, neſciunt. Bonus ponit in theſauro cœleſti omnia opera miſericordiæ, quæ fecit circa homines, quibus ſubuenit: & ſcit quia fidelis eſt cuſtos, qui illi ſeruat omnia quæ reponit. Et ipſe quidem theſaurum illum non videt, de ſuo tamen theſauro ſecurus eſt, quia neque aliquid à fure ſurripitur, neque ab hoſte inuaditur, neque à potenti, quaſi deuicto tollitur; ſed manet ſemper intactus, quoniam à domino potentiſſimo cuſtoditur. Si enim homines fideli ſeruo pecunias commendant, & ſecuri ſunt: tu miſericordias tuas commendans omnipotenti DEO, ſollicitus eris? Mali etiam mittunt in theſaurum omnia mala quæ faciunt: & ſeruat illis ea DEVS, depromenda in tempore ſuo in eorum vindictam. Hoc eſt enim quod dixit Apoſtolus: *Theſaurizas tibi iram in die iræ iuſti iudicij DEI*, ſed mali neſciunt, quòd omnia mala eorum opera ſeruat DEVS. Sed vbi venerit DEVS noſter manifeſtè, tunc non ſilebit, ſed conuocabit ad ſe omnes gentes, & quoſdam ponat ad dexteram ſuam, & alios ad ſiniſtram: & incipiet aperire & expromere theſauros bonorum & malorum, vt quod quiſque poſuit, tunc inueniat. Tunc dicturi ſunt homines: (ſera tamen pœnitentia) ô ſi poſſemus iterum viuere, & quod, dum viuebamus, contempſimus audire, vel nunc denuò facere poſſemus? *Matth. 25.* Sed iſtorum pœnitentia tunc cruciabilis erit, non ſanabilis. Vis habere vtilem pœnitentiam? modò eam habe: ſi enim modò habueris, corrigêris: cùm autẽ correctus fueris, fundetur ille theſaurus tuus,

vbi

vbi collecta erant, & reposita mala opera tua: & implebitur alius thesaurus tuus, vbi omnia opera tua bona colligantur. Sed fortè conuersus ad DEVM, morieris, & nulla opera tua bona inuenies in illo thesauro. Immò verò inuenies opera tua bona, quia scriptum est: *Pax hominibus bonæ voluntatis.* DEVS non adnotat facultatem, sed coronat voluntatẽ: scit quia voluisti, & nõ potuisti. Sic te adnotat, quasi feceris quod voluisti. Ergo quàm primùm conuertere ad Dominũ, ne differendo conuersionem, subitò moriaris, & nihil omninò inueniatur boni, quod in præsenti habeas, & in futuro possideas. Hactenus ex Augustino.

Lucæ 2.

In die iræ, & reuelationis iusti iudicij DEI, Theophylactus & Origenes distinguunt illud, *reuelationis*, ab illo, *iusti iudicij DEI.* interposita coniunctione: Sic enim legunt: *In die iræ, & reuelationis iusti iudicij.* Sed pro duabus illis vocibus, *iusti iudicij*, græcè est vna vox composita, δικαιοκρισίας. Itaque secundũ istos, tribus notis describitur dies ille vniuersalis extremique iudicij: Primùm enim vocatur dies iræ, sicut dixit Sophonias capite primo. *Dies ille, dies iræ*, quia sicut nunc est tempus misericordiæ erga peccatores; ita erit tunc tempus vltionis & vindictæ eorum, nec erit tempus vel agendi pœnitentiam, vel exhibendi eis misericordiam & indulgentiam. Deinde appellatur dies iusti iudicij, quia tunc in omnes, pro cuiusq; meritis, pronuntiabitur sententia, in æternum irreuocabilis. Nominatur demum dies reuelationis, quia tunc omniũ hominum facta erunt nuda & aperta: & quia tunc innotescet qui fuerint in hac vita boni, aut mali, & quod præsentis vitæ prosperitas erat malis exitialis: contrà verò bonis mala quæ patiebantur, proficiebant eis ad æternæ vitæ præmia. Postremò tunc reuelabitur & intelligetur, quàm fuerint semper iusta DEI iudicia: quæ nunc tamen multi non putant esse iusta, aut certè non queunt intelligere quo modo sint iusta. Ad pleniorem autem huius futuræ reuelationis intelligentiam conducunt tres aliæ Pauli sententiæ: quarum prima est in capite quarto prioris epistolæ ad Corinthios:

21.
Theophylactus.
Origenes.

Nolite, inquit Paulus, *ante tempus iudicare: quoad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à* D E O. Altera est in capite tertio epistolæ ad Colossenses, quam continent illa Pauli verba: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum* C H R I S T O *in* D E O. *Cùm autem* C H R I S T V S *apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Tertia est in primo capite priotis epistolæ ad Thessalonicenses: *Gloriamur*, inquit, *pro patientia vestra, & fide in omnibus persecutionibus vestris, & tribulationibus, quas sustinemus in exemplum iusti iudicij* D E I: *vt digni habeamini in regno* D E I, *pro quo & patimini. Si tamen iustum est apud* D E V M *retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant; & vobis qui tribulamini, requiem nobiscum: in reuelatione Domini* I E S V *de cœlo cum* A N G E L I S *virtutis eius, in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non nouerunt* D E V M, *& qui non obediunt Euangelio; qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius: cùm venerit glorificari in Sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt.* Omnes tamen vetustissimi, & emendatissimi latini codices illud, *reuelationis*, iungunt cum illo, *iusti iudicij*: & sic locus hic citatur non solùm à Latinis scriptoribus, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, aliisque, sed etiam à quibusdam veterum Græcorum.

22. *Quomodo dicatur Deus indurare cor hominis.*

Quoniam verò B. Paulus hoc loco ait, contemptores benignitatis, & longanimitatis Dei vocantis, & adducentis eos ad pœnitentiam, esse duro & impœnitenti corde; multi veterum & sanctorum patrum arbitrati sunt, propterea D E V M in diuina scriptura dici quorundam hominum corda indurasse (sicut in libro Exodi sæpius dicitur indurasse cor Pharaonis) non quod D E V S duritiam cordis efficiat, sed quod ex longa D E I benignitate & patientia diu peccata dissimulantis, & vlcisci differentis, improbissimi homines occasionem capiant licentius & perseuerantius peccandi, vnde accidit eis obcæcatio mentis, & obstinatio animi, cordisque induratio. Hac certè ratione interpretati sunt indurationẽ cordis

cordis fieri à DEO, Origenes in libro tertio Periarchon in illa celebri disputatione de libertate humani arbitrij; & sanctus Basilius in oratione, qua probat, DEVM non esse malorum auctorem, & B. Hieronymus in epistola centesima quinquagesima, quam scripsit ad Hedibiam, in responsione ad quæstionem decimam, & S. Augustinus in quæstione trigesima sexta in Exodum, ac demum Theodoretus in quæstione duodecima in Exodum. Sed omissis aliorum sententiis, Iubet ad scribere hoc loco partem cuiusdam sermonis B. Augustini, qui numeratur octogesimus octauus inter sermones eius de tempore, in quo super eo quod diximus, copiosè disserteque, hunc in modum disputat: Quoties audimus (fratres carissimi) cor Pharaonis induratum esse à DEO, non solùm laicis, sed etiam clericis solet scrupulus generari. Dicunt enim aliqui, cur iniquitas illa imputatur Pharaoni, cum DEVS cor eius obdurasse dicatur? De hac quoque re immundissimi Manichæi scripturam veteris Testamenti reprehendere solent: quapropter breuiter volumus ostendere, qualiter obdurationem illam esse à DEO factam debeamus intelligere. Sed illud firmiter primò credendum est, quod nunquam DEVS hominem deserit, quin prius ab eo deseratur: quin etiam diu expectat peccatorem, vt conuertatur, & viuat. Cum verò in peccatis suis permanet, ex multitudine peccatorum nascitur desperatio; ex desperatione autem obduratio generatur. Primùm enim homines despiciunt peccata sua, quia parua videntur: crescentibus minutis peccatis, adduntur & crimina, & cumulum faciunt, & demergunt: & tunc impletur quod scriptum est Prouerbiorum 18. *Peccator cùm venerit in profundum malorum, contemnit.* Obduratio itaque non DEI potentia compellente efficitur; sed DEI remissione, & indulgentia generatur: & ita Pharaonem non diuina potentia, sed diuina patientia credenda est obdurasse: Vt non aliud sit: *Ego indurabo cor eius*, nisi cum absfuerit ei gratia mea, obduret illum nequitia sua. Sicut enim aqua nimio frigore constricta, superueniente solis calore resolui-

Origenes. *S. Basilius.* *S. Hieronym.* *S. Augustinus.* *Ezech 18.* *Locus Prouer. cap 18.* *Exod. 14.*

tur; discedente autem sole, iterum obduratur: similiter peccatorum frigore refrigescit charitas hominum, vnde velut glacies obdurantur: cumque iterum eis calor diuinæ misericordiæ superuenerit, resoluuntur. Cur autem DEVS non ita omnes misericorditer flagellat, vt non contra se obdurari permittat, aut illorum iniquitati, qui obdurari merentur, adscribendum est; aut referendum ad inscrutabilia DEI iudicia, quæ sæpè sunt occulta, nunquam tamen iniusta. Hoc tamen nos de Pharaone sine dubitatione credamus, quod eum non tam DEI potentia, quàm DEI patientia fecerit obdurari. Quam rem circa vernaculos nostros exercere consueuimus, quos nimis delicatè, aut satis remisse tractamus, vel frequenter peccantibus indulgemus. Cum enim illi ea ratione peiores euadunt, solemus exprobrantes illis dicere: Ego te indulgentia mea talem feci: ego tibi parcendo, proteruiam tuam, & negligentiam nutriui. Hoc autem dicimus, non quòd illi nostra voluntate tales facti sint; sed quod abusi bonitate, & indulgentia nostra propter improbitatem suam, peiores euaserint. Hæc ex Augustino.

23. *In Hæreticos, quod Deus nō faciat hominē peccare.*

Sciat præterea Lector, ex hoc loco firmum duci argumentum, ad refellendum opinionem Hæreticorum nostri temporis, affirmantium, non esse in potestate hominis benè vel malè agere, sed ad vtrumque impelli à DEO, &, vt ita dicam, necessitari. Quam opinionem anathematizauit Concilium Tridentinum in decreto de iustificatione in Canone sexto illis verbis: Si quis dixerit non esse in potestate hominis, vias suas malas facere; sed mala opera ita vt bona DEVM operari non permissiue solùm, sed etiam propriè, & per se; adeo vt sit proprium DEI opus, non minus proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli; anathema sit. Hanc quoque opinionem Paulus bifariam hic refellit: Primò cùm ait, DEVM secundum veritatem iudicaturum eos, qui peccata faciunt, quæ in aliis iudicant & damnant: nec istos euasuros iudicium DEI. At, si peccata isti fecerunt,

Concil. Tridentinum.

DEO

DEO necessitante eos ad peccandum, verè non sunt culpabiles, nec damnabiles, nec iusto iudicio puniri possunt: pro eo enim quod quis necessariò facit, nec potest non facere, nec culpam contrahit, nec meretur pœnam. Quod si apud homines iniquum censeretur, puniri quempiam pro eo quod non potuit non facere; quanto magis apud DEVM? Paulo igitur dicenti: *Existimas, ô homo, qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium DEI?* Respondere posset iste homo: Prorsus existimo, quod effugiam iudicium DEI: quod enim feci, non libera electione feci, sed necessariò motus à DEO, cuius potestati, & motioni non poteram resistere: ille fecit me facere quod feci: non igitur verè culpabilis sum, nec obnoxius iudicio, & iræ DEI esse debeo. Hæc autem si absurda sunt, impiam, & absurdam esse supradictam opinionem necesse est. Idem quoque demonstrant verba quæ subdit Paulus dicens: *Ignoras, quod benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit? tu autem secundum duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram*, &c. At enim vt homo pœnitentiam agat vel non agat peccatorum suorum, non est in eius potestate, nec respectu istius liberam habet electionem: aiunt enim isti, liberum hominis arbitrium post peccatum Adæ, amissum & extinctum esse;& velut quoddā inanime, nihil ex se omnino agere, ac merè passiuè se habere: & nomen istud liberi arbitrij nunc esse titulum sine re. Mouente igitur DEO hominem ad pœnitentiam, necessariò pœnitentiam aget: non mouente autem DEO, non potest pœnitentiam agere; nec est in hominis potestate facere, vt DEVS moueat ipsum, aut non moueat: ergo non est in potestate eius facere pœnitentiam, quomodo igitur Paulus ait, eum, qui contemnit benignitatem DEI adducentis ipsum ad pœnitentiam, & permanet durus atq; impœnitens; thesaurizare sibi iram DEI? videtur enim irrationabile atque iniquum, DEVM irasci ei, qui facit, quod ipse DEVS facit, eum facere, nec potest aliter facere, quàm DEVS mouet eum ad faciendum, pro eo puniri à DEO.

Philo-

Philoſophi certè aſſertores liberi arbitrij, inter alias rationes, quibus libertatem voluntatis humanæ adſtruunt, & illam rationem afferunt, atque magnificant, quod niſi eſſet liberum arbitrium, & in libera poteſtate hominis agere benè vel malè, prorſus iniuſtæ forent omnes leges, vetantes peccata, & pro admiſſis peccatis grauiſſima ſupplicia decernentes, quòd ſint planè inexcuſabiles, qui malè agunt, meritoq; ac iuſtè puniri debeant.

24. Valet etiam hic locus ad firmandam, probandamque illam, à Theologis huius temporis frequenter vſurpatam, & celebratam auxilij diuini diſtinctionem in efficax, & ſufficiens. Sufficiens auxilium, v. g. ad conuerſionem hominis ad DEVM, ſiue ad agendam pœnitentiam, vocatur, ſine quo non poteſt ille conuerti, & cum quo poſſet conuerti, ſi ei vellet cooperari: ſed quia ipſum negligit, ac reiicit, non conuertitur: & ideo auxilium illud non eſt efficax, quia non habet effectum conuerſionis, propter quem dabatur. Efficax verò auxilium appellatur id, non ſolùm ſine quo non poteſt conuerti, & cum quo poſſet conuerti, ſed per quod actu conuertitur. Efficacia namque conuerſionis hominis, licet principaliter à diuina gratia, & auxilio proueniat; habet nihilominus tamen neceſſariam connexionem cum aſſenſu & cooperatione liberi arbitrij; ſine qua non eſt efficax, quantum ad productionem effectus. Hanc diſtinctionem auxilij diuini ex ſacra Scriptura licet elicere. Ad efficax namq; auxilium pertinet illud quod dixit Dominus Iudæis: *Omnis qui audiuit à PATRE & didicit, venit ad me.* Loquitur ſine dubio Dominus de efficaci audire, & diſcere: alioqui enim multi audierunt, & didicerunt, & non venerunt ad CHRISTVM. Et item illud, quod per Ezechielem capite trigeſimo ſexto dixit DEVS: *Faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis, & operemini.* Ad ſufficiens autem, & non efficax auxilium ſpectat illud Prouerbiorum primo, quod ſapientia loquitur ad peccatores: *Conuertimini ad correptionem: en proferam vobis*

Locus Ioan. 6. & Ezech. 36.

Locus Prouer. 1. Iſaiæ 5. & Apocalyp. 3.

vobis spiritum meum, & ostendam vobis verba mea. Et mox subdit: *Vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo.* Et item illud apud Isaiam capite quinto. *Quid est*, (ait DOMINVS) *quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod expectaui vt faceret vuas, & fecit labruscas?* Eôdem spectat & illud, quod scriptum est in Apocalypsis capite tertio illis verbis; *Pœnitentiam age. Ecce sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo; & ipse mecum.* Apud beatum quoque Paulum reperire licet duplex hoc auxilium DEI: Est enim vocatio DEI & efficax, & non efficax: nam de efficaci accipienda sunt illa eius verba: *Quos vocauit, hos & iustificauit.* De vocatione autem & auxilio DEI, sufficienti quidem, sed, hominis culpa, non efficaci, dixit hoc loco Paulus: *Ignoras quia benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit? tu autem secundum duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ?* Quid est: *Ad pœnitentiam te adducit.* Nisi præbet tibi auxilia, quibus adduci possis ad pœnitentiam? Sed quia tu ea contemnis, & repellis, remanes impœnitens: & tua culpa facis, vt diuinum auxilium, in te sit inefficax. Consimilem profectò distinctionem beatus Augustinus in libro de correptione & gratia, capite duodecimo tradit diuini adiutorij, quod datur homini ad perseuerandum in bono. Nam quod Theologi vocarunt sufficiens, & non efficax; ipse ait esse id, sine quo non potest homo perseuerare, & cum quo posset perseuerare, culpa tamen sua non perseuerat: & tale adiutorium perseuerandi datum esse dicit homini in statu innocentiæ, respectu non peccandi, & non moriendi. Quod verò Theologi appellarunt adiutorium efficax perseuerandi; ipse ait esse id, non solùm sine quo non potest perseuerare, & cum quo posset; sed per quod verè, & omnino perseuerabit. Et hoc non fuit datum Adamo respectu Innocentiæ: datur tamen o-

Ad Rom. 8.

mnibus Electis, & Prædestinatis ad vitam æternam; euidentius tamen apparet, & mirabilius elucet in sanctis Martyribus.

25.
An impœnitentia vt est impœnitentia, sit speciale peccatum.

Posset denique super illis verbis B. Pauli: *Tu autem secundum duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ*, &c. disputari hoc loco, an impœnitentia, de qua hic loquitur Paulus, sit speciale quoddam peccatum, & diuersum ab aliis omnibus peccatis quorum est impœnitentia: hoc enim videtur hîc significare Paulus dupliciter: ait enim, per impœnitentiam thesaurizari iram Dei: si autem impœnitentia meretur speciale, & grauissimum supplicium; ergo est speciale & grauissimum peccatum; semper enim culpæ respondet pœna. Deinde Paulus hoc loco coniungens duritiam cordis cum impœnitentia, videtur idem de vtraque quantum ad malitiam peccati, sentire: sed obduratio cordis est speciale peccatum, ergo etiam impœnitentia. Pro hoc facit illud, quod in capite secũdo Apocalypsis scriptum est: *Dedi illi tempus vt pænitentiam ageret, & non vult pænitere. Ecce ego mitto eam in lectum*, &c. Andreas Vega in capite vigesimo libri decimi tertij sui super Decreto Tridentini Concilij de iustificatione arbitratur, tunc impœnitentiam in hac vita, assumere nouam & peculiarem malitiam, quando vel cum mortis articulo, aut probabili periculo mortis continuatur, vel cum susceptione, siue administratione Sacramentorum, quæ conscientiam à peccatis mundam requirunt. Etenim in eiusmodi Sacramentorum executione, contemptus pœnitentiæ, est transgressio præcepti, quo tenemur ea munde, & absque conscientia peccati mortalis exercere. In mortis autem articulo, aut probabili eius periculo, qui negligit pœnitentiam, transgressor est manifestus præcepti de diligendo se ipsum: & posset ea malitia, seu transgressio reduci ad præceptum, *Non occides*: sicut ad hoc præceptum reducitur negligere quæ necessaria sibi sunt ad conseruandam vitam corporis, & quorum omissio certam affert mortem corporis, nam quia notabile admodum, & irreparabile

Vega.

rabile est damnum, quod ipsi nobis inferimus, cùm in articulo mortis pœnitentiam agere nolumus; ideo tanta hæc negligentia, & odium nostri, ad præceptum, *Non occides*, & potest, & debet reduci: licet ad id non reducantur alia peccata mortalia, quibus vel salutem nostram perdimus, vel perditam contemnimus, & cùm facilè possemus, recuperare non curamus. Hæc ille.

26. *Auctor sequitur sententiã B. Thomæ.*

Mihi placet doctrina, & sententia B. Thomæ, qui in secunda secundæ, quæstione decima quarta, articulo secundo, breui distinctione huius vocis (impœnitentia) difficultatem hanc expedit, ait enim: Si accipiatur impœnitentia, ea ratione, vt significat simplicem permanentiam & perseuerantiam in peccato, vsque ad mortem, non esse speciale peccatum, sed peccati circumstantiam: sin autem accipiatur, vt præter perseuerantiam in peccato, habet propositum, & deliberatam voluntatem non pœnitendi, sic esse speciale peccatum, & numerari inter sex species peccati in SPIRITVM sanctum. Hac porrò significatione & intellectu vocis (impœnitentia) vsum esse Paulum in hoc loco, quem nunc tractamus, liquidò intelligere licet ex iis, quæ docet sanctus Augustinus, hunc ipsum Pauli locum pertractans in libro de verbis Domini in sermone vndecimo, in quo disputat de peccato & blasphemia in SPIRITVM sanctum. Sic enim ait: Ipsa impœnitentia, est blasphemia, quæ non remittetur neque in hoc sæculo, neque in futuro. Contra SPIRITVM enim sanctum, quo baptizantur, quorum peccata omnia dimittuntur, & quem accepit Ecclesia, vt cui dimiserit peccata, dimittantur ei; verbum valde malũ, & nimis impium, siue cogitatione, siue etiam lingua sua dicit, quem patientia DEI, cùm ad pœnitentiam adducat, ipse secundum duritiam cordis sui, & secundum cor suum impœnitẽs, thesaurizat sibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij DEI, qui reddet vnicuique secundum opera eius. Hæc ergo impœnitẽtia (sic enim vno aliquo nomine possumus vt-

S. Augustinus in Tomo 10. Impœnitentia vsque in finem vita, peccatum est in Spiritũ sanctum.

Ioan. 20.

cumque appellare & blaſphemiam, & verbum contra SPIRITVM ſanctum, quod remiſſionem non habet in æternum.) Hæc, inquam, omnino impœnitentia non habet remiſſionem: quia pœnitentia impetrat remiſſionem in hoc ſæculo, quæ valet in futuro: ſed talis impœnitentia, & tale cor impœnitens, quam diu quiſque in hac carne viuit, non poteſt iudicari: de nullo enim deſperandum eſt, quamdiu patientia DEI ad pœnitentiam adducit, nec de hac vita rapit impium; qui non mortem vult impij, ſed vt conuertatur, & viuat. Proinde, fratres, etiam hoc vos admoneat, quod dixit Apoſtolus: *Nolite ante tempus iudicare.* Hæc enim blaſphemia SPIRITVS ſancti, quam diximus, eſſe perſeuerantem duritiam cordis impœnitentis, non poteſt in quoquam, dum adhuc in hac vita eſt, deprehendi. Ita S. Auguſtinus.

Ezech. 18. et 33.

1. Corinth. 4.

TERTIA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Qui reddet vnicuique ſecundum opera eius: iis quidem, qui ſecundum patientiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt, vitam æternam: Iis autem qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, ira, & indignatio, &c.

27\. DIXERAT B. Paulus ſupra, iudicium DEI eſſe verum & iuſtum: *Scimus*, inquit, *quoniam iudicium DEI eſt ſecundum veritatem in eos qui talia agunt; &* *theſaurizas tibi irã in die reuelationis iuſti iudicij DEI*, nunc

nunc vult oſtendere veritatem & iuſtitiam diuini iudicij, & quantum ad opera hominum, dicens, *Reddet vnicuique ſecundum opera eius*, & quantum ad perſonas, dicens. *Non enim eſt acceptio perſonarum apud DEVM.* Quid eſt: *Reddet vnicuique ſecundum opera eius?* niſi quia bonis retribuet præmia, & malis ſupplicia: omnibus verò, & cuique, ſecundum operum quæ fecerunt, & conditionem, & numerum, & qualitatem? Enimuerò, in præſenti vita DEVS non reddit homini ſecundum opera eius: nam & peccata diſſimulans, non punit hîc, & quandoque male agentibus, gratiam largitur, ſicut ipſi Paulo, qui prius fuerat blaſphemus, & perſecutor, & nihilominus tamen tantam eſt à DEO conſecutus miſericordiam, vt non modo Chriſtianus fieret, ſed etiam talis tantuſque Apoſtolus. At verò in die iudicij non ita fiet, tunc enim tempus erit iudicandi tantùm ſecundum iuſtitiam, ſicut dixit DEVS: *Cum accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo.* Si quis autem dicat, non fore in die iudicij retributionem ſecundum opera, quia peccato temporali retribuetur pœna æterna: Reſpondendum eſt ſecundum B. Auguſtinum in libro vigeſimo primo de ciuitate DEI in retributione iuſtitiæ non conſiderari æqualitatem temporis inter culpam, & pœnam: nam etiam ſecundum humanum iudicium, pro culpa adulterij, quæ breui tempore committitur, infligitur pœna mortis: in qua non attendit legislator breuem illam moram occiſionis, ſed id potius ſpectat, quod ille per mortem perpetuò excluditur à ſocietate viuentium. Similiter etiam homo pro culpa temporali, pœna æterna punitur, quod quidem iuſtiſſimum eſſe intelligitur ex infinita dignitate DEI, in quem peccatur. tanto enim quis grauius peccat, quanto maior eſt dignitas perſonæ, in quam peccat: plus enim peccat, qui percutit Principem, quàm qui percutit priuatam perſonam. Quo fit, vt culpa peccati mortalis contra DEVM, quandam velut infinitatem contrahat, & pœnam quodammodo infinitam mereatur: & cum non poſſit pœna eſſe infinita ſecundum intenſionem, relinquitur vt

1. ad Tim. 1.

Pſal. 74.

S. Auguſtinus.

ſit infinita ſecundum durationem. Cum autem dicitur, DEVM redditurum cuique ſecundum opera eius, intelligere oportet DEVM eſſe redditurum non quidem ſecundum æqualitatem operum, nam ſi ſubſtantia meriti, atque præmij æſtimetur, præmium multifariam exuperat, & excedit ipſum meritum; ideoque Paulus infrà capite octauo ſcribit, paſſiones huius temporis non eſſe condignas gloria quæ reuelabitur in nobis: & in capite quarto poſterioris epiſtolæ ad Corinthios ait, leue ac prope momentaneum tribulationis huius temporis immenſum gloriæ pondus operari. Reddet igitur DEVS ſecundum opera, id eſt, ſecundum qualitatem, & numerum, & intenſionem operum: quia bonis retribuet bona, & melioribus meliora: ſimiliter etiam malis.

28. *Duplex lectio loci huius.*

Horum porrò verborum: *Iis quidem qui ſecundum patientiam boni operis gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam.* Duplex eſt lectio, duplexque interpretatio. Sed ante ſcire conuenit, debere in his verbis repeti verbum, *reddet*, proxime ante poſitum: & pro verbo illo, *quærunt*, græce eſſe participium ζητοῦσιν, id eſt, quærentibus, ſicut habet textus, quem ſequitur Ambroſius, & alij. Prior itaq; lectio huius loci eſt, vt verbum illud, *reddet*, quod vt dixi, ſubintelligere hic oportet, iungatur cum illis tribus Accuſatiuis *gloriam, & honorem, & incorruptionem.* Verbum autem *quærunt*, ſiue participium, *quærentibus*, cum illo, *vitam æternã*, hoc ſenſu, *iis qui ſecundum patientiam boni operis quærunt vitam æternam*, reddet *DEVS gloriam, & honorem, & incorruptionem.* Secundum quam lectionem fateri neceſſe eſt, in hac oratione Pauli eſſe hyperbaton, ſicut etiam agnouit Oecumenius. Et poteſt oratio hæc dupliciter conſtrui, & ordinari: Primum ſic: Iis qui ſecundum patientiam boni operis ſunt, reddet DEVS gloriam, & honorem, & incorruptionem quærentibus vitam æternam. Vel aliter, vt poſt illud, *Secundum patientiam boni operis*, non ſuppleatur verbum *ſunt*. Sed vel tollatur illud relatiuum, *qui*, ſeruato participio *quærentibus*, vel

ſeruato

seruato relatiuo, *qui*, illud participium *quærentibus*, resoluatur in verbum *quærunt*. Secundum hanc verò priorem lectionē, in qua verbum, *reddet*, iungitur cum tribus illis Accusatiuis: *Gloriam, & honorem, & incorruptionem*, & participium *quærentibus*, siue verbum *quærunt*, iungitur cum illo, *vitam æternam*, secundum hanc, inquam, priorem lectionem legunt hunc Pauli locum Oecumenius, Ambrosius, Hieronymus hoc loco, & S. Gregorius libro vigesimo octauo Moralium capite decimo tertio, exponens illa verba Iob: *Super quo bases terræ solidatæ sunt*. Quod autem verbum *reddet*, iungendum sit cum tribus illis Accusatiuis, patet ex contrariis eorum, quæ mox subiunguntur, in illis verbis: *Iis autem qui sunt ex contentione, ira, & indignatio, & tribulatio, & angustia in omnem animam hominis operantis malum*. Adiice quod talis lectio, talisque sensus grauitati Pauli scribentis ad Romanos, maxime aptus, & conueniens est, excludens nempe omnem suspicionem mercenariæ intentionis à seruitio DEI, & nihilominus tamen promittens ea omnia, quæ expetebantur à Romanis. Romani enim omnium mortalium flagrantissime concupiscebant, & obnixe consectabantur gloriam, & honorem, & immortalitatem nominis ac famæ: nimirum huiusmodi rerum studio, & cupiditate, vt scribit B. Augustinus in libris de ciuita. DEI multa Romani præclare gesserunt, multarumque virtutum moralium facta memorabilia, exemplaque ediderunt. Docet autem eos Paulus his verbis, si ex animo, sincereque vitam æternam, quæ DEVS est, quæsierint, ista etiam bona, tantopere ab ipsis expetita, abundanter eis tributum iri: nō quidem temporaria, & caduca, sed æterna, & cum animi atque corporis incorruptione coniuncta.

Oecumenius. Ambrosius. Hieronymus. Gregorius.

Iob. 38.

August. lib. de ciuitate Dei quinto cap. 12. & 18.

29\. Sed expendamus sigillatim verba huius sententiæ Pauli: *Secundum patientiam boni operis*. Quatuor sunt horum verborum expositiones. Prima est Caietani; qui ait, vocari hîc patientiam boni operis non obiectiue, obiectum enim Patientiæ, non est bonum, sed malum, quod quis patitur

Quid sit patientia boni operis quatuor expositiones.

Prima expositio Caietani.

titur; verùm causaliter; boni enim patiuntur sæpe mala propter bona opera quæ faciunt. Ergo, cum dicitur patientia boni operis, significatur perfectio vitæ Christianæ, quæ duabus in his rebus est, bene agere, & quia bene agitur, mala pati. Sicut Dominus dixit: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam*: & B. Petrus in capite secundo prioris epistolæ: *Hæc est enim DEI gratia, si propter DEI conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniuste. Quæ enim est gratia, si peccantes, & colaphizati suffertis? Sed si benefacientes patienter sustinetis, hæc est gratia apud DEVM. In hoc enim vocati estis, quia & CHRISTVS passus est pro nobis, &c.* S. Thomas in commentario huius loci tres alias tradit expositiones. Harum prima est, vt illud, *secundum patientiam*, intelligatur de patientia DEI erga peccatores; de qua paulo ante dictum est: *An diuitias bonitatis, & patientiæ eius contemnis*, vt intelligantur illi esse secundum patientiam boni operis, qui patientia DEI non abutuntur impœnitentes; sed ea bene vtuntur & pœnitendo, & in posterum bene operaudo. Hanc expositionem habet commentarius Ambrosij in hoc loco. Sic enim scribit: Quoniam iudicium DEI iustum esse dixit Paulus; nunc quale bonis futurum est, declarat. His videlicet, qui patientiam DEI scientes, partim ad correctionem pœnitentium, partim ad maiorem vltionem non se corrigentium prolatari; priorum operum pœnitentes, bene versantur, freti fiducia DEI, ne diu hîc positi damnum incurrant promissæ vitæ. Tertia expositio est, quam sequitur Anselmus, & alij, vt patientia intelligatur esse in homine, tolerantia rerum aduersarum cum æquanimitate cordis: hoc autem necessarium est, ne quis à bono opere desistat, propter mala quæ patitur. Omnes enim qui piè viuere volunt in CHRISTO IESV, vt dixit Apostolus, persecutionem patiuntur. Et ideo B. Iacobus ait: *Patientia opus perfectum habet.* Et Dominus dixit: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Quarta expositio est, vt nomen Patientiæ in hoc loco accipiatur pro longanimitate & perseuerantia in bono vsque in finem, sicut dixit

Secunda expositio Ambrosii.

Tertia expositio. Anselmi.

2. Tim. 3.

Iacobi 1.

Luc. 21.

Quarta expositio Hieronymi.

sanctus

ſanctus Iacobus; *Patientes eſtote, fratres, vſque ad aduentum Domini.* Et Paulus ait: *Patientia vobis neceſſaria eſt, vt reportetis promiſſiones.* Tangit hanc expoſitionem Hieronymus in cōmentario huius loci, dicens: Boni operis merces, per patientiam expectatur, quia in præſenti vita non redditur: per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem, tunc igitur erit perfectum opus, ſi in finem vſque durauerit: quia, *qui durauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Sciat porro lector, pro latina voce patientiam, hic græcè legi ὑπομονὴν, quæ vox ſignificat & patientiam, & perſeuerantiam. Quocirca quod Lucas dixit capite vigeſimo primo: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras,* idem eſt, atque, *in perſeuerantia veſtra*, eandem quippe ſententiam referens Matthæus capite vigeſimo quarto, dixit: *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* Nam verbum græcum ſignificat perſeuerare in patiendo.

Iacobi vlt.

Ad Hebr. 10.

Hieronymus.

2. Cor. 5.

Matth. 24.

Locus Lucæ cap. 21.

30. Sequitur: *Gloriam, & honorem, & incorruptionem.* Quibus paulo infra quartum additur, Pax videlicet, cum dicitur: *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum.* Harum autem quatuor vocum commemoratio, eſt quaſi periphraſis æternæ beatitudinis deſcriptæ, vel potius adumbratæ per ea, quę maxime expetuntur à mortalibus. Gloria ſignificat claritatē Sanctorum, etiam intrinſecam, qua replebuntur in mente, ſecundum illud Iſaiæ 58. *Implebit ſplendoribus animam tuam.* Significat & claritatem exteriorem, qua fulgebunt in corporibus ſuis, ſecundū illud Matthæi 13. *Fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno PATRIS eorum.* Merito igitur dixit Dauid: *Exultabunt ſancti in gloria.* Vel aliter: Gloria poteſt intelligi ipſa DEI gloria, quæ per beatificam viſionem in Beatis redundat. Claritas enim illa diuinæ notitiæ, qua DEVS ſeipſum, ſuaſque omnes perfectiones comprehendit, quatenus per eam ipſe ſibi ab æterno notus eſt, vocatur gloria DEI: & quia quia per beatificam viſionem, DEVS clariſſimam ſui notitiam tribuit Beatis, ideo dicitur cum illis communicare gloriam ſuam, per quam omne eorum deſiderium explet. Vel poteſt accipi gloria pro notitia illa, quam de dignitate, &

Pſal. 149.

meritis cuiusq; beati, & habet DEVS, & per DEVM habent etiam omnes beati. In die enim iudicij CHRISTVS seruorum suorum merita, & virtutes, quæ in hac vita latebant ceteros, aut etiam contemnebantur, vel oppugnabantur, propalam exponet ante conspectum omnium; ex quo inæstimabilis eorum gloria existet. Ambrosius definiuit gloriam, claram cum nominis fama & laude notitiam.

Quid honor secundum Ambrosium.

Similiter honos beatorum duplex est: vel ille honor incomparabilis, quo DEVS seruos suos decorabit & beatificabit, appellans eos amicos suos, & filios, & hæredes, & conuiuas suos. De quo honore dixit Dominus: *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum PATER meus, qui in cælis est.* Et ad eum honorem verè potest referri, quod dixit Dauid: *Nimis honorificati sunt amici tui DEVS.* Quin etiam impij tantam eius honoris excellentiam admirantes dicturi sunt: *Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios DEI, & inter sanctos sors illorum est.* Alter beatorum honor est, quo se beati inter se honorant; quod si, secundum Aristotelem, ideo honorari à sapientibus maxime cupimus, quod illi sunt certissimi virtutis nostræ testes, suoque testimonio locupletissimi commendatores: quanto erit optabilior honor beatorum, omni sapientia, virtuteque præstantium? Honor porrò, (vt Aristoteles ait) est reuerentia alicui, propter aliquam eius excellentiam, præsertim verò sapientiæ, ac virtutis, exhibita. Videtur autem gloria antecedere honorẽ: nam quia merita, & virtutes alicuius personæ, nota sunt, propterea honore digna censentur.

Ioan. 12. *Locus Psal. 138.* *Sapient. 5.* *Aristot.* *Idem.*

31. Ac ne quis fortè non pro magno duceret istam gloriam, & honorem, existimans talia fore ista in cœlis, qualia cernũtur in terris; fluxa nempe & caduca, & quibus nonnisi breuissimo tempore, ac ne tunc quidem sincere, penitus, atq; imperturbatè frui licet; idcirco Paulus tertio loco adiecit incorruptionem, significans ista voce beatissimum illum sanctorum statum incorruptionis corporum, futurum post resurrectionem,

rectionem, in quo nimirum & bona omnia erunt, & erunt incorruptibilia, & sempiterna. Iam verò pax, quæ istis rebus adiicitur à Paulo, est consummatio & complementum beatitudinis. Pax nempe ista, bonorum omnium est tranquilla, & secura possessio, includens perfectam expletionem omnis desiderij humani, hoc est, perfectam adeptionē omniū bonorū, malorumq; omniū expulsionē. Hæc est pax, quæ, vt dixit Apostolus, exuperat omnē sensum; & de qua celebratur illa B. Augustini memorabilis sententia, quam refert Prosper in libro sententiarū eius, his verbis: Pax CHRISTI, finē temporis nō habet: & ipsa est omnis piæ intentionis, actionisq; perfectio. Propter hanc, sacramentis eius imbuimur: propter hāc, mirabilibus eius operibus, & sermonibus erudimur: propter hāc, SPIRITVM, eius pignus accipimus: propter hanc, in eum credimus, & speramus, & amore ipsius, quantum ipse donat, accendimur. Propter hanc deniq; omnem tribulationem fortiter toleramus, vt in ea feliciter sine vlla tribulatione regnemus. Vera autem pax vnitatem facit: quoniam: *Qui adhæret Domino, vnus spiritus est.* Atque hæc quidem hactenus à nobis super his Pauli verbis tractata, pertinent ad expositionem eorum verborum, secundum priorē lectionem supra expositam: quæ reddit istorum verborum sententiam huiusmodi: Iis, qui per patientiam boni operis, quærunt vitam æternam, reddet DEVS gloriam, & honorem, & incorruptionem.

Quid pax.

Ad Ephes. Vlt.

Prosper episcopus.

Prima ad Corinth. 6.

32\. Altera lectio huius loci est, in qua verbum illud, *quærunt*, iungitur cum illis tribus accusatiuis *gloriam, & honorem, & incorruptionem*, verbum autem illud, *reddet*, quod hîc suppleri, & intelligi debet (vt supra lectorem præmonuimus) coniungitur cum illo, *vitam æternam*, vt secūdum hanc lectionē, sit istorum Pauli verborum hæc sententia: Iis, qui secundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, reddet DEVS vitam æternam. Atq; hanc lectionem secuti sunt Origenes, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, & Græca scholia. Ex qua lectione appa-

In hæreticos aientes bene operari intuitu mercedis æternæ, peccatum esse.

ret, licitum, & honestum esse seruire DEO, habito respectu ad bona, quæ daturus est in cœlis sibi seruientibus: ait enim Paulus hoc loco: Quærentibus gloriam, honorem, atq; incorruptionem, redditum iri à DEO vitam æternam. Et primæ ad Timotheum quarto, iubet Paulus exercere se Timotheum ad pietatem, *Pietas enim*, inquit, *ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est, & futuræ.* Et Dauid in Psalmo decimo octauo loquens de obseruantia mandatorum DEI: *Etenim seruus tuus*, inquit, *custodiet ea, & in custodiendis illis retributio multa.* Considera octo beatitudines, expositas à CHRISTO, & reperies vnicuique adiectum esse præmium, quo ad eius amorem, cultumque accenderemur; & Dominus Apostolis dixit: *Vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis.* Et ibidem subiungit: *Sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israël.* Hoc ipsum docere voluit Dominus per illam parabolam vineæ, de operariis conductis ad laborandũ in vinea, ex conuentione de denario diurno illis reddendo. Quod si Apostoli, & Prophetæ, & DEVS ipse, ac Dominus noster IESVS CHRISTVS passim in scriptura excitant, & prouocant homines ad bene agendum, proponendo eis incomparabilia bona, quæ bene agentibus reddenda sunt in cœlo: impiũ profecto est dicere, peccare eos, qui intuitu bonorũ cœlestium benè agunt: alioqui & illi qui talium bonorum obiectu, & incitamento ad bene agendum homines inducere volunt, male vtique agerent, incitantes nempe eos ad peccandum. Quocirca meritò Patres concilij Tridentini in capite vndecimo Decreti de iustificatione condemnant opinionem, atque errorem hæreticorum nostri temporis, affirmantium, esse peccatum, bene agere intuitu mercedis, hoc est, diuinæ beatitudinis. Verba concilij sunt: Constat eos Orthodoxæ religionis doctrinæ aduersari, qui statuunt, in omnibus operibus iustos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando, & sese ad currendũ in stadio cohortando cũ hoc, vt inprimis glorificetur Deus,

Matth. 5.

Matth. 19.

Matth. 20.

Concilium Tridentinum.

merce-

mercedem quoque intuentur æternam: cùm scriptum sit: *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem.* Et de Mose dicat Apostolus, quod *respiciebat in remunerationem.* Et in Canone trigesimo primo: Si quis dixerit, iustificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis benè operatur; anathema sit. Longè porrò aliud est, amor mercedis, quàm amor mercenarius. Verùm & de his, & de aliis, quæ super hac re copiosius disputari possent, videat Lector Vegam in capite vltimo libri vndecimi super Decreto Concilij Tridentini de iustificatione.

Locus Psal. 118. & ad Hebræos cap. 11.

Vega.

QVARTA DISPVTATIO.

Aduersus Lutheranos, qui dixerunt, omnia opera hominum, etiam iustificatorum, esse peccata.

SVPER EISDEM VERBIS PAVLI.

Iis qui secundum patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem quærunt, vitam æternam: & gloria, & honor, & pax omni operanti bonum.

33.

LVTHERANI à primo dixerunt, etiam iustificatos homines peccare in omni opere quod faciũt: & hoc tantùm inter iustificatos, & non iustificatos interesse, quod non iustificatis mala eorum opera imputantur ad damnationem & pœnam; iustificatis verò nequaquam; sed in his tamen opera nihil valere ad obtinen-

tinendam vitam æternam, ſed tantùm fidem, & fiduciam diuinæ promiſſionis. Hanc certè ſententiam habuit Lutherus, & ſcripto prodidit in trigeſimo primo articulo eorum qui damnati ſunt à Leone decimo. Sed enim iſtam opinionem eſſe maximè abſurdam & impiam, mille ſcripturæ teſtimoniis conuinci poteſt. Multifariam enim diuina Scriptura & iuſtorum bona opera laudat, & ad facienda bona opera cohortatur, & à faciendo mala opera reuocat & deterret. Ecce, vel hic ipſe locus Pauli, quem ſuperiori diſputatione pertractauimus, manifeſtè iſti opinioni aduerſatur. Ait enim Paulus, iis, qui per patientiam boni operis, quærunt vitam æternam, redditum iri gloriam, & honorem, & incorruptionem: & item gloriam, & honorem, & pacem tributum iri omni operanti bonum; contrà verò, tribulationem & anguſtiam operanti malum. Idem in capite ſecundo epiſtolæ ad Titum ſic ait. *Apparuit gratia* DEI *& Saluatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobriè, & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo, expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni* DEI, *&* SALVATORIS *noſtri* IESV CHRISTI, *qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret, ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum, acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Hæc loquere, & exhortare.* Idem docet Apoſtolus Petrus in primo capite poſterioris epiſtolæ ſcribens Chriſtianis: *Satagite vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis, hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.* Et Dominus noſter, vt eſt apud Ioannem capite quinto, dixit Iudæis: *Venit hora in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem* FILII DEI: *& procedent, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ: qui verò mala egerint, in reſurrectionem iudicij.* Sacra item ſcriptura laudat quorundam iuſtorum opera, atque eos in quibuſdam rebus non peccaſſe teſtatur. Etenim de Iob dicitur: *In omnibus his non peccauit Iob labiis ſuis, neque ſtultum*

Locus Iob. 1.

quid

quid contrà DEVM *locutus est.* Quæ verba exponens sanctus Gregorius; Beato, inquit, Iob, & oris testimonium perhibetur & cordis: quia & culpam à lingua compescuit, & à corde restrinxit. Immolationem Isaac, quam facere DEO voluit Abraham, fuisse opus non solùm omni peccato vacuum, sed omnino bonum atque perfectum, clarissimo est argumento, quòd ea vsque adeò placuit DEO, vt factum illud Abrahæ, magnificentissimo promisso quasi remunerans, dixerit Abrahæ; *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* In libro quoque tertio Regum capite decimo quinto de Dauid dixit DEVS ad Hieroboam: *Non fecisti sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod placitum erat in conspectu meo.* Et alio loco de eodem dixit: *Inueni hominem secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Et in secundo libro Paralipomenon capite decimo nono. Propheta DEI dixit regi Iosaphat: *Et iram quidem merebaris, sed bona opera inuenta sunt in te.* Iustissimam igitur in istos pronunciauere sententiam Patres Concilij Tridentini, cum in Canone vigesimo quinto Decreti de iustificatione, supradictam sententiam anathematis pœnæ addixerunt, illis verbis: Si quis in quolibet bono opere, iustum, saltem venialiter, peccare dixerit; aut quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri, tantumque ob id non damnari, quia DEVS ea opera non imputat ad damnationem; anathema sit.

S. Gregorius. *Genes. 22.* *Act. 13.* *1. Reg. 13.* *Concilium Tridentinum.*

34. Nec verò doctrinam hanc Catholicam infirmat, nec adiuuat istorum sententiam sententia illa Isaiæ: *Facti sumus vt immundi omnes nos: & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ.* Quibus verbis significare videtur, omnes homines, etiam

Locus Isaiæ cap. 64.

etiam iustos, qualis erat Isaias, esse immundos, & peccatores: omniaque opera eorum, licet videantur bona, & iusta, esse tamen contaminata, & mala: & isti quidem sententiam hanc Isaiæ, maximum esse putant suæ sententiæ firmamentum. Sed profectò Isaias eo loco de sceleratissimis atque impiis Iudæis loquitur: quorum, id temporis, tanta erat multitudo, tantaque bonorum, & piorum virorum paucitas, vt vniuersus populus ex illis constare videretur; & bonorum, propter paucitatem, perinde quasi nulli essent, ratio non haberetur. Appellat verò Propheta iustitias, obseruantias eorum legales, & si quæ alia erant illorum opera, in speciem, & coram hominibus iusta: quæ tamen quoniam erant omni gratia SPIRITVS sancti vacua, & insincera mente, prauoque consilio facta, & plurimis immixta & maculata sceleribus, comparauit ea Isaias panno mulieris menstruatæ. Nec mouere quemquam debet, quod Isaias seipsum etiam istis annumeret, tanquam similis eorum esset. Mos enim est Prophetarum, sicut etiã nunc est Christianorum cõcionatorum, cum deplorant, vel obiurgãt peccata hominũ, vel pro illis diuinam clementiam implorant, seipsos aggregare, & sociare peccatoribus, quamuis fuerint iusti, nec talium scelerum participes. Id verò faciebant illi, vel studio humilitatis; vel quò magis ea ratione DEVM flecterent ad clementiam; vel affectu charitatis, quæ omnia facit communia, etiam peccata, non quidem quantum ad consensum eorum, sed ad lugendum ea, quasi sua essent, & ad supplicandum DEO pro illis, & ad satisfaciendum. Hieremias quidem certè sanctus erat, quin etiam sanctificatus in vtero matris, & creditur, nullum, per omnem vitam suam, mortale peccatum admisisse: Is tamen capite tertio hæc loquitur: *Dormiemus in confusione nostra, & operiet nos ignominia nostra; quia Domino DEO nostro peccauimus, nos, & patres nostri ab adolescentia nostra, & non audiuimus vocem DEI nostri.* Similiter Isaias eo loco commemorat grauissima peccata, tanquam sibi cum reliquis Iudæis communia; quæ tamen ab eo

Mos Prophetarum & Cõcionatorum.

Locus Hieremiæ cap. 3.

eo procul fuiſſe, certum eſt. Nam illud, quod, poſt ſupradicta verba, ſubiungit ipſe. *Non eſt qui inuocet nomen tuum, qui conſurgat, & teneat te.* Quis non videt nullo modo conuenire in Iſaiam? Ergo in eiuſmodi concionibus Prophetarum, in quibus illi ſuorum popularium accuſant & reprehendunt peccata, generales ſententiæ, quas ſuper ea re vſurpant, non ſunt omnino generaliter accipiendæ, ſed vt plurimum, & pro maxima parte, ſicut eſt illa ſententia Michææ capite ſeptimo: *Periit ſanctus de terra, & vir rectus in hominibus non eſt.* Et illa item Hieremiæ capite octauo: *A minimo vſque ad maximum omnes auaritiam ſequuntur.*

Sapè generales ſcripturæ ſententiæ, nō omnino generaliter accipiendæ ſunt.

35. Nec eſt non maximè probabilis illorum verborum Iſaiæ expoſitio, quam in Commentario eius loci tradit ſanctus Hieronymus. Refert enim iſta verba, & alia huius capitis, ad Iudæos, poſt aduentum CHRISTI, publicatumque, per orbem terræ, Euangelium, in ſua permanentes infidelitate, & ſuis quibuſdam legalibus obſeruantiis, & ceremoniis confidentes. Quorum tamen, præter alia plurima, & grauiſſima peccata, in quibus gens iſta peruolutatur, etiam iuſtitiæ, id autem eſt, obſeruantiæ legales, immundæ ſunt coram DEO: ſicut opera hypocrytarum; tum aliis de cauſis; tum maximè, quod talis obſeruantia coniuncta eſt cum impia credulitate, quod nondum MESSIAS venerit, & cum ſtulta aduentus eius expectatione. Talis enim obſeruantia legis Moſaicæ, non ſolùm illis mortua eſt, id eſt, infructuoſa; ſed etiam mortifera. Adſcribam hîc verba ſancti Hieronymi, quæ ſunt hæc: Conſiderandum eſt hic, quod iuſtitia quæ in lege eſt, in comparatione Euangelicæ puritatis, immunditia nominetur. Et hoc vbi confirmauit Hieronymus variis ſcripturæ teſtimoniis, denique ſubdit hæc: Si quis igitur poſt Euangelium CHRISTI, & aduentum FILII DEI, pædagogæ legis obſeruat ceremonias; audiat populum illum confitentem, quod omnis illa iuſtitia panno ſordidiſſimo comparetur. Sic Hieronymus. Ex cuius verbis duo licet colligere: Alterum, non de Chriſtianorum, ſed de talium

S. Hieronym.

lium Iudæorum iustitia locutum esse Isaiam; alterum, Isaiam illud dixisse in persona populi: quare dictum istud Isaiæ, non suffragabatur Luthero, ex eo probare volenti, omne opus hominis etiam Christiani, & iustificati, esse peccatum.

36. Nolo tacitam hoc in loco præterire aliam eorundem verborum Isaiæ, à beato Augustino traditam expositionem. Disputat Augustinus in quadragesimo tertio sermone, res à DEO creatas, si considerentur secundum naturam suam, verè dici, & esse bonas: Scriptum enim est: *Vidit DEVS cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Et rursus: *Cuncta fecit* (Dominus) *bona in tempore suo.* Similiter legimus, in scriptura appellari homines & bonos, & iustos, & sanctos. At verò si hominum bonitas & iustitia, comparata fuerit cum bonitate, & iustitia DEI; & bonitas æstimabitur tanquam malitia; & iustitia, tanquam iniustitia. Nam & Dominus cuidam appellanti ipsum bonum, dixit: *Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi solus DEVS.* Et loquens discipulis suis, dixit: *Si ergo vos cùm sitis mali*, &c. Isaias quoque, quem fuisse constat iustum & sanctum virum, dixit: *Tanquam pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ.* Sed quid mirum? ait enim Iob: *Verè scio quod ita sit, & quod non iustificetur homo compositus DEO.* Et alio loco: *Ecce, Luna etiam non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius: quanto magis homo putredo, & filius hominis vermis?* Ponam hîc verba ipsa sancti Augustini: De vniuersis, inquit, quæ à DEO creata sunt, generaliter scriptum est: *Ecce, omnia quæ fecit DEVS, bona valde.* Et iterum: *Vniuersa quæ fecit DEVS, bona in tempore suo.* Et reuera nobis in hoc mundo commorantibus valde bona sunt ista, id est, vel ad vsum vitæ, vel ad corporis medicinam, vel ad aliquam causam ignotæ nobis vtilitatis accommodata. Vel certè ad id conducunt, quod faciunt nos inuisibilia DEI, ex tanta, tamque ordinata molitione mundanæ fabricæ intellectu conspicere. Hæc tamen omnia boni nomen non tenebunt, si compararentur

Genes. 1.
Eccles. 3.
Locus Luc. 18.
Luca 11.
Locus Iob. 9. & 25.
Pulchra disputatio S. Augustini, bonitatē rerum creatarum, & iustitiam hominū, comparatam cum Dei bonitate & iustitia, non mereri nomen & laudem bonitatis & iustitia.
Genes. 1.

rentur vel futuris bonis æternis, vel multò magis ipsius DEI bonitati. Nam quia nihil est per semetipsum stabile, nihil immutabile, nihil bonum, nisi DEITAS sola: omnes creaturæ rationales licet beatitudinem æternitatis, & immutabilitatis obtineant, non quidem per suam naturam, sed per CREATORIS sui participationem, & gratiam: meritum tamen bonitatis, creatori suo collata, non possunt obtinere. Legimus in Euangelio, arborem bonam, & thesaurum bonum, & hominem bonum, & seruum bonum. *Non potest*, inquit, *arbor bona malos fructus facere*. Et, *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona*. Et, *Euge serue bone, & fidelis*. Et hos vtique omnes secundum se, bonos esse, dubium non est; si tamen respiciamus ad bonitatem DEI, nullus eorum pronuntiatur bonus, dicente Domino: *Nemo bonus, nisi solus DEVS*. Cuius intuitu, etiam ipsi Apostoli, qui electionis merito, bonitatem generis humani multis excesserant modis, mali dicuntur esse à Domino: *Si vos*, inquit, *cùm sitis mali, nostis bona dare filiis vestris: quanto magis PATER qui in cœlis est, dabit bona petentibus se?* Denique sicut bonitas nostra supernæ bonitatis intuitu in malitiam vertitur; ita etiam iustitia nostra diuinæ comparata iustitiæ, panno menstruatæ mulieris similis deputatur, dicente Isaia: *Sicut pannus menstruatæ vniuersa iustitia nostra*. Similiter ex aduerso, qui minus peccauerunt, in comparatione eorum, qui multò grauius peccarunt, appellantur in Scriptura, iusti; Sic enim Hieremias dixit iustificatos esse Israëlitas in comparatione Iudæ. Ergo vniuersarum merita virtutum, licet per se bona & pretiosa sint, tamen diuinæ claritatis comparatione offuscantur, sicut stellæ in præsentia solis. Hactenus ex sancto Augustino.

Matth. 7. 12. & 25.

Lucæ 11.

Isaia 64.

Locus Hiere. 3.

37. Ad eandem sentẽtiam idem Augustinus interpretatus est; verba illa Dauidis q̃ sunt in Psalmo centesimo quadragesimo

Locus Psalmi 142.

Augustinus.

secundo: *Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Sic enim scribit in libro de perfectione iustitiæ, in responsione decima septima: Iudicium timet, quia misericordiam desiderat, quæ superexaltat iudicio. Hoc est enim quod ait: *Non intres in iudicium cum seruo tuo.* Id autem est, Noli me iudicare secundum te, qui es sine peccato, *quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Verissimum nempe est, quod dixit Iob: *Non iustificabitur homo compositus* DEO. Sed hoc loco aduertat lector, Dauidem non dixisse, nullum opus hominis esse iustum apud DEVM, sed, nullum hominem iustificari in conspectu DEI. Nam qui sunt iusti, licet multa opera bona faciant; iidem tamen & prius quàm iustificati essent, multa mala opera, & peccata fecerunt; & tunc etiam cùm iusti sunt, multa faciant opera mala, venialia dico peccata. Scriptum enim est: *Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Et illa vox iustorum non minus vera est, quàm humilis: *Dimitte nobis debita nostra.* Ergo propter huiusmodi admixtionem bonorum operum cum malis, & cum peccatis, & Dauid, iustique omnes pertimescunt iudicium DEI. Videat Lector Hieronymum in epistola ad Ctesiphontem, & libro primo contra Pelagianos. Sancti porrò quinque ob causas orant DEVM, ne intret cum ipsis in iudicium; omniaq; opera sua in DEI misericordiam referunt. Prima causa, est incertitudo de electione & prædestinatione eorũ, & de præsenti iustitia ipsorum. Altera causa est, quia perpauci sunt, qui nõ aliqua fecerint peccata mortalia, quorũ an dignã egerint pœnitentiam, & an ea remissa ipsis fuerint, certum non habent. Tertia causa, frequens lapsus, etiam iustorum hominum, in peccata venialia, quæ in præsenti vita caueri omnia non possunt, sicut docuerunt etiam Patres Concilij Tridentini. Quarta causa propter plures variasque negligentias, quæ iustis obrepunt, & bonis eorum operibus immiscentur. Quinta causa, quia nec ipsa bona opera, suæ bonitatis pretium, & meritum, & radicem à nobis ipsis habent

Iacobi 2. *Iob 9.* *Locus 3. Regũ 8. & Ecclesiastes 7.* *Matth. 6.* *S. Hieronym.* *In capite 11. decreti de iustificatione.*

habent sed à DEI misericordia. Quamobrem non possumus ex rigore iustitiæ, & quasi nostro iure à DEO mercedem exigere. Immo si DEVS vellet summo iure nobiscum agere, seposita misericordia sua, & quæcunque debentur sibi à nobis exigere, nullo modo iustificari coram ipso, atque ei satisfacere possemus: sicut beatus Iob dixit: *Si voluerit iudicio mecum contendere, non respondebo ei vnum pro mille.* Iob. 9.

QVINTA DISPVTATIO.

In hæreticos huius temporis, negantes vitam æternam dari iustis propter eorum bona opera.

SVPER ILLIS VERBIS:

Reddet vnicuique secundum opera eius.

Vers. 6.

38.

TANTA est, & tam manifesta impietas, & absurditas sententiæ Lutheri (quam proximè superiori disputatione confutauimus) aientis, omnia opera hominum, etiam iustorum, esse peccata; vt eam posteriores hæretici profiteri erubuerint, nec defendere sustinuerint: Nec tamen isti ab errore omnino discesserunt. Licet enim non inficientur, iustos facere bona opera, tanquam fructus fidei suæ, per quam iustificati sunt; pugnaciter tamen, præfracteq; contendunt, non dari iustis vitam æternam, propter bona eorum opera, quasi iustam mercedē merito bonorum operum respondentem. Sed hanc istorum sententiam, euidenter ostendit esse falsam beatus Paulus, dicens:

cens: *Qui reddet vnicuique secundum opera eius.* Quibus verbis Paulus docet, DEVM redditurum vitam æternam, non solùm habentibus bona opera, sed etiam redditurum ipsis secundum opera ipsorum; id autē est, pro qualitate, & quantitate operum, quæ fecerunt in hac vita. Hanc ipsam Pauli sententiam, etiam pluribus aliis in locis sacræ scripturæ vsurpatam reperimus, & à Iob capite 34. illis verbis: *Absit à DEO impietas, & ab omnipotente iniquitas: opus enim hominis reddet ei, & iuxta vias singulorum restituet.* Et Dauid Psalmo sexagesimo primo: *Semel locutus est DEVS, duo hæc audiui, quia potestas DEI est, & tibi Domine misericordia, quia tu reddes vnicuique secundum opera sua.* Quid est? *Semel locutus est?* hoc nempe, sententiam firmam, & irreuocabilem: dixit, & firmissimum, & immutabile voluntatis suæ decretum dixit; sic enim exponere conuenit, iuxta id, quod dixit Iob capite 33. *Semel loquitur DEVS, & secundò id ipsum non repetit.* Præterea eandem sententiam pronuntiaturus est Dominus in die generalis extremique iudicij, sicut refert Matthæus capite 16. hæc sunt autem verba Domini: *Filius hominis venturus est in gloria PATRIS sui cum ANGELIS suis: & tunc reddet vnicuique secundum opera eius.* Et apud Ioannē in Apocalypsi capite 22. *Ecce,* inquit, *venio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundum opera sua.*

Locus Psal. 61.

39. Sed audi quæso, lector, quemadmodum Hæretici clarissimam huius sententiæ lucem veritatis, commentitiis interpretamentis variè conati sunt infuscare. Quidam eorum aiunt, illud, *secundum opera,* perinde dici ac si diceretur, secundum fidē; quam indicant opera: præsertim verò, cum ipsum etiam credere in DEVM, appelletur opus, Dominus enim IESVS quærētibus ex ipso Iudæis: *Quid faciemus vt operemur opus DEI?* Respondit: *Hoc est opus DEI, vt credatis in eum, quem misit ille.* Sed nemo est profectò, qui non videat, contortam, & violentam esse istiusmodi expositionem: cum enim dicuntur opera hominis, non intelligitur fides tantùm, sed opera aliarum virtutum, tam interna, quàm externa: præsertim autem

Hæreticorum variæ interpretationes huius loci, sed futiles ac nihili.

Ioan. 6.

tim autem apud Paulum, qui ſolet opera diſtinguere à fide. Alij verò illud, *ſecundum opera*, dicunt ſignificare non cauſam, quaſi opera ſint cauſa, propter quam reddatur iuſtis vita æterna; ſed ſignificare tantummodo ordinem, & conſequentiam futurorum: vt ſit hic ſenſus, Dabit vnicuiq; poſt bona opera eius, vitam æternam. Sed enim in ſcriptura præpoſitio illa, *ſecundum*, nuſquam ponitur vt ſignificet, *poſt*. Nonnulli dicunt illud, *ſecundum*, ſignificare tantùm compenſationem quandam, non autem meritum, & cauſam: vt ſit ſenſus: Licet bona opera iuſtorum non ſint condigna retributione vitæ æternæ; DEVM tamen, pro ſua infinita benignitate cõpenſare ea retributione vitę æternę. Verùm longè diuerſus eſt intellectus verborum Pauli, apertè ſignificantis, pro qualitate ac merito dignitateq; operũ retribuẽdum cuiq; eſſe à DEO. Nec deſunt, qui dicant, Paulum iſtis verbis non aliud declarare voluiſſe, niſi quibus perſonis retribuenda ſit à Deo vita æterna; iis nimirum perſonis, quæ habent bona opera, tanquam fructus fidei, per quam iuſtificati ſunt, & per quam potiſſimum apprehendent vitam æternam. Sed iſti fallaciter diſſimulant illam præpoſitionem, *ſecundum*, quæ demonſtrat, non ſolum habentibus bona opera, ſed propter ipſa bona opera retributum iri vitam æternam. Alias præterea confingunt interpretationes, ſed tales, vt planè oſtendant, ſe conſtrictos hac Pauli ſententia teneri, & quoquo modo effugium aliquod quærere, nec vllum tamen reperire poſſe.

40. Eandem porrò ſententiam Pauli, licet diuerſis verbis; idem tamen ſignificantibus, tradit idem Paulus aliis in locis, vt primæ ad Corinthios tertio: *Vnuſquiſque*, inquit, *propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem*. Et ſecundæ ad eoſdem capite quinto: *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal CHRISTI, vt referat vnuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum*. Et capite quarto eiuſdem epiſtolæ ait: *Momentaneum hoc & leue tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. Eandemq; veritatem

Locus Matthæi 25.

ritatem co[r]... [pr]obat sententia illa, quam Dominus noster in extremo i[udic]io pronuntiaturus est; eam verò Matthæus capite 25. refe[rt his ve]rbis: *Venite benedicti* PATRIS *mei, possidete paratum v[obis re]gnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi m[and]ucare, &c.* Quibus verbis apertè declarauit Dominus, vitam æternam retributum iri hominibus propter bona eorum opera, præcipuè autem propter opera misericordiæ. Videat lector confirmationem huius sententiæ aduersus hæreticos, factam à Patribus concilij Tridentini in sessione sexta, in capite decimo sexto, Decreti concilij Tridentini de iustificatione. Nec verò huic sentētiæ Pauli, & doctrinæ Catholicæ aduersatur altera illa eiusdem Pauli sententia, quæ est in vndecimo capite huius epistolæ: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Quæ sententia videtur sumpta ex illis verbis Iob: *Quis antè dedit mihi, vt reddā ei? omnia quæ sub cælo sunt, mea sunt.* Paulus enim loquitur eo loco de ęterna electione, & prædestinatione hominum ad vitam æternam, & de vocatione eorum ad gratiam DEI, non autem de redditione vitæ æternæ, quæ fit hominibus iustis post hanc vitam. Nemo autem hominum, vllis suis operibus mereri potest æternam electionem, ac prædestinationem, quippe quæ non fit ex præuisione bonorum operum, sed ob gratuitam DEI voluntatem, & misericordiam. Vocatio etiam præuenit omnia bona opera hominum, quæ non solùm vocationem, sed etiam iustificationem subsequuntur. Ergo quamuis priora sint bona opera, quàm redditio vitæ æternæ: Ipsa tamen bona opera tripliciter DEVS præuenit; Primò per electionem, & prædestinationem ab æterno; tum in tempore per vocationem, & gratiam præuenientem, & auxiliantem: ac demùm per gratiam sanctificantem, & iustificantem; ex quo potissimum & principaliter habent opera iustorum vt sint condigna merita vitæ æternæ.

Locus Iob 41.

41. *Explicatur sententia quædam B. Gregorij quæ videtur fauere [hæret]icis.*

At enim verò, Hæreticis dicentibus, vitam æternam dari bonis operibus, sed non propter bona opera, apertè suffragari videtur B. Gregorius super psalmum septimum pœnitentialem.

tentialem. Exponens enim versiculum illum: *Auditam fac mihi mane, misericordiam tuam,* ait vitam æternam reddi secundum opera, id est, habentibus bona opera: non tamen retribui propter ipsa bona opera, id est, secundum eorum mensuram & proportionem. Verba Gregorij sunt hæc: In illo mane, auditam faciet dominus misericordiam suam; cum segregatis iustis ab impiis, dicet iis, qui à dextris erunt: *Venite benedicti PATRIS mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Ibi nota fiet misericordia DEI, quam mens humana, in præsenti vita, capere non potest: præparauit enim DEVS diligentibus se quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Idcirco qui per bonam conuersationem à gratia DEI prouenientem, ad desiderium æternæ vitæ erigitur, dicit: *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam.* Scilicet æternam. *Misericordia enim Domini ab æterno, & vsque in æternum super timentes eum.* Quod si illa sanctorum felicitas, misericordia est, & non meritis acquiritur: vbi erit quod Prouerbiorum 24. scriptum est: *Et tu reddes vnicuique secundum opera sua?* Si autem secundum opera redditur, quomodo misericordia æstimabitur? Sed aliud est secundum opera reddere, & aliud propter ipsa opera reddere. In eo enim, quod secundum opera dicitur, ipsa operum qualitas intelligitur: vt cuius apparuerint bona opera, eius sit retributio gloriosa. Illi namque beatæ vitæ, in qua, cum DEO, & de DEO viuitur, nullus potest æquari labor, nulla opera comparari, dicente Apostolo: *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Hæc Gregorius: Sed extrema eius verba clarè indicant sensum ipsius. considerat enim opera hominum secundum substantiam suam, quantum ad quantitatem, & durationem, & intensionem; & hoc modo comparata cum cœlesti gloria, non sunt condigna merita illius, At verò si considerentur opera iustorum, vt proueniunt ex gratia, quæ est in ipsis, & ex ipso SPIRITV sancto, per gratiam eos inhabitante, sunt planè condigna illius æternæ vitæ præmio & mercede. Sed

Matthæi 25.

1. Cor. 2.
Esa. 64.

Psal. 102.

Ad Romanos 8.

ista ipsa merita DEVS misericorditer præuenit per vocationis & iustificationis gratiam. vnde Gregorius post supradicta verba, subdit hæc: Quanquam & ex hoc quoque misericordia iure posit nominari vita æterna, quia pro illis operibus datur, quæ sine præuentu misericordiæ DEI nemo assequitur, sicut Dauid dixit: *DEVS meus, misericordia eius præueniet me.* Nisi enim vasa iræ, fecisset vasa misericordiæ, neminem ab illa perditionis massa conuersatio sancta discerneret; neminem à pœna perpetuæ mortis iustitia propria liberaret. Constat ergo, quod quibus misericorditer tribuitur in hac vita, vt bene operentur, eis misericordius tribuitur, vt in æterna beatitudine centuplicato fructu remunerentur. Hæc est gratia, quam pro gratia dandam sanctis, DEI Apostolus perhibet: vt quibus in hac vita diuinitus datur gratia sanctificationis, eis ex hac quoque in futuro detur gratia æternæ felicitatis. Sic Gregorius. Multa fortasse lector in hac disputatione desiderabit, quæ ad huius controuersiæ ampliorem tractatum afferri possent. Sed ea nos consulto prætermisimus, quòd infrà, cum ad octauum caput huius epistolæ ventum erit, super illis verbis Pauli: *Existimo quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* copiosè disputaturi simus de meritis bonorum operum & mercede vitæ æternæ.

Psal. 53.
Ad Rom. 9.
Ioan. 1.

SEXTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Versu 11. 12.

Non enim est acceptio personarum apud DEVM: quicumq; enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt: & quicumq; in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.

QVIA

42.

QVIA Paulus dixerat, omni homini operanti bonum aut malum, siue Iudęus esset, siue gentilis, DEVM redditurum ei secundum opera eius; ideo in eius rei confirmationem subdit hæc verba: *Non est personarum acceptio apud* DEVM: Quasi dicat, DEVS in iudicando non respicit personam, sed hominum merita: non enim placebit quis DEO, nec à DEO remunerabitur, quia sit Iudæus, si malus fuerit: nec gentilis, quia gentilis est, si bene vixerit, repudiabitur, & reiicietur à DEO. Est enim æquus iudex erga omnes, non personas, sed personarum opera, & merita spectans in retribuendo. Huius sententiæ Pauli similis est illa B. Petri, quam refert Lucas Actuum 10. illis verbis: *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor* DEVS: *sed in omni gente, qui timet* DEVM, *& operatur iustitiam, acceptus est illi.* Nec dissimile est illud Sapientiæ 6. *Non* (ait) *subtrahet personam cuiusdam* DEVS, *qui est omnium dominator; nec verebitur magnitudinem cuiusdam, quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus.* Acceptio personarum, quam Græci vna, sed composita voce προσωποληψίαν appellant, est vitium contrarium iustitię distributiuæ: quod admittitur, quoties præter dignitatem, & merita personarum, fit præmiorum retributio: cum igitur Paulus affirmat, DEVM in iudicando non esse acceptorem personarum, satis indicat, præmium, quod datur bene operantibus, esse debitum secundum iustitiam, nec esse omnino gratuitum: per iustitiam enim distributiuam non dantur hominibus præmia gratuitò, sed secundum dignitatem & merita personarum quasi debita illis. Videat lector S. Thomam in 2. 2. in quæstione 63. Ex hac quoque Pauli sententia discimus iustitiam DEI in iudicandis hominibus, futuram secundum rationem iustitiæ distributiuæ, & in retribuendo seruaturum debitam proportionem, vt pro bonis operibus reddat bona, pro melioribus meliora, & pro optimis optima. Quoniam verò personarum acceptio tantùm habet locum in iis, quæ sunt debita secundum iustitiam; ex eo intelli-

S. Thomas

gitur, non esse acceptionem personarum in donis DEI omnino gratuitis; exempli gratia, quod è duobus hominibus æquè indignis, vnum eorum eligat ad vitam æternam, alterum derelinquat; & vni det gratiam vocationis, alteri minime: hæc enim non ad iustitiam pertinent, sed ad meram DEI misericordiam: sicut dixit Paulus: *Non secundum opera iustitiæ, quæ fecimus nos; sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.* In huiusmodi enim donis gratuitis, atque indebitis locum habet illud, quod dixit dominus vineæ: *An non licet mihi quod volo facere?*

Tit. 2.

43. *Quicumque enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt.* Vocabulo legis intelligere oportet hoc loco legem scriptam, qualis erat lex Mosaica data Hebræis. Gentes igitur, quibus non erat imposita lex Mosis, & quæ, legis Mosaicæ obseruatione nequaquam tenebantur, propter peccata, quæ admiserant, punientur sine lege: id est, lex Mosaica non condemnabit eos tanquam eius legis transgressores. At Iudæi, qui legem acceperunt, nec eam tamen obseruarunt, per legem iudicabuntur, id est, condemnabuntur, ac punientur tanquam præuaricatores legis, quam custodire debebant.

44. Huius porro loci commentarius, qui est apud Ambrosium (si tamen auctor eorum commentariorum ferens nomē Ambrosij, fuit, vt vulgò creditur, S. Ambrosius Episcopus Mediolanensis, de quo aliâs fortasse in hoc ipso volumine, nostram lectori sententiam indicabimus) nonnulla dignus est animaduersione, sic autem habet: Quomodo potest sine lege peccari, cùm omnes pariter homines subditi sint legi naturali? sed Paulus loquitur de lege Mosis, cui Iudæi obnoxij sunt, dum non credunt: nec non & gentiles, sed iamdudum, quia se illis adiungere noluerunt. Gentiles igitur non credentes, duplici genere fiunt rei; quia neq; legi datæ per Mosen assenserant, neque CHRISTI gratiam receperunt: ideoque dignum est vt pereant. Ergo sicut qui sine lege peccat, peribit: ita & qui sine lege legem seruat, iustificabitur.

Discutitur sententia quædam Ambrosij.

Iustitiam

Iustitiam verò naturaliter seruans, custos legis est. Si enim iusto non est lex posita, sed iniustis: Qui non peccat, amicus legis est. Huic porrò sola fides deest, per quam fiat perfectus, quia nihil illi proderit apud DEVM abstinere à contrariis, nisi fidem in DEVM acceperit, vt sit iustus per vtraque: quia illa temporis iustitia est, salus verò æternitatis. Subdit Paulus. *Quicumque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.* Nam quia Iudæi legem habentes, in qua salus illis promissa est, non credunt, nec recipiunt promissum per legem CHRISTVM, per ipsam legem iudicabuntur, sub qua vixerunt, & ipsa eos accusante pœnas exoluent. Sic ille. Sed enim probabile non est istud dictum Ambrosij, Gentiles reos futuros coram DEO, quia legem Mosis accipere noluerunt. Non enim lex Mosis alij genti, quàm Hebræorum, lata est, nec alios, nisi Hebræos tantùm, obligabat. Nusquam certè in sacris litteris legimus, mandatum Mosi, aut vlli Prophetarum, vt legem Iudaicam promulgarent gentibus, & necessariam esse ipsis ad consequendam salutem, DEI nomine denuntiarent. Sicut de lege Euangelica præceptum est Apostolis, quibus Dominus dixit: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Atque hoc ipsum apertè ostendit Dauid, cùm in laudem gentis suæ super alias gentes dixit: *Qui annuntiat verbum suum Iacob, iustitias, & iudicia sua Israël. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.* Enimuerò, sicut circumcisio, per quam fiebat initiatio quædam legis, & religionis Iudaicæ, & professio atque obligatio vniuersæ legis Mosaicæ obseruandæ, non obligabat alias vllas gentes, nisi solos Abrahæ posteros, neque Gentilis peccabat, non recipiens circumcisionem Iudaicam: itidem quoque dicendum est de ipsa lege Mosis. Ac demùm, ista opinio contraria est communi Patrum, & Theologorum sententiæ.

1. ad Timoth. 1.

Lex Mosis non obligabat alias gentes nisi Hebraeos.

Marci vlt.

Locus Psalmi 47.

Ad Galat. 5.

45. Cæterùm istorum verborum Pauli: *Quicumque enim sine lege peccauerunt, sine lege peribunt: & qui in lege peccauerunt, per*

legem iudicabuntur, luculentissimam expositionem continet breuis quædam disputatio, quam super illis verbis Iob. 36. *Sed non saluat impios, & iudicium pauperibus tribuit*, facit beatus Gregorius, faciens duo genera hominum, qui diuerso modo, in extremo iudicio remunerandi, vel puniendi sunt. Quidam enim inter electos sine vllo iudicij examine à DEO remunerabũtur; alij verò, præmisso iudicij examine; similiter quidã reproborũ, cum iudicij examine cõdemnabuntur, alij verò sine iudicio dãnabũtur. Sed præstat hic adscribere verba ipsa Gregorij: Sunt, inquit, duæ partes hominũ, electorũ scilicet, atq; reproborum. Et reproborum quidẽ alij iudicantur & pereunt; de quibus Propheta dixit: *Non resurgunt impij in iudicio*. Et Dominus dixit: *Qui non credit, iam iudicatus est*. Et Paulus ait: *Qui sine lege peccauerunt, sine lege peribũt*. Resurgent ergo omnes infideles, sed ad tormentum, non ad iudicium: non enim eorum causa tunc discutietur: quia ad conspectum districti iam iudicis cum damnatione suæ infidelitatis accedent. Professionem verò fidei retinentes, sed professionis opera non habentes, in illo iudicio redarguentur vt pereant. Quemadmodum Princeps terrenam Rempublicam regens, aliter punit ciuem interius delinquentem; & aliter hostem exterius rebellantem. In illo, iura sua, & leges consulit, cumque sub verbis dignæ inuectionis addicit; contra hostem verò bella mouet, instrumenta perditionis exercet, dignaque eius malitiæ tormenta retribuit: de malo verò eius quid lex habeat, non requirit. Neque enim secundum legem perimi necesse est, qui lege nunquam potuit teneri. Similiter igitur in extremo iudicio, & legalis illum inuectio percutit, qui à lege, quam professus est, actione declinauit; & ille sine iudicij inuectione perimitur, qui lege fidei non tenetur. Eadem quoque ratio est electorum. Alij enim iudicantur & regnant; qui nimirum vitæ maculas lacrymis tergunt, qui mala præcedentia benefactis præsentibus redimentes, quicquid illicitum aliquando fecerunt, ab oculis Iudicis, eleemosynarum superductione cooperiunt.

Egregia beati Gregorij sententia.

Psalm. 1.
Ioan. 3.

Qui-

Quibus Iudex veniens, in dextera eius consistentibus dicturus est: *Esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, dedistis mihi bibere*, &c. His verò antè præmiserat, dicens: *Venite benedicti PATRIS mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Alij verò electorum non iudicantur, & regnant. Hi sunt, qui præcepta legis perfectione virtutum transcendunt: nec contenti implere tantùm quod diuina lex cunctis præcipit, præstantiori desiderio plus exhibere appetunt, quàm præceptis generalibus iubetur. His Dominica voce dicitur: *Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, cùm sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israël.* De istis etiam Isaias dixit: *Dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi sui.* Huiusmodi ergo sancti in extremo iudicio non iudicantur, & regnant: quia cum auctore suo etiam iudices veniunt: relinquentes quippe omnia, plus prompta deuotione executi sunt, quàm iuberi generaliter audierunt. Speciali namque iussione paucis perfectioribus, & non generaliter omnibus dicitur: *Vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, & sequere me.* Hi ergo rectè sub generali iudicio non tenentur, qui & præcepta generalia viuendo superarunt. Sicut enim non iudicantur, & pereunt, qui suadente perfidia, legem tenere contemnunt: ita non iudicantur & regnant, qui suadente pietate, etiam vltra generalia legis diuinæ præcepta proficiunt. Hactenus ex Gregorio.

Matth. 25. *Matth. 19.* *Esaia 3.* *Matth. 19.* *Marci 10.* *Luca 18*

46. *Quorundam falsa opinio, & intelligentia verborum S. Augustini.*

Refert S. Augustinus exponens Psalmum centesimum decimum octauum, in Concione vigesima quinta super illis eius Psalmi verbis: *Præuaricatores reputaui omnes peccatores terræ.* Fuisse quosdam etiam Catholicos viros, & sacrarum litterarum tractatores, qui ex eo quod Paulus dixit in hoc loco: *Qui sine lege peccauerunt, sine lege peribunt: qui autem in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.* Ex eo, inquam, quia de Gentilibus dixit eos perituros; de

Iudæis

Iudæis verò dixit tantùm (iudicabuntur) non autem (peribunt) ſicut dixerat de infidelibus. Exiſtimauerunt, eos, qui legem DEI acceperunt, & contra ipſam peccauerunt, non eſſe perituros in æternum, ſed aliquatenus ſolùm puniendos in hac vita. Quorum opinionis falſitas, manifeſtè conuincitur illis verbis, quæ dixit Dominus Iudæis, quæ refert Matthæus, tolerabilius fore Sodomitis in die iudicij, quàm Iudæis. Propterea verò Paulus dixit: Qui in lege peccarunt, eſſe per legem iudicandos, non autem hoc dixit de gentilibus, quia infideles condemnabuntur ſine vllo iudicij examine: qui verò lege DEI, & fide CHRISTI accepta peccauerunt, prius iudicabuntur, & per iudicialem ſententiam condemnati, æternis ſuppliciis tradentur. Verbum autem iudicandi, ſecundum phraſim Hebraicam, frequenter accipit Scriptura pro eo quod eſt condemnare, vel punire, ſiue pro iudicio condemnatorio. B. Auguſtini verba ſunt hæc: Nonnulli etiam Catholici tractatores in his Apoſtoli verbis, aliter quàm ſe res habet, parum attendendo, ſapuerunt, dicentes, perire illos, qui ſine lege peccauerunt; iudicari tantùm, & non perire, iudicari autem & non perire, in lege peccantes tanquam per pœnas tranſitorias credantur eſſe purgandi: ſicut ille, de quo dixit Apoſtolus: *Ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Sed illud Paulus dixit de iis, qui retinent fundamentum, id eſt, CHRISTVM, præmiſerat enim: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt CHRISTVS IESVS.* Ille aũt retinet fundamentum, quod eſt CHRISTVS, qui omnibus ſuis delectationibus anteponit ipſum, cùm ad hunc articulum ventum fuerit, vt aut illæ voluptates deſerantur, aut CHRISTVS. Nec iſti cogitarunt, Paulum in illis verbis epiſtolæ ad Romanos locutum eſſe de Gentilibus & Iudæis, qui in CHRISTVM non credebant, & ideo CHRISTVM pro fundamento non habebant, nec ſuper eo ædificabant. Quis autem Chriſtianus dixerit, non perire Iudæum, ſi non credat in CHRISTVM, ſed tantummodo iudicari: cùm CHRISTVS ipſe Iudęis loquens, remiſ-

Matth. 11.

1. *Corinth.* 3.

Locus 1. *Cor.* 3.

remissius, & tolerabilius fore dixerit Sodomitis in die iudicij, qui vtique, sine lege peccarunt, quàm Iudæis, qui in eum non crediderunt, tanta virtute mirabilia facientem?

47. Quærit præterea eôdem illo in loco Augustinus, quomodo Paulus dixerit, aliquos sine lege peccasse; cùm Dauid in Psalmo centesimo decimo octauo dixerit: *Præuaricatores reputaui omnes peccatores terræ.* Si oẽs peccatores, quotquot sunt in terra, sunt præuaricatores? ergo contra legem peccauerunt omnes. Vbi enim non est lex, nec est præuaricatio, & vbi est præuaricatio, etiam legẽ esse, cuius præuaricatio sit, necesse est. Respondens August. huic quæstioni, distinguit triplicem legem: Et vnã facit legẽ scriptam per Mosen, datam Iudæis, quam quia non acceperunt Gentiles, ideo dicit eos sine lege peccasse, de hac vtique lege scripta intelligens. Alteram legem facit naturalem, & naturaliter insitam cunctis hominibus, & quam nullus mortalium, mentis compos, ignorare potest: & contra hanc peccant omnes Gentiles, quicumque peccant: de qua non loquebatur Paulus. Tertiam legem ait fuisse Augustinus eam, quæ primo homini data est in Paradiso: cuius præuaricatione non solùm ipse Adam, sed omnes eius posteri facti sunt peccatores. Quod ergo Dauid dixit, omnes peccatores esse præuaricatores, verè intelligitur & de Iudæis, & Gentilibus, nec solùm de adultis, verùm etiam de infantibus propter peccatum originale, quod per naturalem generationem traxerunt ex Adam. Sic autẽ scribit August. Si Paulus sine lege dixit esse ceteras gentes, quæ legem Mosis non acceperunt, vt Iudæi; quomodo intellecturi sumus, quod Dauid in hoc Psalmo dixit: *Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ*, nisi intelligamus, aliquam esse legem non per Mosem datam, secundum quam sunt præuaricantes cæterarum gentium peccatores? *Vbi enim lex non est, ibi nec præuaricatio est.* Sed quæ ista lex est? Illa nimirum, de qua idem Apostolus dixit: *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt: hi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex.* Secundum hoc igitur quod dicit: *Legem*

Locus Psalmi 118.

Ad Rom. 4.

Triplex lex secundũ Augustinum.

Quomodo oẽs peccatores non solum adulti, sed etiam infantes sint præuaricatores legis.

Genes. 2.

S. Augustinus.

Ad Rom. 4.

non habentes, ſine lege peccauerunt, & ſine lege peribunt. Secundum verò id, quod ait: *Ipſi ſibi ſunt lex*, non immeritò præuaricatores æſtimantur omnes peccatores terræ. Nullus enim eſt, qui faciat alteri iniuriam, niſi qui ſibi fieri nolit: & in hoc tranſgreditur naturæ legem, quam non ſinitur ignorare, dum id quod facit, non vult pati. Et hæc lex erat in populo Iſraël, ante legem Moſis; quoniam ipſi homines erant: ſine lege autem naturali eſſent, ſi præter naturam humani generis eſſe potuiſſent. Multò igitur magis præuaricatores deinde facti ſunt accepta lege diuina; per quam naturalis illa lex inſtaurata, & aucta, & firmata eſt. Iam verò ſi inter peccatores terræ non incongruè deputantur & paruuli, propter originalis vincula peccati; etiam ipſi in ſimilitudinem præuaricationis Adæ, ad illam præuaricationem pertinere monſtrantur, quæ datæ legis ipſi in Paradiſo, prima commiſſa eſt. Ac per hoc rectè, nullo prorſus excepto præuaricatores æſtimantur, vt dixit Dauid, omnes peccatores terræ. Hæc Auguſtinus.

Ad Rom. 5.
Geneſ. 2.

48. Tantum porrò abeſt, vt illud quod dixit Paulus: *Qui in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur*, ſignificet, Iudæi peccatoris pœnam non fore ſempiternam, ideoque multò leuiorem, quàm peccatoris Gentilis, de quo dixerat: *Qui ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt.* Sicut dixerunt ij, quos memorauit Auguſtinus, vt contra potius denotet, multò grauius, & ſeuerius fore iudicium, & ſupplicium Iudæi, quàm Gentilis, vt docet ſuper hoc loco Chryſoſtomus, Oecumenius, & Theophylactus. Gentilis enim tantùm iudicabitur, & punietur ſecundum legem naturalem: Iudæus verò & ſecundum hanc, & inſuper ſecundum legem Moſis, quæ ipſius erit & accuſatrix, & iudex, & condemnatrix. Hoc etiam Dominus noſter Iudæis interminatus eſt, cùm eis dixit: *Nolite putare, quia ego accuſaturus ſim vos apud PATREM, eſt qui accuſat vos, Moſes, in quo vos ſperatis.* Ponam hîc pauca in hanc ſententiam Chryſoſtomi verba ex homilia eius quinta in hanc epiſtolam huc tranſpoſita: declarant enim ea verba Pauli, de qui-

Locus Ioan. 5.

de quibus nunc disputamus. *Qui in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.* Non solùm, inquit Chrysostomus, Paulus, inter Iudæum, & Gentilem æqualitatem indicat, sed ostendit Iudæum magis quàm Gentilem grauari, & premi propter legem acceptam. Gentilis enim sine lege iudicatur, & perit: quod non seuerius sed remissius iudicium, & supplicium denotat; quoniam non à lege scripta, vt Iudæus, sed tantùm à naturali iudicatur, & damnatur. Iudæus verò præter legem naturalem, habebit & legem scriptam, quæ ipsum accusabit, & damnabit: quanto enim magis DEI dignatus est cura, tanto maiores pœnas persoluet. Ex quo apparet, maiorem Iudæis necessitatem indici, ad gratiam confugiendi, licet ipsi dicerent, se gratia non indigere, sibique ad iustificationem sufficere legem; quod Paulus refellens, ostendit, ipsos magis indigere gratia, quàm Gentiles, cum illis necessitas incumbat obseruandi non modò legem naturalem, sed etiam legem scriptam Mosis, & ob eius præuaricationem grauius puniendi sint. Hæc Chrysostomus.

SEPTIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Nõ enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. *Versu 13.*

49. HÆc verba pertinent ad maiorem declarationem, & confirmationem proximè illius antecedentis sententiæ: *Qui in lege peccauerunt, per legẽ iudicabuntur.* Et itẽ superioris illi⁹ sententiæ, q̃ huius orationis, & disputationis Pauli caput est: *Reddet vnicuiq; secundũ opera sua.* Docet. n. Paulus his verbis nõ auditionẽ vel cognitionẽ legis, sed obseruantiã eius, & obseruationẽ eorũ, quæ lex

præcipit, iustificare homines apud DEVM. Hæc autem sententia propriè Iudæos perstringit, qui frequenter audiendi legem admodum studiosi erant (per singula enim Sabbata lex eis recitabatur & exponebatur in Synagogis) atque in hoc, & in legis curiosa scrutatione, subtilique cognitione, omne studium, & curam, atque operam suam consumebant: Legem verò obseruare, & quæ lex iubebat fieri, studiosè ac diligenter exequi, nil pensi habebant. Quod quidem ipsis Dominus noster exprobrando dixit: *Nonne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem?* Cum hoc autem dicto Pauli consentit, quod Dominus dixit de sua doctrina: *Omnis qui audit verba mea hac, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam super petram, &c. Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificauit domum suam super arenam, &c.* Similem quoque B. Iacobus habet sententiam: *Estote factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos.* Et B. Ioannes: *Filioli nemo vos seducat: qui facit iustitiam, iustus est, sicut & ille iustus est.*

Ioan. 7. *Matth. 7.* *Iacobi 1.* *1. Ioan. 3.*

50\. *Quomodo Paulus dicat hic, factores legis iustificari apud Deum; cùm alibi scribat, ex operibus legis neminem iustificari coram Deo. Quatuor expositiones.*

Sed grauis hoc loco existit quæstio, Videtur enim hæc sententia Pauli, aientis, factores legis iustificari apud DEVM, apertè cum altera eius sententia pugnare, quæ est in hac ipsa epistola capite tertio, & in epistola ad Galatas capite secundo, vbi hæc sunt verba Pauli: *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.* Quam sententiam ratio quoque adiuuat. Aut enim qui facit opera legis, iam est iustus, & ita non iustificatur per opera legis: aut non est iustus; & sic non poterit opera legis facere, saltem omnia, vt oportet, ad iustitiam habendam: & quamuis ea faceret; quia tamen ipse iustus non est, non facerent eum coram DEO iustum, eique acceptum. Vt benè igitur nodum hunc soluamus, prænosse conuenit, verbum hoc (iustificare) tribus modis vsurpatum in sacris litteris reperiri. Vno modo ponitur iustificari, pro eo quod est, ex non iusto fieri iustum: qua significatione vsus eo verbo est Paulus infrà capite tertio scribens:

Ex

Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Et paulo infra: *Omnes peccauerunt, & egent gloria DEI, iustificati per gratiam ipsius.* Et paulo post: *Arbitramur iustificari hominem per fidem ex operibus legis*: Et, *Vnus est DEVS qui iustificat circumcisionem ex fide & praputium per fidem.* Et initio capitis quinti: *Iustificati ex fide, pacem habeamus ad DEVM.* Et capite octauo: *Quos vocauit; hos & iustificauit.* Denique vbicumque Paulus agit de prima iustificatione hominis, docens fieri eam gratis, & absq; operibus legis, sed per fidem, & gratiam CHRISTI, vsurpat verbum iustificandi, secundum primum hunc, quem diximus, verbi eius intellectum. Ac B. quidem Augustinus hac ipsa significatione accipi debere putat id verbum in hoc loco, cum dicitur: *Factores legis iustificabuntur.* Non enim est sensus prius esse futuros legis factores, & deinde iustificatum iri; quasi per obseruantiam legis, perueniant ad iustificationem: sed est sensus, quod prius iustificabuntur, vt sint factores legis: & per ipsam iustificationem, qua iusti fiunt, efficientur idonei obseruatores legis. Quemadmodum, inquit Augustinus, siquis dicat, homines creabuntur, non vult intelligi, eos qui prius erant homines, creatum iri, sed ipsa creatione futuros homines. Augustini verba in vigesimo sexto capite libri de spiritu & littera sunt huiusmodi: Sic intelligendum est quod dixit Apostolus: *Factores legis iustificabuntur.* Vt sciamus aliter eos non esse factores legis, nisi iustificentur, vt non iustificatio factoribus legis accedat, sed factores legis iustificatio præcedat. Quid enim aliud est: *Iustificati*, quàm iusti facti, ab eo scilicet qui iustificat impium, vt ex impio fiat iustus? si enim ita diceremus: (Homines liberabuntur) hoc vtique intelligeretur, eis, qui iam homines erant, accessuram liberationem. sin autem diceremus, (homines creabuntur) non vtique intelligeretur, eos creari, qui iam homines erant, sed ipsa creatione homines fieri. Similiter si dictum esset. *Factores legis honorabuntur*, honorem eis, qui iam essent factores legis intelligeremus accedere. Cum verò dictum sit. *Factores legis iustificabuntur.* quid aliud

Rom. 2.

Prima expositio S. Augustini, & Anselmi.

dictum eſt, quàm iuſti iuſtificabuntur? Factores enim legis vtique iuſti ſunt. Ac per hoc tantundem eſt ac ſi diceretur; Factores legis creabuntur, non qui iam erant, ſed vt ſint: vt hac etiam ratione intelligerent Iudæi legis auditores, indigere ſe gratia DEI iuſtificatoris, vt poſſent eſſe legis factores. Hæc Auguſtinus: quem planè ſequitur Anſelmus, & S. Thomas. Negare non poſſum, eſſe veriſſimum, quod ait Auguſtinus, iuſtificari oportere prius homines, quàm ſint idonei & digni factores legis: ſed an eiuſmodi expoſitio, apta ſit, & conueniens huic loco Pauli, conſiderate animaduertendum eſt. Videtur enim (ſi quis attendat animum ad contextum verborum, & diſputationem Pauli) extra conſilium, & propoſitum Pauli eſſe. Non enim id agit Paulus hoc loco, vt probet, iuſtificari oportere prius homines, & ſic fieri legis factores: ſed illud præcipue intendit, non auditores, ſed factores legis iuſtificatum iri coram DEO: nec loqui videtur de iuſtificatione, quæ præcedit obſeruationem legis, ſed de iuſtificatione, quæ obſeruationem legis, ab homine iam iuſto, & ex gratia factam, ſubſequitur: non enim dicit, factores legis iuſtificati ſunt, ſed iuſtificabuntur.

51. *Secunda expoſitio.* Altero modo verbum *Iuſtificari* ponitur in ſcriptura, pro eo quod eſt, in iuſtitia iam accepta proficere, & creſcere. Ad hunc videlicet ſenſum, intelligere oportet quod ſcriptum eſt: *Ne verearis vſque ad mortem iuſtificari.* Et alio loco: *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc.* Hac item ſignificatione dictũ eſſe à Paulo illud: *Factores legis iuſtificabuntur.* Cenſuerunt nonnulli huius ætatis docti ſcriptores. Dicunt enim hunc eſſe ſenſum, qui primo iuſtificati ſunt, deinde per obſeruationem legis iuſtificabuntur, id eſt, proficient magis, ac creſcent in iuſtitia. Vereor equidem vt hæc interpretatio ſatis reſpondeat, & conueniat propoſito B. Pauli. Ait enim: *Non auditores legis iuſti ſunt apud DEVM.* Quibus verbis etiam primam iuſtitiam excludit. Cum igitur ſubiungit: *Sed factores legis iuſtificabũtur,* nihil facit ad propoſitum eius, neque ad connexionem, & conſequentiam ſententiæ, ſi illud (iuſtificabuntur) intelligatur

Locus Eccleſiaſtic. 18. Apocalyp 21.

Soto & Stapletonis ſuper hoc loco Pauli.

gatu

gatur de profectu atque incremento iustitiæ, vt sit sensus, fient amplius & magis iusti.

52. *Tertia expositio quam sequitur Auctor.*

Tertio demùm modo verbum *iustificare* sæpenumero vsurpatur pro eo quod est habere, vel æstimare, vel declarare, siue pronuntiare aliquem esse iustum. Cum enim Iudex quempiam accusatum alicuius criminis, bene cognita causa, pronuntiat insontem, & absoluit, dicitur (more loquendi scripturæ) iustificare eum, id est, declarare, eum iustum esse atque innocentem. Vnde grauiter scriptura reprehendere solet iniquos iudices, qui in iudicio damnant iustos, & iustificant impios: *Qui iustificat*, inquit, *impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterque apud DEVM.* Ad hunc ipsum intellectum dixit Iob: *Verè scio quod ita sit, & quod non iustificetur homo compositus DEO. Si voluerit contendere cum eo non respondebit ei vnum pro mille.* Et paulo post: *Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me: si innocentem ostendere, prauum me comprobabit.* Cuius simile est illud Ecclesiastici capite quinto: *Non te iustifices ante DEVM.* Ad eandem quoque significationem eius verbi pertinent illa: *Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Et, *Publicani iustificauerunt DEVM, baptizati baptismo Ioannis.* Et, *Ille autem* (legisperitus) *volens iustificare seipsum.* Et item illud Pauli: *Quis accusabit aduersus electos DEI? DEVS qui iustificat, quis est qui condemnet?* Hac significatione putamus nos verbo iustificandi vsum esse Paulum in hoc loco: *Factores legis iustificabuntur.* Vt sit germanus eorum verborum hic sensus: in reuelatione iusti iudicij DEI, quod publicè facturus est de cunctis hominibus in consummatione sæculi, illi, DEI iudicio & sententia, in conspectu omnium hominum, & ANGELORVM, pronuntiabuntur, & declarabuntur iusti, & vt tales, vita æterna remunerabuntur: quicumque non tantùm auditores legis, sed factores legis fuerunt. Si quis enim pensitet disputationis Pauli processum ab initio huius secundi capitis ad hunc vsque locum, comperiet, Paulum docere voluisse, quemadmodum DEVS in illo extremo suo iudicio tractaturus sit homines, reddens

Locus Prouerb. 17. & Iob 9.

Matth. 12. Luca 7. & 10.

Ad Rom. 8.

videlicet

videlicet eis secundum opera ipsorum; pro bonis bona, & pro malis mala: nec tunc auditores solum legis, sed factores approbatum, & commendatum iri à DEO. Nec verò hæc interpretatio non placuit B. Augustino. Is enim post expositionem huius loci, quam paulo supra memorauimus, subdit hæc verba: Aut certe ita dictum est: *Factores legis iustificabuntur*; ac si diceretur: iusti habebuntur, vel iusti deputabuntur. Sicut dictum est de quodam. *Ille autem volens iustificare seipsum*, id est, vt iustus haberetur ac deputaretur. Vnde aliter dicimus: DEVS sanctificat Sanctos suos; & aliter, *sanctificetur nomen tuum*. Illud enim ideo dicitur, quia ipse illos fecit esse sanctos, qui non erant sancti: hoc autem ideo dicitur, vt quod semper apud se sanctum est, sanctum etiam ab hominibus habeatur, id est, sanctè timeatur, & colatur.

S. Augustinus. *Luc. 10.* *Matthæi 6.*

53. Ambrosius illud: *Factores legis iustificabuntur*, interpretatur de iis, qui credunt in CHRISTVM, quem lex Mosis non solùm prædixit & promisit, verum etiam iussit in eum credere atque obedire Iudæos. Sed vbi hoc de CHRISTO habet lex Mosis? In Deuteronomio videlicet: in cuius decimo octauo capite hæc sunt DEI verba: *Prophetam suscitabo eis de medio patrum suorum similem tui: & ponam verba mea in ore eius, loqueturq; ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem verba eius quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam.* Ponam hîc Ambrosij verba, sic exponentis illud: *Factores legis iustificabuntur.* Hoc dicit, quia non hi iusti sunt qui audiunt legem, sed qui credunt in CHRISTVM, quem lex promisit, & hoc est facere legem. Nemo autem facit legem, qui non credit legi, & non recipit eum, cui lex testimonium perhibet. Gentilis autem, qui videtur exlex, si credit in CHRISTVM, fecisse legem dicitur. Iudæus autem dicitur auditor legis, & non factor, quia non credit in CHRISTVM scriptum in lege, sicut dixit Philippus ad Nathanaël: *Quem scripsit Moses in lege & Prophetæ, inuenimus IESVM.* Et Dominus noster dixit Iudæis: *Si crederetis Mosi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit.* Inficias non eo, istam Ambrosij expositio-

Quarta expositio Ambrosij. *Locus Deuteronomij 18.* *Locus Ioan. 1. & 5.*

positionem & veram, & piam esse: dicam tamen sine dubitatione, eam proposito B. Pauli, & sententiæ verborum eius nequaquam conuenire. Non enim Paulus loquitur specialiter hîc de ea parte legis Mosis, quæ CHRISTVM promittit, & necessitatem fidei, atq; obedientiæ eius commendat: sed loquitur in vniuersum de obseruatione legis Mosis; docens, non auditores legis, sed factores iustificatum iri apud DEVM. Nec in scriptura repetire est vspiam, (facere legem) dici, secundum litteralem sensum, pro eo quod est credere in CHRISTVM. Adiice, quod Paulus nõdum ingressus est disputationem de necessitate fidei, & credẽdi in CHRISTVM, ad comparandam iustitiam & salutem; eam namque disputationem proxime in sequenti capite tractare aggredietur. Nunc id agit, vt ostendat, non debere Iudæos iactare se tanquam iustos, quod legem à DEO latam haberent, eamque frequenter audire, & curiosè scrutari ac discere studerent: nec item propter circumcisionem, per quam à ceteris gentibus distinguebantur: quasi hæc solá sufficerent ad iustitiam: Hoc refellens Apostolus, *Non auditores*, inquit, *legis, iusti sunt apud DEVM, sed factores legis iustificabuntur.* Et paulo infra dicturus est: *Circumcisio quidem prodest, si legem obserues: si autem praeuaricator legis sis Circumcisio tua praeputium facta est.* Apparet igitur ex his quæ dicta sunt, hanc sententiam Pauli aientis: *Factores legis iustificabuntur* non pugnare cum altera illa eiusdem sententia: *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram DEO.* hic enim verbum iustificari, significat ex non iusto fieri iustum; & ideo non potest fieri propter opera antecedentia, quæ cum essent hominis iniusti, non poterant iustitiam parere. Illic verò *iustificabũtur*, dictum est pro eo quod est, declarabuntur & pronuntiabuntur iusti, in extremo iudicio, & pro iustitia, bonisq; operibus remunerabuntur ęterna vita.

Solutio suprapositæ quæstionis.

54.

In Hæreticos huius temporis.

Hæc præterea Pauli sententia aperte conuincit falsitatis opinionem Hæreticorum huius temporis, qui omnem vim, & rationem iustitiæ adimunt bonis operibus iustorum hominum, eamque soli fidei assignant. Contra enim Paulus

docet in hoc loco, Auditores legis non esse iustos apud DEVM, sed factores legis. Auditio autem legis, & studium eius, inclusam habebat fidem: Iudæi quippe audientes, & discentes legem, firmissime credebant, eam legem à DEO ipsis datam esse; & esse legem bonam, & sanctam, atque vtilem: & quæcumque promittebat lex, siue de MESSIA, siue de aliis, eas illi promissiones verissimas credebant, multumque eis confidebant; nec tamen eiusmodi fides eos faciebat iustos coram DEO: sed præterea opus erat adiungere istiusmodi fidei obseruationem legis, bonorumque operum effectionem. Quid hîc dicturi sunt Hæretici? nonne vel vnus hic locus os illis obstruet? minime verò. nam hoc isti sunt ingenio, vt cum maxime conuicti sunt, tunc alacriores exultent, & quasi victores ostentent sese ac iactent: & vim rationum, quas expedire non queunt, aspernando, & irridendo, & ioculari quapiam responsione eludant, vt contemptui magis, & ludibrio, quam responsione dignæ videantur. Audi, quæso, lector, & ride satis, bellam super hoc loco, Caluini stropham. Cum enim hac Pauli sententia vehementer vrgeri se ac premi sentiret, vafrè robur eius dissimulando, dicit, rationem inde ductam pro iustificatione hominis ex operibus esse ridiculam, & aspernabilem, & puerorum cachinnis dignam. Qui hoc loco, inquit, abutuntur, ad erigendam operum iustificationem, etiam puerorum cachinnis sunt dignissimi. Hoc enim tantùm vult præsens sententia. Si ex lege iustitia quęritur, impleri legem oportere: quia in operum perfectione posita est legis iustitia. Et hoc legis iudicium vrget Paulus apud Iudæos, ostendens non posse eos per legem iustificari, nisi legem impleant. Præscribitur quidem in lege absoluta iustitia, sed quia omnes transgressionis conuincuntur, quærenda est alia iustitia. Quin ex hoc loco argumentari licet, neminem ex operibus iustificari: si enim soli qui legem implent, per legem iustificantur; sequitur, nullum iustificari, quia nullus reperitur, qui iactare queat legis complementum.

Ad Rom. 7.

Ingenium, & mores Hæreticorum.

Caluini nugale interpretamentum atque commentum.

Duplici-

55.
Confutatio Caluini.

Dupliciter itaque rationem ſupra expoſitam, & ex hoc Pauli loco ductam diluere conatus eſt Caluinus. Primùm enim ait, Paulum non loqui hoc loco de vera iuſtitia, quæ facit hominem iuſtum coram Deo: ſed de iuſtitia legali, quę iuſtum facit hominem ſecundum legis iudicium, & exiſtimationem hominum, poſita nimirum in externa quadam obſeruatione mandatorum legis. Sedenim iſta reſponſione Caluinus aperte contradicit beato Paulo, hîc affirmanti, non auditores legis, ſed factores iuſtos eſſe apud DEVM. Illud enim, *apud DEVM*, euidenter demonſtrat, Paulum loqui non de legali iuſtitia, quæ facit hominem iuſtum ſecundum exiſtimationem hominum, & per externam quandam obſeruantiam legis: ſed loqui de vera, & ſincera, & ſolida iuſtitia, & quæ facit hominem iuſtum apud DEVM. Verùm quàm futile ac nugale eſt, quod deinde adiungit Caluinus? Hic locus, inquit, Pauli euertit potius quàm ſtatuat & firmet iuſtitiam hominis ex operibus legis: Hinc enim ita licet argumentari: Nemo poteſt ex obſeruatione legis iuſtificari, niſi vniuerſam legem impleat: Sed nemo vniuerſam legem implere poteſt, omneſque tranſgreſſionis eius conuincuntur, (loquitur autem Caluinus de hominibus etiam per CHRISTVM iuſtificatis & ſanctificatis) ergo nemo poteſt ob legis obſeruantiam iuſtificari. Digna planè Caluino argumentatio. Scilicet in ſcholis Philoſophorum didicit Caluinus falſam ſententiam falſis rationibus probari oportere. Falſum enim eſt, quod vult concludere, nullo modo iuſtificari hominem ob legis obſeruationem, contrarium hîc docente Paulo, & compluries alibi ſacra ſcriptura. Sed, quod ad id probandum affert, neminem hominum poſſe legem implere, magis etiam falſum & abſurdum eſt. Nam ſi lex diuina impleri non poteſt, quomodo Dauid iurauit ſe obſeruaturum legem DEI dicens: *Iuraui, & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ*? Nam iuſiurandum facere de eo quod eſt impoſsibile factu, non modo ſtultum, ſed etiam impium eſt. Si obſeruatio legis eſt impoſsibilis, ergo mentitus eſt Dauid, dicens, ſe

Pſal. 118.

Ibidem.

cuſtodiuiſſe legem DEI: *Cuſtodiuit*, inquit, *anima mea teſtimonia tua, & dilexit ea vehementer. Seruaui mandata tua, & teſtimonia tua, quia omnes viæ tuæ in conſpectu meo.* Et in alio quodam loco idem dixit, loquens de præceptis diuinæ legis: *Seruus tuus cuſtodit ea, & in cuſtodiendis illis retributio multa.* At enim contra rationem eſſet, hominem remunerari à DEO pro legis obſeruatione, ſi ea impoſsibilis homini foret: præſertim verò teſtante B. Iacobo: *Quicumque totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno; factus eſt omnium reus.* Paulus quidem certè aſſeueranter dixit: *Qui diligit proximum, legem impleuit.* Et, *Plenitudo legis eſt dilectio*, niſi dicturi ſunt iſti, neminem eſſe, qui poſsit diligere proximum. Quod ſi legis obſeruatio eſſet impoſsibilis, nulli hominum pateret ingreſſus in vitam æternam, dicente Domino: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata* (DEI.) Et quæ, obſecro, eſſet DEI ſapientia, tam ſeuerè obſeruationem legis homini indicere? *Tu mandaſti*, inquit Dauid, *mandata tua cuſtodiri nimis.* Si obſeruatio legis homini ſit impoſsibilis? aut quæ eſſet DEI iuſtitia, hominem pro eo quod legem ipſius non obſeruauerit, cuius eſt (ſecundum iſtos) obſeruatio impoſsibilis, æternis punire ſuppliciis? Verum de hoc, ſatis nunc dictum ſit: plura enim dicendi, non ſemel aliâs, idonea ſe offeret nobis occaſio.

Pſal. 18.

Iacobi 2.

Ad Rom. 13.

Ibidem.

Matth. 9.

Pſal 118.

OCTAVA

OCTAVA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

CVM enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quę legis sunt faciunt; eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente conscientia ipsorum. *Versu 14.*

BEATVS Paulus his verbis occurrit tacitæ cuidam obiectioni, dixerat enim suprà: *Qui sine lege peccauerunt, sine lege peribunt.* Contra quod obiici poterat: Quomodo peccauerunt, qui legem non habebant, cùm peccatum, vt peccatum, sit transgressio legis DEI, confirmante hoc etiam Dauide illis verbis: *Praeuaricantes reputaui omnes peccatores terræ?* Aut quomodo qui legem non habent, condemnabuntur, cum condemnatio hominis eo fiat, quia legem violauit? Hanc itaque obiectionem nunc diluit Paulus, ostendens, quos dixerat sine lege peccauisse, eos non omnino caruisse lege. Licet enim non haberent scriptam legem, qualem Iudæi habuerunt; habebant tamen legem naturalem in eorum mentibus & conscientiis, à DEO, qui hominem fecit, inscriptã: quæ lex docebat eos facere bonũ, & fugere malum: & cùm bonum egissent, commendabat, & lætificabat eos: cum verò malũ, & peccatũ aliquod fecissent, arguebat, & accusabat, & dãnabat, & torquebat eos. Quod autem isti legem habuerint, à factis eorum demonstrat & probat Apostolus. Illi enim ratione docente, & suadente, multa faciebant, quæ principaliter in lege Mosis *Psalm. 118.* *Exod. 20.*

continentur, præcepta dico Decalogi: Decalogus autem totus (præter vnum illud de obſeruando Sabbato præceptum) ad legem naturalem pertinebat.

56. Verùm de quibus Gentibus loquatur hoc loco Paulus, de infidelibúſne, an de conuerſis ad fidem, magna eſt inter expoſitores diſceptatio, & ſententiarum diuerſitas. Cenſent multi, Paulum hîc loqui de Gentibus infidelibus, quæ vel ante, vel poſt aduentum CHRISTI fuerant; ſed probè vixerunt ſecundum rectam rationem, & dictamen conſcientiæ, vitam, & actiones ſuas inſtituendo, & moderando, & dirigendo; & pro fine habentes viuere, atque agere conuenienter rectæ rationi. Hanc expoſitionem valde adiuuant illa verba: *Naturaliter ea, quæ legis ſunt faciunt.* Quid eſt, *naturaliter?* niſi ſola duce, ac magiſtra natura? quod propriè conuenit in Gentes, legis duntaxat naturæ doctrina inſtructas. Secundum hanc porrò interpretationem, ſenſus verborum Pauli eſt huiuſmodi. Quod ſupra dixi, Gentes, quæ ſine lege peccauerunt, ſine lege perituras; non ita eſt accipiendum, quaſi illæ prorſus omnis fuerint legis expertes: nam eo ipſo quod faciunt ea, quæ legis ſunt, non imprudenter ac temerè, ſed cum conſilio, & iudicio, ita fieri oportere iudicantes, apertè demonſtrant, & planè conuincunt; habere ſe legem quandam ab Auctore naturæ mentibus, & conſcientiis impreſſam: quæ lex docet eas hoc eſſe bonum, & illud malum: hoc eſſe honeſtum, & illud turpe: hoc eſſe amplectendum, illud verò fugiendum. Dicuntur verò Gentes non habere legem, illam videlicet Moſis, ſcriptam in tabulis, & datam ſolis Hebræis. Dicuntur item Gentes facere quæ ſunt legis Moſaicæ, non quantum ad ceremonialia, vel iudicialia, ſed quantum ad moralia, quæ naturali lumine intellectus innoteſcunt hominibus, & ratio naturalis, dictat eſſe facienda. Nec dicuntur facere quæ ſunt legis quantum ad modum, nec quantum ad intentionem legislatoris, vt faciant ea videlicet meritoriè, vt per eiuſ-

Opinio multorũ, loqui Paulum de gentib. infidelibus ſecundum legem naturalem viuentibus.

modi

modi opera, & DEO placere queant, & vitam æternam promereri: ſed faciunt tantùm opera legis, quantum ad ſubſtantiam operis: Illud enim requirit principium operandi ſupernaturale, id autem eſt gratia & caritas: hoc autem minimè. Nec intelligendum eſt, Gentes facere omnia, quæ ſunt legis naturalis, obſeruando omnia eius præcepta, etiam quantum ad ſubſtantiam operis: hoc enim præſtare poterat homo ante peccatum Adæ: poſt eius autem lapſum natura hominis ægra & infirma, poteſt quidem aliqua præcepta legis naturalis ſeruare, quantum ad ſubſtantiam operis, non tamen omnia, niſi rurſus per gratiam CHRISTI ſanetur, atque roboretur.

57. Nec verò expoſitio hæc olet Pelagianiſmum. Pelagius etenim aiebat, poſſe hominem naturalibus, & propriis liberi arbitrij viribus, vitare omnia peccata, & omnia legis præcepta perficere, & ſe dignum facere, & gratia DEI, & gloria æterna: nec indigere ſupernaturali diuinæ gratiæ auxilio, niſi ad agnoſcenda ſupernaturalia DEI myſteria; vel ad facilius, & promptius perficiendum officia virtutum, exequendumq; diuinæ legis mandata: quorum nihil in ſupradictam expoſitionem competit. Nec porrò ea expoſitio recipit errorem Zuinglij hæreſiarchæ, in hac ætate noſtra, famoſi: De quo Staphylus de Lutheranorum inter ſe concordia ita ſcribit: Zuinglius ait, quod Numa, Cato, Scipio, & horum ſimiles alij præſtantes viri Ethnici, quamuis caruerint vera fide venturi CHRISTI, ſalui tamen facti ſunt virtute legis naturali quam ſeruabant. Quod etiam Lutherus exprobrauit Zuinglianis in vltima ſua confeſſione de cœna Domini. Sic Staphylus.

Staphylus.

58. Eſt itaque ſupradicta expoſitio & vera, & Catholica, & ab omni hæreticæ falſitatis non modò labe, ſed etiam ſpecie remota. Quod autem propoſito, & ſententiæ verborum eius ſit congruens, & ipſa per ſe verba declarant, & confirmat auctoritas multorum grauium Auctorum tam vete-

Auctores ſupradictæ expoſitionis.

rum,

rum, quàm recentiorum. Origenes quidem certè, & hanc sententiam Pauli, quam nunc tractamus, & illam eiusdem paulò superiorem: *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primum & Græco*, arbitratur intelligi debere de Iudæis & Gentibus fidem CHRISTI nequaquam habentibus, sed vel per legem Mosis, vel per legem tantùm naturæ rectè viuentibus, & multa virtutum officia præclarè facientibus. Cuius hæc sunt verba: Quantum ego capere possum, loquitur hoc loco Paulus de Gentibus nondum credentibus. Gentilis enim legem non habens, ipse sibi est lex, ostendens opus legis in corde suo, & naturali ratione doctus, & persuasus, multa facit conuenienter rectæ rationi & virtuti. Videmus enim nonnullos in Gentibus iustitiam religiosè custodire, castitatem, & temperantiam seruare, prudentia excellere, & laudabili esse animi modestia, & in verbis, factisque moderatione. Isti, licet alieni sint à vita æterna, quia non credunt CHRISTO, nec renati sunt ex aqua, & SPIRITV sancto, ideoque intrare non possunt regnum cœlorum; videntur tamen secundum id quod docet hoc loco Paulus, bonorum operum gloriam, & pacem minimè perdituri. Si enim Paulus condemnat Gentes, eo quod naturali intelligentia cognoscentes DEVM, non sicut DEVM glorificauerunt: quomodo non putabimus, quod etiã collaudet eos, qui cognoscentes DEVM, sicut DEVM glorificauerunt? Dubitari igitur non puto, quod is, qui pro malo opere condemnari meruisset; idem si operatus fuerit bonum, remuneratione boni operis dignus habendus sit, dicente Apostolo, nos omnes stare oportere ante tribunal CHRISTI, vt reportet vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum. Vnde & hoc ipso in loco dixit Apostolus, quod non est acceptio personarum apud DEVM. Ita Origenes. Chrysostomus itidem hunc Pauli locum interpretatur in homilia quinta super hac epistola ad Romanos, nam exponens illud: *Cùm Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt.* Per hæc, inquit, ostendit Apostolus, Gentes esse pro-

Origenes.

Ioan. 3.

Ad Rom. 1.

2. ad Cor. 5.

Chrysostomus.

probiores Iudæis: & quod maius eſt, hoc ipſo probiores, quod legem minimè acceperint, neque id habeant, per quod videntur Iudæi ipſos præcellere. Propterea enim admiratione digni ſunt, quòd lege illis opus non fuit, & omnia quæ legis erant præſtiterunt, & ſuis ipſorum mentibus bona opera, non litteras inſcripſerunt. Per hæc item oſtendit Paulus, DEVM ita finxiſſe hominem, vt poſſit per ſe virtutem eligere, ac vitium declinare: quod ſæpius repetit Paulus, quia hoc caput eſt valde neceſſarium, propter eos qui dicere ſolent: Cur nunc CHRISTVS tam ſerò aduenit? & vbinam priſcis illis temporibus DEI erga homines prouidentia erat? Aduerſus quos valet quod hîc obiter dicit Paulus, oſtendens quod etiam antiquitus ante legem Moſis humanum genus omnimodam prouidentiam DEI habuit. Etenim quod de DEO cognoſci naturali ratione poteſt, DEVS illis manifeſtauit, Et item quid bonum, & quid malum eſſet, per ea nouerunt, per quæ alios iudicabant. Quare exprobrans illis dixit: *Inexcuſabilis es homo qui alios iudicas: In quo enim alterum iudicas, te ipſum condemnas.* Hæc Chryſoſtomus. Et Hieronymus ſuper hoc loco ſic ait: Loquitur Paulus de iis, qui naturaliter iuſti fuerunt ante legem, ſiue etiam qui nunc aliquid boni ſecundum rationem, & legem naturalem operantur. Eadem eſt ſententia Theodoreti, & Oecumenij, & Theophylacti: Eandemque ſecuti ſunt interpretationem in hac ætate noſtra Caietanus, & Sotus, & Catharinus.

Ad Rom. 1. *Ad Rom. 2.* *Hieronymus.* *Theodoretus.* *Oecumen.* *Theophyla.* *Caietanus.* *Sotus.* *Catharinus.*

Beatus quoque Auguſtinus in libro de ſpiritu & littera capite vigeſimo ſeptimo, & vigeſimo octauo, poſtquam diſputaſſet, verba Pauli, quæ nunc tractamus, intelligi oportere de gentibus ad CHRISTVM conuerſis, & per eius fidem & gratiam iuſtificatis, denique ſubdit hæc: Si autem hi, qui naturaliter quæ legis ſunt faciunt, nondum ſunt habendi in numero eorum, quos CHRISTI iuſti-

58. *S. Auguſtinus.*

ficat gratia; sed in eorum potius, quorum etiam impiorum, nec DEVM verum veraciter, iusteq; colentium, quædam tamen facta vel legimus, vel nouimus, vel audimus, quæ secundum iustitiæ regulam non solùm vituperare non possumus, verùm etiam meritò recteque laudamus: quanquam si discutiatur, quo fine fiant, vix inueniuntur, quæ iustitiæ debitam laudem, defensionemue mereantur. Veruntamen quia non vsque adeò, in anima humana, imago DEI, terrenorum affectuum labe detrita est, vt nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, vnde meritò dici possit, etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel sapere: Si hoc, inquam, est quod disputat Apostolus, quod gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, & scriptum opus legis habent in cordibus suis; id est, non omni modo deletum est, quod ibi per imaginem DEI, cùm crearentur, impressum est; etiam sic, & secundum istam expositionem illa differentia non perturbabitur, qua distat nouum Testamentum à vetere; eo quod per nouum scribitur lex DEI in cordibus fidelium, quæ per vetus in tabulis scripta est: hoc enim illic scribitur per renouationem, quod non omninò deletum erat per vetustatem. Nam sicut ipsa imago DEI renouatur in mente credentium per Testamentum nouum, quam non penitus impietas aboleuerat, nam remanserat id, quo anima hominis rationalis est: ita etiam ibi lex DEI non ex omni parte deleta per iniustitiam, profectò scribitur renouata per gratiam: quod si à CHRISTI gratia alienæ sunt gentes, de quibus dictum est, quod naturaliter faciunt, quæ legis sunt, quid eis proderit in die reuelationis iusti iudicij DEI, nisi fortè vt minus puniantur? Quemadmodum enim non impediunt hominem iustum à consequendo vitam æternam, quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non traducitur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera,

sine

ſine quibus difficillime vita cuiuslibet, etiam peſſimi hominis, inuenitur. Verumtamen ſicut in regno DEI differunt ſancti inter ſe tanquam ſtella à ſtella: ſic & in damnatione pœnæ ſempiternæ, tolerabilius eſt Sodomæ, quàm alteri ciuitati; & erunt quidam filij Gehennæ duplo amplius quàm alij. Per hoc autem probare voluit Paulus quod ſuprà dixerat: Quia non eſt acceptio perſonarum apud DEVM: Et quod poſtea dixit; *Non Iudæorum DEVS tantùm ſed etiam Gentium.* Nam quantulacumque fuerint legis opera naturaliter inſita, non inuenirentur in eis qui legem non acceperunt, niſi ex reliquiis imaginis DEI, quam non contemnit DEVS: Sed quodlibet horum accipiatur, conſtat gratiam DEI promiſſam eſſe nouo Teſtamento. Hæc Auguſtinus. Nec mihi diſplicet hæc expoſitio: cui magis etiam fidem aſtruent ea, quæ dicturi ſumus in diſputatione, quæ hanc proximè ſequitur, in tractatu quartæ expoſitionis.

1. Corinth. 15. *Matth. 11.* *Ad Rom. 3.* *Matth. 23.*

60\. *Secunda expoſitio S. Thomæ.*

Altera expoſitio eſt, quam refert hoc loco ſanctus Thomas, Paulum his verbis loqui de gentibus, quæ cognitionem quidem boni, & mali, vel ipſius DEI, non habent aliam, niſi naturalem; ſunt tamen, quantum ad voluntatem, & affectum, ſupernaturali diuinæ gratiæ auxilio præditæ, per quod omnia peccata legi naturali contraria vitare poſſunt, & vniuerſam legem naturalem ſeruare, DEOQVE placere. Illud itaque, quod ait Paulus: *Naturaliter quæ legis ſunt faciunt*, illud, inquam, *naturaliter*, ſignificat idem quod, natura magiſtra, vel docente quid agendum vel fugiendum eſt: non autem ſignficat naturalem virtutem, & poteſtatem, per quam omnia præcepta legis benè perfici queant. Iſtiuſmodi ergo gentes naturaliter agunt reſpectu principij cognoſcitiui, quod in ipſis non eſt aliud, quàm lumen naturale rationis: non tamen naturaliter agunt reſpectu principij operatiui; nam

ſupernaturalem poteſtatem operandi acceperunt diuinitus, ſupernaturalis auxilium gratiæ. Verba S. Thomæ iſtam opinionem commemorantis, ſunt huiuſmodi: Videtur quod dicit Paulus: *Naturaliter quæ legis ſunt faciunt*, patrocinari Pelagianis, qui dicebant, hominem per ſuas vires naturales omnia præcepta legis ſeruare poſſe. Quare illud, *naturaliter*, exponendum eſt, per naturam, videlicet gratia ſanatam & reformatam: Loquitur enim Paulus de Gentibus ad fidem conuerſis, quæ auxilio gratiæ CHRISTI coeperant moralia legis ſeruare, vel dictum eſt, *naturaliter*, id eſt, per legem naturalem oſtendentem eis quid ſit agendum: ſecundum illud Pſalmi: *Multi dicunt: Quis oſtendit nobis bona?* Et reſpondet: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.* Hoc autem eſt lumen rationis naturalis, in qua eſt imago DEI. Nec tamen per hoc excluditur, quin neceſſaria ſit gratia ad mouendum affectum: Sicut etiam per legem Moſis, erat cognitio peccati, & tamen vlterius requirebatur gratia ad mouendum affectum. Sic beatus Thomas.

Pſalm. 4.

61. *Vega. Medina.*

Hanc opinionem mordicus tenet Vega in capite vigeſimo primo ſui libri ſexti ſuper Decreto Concilij Tridentini de iuſtificatione: ſed eam acriter valideque oppugnat Michaël Medina in capite ſeptimo libri quarti de recta in DEVM fide. Nos eam pluribus argumentis non modò falſam eſſe, verùm etiam Catholicæ doctrinæ admodum diſcrepantem, probauimus ſuprà, in diſputatione decima quarta ſuper primum caput huius epiſtolæ. Beatus porrò Thomas ſiue eam opinionem hoc loco probauerit, ſiue non, certè in ſumma Theologica, pluribus locis, eam prorſus improbauit. Nam in prima parte Quæſtione prima, articulo primo argumentatur, neceſſariam eſſe homini ad ſalutem, reuelatam doctrinam aliquarum rerum ſupernaturalium; & in Secunda Secundæ in quæſtione ſecunda, & articulo tertio diſputans de neceſsitate fidei

DEI,

DEI, docet necessarium esse homini credere aliqua supernaturalia: & in Prima Secundæ, quæstione centesima decimatertia, probat, motum & actum fidei esse necessarium homini ad iustificationem. Et cum obiectionem hanc sibi fecisset, ideo actum fidei necessarium esse ad iustificationem, quia per fidem homo cognoscit DEVM: sed potest homo sine fide cognoscere DEVM, per cognitionem naturalem, testante nimirum Paulo, inuisibilia DEI per ea quæ facta sunt, intellectu conspici; isti obiectioni sanctus Doctor ita respondet: per cognitionem naturalem homo non conuertitur in DEVM in quantum est obiectum beatitudinis, & iustificationis: vnde talis cognitio non sufficit ad iustificationem.

Ad Romanos 1.

NONA DISPVTATIO.

Super tribus aliis expositionibus eorundem verborum Pauli: secundum quas, ea verba referuntur ad Gentes credentes in DEVM.

TERTIA expositio est Ambrosij, qui verba Pauli interpretatur de Gentibus iam credentibus in CHRISTVM, quas dicit facere opus legis, id est, credere in CHRISTVM, qui (vt dixit Paulus) finis erat legis in iustitiam omni credenti: lex enim erat pædagoga fidei, præmonstrans & promittens CHRISTVM docensque, ab eo sperandam, & expectandam esse salutem. Dicuntur autem istiusmodi Gentes naturaliter facere opus legis, id est, credere in CHRISTVM non quod fides CHRISTI sit naturalis, est enim donum DEI, sed quia naturale lu-

62.

Tertia expositio Ambrosij.

1. Tim. 1.

Ad Ephes. 2.

men intellectus, & recta ratio interius testatur illis, fidem CHRISTI esse amplectendam, & quæ in ea traduntur, esse admodum credibilia; tot nempe, tantisq; probata, & firmata miraculis, vt non nisi vera, & à DEO profecta esse queant; & qui ea repudiat, DEO manifeste repugnet. Ambrosij verba sunt hæc: Gentes hoc loco Paulus intelligit Christianos, qui incircumcisi erant, neq; ceremonias legales Iudæorum seruabant; & duce natura credebant in DEVM, & in CHRISTVM, hoc enim est legem seruare, DEVM legis agnoscere. Ipsa verò natura proprio indicio CREATOREM suum agnoscit, non per legem scriptam, sed per operationem naturæ; opus enim opificem cernit in se. Isti porrò, dum natura duce credunt, opus legis ostendunt, non per litteram, sed per conscientiam. Opus autem legis est fides, quam cum quis exhibet DEO, naturali indicio ostendit, semetipsum legem sibi esse: quia quod mandat lex, vltro facit, vt credat in CHRISTVM. Hæc Ambrosius. Verùm hæc expositio nec est conueniens proposito, nec sententiæ verborum Pauli; nec modo loquendi sacræ Scripturæ; in qua, facere legem, vel facere opus legis, nunquam inuenitur positum pro credere in CHRISTVM. Nec sanè fides vocatur opus legis, sed opus DEI. Sic enim dixit Dominus, referente Ioanne capite sexto: *Hoc est opus DEI, vt credatis*, quod si fides esset opus legis, dici vtiq; posset, hominem iustificari ex operibus legis: quod tamen Paulus toties, tum in hac epistola, tum in ea quæ est ad Galatas, pernegat. Quid? quod Paulus fidem quodam modo legi opponit in capite tertio epistolæ ad Galatas, docens, nec legem esse ex fide, nec fidem ex lege?

65. *Quarta expositio S. Augustini, Anselmi, S. Thomæ & aliorum.*

Quarta expositio est B. Augustini in libro quarto contra Iulianum Pelagianum, capite tertio, præcipue verò in capite vigesimo sexto libri de spiritu & littera, interpretantis hunc Pauli locum de gentibus ad fidem CHRISTI conuersis, & per gratiam eius iam sanatis, & iustificatis: & quamuis hoc commune habeat cum superiori expositione Ambrosij; differt tamen, quod multo aliter quàm Ambrosius, Pauli verba interpre-

interpretatur. Quod autem Paulus hîc loquatur de Gentibus iam fidelibus, non autem infidelibus, pluribus argumentis ostendi potest. Principio, cum Paulus in 1. cap huius epistolæ grauissimis verbis demonstrauerit, omnes gentes, etiam quæ præ ceteris sapientes habebantur, &, quæ veri DEI cognitionem erant adeptæ, grauissimis criminibus esse mancipatas, & turpissimis flagitiis fœdatas, multaq; peccasse admodum nefariè contra legem naturalem; si hoc loco doceret, Gentes naturali sua facultate ac virtute, præcepta legis naturalis seruare, planè videretur secum pugnare, & quod supra astruxerat, nunc euertere. Deinde, videntur hæc verba Pauli continere declarationem, & confirmationem proxime superioris illius sententiæ: Non auditores legis, sed factores iustificatum iri apud DEVM: ad hoc enim magis declarandum, & firmandum, videtur hoc subiunxisse, quod de Gentibus lege carentibus nihilominus tamen opera legis facientibus, dixit. Quasi diceret, Gentes, quæ legem Mosis neq; audierunt neq; didicerunt, cum præcipua legis opera, in Decalogo videlicet præscripta diligenter perficiant, sine dubio iustificabuntur apud DEVM. Iudæi verò sola legis auditione, & cognitione contenti, veram legis iustitiam nequaquam percipient: ideoque Gentes multo præstabiliores Iudæis erunt apud DEVM, quis non videt in hac ratiocinatione intelligi oportere Gentes, fidem & gratiam CHRISTI habentes? nam quę his carent, nullo modo iustificari queunt apud DEVM. Adhæc, Paulus aliquanto post hæc verba, quę tractauimus, comparando bonũ Gentilem cum malo Iudæo, ita scribit: *Si præputium* (idest, Gentilis incircumcisus) *iustitias legis custodiat; nonne præputiũ illius in circumcisionem reputabitur? & iudicabit id quod ex natura est præputiũ, legem consummans, te, qui per litteram & circumcisionem præuaricator legis es? Non enim qui in manifesto Iudæus est, nec quæ in manifesto in carne est circũcisio: sed qui in abscondito Iudæus est, & circumcisio cordis in spiritu non in litera, cuius laus non ex hominibus, sed ex DEO est.* Nõ est dubium quin his verbis loquatur Paulus de eodem Gentili, quem paulo ante dixerat naturaliter

raliter facere opera legis. Hunc porrò Gentilem, ait, iustitias legis custodire, & legem consummare, & esse in abscondito spiritualem Iudæum, & spiritualem habere circumcisionem, & habere laudem non ex hominibus, sed ex Deo. At, meridiana luce clarius est, hæc in alium nullum Gentilem, nisi conuersum ad fidem Christi, & per gratiam eius sanctificatum, verè dici posse. Præterea sanctus Augustinus in libro de spiritu & littera capite vigesimo sexto hoc ipsum probans, ita ratiocinatur: Paulus in primo capite commendans Euangelium, dixit: *Virtus Dei est, in salutem omni credenti, Iudæo primùm, & Græco.* Vocabulo Græci, sine dubio intelligens Gentilem ad fidem Christi conuersum. Idem in hoc secundo capite dixit: *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm, & Græco.* Similiter loquens de Gentili credenti in Christum, & per gratiam eius iustificato. Gentilis quippe infidelis, nec bonum, simpliciter dictum, operari potest, nec pro suis bonis operibus gloriam & honorem, & pacem à Deo recipiet. Ergo cum paulò pòst subtexit hanc sententiam: *Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt*, proculdubio etiam de Gentibus credentibus & iustificatis locutum esse eum arbitrari conuenit.

S. Augustinus.

64. Nec officit huic expositioni, quod Paulus ait, Gentes naturaliter facere opera legis, tanquam illud *naturaliter* excludat supernaturale fidei, & gratiæ principium operandi. Non enim illud *naturaliter* accipiendum est vt opponitur supernaturali auxilio; sed vt excludit doctrinam legis Mosis: faciunt nempe Gentes opera legis natura quidem duce, & carentes pædagogia legis Mosaicæ; sed natura tamen per Christi fidem illuminata, & per eius gratiam sanata, & roborata. Audi lector Augustinum loco proxime citato ita scribentem. Nec moueat quempiam quod Paulus dixit, Gentes naturaliter facere quæ legis sunt; non autem spiritu Dei, non fide, non gratia: hoc enim agit spiritus gratiæ, vt imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis.

S. Augustinus.

nobis. Vitium quippe, contra rationem eſt, quam vtique ſanat gratia: ideoque Dauid dixit: *Sana animam meam, quia peccaui tibi.* Naturaliter igitur (natura ſcilicet per gratiam ſanata) homines quæ legis ſunt faciunt: qui enim hoc non faciunt, vitio non faciunt, quo vitio lex DEI eſt deleta de cordibus: ac per hoc, vitio ſanato, faciunt quæ legis ſunt naturaliter: non quod per naturam negata ſit gratia, ſed potius quia per gratiam reparata eſt natura. Idem Auguſtinus libro quarto contra Iulianum in eandem ſententiam, hæc ſcribit: Dicuntur aliqui ſine lege naturaliter quæ legis ſunt facere, quia ex Gentibus venerunt ad Euangelium, non ex circumciſione, cui lex data eſt; & propterea naturaliter dicuntur facere, quia vt crederent, ipſa in eis per DEI gratiam eſt correcta natura, nec per eos potes probare quod vis, etiam infideles, veras poſſe habere virtutes; ſunt quippe iſti fideles: aut ſi fidem non habent CHRISTI, profecto nec iuſti ſunt, nec DEO placent, cum ſine fide placere DEO impoſsibile ſit. Sed ad hoc eos in die iudicij cogitationes ſuæ defendent, vt tolerabilius puniantur, quia naturaliter quæ legis ſunt, vtcumque fecerint, ſcriptum habentes in cordibus opus legis hactenus, vt aliis non facerent, quod ipſi perpeti nollent: hoc tamen peccantes, quod homines ſine fide, non ad eum finem iſta opera retulerunt, ad quem referre debuerunt. Minus quippe Fabritius, quam Catilina punietur; non quia hic bonus, ſed quia ille minus malus: & Fabritius minus fuit impius, quàm Catilina, non veras virtutes habendo; ſed à veris virtutibus non tam longe deuiando. Sic eo loci Auguſtinus. Cuius expoſitionem & Proſper ſequitur & Anſelmus, atque eam ſolam ſequitur etiam S. Thomas in Prima Secundæ, quęſtione centeſimanona, articulo quarto in reſponſione ad primum.

Locus pſalmi. 40.

S. Auguſtinus.

Ad Hebræos. 11.

65\. Sed enim aduerſus iſtam expoſitionem, quæ poſſent obiici, ſunt huiuſmodi. Paulus etenim manifeſte hic loquitur de Gentibus naturaliter ſeruantibus præcepta legis naturæ: hoc autem non videtur verè dici in Gentes ad CHRISTUM conuer-

Obiectiones contra opinionem & expoſitionem quartam.

conuerſas, & per fidem eius & gratiam illuminatas & ſancti-ficatas. Tales enim Gentes non exequebantur opera legis ex dictamine rationis naturalis, ſed principaliter ex illuminatione ac directione fidei,& ex doctrina euangelica, quam vnà cum fide didicerant: ſeruabant enim legem, & bona opera faciebant,non tam quia id congruebat rationi,quàm quia ita fieri oportere docebat fides, & doctrina Euãgelica. Enimuero cum Chriſtiani legem obſeruent propter DEVM, quem per fidem nouerunt ſuum eſſe finem vltimum ſupernaturalem, & obiectum ſuum beatificum, haudquaquam dici poſſunt ſeruare legem naturaliter: natura enim non docet operari debere hominem propter DEVM, tanquam finem ſuum ſupernaturalem. Adhæc, Gentes iam conuerſæ ad fidem CHRISTI, & gratia eius, & doctrina Euangelica præditæ ad ſeruandam legem,impulſu magis fidei, quàm naturæ inſtinctu adducebantur:Nec profecto valida eſſet argumentatio, qua vtitur hoc loco Paulus, Gentes, quæ legem Moſis non habebant, nec didicerant, facere tamen quæ legis erant: reſponderi enim poſſet: Tales Gentes, cùm ad CHRISTVM ſunt conuerſæ, & doctrina Euangelica inſtructæ, didiciſſe eas legem Moſis, quantum ad moralia, ab iis, qui eos fidem CHRISTI docuerant, ab Apoſtolis videlicet, qui erant Iudæi, & ſub lege Moſis educati. Quomodo etiam in Gentes iam Chriſtianas conueniret, quod ait hoc loco Paulus, Gentes, quæ non habent aliam legem, teſtimonio conſcientiæ, eorum facta vel accuſantis, vel defendentis, conuinci habere legem quandam inſitam, & in animis eorum inſcriptam? Chriſtianis etenim fides ipſa qua imbuti ſunt, & diſciplina CHRISTI & Apoſtolorum, apertè teſtificatur, quando bene vel male agunt; & benefacta approbat & commendat, male verò acta & arguit & damnat. Supradictarum porrò quatuor expoſitionum quarta videtur ceteris ſolidior atque ſublimior, & tutior, magiſque theologica. Prima verò ſimplicior videtur, & planior, & ſententiæ verborum Pauli magis inhærens & congruens. Equidem ita quar-

Iudicium Auctoris de ſupra dictis expoſitionibus.

quartam expoſitionem approbo, vt primam quoque libenter amplectar. Vtramuis porrò ſequatur lector, ſequetur profecto expoſitionem, & ſententiam, nec vlli obnoxiam errori, & ſatis probabilem, & propoſito ac verbis B. Pauli bene congruentem.

66. *Quinta expoſitio Lyrani.*

Supradictis quatuor expoſitionibus addi poſſet quinta, quam peperit Lyranus, verba hæc Pauli de Gentibus legem non habentibus, & opera tamen legis facientibus, referens ad Gentes, quibus CHRISTI euangelium nondum erat prædicatum, & idcirco fidem CHRISTI explicitam non habebant: ſed habebant tamen veram fidem vnius DEI, & ſincero cultu, ac pietate ipſum colebant, ſeruantes præcepta legis naturalis. Verba Lyrani locum hunc Pauli exponentis ſunt huiuſmodi: His verbis declarat Paulus quoddam dictum, videlicet, quod Gentiles habuerint legem naturalem, & ideo facientes contra dictamen illius legis, merebantur puniri: & facientes ſecundum ipſam, præmiari. Propter quod obſeruatio legis naturalis cum fide, & cultu vnius DEI (ad quod etiam inducit ratio naturalis) aliquo modo ſuffecit ad ſalutem Gentium, vſque ad publicationem Euangelij; quia non tenebantur Gentes ad legem Moſis. Sic ille. Cuius ego expoſitionem conſilio, & propoſito B. Pauli minime aptam & congruentem eſſe cenſeo. Paulus enim loquens de Gentibus carentibus doctrina Moſis, & nihilominus tamen facientibus quæ legis erant, vtitur exemplo Gentium noto & manifeſto Romanis, ad quos hæc ſcribebat: ſciebant enim illi & fuiſſe olim quaſdam gentes, & tunc etiam eſſe doctrina Moſis minime inſtructas, ſed magiſtra natura cognoſcentes bonum & malum, & præclara quædam opera facientes, & nonnullis eximiis virtutibus inſignes. Quod ſi de Gentibus ignotis ageret Paulus, probationem vtique faceret inanem ac futilem. At verò Gentes, ad quas verba Pauli applicat Lyranus, cum nec eſſent Chriſtianæ, nec Iudææ, nec Paganæ, & fide, cultuque veri DEI præditæ eſſent, vel nullæ tunc erant, vel ſi quæ erant, Romanis

profecto, ad quos epistola hæc scripta est, prorsus erant ignotæ. Quare talium Gentium exemplum, nihil planè facit ad propositum B. Pauli. Differt hæc Lyrani expositio ab ea, quam secundo loco supra memorauimus, quod secunda illa expositio refert verba Pauli ad Gentes supernaturali fide carentes, nec habentes, ipsius DEI, & boni ac mali cognitionem nisi naturalem, supernaturali tamen diuinæ gratiæ auxilio præditas, quantum ad voluntatem & affectum. Lyranus verò Pauli verba interpretatur de Gentibus supernaturale lumen fidei, & vnius veri DEI cultum ac pietatem habentibus, carentibus tamen explicita fide CHRISTI, quod nondum ipsis Euangelium eius fuerit prædicatum.

DIGRESSIO DE LEGE NATVRALI CONTINENS sex disputationes.

DECIMA DISPVTATIO.

Quid sit lex naturalis: quæ sint prima eius præcepta: & qualis in homine fuerit ante, & post peccatum.

BEATVS Paulus hoc loco scribens, Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea facere, quę sunt legis, & sibiipsas esse legem, & ostendere opus legis scriptum in cordibus suis; pulchrè his paucis verbis depinxit legem naturalem, quam DEVS Creator hominum in humanis mentibus, animisque quodammodo inscripsit: Duplicemque indicauit Paulus vim legis naturalis: alteram, demonstrandi cunctis mortalibus quid bonum, & malum

& malum ſit, quid ipſis agendum, ac fugiendum: alteram, obligandi omnes homines ad ſui obſeruationem, certiſſimum ei legi teſtimonium perhibente cuiuſq; hominis conſcientia; & ſi quid nequiter homines agant, grauiter eos accuſante; ſi quid autem ſecundum eam legem honeſtè, rectéque faciant, benignè ipſos defendente, atque interius lætificante. Hic igitur me Pauli locus inuitauit, vt paulò diſtinctius & expreſſius, quædam memoratu, & cognitu præcipua, de lege naturali explicarem, partim ſcilicet ex ſacris litteris delibata, partim verò ex ſanctorum Patrum ſcriptis collecta.

67. *Quid ſit lex naturalis Ambroſ epiſt. 71.*

Principio, quid ſit lex naturalis, his verbis deſcripſit ſanctus Ambroſius: Lex naturalis eſt, quam DEVS omnium creator, ſingulorum hominum pectoribus infudit: quæ non ſcribitur, ſed innaſcitur; non aliqua percipitur lectione, ſed profluo quodam naturæ fonte in ſingulis exprimitur, & humanis ingeniis hauritur. Videtur hæc à Cicerone mutuatus Ambroſius, qui in oratione pro Milone probans naturale ius, & fas eſſe, vim vi repellere, & vitæ inſidiatorem occidere: Eſt (inquit Cicero) hæc non ſcripta, ſed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus; verùm ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti; non inſtituti, ſed imbuti ſumus: vt ſi vita noſtra in aliquas inſidias, ſi in vim, in tela latronum, aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis.

68. *Prima præcepta legis naturalis.*

Quid porrò lex naturalis præcipiat, paucis docet Auguſtinus, dicens: eam generatim præcipere vt homo ſit in omnibus rectus, ſecundum rectam rationem, & viuens, & agens omnia. Id autem particulatim per varia præcepta explicatur: quorum tamen ſumma tribus maximè præceptis abſoluitur. Etenim ante omnia rectè ſe habere hominem oportet erga DEVM, ſuum nempè primum principium, atque vltimum finem; & huc ſpectat primum legis naturalis præceptum de vno DEO ſuper omnia colendo & diligendo. Deinde, cùm homo ſit animal ſociale ac politicum, oportet eum rectè ſe

habere erga alios homines quibuſcum viuere ac conuerſari debet: ad id eſt datum ſecundum præceptum legis naturæ de diligendo proximum ſicut ſeipſum: quod enucleatius declaratur duobus præceptis, altero affirmatiuo, & altero negatiuo. Affirmatiuum tradidit Dominus noſter illis verbis: *Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines; & vos facite illis.* Negatiuum autem præceptum Tobias, quaſi teſtamento legauit filio ſuo dicens: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias.* Habet præterea homo quaſdam res infra ſe, quæ rationis virtute atque imperio regi, & moderari debent: huiuſmodi ſunt in ipſo, corpus, & ſenſus, & affectus; extra ipſum verò, honos, pecunia, & voluptas. Hoc nempe ſignificauit Dominus Cain, dicens Geneſ. 4. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Ad hæc ritè moderanda, & regenda, datum eſt legis naturalis præceptum, vt omnibus quæ ſunt infra potiorem eius partem quâ homo eſt, ratione dominetur atque imperet; eaque quæ ſunt ſecundum rectam rationem, aut expetat, aut repellat, aut declinet, & fugiat; Cùm enim hiſce rebus dominatur ratio, tunc rectus homo dicitur: Cùm autem earum rerum cupiditatibus ratio ſubiicitur, & obtemperat, diſtortus eſt & peruerſus hominis animus. Hoc autem non parum illuſtrare poſſent diſertiſſima Ciceronis verba in tertio libro de Republica, quę refert B. Auguſt. libro quarto contra Iulianum capite duodecimo. Ea verò ſunt huiuſmodi. An non cernimus, optimo cuique dominatum ab ipſa natura ſumma cum vtilitate infimorum, datum? Nam & DEVS homini, & animus imperat corpori, & ratio libidini atque iracundiæ, ac cæteris vitioſis eiuſdem animi partibus. Dicitur quidem animus imperare corpori, dicitur etiam libidini: ſed corpori, vt Rex ciuibus ſuis, aut parens liberis: libidini autem, vt ſeruis Dominus; quo eam coërcet & frangit. Sic Regum, ſic Imperatorum, ſic magiſtratuum, ſic patrum, ſic populorum imperia ciuibus, ſociiſúe præſunt, vt corporibus animus. Domini

Locus Matt. 7.

Locus Tobiæ cap 4.

Cicero apud B. Auguſtinum.

mini autem seruos ita fatigant, vt optima pars animi, id est, sapientia, eiusdem animi vitiosas imbecillesque partes, vt libidines, & iracundias, & perturbationes cæteras. Hactenus sunt verba Ciceronis.

69. *S. Thomas.* Beatus autẽ Thomas prima legis naturalis præcepta hunc in modum tradit in Prima Secundæ quæstione 94. art. 2. Sicut ENS est primum quod simpliciter cadit in apprehensionem intellectus: ita bonum est primum, quod cadit in apprehensionem practicæ rationis, quæ ordinatur ad opus. Omne enim agens, agit propter finem, qui habet rationem boni: & ideo primum principium in ratione practica, est fundatum super illa ratione boni, Bonum esse, quod omnia appetunt. Quo fit, vt primum præceptum legis naturalis sit, bonum esse faciendum, & prosequendum, malum verò declinandum & vitandum, & super hoc quasi fundamento, fundãtur omnia alia præcepta legis naturæ, quæ ratio practica naturaliter deprehendit esse bona humana. Quoniam verò bonum habet, vt diximus, rationem finis, malum autem rationem contrarij, inde fit, vt ea omnia, ad quæ homo habet naturalem inclinationem, ratio naturaliter apprehendat vt bona, & per consequens, vt opere prosequenda; contraria verò eorum, vt mala & vitanda. Secundum ordinem igitur naturalium hominis inclinationum, est ordo præceptorũ legis naturæ. Primò etenim in homine est inclinatio ad bonum, prout homo habet naturam communem cum omnibus substantiis, quarum quælibet appetit conseruationem sui esse secundum sui naturam: & secundum hanc inclinationem pertinent ad legem naturalem ea, per quæ vita hominis conseruatur, & contraria vitæ humanæ repelluntur. Deinde in homine est inclinatio, ad aliqua magis specialia, secundum naturam animalem, quam habet communem cum cæteris animantibus. Secundum hanc porrò inclinationem dicuntur ea esse de lege naturæ, quæ docuit natura omnia animalia; vt est coniunctio maris & fœminæ, & liberorum educatio, & aliarum similia. Tertio demùm modo est in ho-

in homine inclinatio ad bonum, ſecundum propriã hominis naturã, quæ eſt rationalis: & ſic homo habet naturalẽ inclinationem cognoſcendi verum, & ipſum DEVM, & viuendi in ſocietate cum aliis hominibus. Et ita pertinent ad legem naturalem ea, quæ huiuſmodi inclinationem ſpectant, cuiuſmodi ſunt deſiderare ſcientiam, vitare ignorantiam, & errorem ac deceptionem; non lædere, vel offendere alios, quibuſcum debet conuerſari. Hactenus eſt beata Thoma.

70. *Cicero lib. 1. de officiis.* Ad hanc ipſam pertinet ſententiam luculenta Ciceronis diſputatio illa: Principio, inquit, generi animantium omni eſt à natura tributum, vt ſe, vitam, corpuſque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur; omniaque, quæ ſunt ad viuendum neceſſaria, inquirat & paret; vt paſtum, & latibula, & alia eiuſdem generis. Communis item animantium omnium eſt coniunctionis appetitus, procreandi cauſa, & cura quædam eorum quæ procreata ſunt. Eademq; natura, vi rationis, hominem conciliat homini, & ad orationis, & ad vitæ ſocietatem; ingeneratque inprimis præcipuum quendam amorem in eos, qui procreati ſunt: impellitq; vt hominum cœtus & celebrari inter ſe, & ſibi obedire velit; ob eaſque cauſas ſtudeat parare ea, quæ ad cultum & ad victum ſuppeditent, nec ſibi ſoli, ſed coniugi, liberis, cæteriſque quos caros habeat, tuerique debeat. Inprimis autem hominis eſt propria veri inquiſitio, atque inueſtigatio: itaque cum ſumus neceſſariis negociis curiſque vacui, tunc auemus aliquid videre, audire, ac diſcere; cognitionemque rerum aut occultarum, aut admirabilium, ad benè beateque viuendum, neceſſariam ducimus: Ex quo intelligimus quod verum, ſimplex, ſincerumque ſit, id eſſe naturæ hominis aptiſſimum: veri quippe cognitio maximè naturam attingit humanam: omnes enim trahimur & ducimur ad cognitionis & ſcientiæ cupiditatem: in quo excellere, pulchrum putamus: labi autem, errare, neſcire, & decipi, & malum, & turpe ducimus. Hæc Cicero.

Hanc

71. *Qualis fuit lex naturalis in primo homine ante peccatū. S. Augustinus.*

Hanc porrò legem naturæ DEVS integram & perfectam indidit homini, cùm primum ab ipso creatus est. *Fecit enim* (vt scriptum est in libro Ecclesiastæ, capite septimo) *DEVS hominem rectum.* Nam vt docet Augustinus libro primo de libero arbitrio capite vndecimo, & in libro de correptione & gratia, capite decimo, Christiano fas non est dubitare, rectum, & omni vitio carentem creatum à DEO esse primum hominem, in quo omnium est hominum concreata natura: & tum perfectè à DEO esse conditum, & in beata vita constitutum, vt ad ærumnas mortalis vitæ, propria sit ipse voluntate delapsus: eumque tale accepisse liberum arbitrium, vt si auxiliantem sibi Dominum non desereret, posset in bonis, quæ naturaliter acceperat, perseuerare quia vellet, & merito voluntariæ perseuerantiæ, in eam beatitudinem peruenire, vnde nec vellet decidere in deteriorem, nec posset. Quoniam autem magnum est vitium, & malum hominis ignorantia rerum agendarum, & cæcitas mentis, necesse est Adam tunc boni scientiam accepisse, quando bonum sanctumque DEI mandatum fideli corde seruabat, & erat iustus manens in imagine CREATORIS sui, legisque eius minimè obliuiscens. Ergo cùm primus homo creatus à DEO sit perfectus in bonis naturalibus, existimare necesse est, potuisse eum in eo statu, omne verum, naturaliter ab homine scibile, magna facilitate cognoscere: & omne bonum naturale, seu morale & appetere, & peragere; & omnia legis naturalis præcepta seruare: & omnia peccata vitare, nec in errorem vllum vel circa cognoscenda, vel circa agenda delabi: tantam ei vim & facultatem tribuebat videlicet admirabilis illa virtus, quam Theologi appellant iustitiam originalem, à qua rectitudo illius primi status pendebat. Promulgatio autem illius legis naturalis, quæ erat in prima institutione, qua DEVS hominem fecit rectum, significata est in prima promulgatione legis Mosaicæ. Sicut enim DEVS per semetipsum, sine vlla hominis opera, decem præcepta

Quomodo lex naturalis promulgata sit homini.

& voce pronuntiauit, & in duabus tabulis digito ſuo inſcripſit: ita in prima hominis inſtitutione, per omnes creaturas homini audienti loquebatur DEVS mandata ſua; & in tabulis cordis humani ea inſcripſit. Quemadmodum porrò Hebræis, poſthabito vero DEO, vitulum adorantibus, tabulæ legis ab irato Moſe confractæ ſunt: ſimiliter item primus homo, cum relicto DEO, adhæſit diabolo, cor eius in varias cupiditates, & ſcelera diſtractum, & demerſum eſt: per quæ lex DEI de corde ipſius multifariam deleta eſt. Denique ſicut pietas DEI tabulas legis inſtaurauit, non tamen ſine miniſterio Moſis, qui ſecundas tabulas & dolauit, & inſcripſit; DEVS ſimiliter poſt hominis lapſum, legem ſuam in corde hominum clementer renouat, ſed non ſine hominis docentis miniſterio, & IESV CHRISTI ſanantis gratia.

Exod 32.

72. *Quemadmodũ quantumque lex naturalis, per peccata ſit obſcurata in homine.*

Cæterùm per Adæ peccatum, quod carnali generatione transfuſum in poſteros, ignorantiæ atque errorum, atque innumerabilium ſcelerum fuit ſeminarium; & præter hoc, per propria aliorum hominum peccata, legis naturalis claritas, & integritas in hominum animis maiorem in modum infuſcata, & detrita, atque diminuta eſt. Non ſolùm enim iuſtitiam originalem, quam acceperat, homo amiſit; verùm etiam veri boni ſcientiam ita perdidit, vt non videat nunc qualis eſſe debeat, ſed ignoret quæ ſibi præſcripta à DEO ſunt agenda. Quocirca Dauid dixit: *Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens aut requirens DEVM.* Et ſubdit: *Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum.* Eodem ſpectat illud Pauli: *Eramus aliquando & nos inſipientes, increduli, errantes, ſeruientes deſideriis, & voluptatibus variis, in malitia, & inuidia agentes, odibiles, & odientes inuicem.* Enimuerò, ante illuminationem fidei, hominem in tenebris & vmbra mortis verſari, ſæpè ſcriptura teſtatur: priuſquam enim à dominatione diaboli per DEI gratiam liberetur, in illo iacet vitiorum errorumq; profundo, in quo ſe ſuæ volun-

Pſalm. 13.

Ad Tit. 3.

voluntatis libertate demersit. Et hoc amplius, amat homo languores suos, & sanitatem ducit quod ægrotare se nescit: Donec prima hæc medela conferatur ægroto, vt incipiat cognoscere, & sentire quod langueat, & medici opem desiderare, qua surgat. Tantus quippe vitiorum amor est, vt nolit homo intelligere, quemadmodum benè agat: & per hoc lex DEI deleta est è cordibus hominum, non solùm vt ea non ametur, sed etiam vt non sciatur. Scriptum enim est de impiis: *Excæcauit eos malitia eorum.* Et Dominus dixit: *Omnis qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.* Ne videlicet internis conscientiæ stimulis identidem exagitetur & torqueatur. DEVS namque (vt quodam loco scripsit Augustinus) lege ineuitabili, iustissima tamen, spargit pœnales cœcitates super illicitas cupiditates. Et verum est quod vulgò dici solet: Quod volumus, sanctum est: nemo suæ mentis motus verè æstimat ægros: & quodcumque volunt homines, se benè velle putant. Testis huius rei sit Iulius Cæsar: quem scribit Cicero illud Euripidis libenter, & frequenter vsurpare solitum:

Sap. 2. *Ioan. 3.* *Cic. lib. offic.*

Si violandum est iusiurandum,
Regnandi gratia violandum est.
Aliis in rebus pietatem colito.

Idem profectò dicet, libidinosus:

Si peierandum est,
Explendæ libidinis causa peierandum est,
Ceterà colatur pietas.

Idemque dicet auarus, & qui vlciscendi ardet cupiditate: aliique aliis omninò dediti vitiis. Ex quo apparet, secundum Decalogi præceptum de non peierando, ex animis eorum, qui ingenio & fortitudine præstabant, fuisse deletum.

VNDECIMA DISPVTATIO.

Quàm fuerit, per peccata, lex naturalis in hominis animo obſcurata, quantum ad notitiam & cultum vnius veri DEI, & quantum ad cognitionem ſui.

73. SED quanta ſit facta legis naturalis per hominum peccata obſcuratio & deprauatio in animis hominum, non ſolùm generatim, ſed etiam ſpeciatim diſputando, explicatius declarandum eſt. Atque vt hinc ordiar, quis dicere verbis queat, circa primum præceptum legis naturalis de vno DEO colendo, quanta fuerit multorum hominum ignorantia, & cæcitas: cum incommunicabile DEI nomen, vt ſcriptum eſt in libro Sapientiæ capite decimo quarto, attribuant homines non modò ſpecioſiſſimis DEI operibus, Soli, Lunæ, cæteriſque aſtris, ſed etiam mortuis hominibus, atque eis, qui flagitioſiſſimi & ſceleratiſſimi fuerunt; noxiis quoque beſtiis, ipſiſque dæmonibus, ſæuiſſimis humani generis hoſtibus. Licet enim, vt Auguſtinus docet libro decimo Confeſſionum capite ſexto, cœlum, & terra, & omnia quæ in eis ſunt, vndique nobis dicant, & clament, vt DEVM agnoſcamus, atque colamus; & qui hoc non faciunt, conuincant eſſe inexcuſabiles. nimirum veriſſimè ſcriptum eſt apud Iob: *Interroga iumenta, & docebunt te, & volatilia cœli, & indicabunt tibi. Loquere terræ, & reſpondebit tibi: & narrabunt piſces maris. Quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit? in cuius manu eſt anima omnis viuentis, & ſpiritus vnuerſæ carnis hominis.* Licet, inquam, creaturarum DEI aſpectus

B. Auguſtinus.

Locus Iob. 12.

ctus & contemplatio, hominem prouocet, atque adeo compellat ad agnitionem DEI: nisi DEVS tamen singulari suæ claritatis lumine mentem hominis visitet atque illustret, ista surdis loquuntur creaturæ. Nam etiam post datam legem Dauid ait: *Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa. Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures: Quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Quàm fuerit in homine obliterata lex naturæ circa cognitionem veri DEI, clarè ostendit Dauid in psalmo nono, dicens: *Non est DEVS in conspectu eius: inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore. Auferuntur iudicia tua à facie eius.* Et apertius in psalmo decimotertio: *Dixit insipiens in corde suo, non est DEVS.* Fit enim frequenter, vt Hilarius scribit super Psalmum 52. vt cum veritatis euidentia nos ad DEI agnitionem, & confessionem cogat; oblectatio tamen vitiorum, nobis DEVM non esse persuadeat. DEI namque obliuionem & ignorantiam, improba vitiorum dulcedo parit: vt quia peccator DEVM non esse cuperet, suorum videlicet peccatorum vindicem, eum non esse, facile quibuslibet ratiunculis persuaderi sibi patiatur. Crassam porrò DEI ignorantiam, tanquam caliginem Gentibus offusam, indicauit Paulus, describens infideles, & vocans eos, *Gentes quæ ignorant DEVM*, imitatus nempe Dauidem dicentem DEO: *Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non nouerunt, & in regna quæ nomen tuum non inuocauerunt.* Est profectò verissima sententia illa B. Augustini in tractatu centesimo sexto in Ioannem: Tanta, inquit, vis est veræ Diuinitatis, vt creaturæ rationali iam ratione vtenti omnino abscondi non queat: exceptis enim paucis, in quibus natura nimium deprauata est, vniuersum genus hominum, DEVM, mundi huius, fatetur auctorem. In hoc ergo quod fecit hunc mundum, cœlo terraq; conspicuum, notus omnibus gentibus est DEVS: In hoc autem quod ipse solus, & non vna cum falsis diis est colendus, notus quondam tantùm in Iudæa fuit DEVS: In hoc demum quod DEVS Pater est CHRISTI domini nostri,

Psal. 57.

Locus psalmi 9. & 13.

S. Hilarius.

1. ad Thes. 4.

Psal. 78.

S. Augustini.

Psal. 75.

Ioan. 1.

nostri, per quem tulit omnia peccata mundi, Christianis duntaxat notus est DEVS.

74. *Quanta fuerit Gentium ignorantia, & caecitas circa prouidentiam DEI.*

Iam verò cognitio diuinæ prouidentiæ circa res humanas, mirandum in modum obscurata est in animis hominum non modo idiotarum, vel Barbarorum, sed etiam doctrina, morumq; elegantia præstantium. Cum enim natura, & recta ratio suadeat omnibus, DEVM, qui omnia condidit, omnia item regere, & propriam rerum omnium ac singularum, quæ in terris aguntur, notitiam, & curam; & prouidentiam habere: hæc tamen naturalis persuasio diuinæ prouidentiæ, vt partim falsis opinionibus & erroribus, partim deprauatis moribus, grauissimisque sceleribus nimium quantum obscurata & fœdata est, atque ex multorum animis, mentibusque deleta. Audi voces istiusmodi hominum prouidentiam DEI ignorantium, vel negantium, apud Iob capite 22. *Quid nouit DEVS? quasi per caliginem iudicat. Nubes latibulum eius, nec nostra considerat, & circa cardines cœli perambulat. Qui etiam dicunt; recede à nobis, & quasi nihil posit facere OMNIPOTENS æstimabant: cum ille compleßet domos eorum bonis: quorum sententia procul sit à me.* Et apud Malachiam capite 3. *Vanus est*, inquiunt, *omnis qui seruit DEO: & quod emolumentum, quia custodiuimus præcepta eius; & quia ambulauimus tristes coram Domino?* Aristotelem certe principem nempe Philosophorum, sensisse prouidentiam DEI non pertinere ad ea, quæ sunt infra lunam, affirmat Epiphanius in extremo opere suo de Hæresibus, & Basilius in Hexameron, & Ambrosius lib. 1. de officiis cap. 16. & Gregorius Nissenus in libro de prouidentia, & Athenagoras in illa sua legatione pro Christianis, & Iustinus Martyr in exhortatorio ad Gentes, & Clemens Alexandrinus in libris Stromatum, & Theodoretus de curatione Græcarum affectionum. Cicero etiam vt astrueret contingentiam rerum, & casum atque fortunam, negauit futura contingentia, etiam DEO, certò præcognita esse posse: & vt libertatem humanæ voluntatis tueretur, inficiari non est veritus, eam regi à DEO, futurosque eius motus

Locus Iob cap. 22.

Aristoteles.

Epiphanius. Basil. Ambros. Nissenus. Athenagoras. Iustinus martyr. Clemens Alexandrinus. Theodoretus. Cicero lib. 1. de diuinatione.

tus à DEO prænoſci, vt admodum ſcitè dictum ſit ab Auguſtino: Vt nos Cicero faceret liberos, fecit ſacrilegos.

Auguſtinus lib. 5 de ciuit. Dei cap. 9.

Lubet apponere partem cuiuſdam luculentæ diſputationis S. Ambroſij ſuper ignorantia & cœcitate hominum etiam ſapientum huius ſeculi, circa DEI prouidentiam: Multi fuerunt, (inquit Ambroſius) qui cum viderent ſceleratos quoſque, diuites eſſe ac lætos, & honoratos, potenteſque, pleriſq; iuſtorum egentibus atque infirmis, & ærumnoſis; putarunt DEVM vel nihil curare de nobis, vt Epicurei dicunt, vel neſcire actus hominum, vt flagitioſi putāt, vel ſi ſcit omnia, iniquum eſſe iudicem, qui bonos egere patiatur, & abundare improbos. Quorum ſententiam procliuè eſt refellere: ac primò quidem eorum aſſertionem, qui DEVM putant curam mundi nequaquam habere; ſicut Ariſtoteles aſſerit, vſque ad lunam eius deſcendere prouidentiam. Sed quis operator negligat operis ſui curam? quis deſerat & deſtituat quod ipſe condendum putauit? Si iniuria eſt regere; nonne eſt maior iniuria feciſſe? Cum aliquid non feciſſe, nulla ſit iniuſtitia; non curare autem quod feceris, ſumma eſt inclementia. Quod ſi aut DEVM creatorem ſuum abnegant, aut ferarum & beſtiarum ſe haberi in numero cenſent, quid de illis dicamus, qui hac ſe condemnant iniuria? Per omnia DEVM ire aſſerunt ipſi; & omnia eius virtute conſiſtere; vim & maieſtatem eius per omnia elementa penetrare; & putant iniuriam eſſe DEI, ſi mentem hominis, qua nihil ipſe homini præſtantius dedit, penetret, & diuinæ MAIESTATIS ingrediatur ſcientia? ſed horum magiſtrum, tanquam ebrium, & voluptatis patronum, ipſi, qui putantur ſobrij, irrident Philoſophi. Nam de Ariſtotelis opinione quid loquar? qui putat DEVM ſuis contentum eſſe finibus, & præſcripto regni modo degere, & vt poëtarum loquuntur fabulæ, qui mundum in tres ferunt eſſe diuiſum; vt alij cœlum, alij mare, alij inferna coercenda, Imperij ſorte obuenerint: eoſque cauere, ne vſurpata alienarum partium ſollicitudine, inter ſe bellum excitent. Similiter ergo Ariſtoteles aſſerit quod terrarum

75. S. Ambroſius lib. 1. de offic. cap. 13.

Ariſtoteles.

rarum curam non habeat DEVS, ſicut maris,& inferni non habet. Ex his porrò, qui DEO adimunt ſcientiam humanarum rerum, Dauid aliquos ita loquentes inducit: *Et dixerunt: Non videbit Dominus, nec intelliget DEVS Iacob.* Quibus reſpondet Propheta: *Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquanto ſapite: Qui plantauit aurem, non audit? & qui finxit oculum, non conſiderat? Qui corripit gentes non arguet? qui docet hominem ſcientiam? Dominus ſcit cogitationes hominum quoniam vanæ ſunt.* Poteſtne artifex ſuum ignorare opus? Homo eſt,& in opere ſuo latentia deprehendit, & DEVS opus ſuum neſciet? Altius ergo profundum in opere eſt, quàm in auctore: & fecit aliquid, quod ſupra ſe eſſet, cuius meritum ignoraret auctor, cuius effectum neſciret arbiter? Quid tam ſtolidum, quàm putare eſſe aliquid, quod DEVM lateat? Cum Sôl, qui miniſter luminis eſt, etiam abdita penetret, & in fundamenta domus, vel ſecreta conclauia vis caloris irrumpat? Quis neget verna temperie tepefieri interiora terrarum, quas glacies hyberna conſtinxerat? Norunt ergo arborum occulta vim caloris, adeo vt radices arborum fotu Solis vireſcant: vt ſcite à diuino vate dictum de Sole ſit: *Non eſt qui ſe abſcondat à calore eius.* Si igitur radius Solis fundit lumen ſuum ſuper omnem terram, ſeque in ea penitus inſerit, quæ clauſa ſunt, nec vectibus ferreis, aut grauium valuarum obicibus, quo minus penetret, impeditur: quomodo non poteſt intelligibilis DEI ſplendor ſemet in cogitationes hominum,& corda quæ ipſe creauit, inſerere? Et fecit vt meliora ſint, quæ facta ab ipſo ſunt, & potentiora quàm ipſe eſt, vt poſſint quandocunque volunt, cognitionem ſui opificis latere? Tantam ergo virtutem & poteſtatem inſeruit mentibus noſtris, vt eam comprehendere cum velit, ipſe non poſſit? Hactenus ex Ambroſio.

Pſal. 193.

Pſal 18.

Adhæc lex naturæ iubet hominem diligere DEVM ſuper omnia, etiam pluſquam ſeipſum. Hoc autem non videtur intellexiſſe Ariſtoteles: is nempe affirmat, nihil homini ſeipſo carius eſſe debere; & ſui ipſius amorem eſſe menſuram,&

76.
Ariſt. lib. 9. Ethico.

ram, & regulam amandi alia. Cicero etiam in libro quinto de Finibus bonorum: Perabſurdum, inquit, fuerit ita diligi à ſe quenquam, vt ea vis diligendi ad aliam rem quampiam referatur, & non ad eum ipſum, qui ſeſe diligit. Et apud Aulum Gellium lib. 12. cap. 5. Taurus Philoſophus ex diſciplina, & ſententia Stoicorum ita diſputat: Natura omnium rerum quæ nos genuit, induit nobis, inoleuitque in ipſis ſtatim principiis, quibus nati ſumus, amorem noſtri & caritatem; ita prorſus, vt nihil quidquam eſſet carius, penſiuſque nobis, quàm noſmet ipſi. Atque hoc eſſe fundamentum rata eſt, conſeruandæ hominum perpetuitatis, ſi vnuſquiſque noſtrûm ſimul atque editus in lucem foret, earum prius rerum ſenſum affectionemque caperet quæ à veteribus Philoſophis, prima ſecundum naturam appellata ſunt; vt omnibus ſcilicet corporis ſui commodis gauderet, & ab incommodis omnibus abhorreret. Sic ille. Ex his licet intelligere, quàm fuerit in animis hominum obſcuratum illud primum & maximum de diligendo DEO ſuper omnia præceptum.

Cicero.

Taurus Philoſophus.

Ignorato autem vero DEO cui debent cuncta ſeruire, ignorari etiam veras virtutes neceſſe eſt. Ignarus etenim veri DEI, ad quem tanquam vltimum hominis finem, quidquid boni eſt, quoniam ab ipſo, & propter ipſum eſt, referri & dirigi oportet, nec veras colere virtutes, nedum poſſidere poteſt. Finibus namque, non officiis virtutes diſcernuntur à vitiis. Officium dico id, quod faciendum eſt. Finem autem, propter quem quod fit, oportet fieri. Cum quis itaq; facit aliquid, in quo peccare non videtur, ſi non propter id facit, propter quod facere debet, peccare conuincitur. Exempli gratia. Non furari, ſi officium ſpectes, videtur eſſe iuſtitiæ: ſed cũ quæritur, cur ille non furetur; ſi reſpondeatur, ne fortè plus pecuniæ litibus perdat; aut ne fortè deprehenſus, pluſquam abſtulit, reddere cogatur; quomodo illud propoſitum non furandi, veræ poteſt eſſe iuſtitiæ, cum ſeruiat auaritiæ? Quales putamus fuiſſe virtutes Epicuri, (quas tamen eius amatores in cœlum efferunt) cum eas ille fecerit voluptatis

77.
In eo qui verum DEVM ignorat veras eſſe virtutes non poſſe.

ancillas? quæ nimirum quicquid, & quoquo modo facerent, propter voluptatem vel adipiſcendam, vel tuendam facerent? Abſit vt veræ virtutes alij ſeruiant vlli, quàm ei ſoli, de quo ſcriptum eſt: *DEVS virtutum conuerte nos*, ergo virtutes, quæ vel ad voluptatem, vel ad honorem, & gloriam, vel ad humanæ vitæ emolumenta & commoda, vel ad quodcunq; aliud, quod DEVS non eſt, referuntur, veræ prorſus eſſe non poſſunt virtutes. Quæ autem nulli rei ſeruire volunt; ſed ſui gratia eſſe volunt, ne ipſæ quidem ſunt veræ virtutes. Veræ quippe virtutes DEO, à quo donantur homini, ſeruire debent. Quidquid igitur fit ab homine, & non fit propter eum finem, propter quem fieri vera ſapientia præcipit, & ſi officio videatur bonum, ipſo tamen non recto fine peccatum eſt. Hæc ſum ego mutuatus à B Auguſtino, qui in li. 4. contra Iulianum, cap. 3. hæc ipſa, & his ipſis verbis, quibus vſi ſumus, copioſè, doctèque, ac diſertè tractat.

Pſal. 29.

B. Auguſtinus.

78. *Quanta fuerit ignoratio ſui, apud Gentes ignaras veri DEI.*

Sed veniamus ad cognitionem ſui, maximè cum cognitione DEI connexam: quam veteres illi ethnicorum ſapientes adeo neceſſariam homini eſſe cenſuerunt ad bene inſtituendam vitam, moreſq; formandos, & ad rite moderandas dirigendaſq; actiones, & rectè perficienda virtutum officia, vt dictum illud: (NOSCE TEIPSVM) quaſi diuinum quoddam oraculum, fuerit apud ipſos celebratiſſimum. Ex cognitione autem ſui oritur vel expectatio præmiorum poſt hanc vitam pro benefactis, vel pro malefactis metus ſuppliciorum. Quanta porrò in veritatis huius ignoratione, contrariorumq; errorum caligine verſati ſint, qui cognitione veri DEI, diuinoque lumine caruerint, vix enarrari ſatis queat. Permulti enim putauerunt, animum noſtrum vna cum corpore prorſus interire: quorum verba ſunt ea, quæ refert Iſaias capite 22. *Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur.* Et Salomon Eccleſiaſt. capite 3. *Vnus eſt interitus hominum & iumentorum, & æqua vtrorumque conditio, & nihil habet homo iumento amplius.* Et in libro Sapientiæ cap. 2. *Nec eſt agnitus, qui reuerſus ſit ab inferis, quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hac erimus tanquam*

Locus Iſaiæ cap. 22.

quam non fuerimus. Nec verò Plebeiorum atque indoctorum hominum hæc fuit sententia. Plinius vir inter sapientes Romanos, & multiiugi doctrina, eximiaq; rerum ciuilium prudentia præcellens, idem sensit, & disertis quidem verbis, impio tamen sensu ita tradidit: Post sepulturam, aliæ atque aliæ manium ambages; omnibus à suprema die, eadem quæ ante primam: nec magis à morte sensus vllus aut corpori, aut animæ, quàm ante natalem. Eadem enim vanitas in futurum etiam se propagat, & in mortis quoque tempore, ipsa sibi vita mentitur: aliâs immortalitatem animæ, aliâs transfigurationem, aliâs sensum inferis dando, & manes colendo; Deumq; faciendo, qui iam etiam homo esse desierit. Ceu verò vllo modo spirandi ratio homini à ceteris animalibus distet: aut non diuturniora in vita reperiantur multa quibus nemo similem diuinat immortalitatem. Puerilium ista deliramentorum, auidæque nunquam desinere mortalitatis commenta sunt. Similis & de asseruandis corporibus hominum, ac reuiuiscendi promissa Democrito vanitas; qui non reuixit ipse. Quæ (malum) ista dementia est, iterari vitam morte? Quæue genitis quies vnquam, si in sublimi sensus animorum manet, & inter inferos vmbræ? Perdit profecto ista dulcedo, & credulitas præcipuum naturæ bonum, mortem: & duplicat obituri dolorem, etiam post futuri æstimationem. At quanto facilius, certiusque sibi quemque credere, ac specimen securitatis, ante genitali sumere experimento. Hæc ille, insipienter nempe, atque impiè.

Plinij lib. 7. cap. 55. impia de animo nostro sententia.

79. Aliqui verò crediderunt, vel potius suspicati sunt aliquid de futura vita, verùm modo poëtico & fabuloso. Cognouerunt enim & dixerunt, immortalem esse animum hominis: stabilem tamen ei beatitudinem in vita æterna non inuenerunt: ad miserias quippe præsentis vitæ rursum post aliqua secula, eum redire dixerunt. Corpori autem præmium aliquod post hanc vitam esse repositum, ne suspicione quidem attigerunt; vt qui resurrectionem corporum ad vitam immortalem, vel non cognouerunt, vel non crediderunt. Et

quia miserias huius vitæ, pœnas esse peccati primi hominis, quod omnes eius posteri in ipsa conceptione concipiunt, non intellexerunt; de natura tanquam hominum nouerca stultè cõquesti sunt: quorum querelas Plinius, idem ipse sentiens, in Procemio lib. 7. exposuit. Atque ea ratione DEVM ipsum naturæ auctorem, & rectorem tanquam iniquum & malignum in homines, accusabant: sicut refert Augustinus lib. 4. contra Iulianum cap. 12. Qui verò hoc dicere, aut etiam sentire exhorruerunt, in alium delati ac delapsi sunt errorem, dicentes, hominem in superiori vita peccasse, & ob peccata ante ortum admissa, ad præsentis vitę miserias, tanquam pœnas luendas, esse in corpus, quasi tetrum in carcerem depressas. Valet ad eorum quæ dicta sunt cõfirmationem, quod Cicero scriptum reliquit in lib. 3. de Repub. & in eo Dialogo, qui inscriptus est HORTENSIVS, his fermè verbis, quæ refert Augustinus in cap. 12, & 15. li. 4. contra Iulianum. In lib. 3. (inquit Augustinus) de Republica Tullius hominem dicit nõ vt à matre, sed tanquam à nouerca natura editum in vitam, corpore & nudo, & fragili, & infirmo: animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines: in quo tamen inesset, tanquam obrutus quidam diuinus ignis ingenij, & mentis. Hæc Cicero, post hæc subdit Augustinus. Neq; hoc iste Auctor dixit, male viuẽtium moribus effectum, sed naturam potius accusauit. Rem vidit, causam nesciuit: latebat enim eum cur esset graue iugum super filios Adam à die exitus de vẽtre matris eorum vsq; in diem sepulturæ. Cum enim sacris literis eruditus non esset, ignorabat originale peccatum. In extremo autem Dialogo, qui inscribebatur HORTENSIVS, cum multa quę videmus & gemimus de hominum vanitate atque infelicitate dixisset, subdit: Ex quibus humanæ vitæ erroribus & ærumnis fit, vt interdum veteres illi, siue vates, siue in sacris initiis tradendis diuinæ mentis interpretes, qui nos ob aliqua scelera suscepta in vita superiore, pœnarum luendarum causa natos esse dixerunt, aliquid vidisse videantur. Verumque sit illud, quod est apud Aristote-

Plinius.

S. Augustinus.

Ciceronis sententia memorabilis.

B. Augustinus.

Aristotelem, simili nos affectos esse supplicio, atque eos, qui quondam cùm in prædonum Hetruscorum manus incidissent, crudelitate excogitata necabantur: quorum corpora viua, cum mortuis, aduersa aduersis accommodata quam aptissimè colligabantur: sic nostros animos cum corporibus copulatos, vt viuos cum mortuis esse cōiunctos.

80. Cùm ergo nihil de homine gentes veri DEI ignaræ cognouissent, nisi quod in hoc mundo manifestum illis erat: cumque in eo viderent vniuersa siue bona, siue mala, æquè bonis, atque malis obuenire; eo factum est, vt putarent, aut nullum esse DEVM, aut iniustum esse, aut non curare res humanas. Vnde accidit, vt eorum corda complerentur malitia, & contemptu in vita sua, vt ait Salomon. *Ecclesiastæ 9.*

DVODECIMA DISPVTATIO.

Quanta fuerit, in hominum animis ignorantia legis naturalis, quantum ad eius præcepta, quæ spectant ad proximum.

81. SI respiciamus ad immanes & efferatos quarūdam gentium mores, atque infanda scelera (ait Hieronymus libro secundo aduersus Iouinianum, *S. Hieronym.* quos veteres percensent historiæ, liquido videbimus, illud principium legis naturæ: QVOD TIBI NON VIS, ALTERI NE FECERIS) ex quo vno pendent omnia secundæ tabulæ præcepta, cunctaque quæ erga alios homines præstantur officia; è cordibus hominum expunctum esse, prævalente videlicet amore dominatuque vitiorum. In eius autem locum successit in cordib. hominum alterum quoddam humanæ malitiæ principium, superiori planè contra-

rium: (IVS ESSE AC FAS, QVODCVNQVE EI, QVI PLVS POTEST, VTILE EST.) Vide Auguſtinum in libro 19. de ciuitate DEI cap. 21. Hanc ipſam ſententiam impios homines inducit liber Sapientiæ capite 2. vſurpantes, atque his verbis enuntiantes: *Sit fortitudo noſtra, lex iniuſtitiæ, quod enim infirmum eſt, inutile inuenitur.* Euſebius libro ſexto de præparatione Euangelica narrat, apud varias gentes fuiſſe quondam in more atque inſtituto multa, quæ manifeſtè aduerſabantur legi naturæ. Etenim Perſæ & ſorores, & matres, & filias ſuas nefandis ſibi matrimoniis iungebant: humanis carnibus veſcebantur Scythæ, falſa ducti ſuperſtitione liberos ſuos iugulabant. Maſſagetæ & Dorbices cognatos ſuos ætate feſſos, ſenioque confectos diis immolabant, & carnes eorum in conuiuio epulabantur. Senes, per ætatem iam inutiles, Tibareni præcipitabant; Hyrcani rapaci generi auium, Caſpij canibus proiicere erant ſoliti. Apud alios nec furta, nec adulteria, nec alia, etiam grauiora ſcelera plectebantur, nec turpia ducebantur. Quanta fuerit improbitas & impietas, & ſcelerum immanitas in gente Chananæorum, antequam ſedes eorum Hebræi, exterminatis illis, obtinuerunt, proditum eſt in Leuitico cap. 18. & in Deuteronomio capite 10. & 16. Conſidera quæſo Platonis (quem nonnulli, nec ſanè indocti, Deum Philoſophorum ſtultè appellarũt) quàm improbæ ſint leges de non ſubueniendo valetudinariis, de licenter mentiendo, de occidendis infantibus, & de communione vxorum. Lycurgus ſuis legibus iubet, hoſpites finibus pelli, pueros impunè proſtitui; fœminas licenter exponi. Hæc & alia complura legi poſſunt apud Theodoretum in libris de curatione Græcarum affectionum. Quid plura? apud Philoſophos, & principes viros, tam Græcos, quàm Romanos, nefandos puerorum amores, & ſcelera contra naturam, non modò citra pœnam, ſed etiam citra infamiam exerceri mos fuit. Diſputatio certè B. Pauli, in primo capite huius epiſtolæ ſuper grauiſſimis criminibus, & turpiſſimis flagitiis gentium, apertè demonſtrat, quàm fuerit hu-

S. Auguſtinus.

Locus Sapientiæ cap. 2.

Euſebius.

Theodoretus.

mana natura & erroribus corrupta, & vix credendis flagitiis deformata. Idem Paulus, paucioribus tamen verbis, hoc ipsum indicauit in epistola ad Ephesios capite quarto ita scribens: *Gentes ambulant in vanitate sensus sui; tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita* DEI *per ignorantiam quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum. Qui desperantes* (vel secundum lectionem græcam, indolentes) *semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem omnis immunditiæ.* Ibam, inquit Augustinus in persona istiusmodi hominum, post concupiscentiam meam, & quocumque trahebat, currebam; eiusque illecebras blandas, & ex carnali suauitate iucundas, magnam felicitatem arbitrabar. Laudatur enim peccator in desideriis animæ suæ, & qui iniqua gerit benedicitur. Luxuriosus & immundus atque lasciuus, felix dicitur: abundare voluptatibus, & frui deliciis, beatitudo putatur. Si se quis vino iniurgitet, si mensuras bibat sine mensura; parum est, quod non vituperetur; etiam viri fortis accipit nomen; tanto profectò nequior, quanto est in potando inuictior. Laudantur ista, & pleno ore dicitur; Felix est, magnus est, benè, beateque viuit: nec solùm hoc non putatur peccatum, sed etiam putatur & licitum, & iucundum, suaueque bonum.

Aug. Serm. 4. de Verbis Apostoli Tom. 10.

Psalm. 9.

82.

Ignorantia & peruersitas hominum circa officia & æstimationem boni & mali.

Maxima porrò est inter homines, plurimis, maximisque sceleribus contaminatos atque corruptos, rectorum in humana vita & societate officiorum perficiendorum ignorantia; iudiciumque in eis æstimandis rebus bonis aut melioribus, valde peruersum. Cùm enim is qui DEVM nouit, & colit; diuersa æstimet regula, recta officia, multoque aliter de bonis & malis sentiat, atque is qui DEVM ignorat: clarum est, hunc multa æstimare recta, quæ alius, verum DEVM cognoscens, & colens, iudicat praua: Ille enim sæculi commoda in magnis bonis numerat: hic verò etiam in detrimentis ponit. Audi beatum Ambrosium: Sapientes huius sæculi (ait Ambrosius) officia, alia dicunt pertinere ad decus, honestatemque vitæ: alia verò ad commoda vitæ, & copias, & opes, & facultates.

B. Ambrosius lib. 1. de offic. cap. 9.

Nos

Nos autem (Christiani) nihil omninò, nisi quod deceat, & honestum sit, spectamus: & hæc, futurorum magis, quàm præsentium metimur formula: nihilque vtile, nisi quod ad vitæ illius æternæ prosit gratiam, definimus, non quod ad delectationem præsentis. Neque aliqua commoda in facultatibus & copiis opum constituimus; sed incommoda hæc putamus, si non reiiciantur: eaque oneri magis, cùm sunt, æstimari, quàm dispendio, cùm erogantur: quia officium diuersa æstimamus regula atque illi æstimauerunt. Illi sæculi commoda in bonis ducunt: nos hæc etiam in detrimentis ponimus; quoniam qui hîc recipit bona, vt ille diues, illic cruciatur; & Lazarus pauper, & vlcerosus, qui mala hîc pertulit, illic consolationem inuenit. Sic Ambrosius.

Luc. 16.

83. *Prosper.*

Amor porrò vitiorum cùm, (vt scribit Prosper in libro contra Collatorem cap. 27.) rectum peruertat iudicium, virtutumque semina, quæ beneficio CREATORIS inserta erant homini, præuaricatione primi parentis corrupta sint, atque in eorum locum successerint omnium venena vitiorum: consequitur, etiam circa quælibet recta officia, cœcitatis, atque errorum semina sparsa esse in animis hominum, & pro qualitate vitij exerentis sese ac reliqua vitia non quidem sanantis, sed frenantis quodammodo atq; opprimentis, ignorantiam quoque, erroresque, & mentis cœcitatem existere. Quæ mala magnas tunc vires acquirunt, cum peccandi consuetudine vitium fuerit roboratum, atque inueteratum. Peccata enim (inquit Augustinus in Enchiridio capite 80.) quamuis magna & horrenda, cùm in consuetudinem venerint, aut parua, aut nulla esse creduntur: vsque adeo, vt non solùm non occultanda, verùm etiam prædicanda & diffamanda videantur: sicut scriptum est: *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur.* Talis iniquitas, vocatur clamor in diuinis litteris: vnde est illud in Genesi (capite 18.) *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus est.* Quia non solùm iam apud eos non puniebantur illa flagitia, verùm etiam, publicè, velut lege, frequentabantur.

B. Augustinus. Quantum sit malum peccãdi consuetudo.

Locus Psalm. 9.

tur. Similiter etiam noſtris temporibus, ita multa mala, & ſi non talia, in apertam conſuetudinem iam venerunt, vt pro his non ſolùm excommunicare aliquem laicum non audeamus, ſed nec Clericum degradare. Quocirca cùm exponerem, ante aliquot annos, epiſtolam ad Galatas, in eo ipſo loco, vbi ait Paulus: *Timeo ne fortè ſine cauſa laborauerim in vobis.* Exclamare compulſus ſum: Væ peccatis hominum, quæ ſola inuſitata exhorreſcimus: vſitata verò, pro quibus abluendis FILII DEI ſanguis effuſus eſt; quamuis tam magna ſint, vt omninò claudi contra ſeſe faciant regnum DEI, ſæpè videndo, omnia tolerare; ſæpè tolerando, nonnulla etiam facere cogimur. Atque vtinam, ô Domine, non omnia quæ non poſſumus prohibere, faciamus. Duabus verò ex cauſis peccamus: aut nondum videndo quid facere debeamus; aut non faciendo, quod debere fieri iam videmus. Illud ignorantiæ malum eſt, hoc infirmitatis, contra hæc pugnare nos conuenit; ſed profectò vincimur, niſi diuinitus adiuuemur, vt non ſolùm videamus quid faciendum ſit, ſed etiam accedente ſanitate animi, delectatio iuſtitiæ vincat in nobis earum rerum delectationes, quas vel habere cupiendo, vel amittere metuendo ſcientes, videnteſque peccamus. Iam non ſolùm peccatores, quod eramus, cùm per ignorantiam peccamus; verùm etiam legis præuaricatores, cùm id non facimus, quod faciendum eſſe nouimus; vel facimus, quod non faciendum eſſe ſcimus. Quapropter non ſolùm rogandus eſt Dominus vt ignoſcat, ſi peccauimus; verùm etiam deprecandus, vt nos regat, ne peccemus. Pro illo dicitur: *Dimitte nobis debita noſtra.* Pro hoc dicitur: *Ne nos inducas in tentationem.* Et Dauid ait: *DOMINVS illuminatio mea, & ſalus mea.* Vt illuminatio detrahat ignorantiam, ſalus auferat infirmitatem. Hæc Auguſtinus.

Ad Galat. 4.

Matth. 6.
Pſalm. 26.

DECIMATERTIA DISPVTATIO.

An lex naturalis omnino ignorari, & ex hominum animis penitus deleri queat: & an eius ignoratio faciat hominem à culpa excusabilem & immunem à pœna.

84.

S. Augustinus.

NON posse legem naturalem omnino ignorari, & ex corde hominis deleri, non obscurè indicauit Augustinus libro secundo Confessionum cap. 4. illis verbis: Furtum certè punit lex tua Domine, & lex scripta in cordibus hominum, quam ne ipsa quidem delet iniquitas. Quis enim fur æquo animo furem patitur? Idemque apertius dicit in libro de spiritu, & littera, cap. 28. Non vsque adeò, inquit, in anima humana imago DEI, terrenorum affectuum labe detrita est, vt nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint: Vnde meritò dici possit, Gentes, etiam in ipsa impietate vitæ suæ aliqua legis vel facere, vel sapere. Et sicut ipsa imago DEI renouatur in mente credentium, per nouum Testamentum, quam non penitus impietas aboleuerat; nam remanserat vtique anima hominis, quæ nisi rationalis esse non potest: ita etiam ibi lex DEI, non ex omni parte deleta per iniustitiam, profectò scribitur renouata per gratiam. Nec istam inscriptionem, quæ iustificatio est, poterat efficere in Iudæis lex in tabulis scripta, sed solùm præuaricationem. Nam & ipsi homines erant, & vis illa naturæ inerat eis, qua legitimum aliquid anima rationalis & sentit, & facit, &c. Sic Augustinus. Et verò, non potest natura humana, etiam maximis peccatis, & malis oppressa, amittere naturalem beatitudinis appetitum: acquirendæ scilicet beatitudinis gratia faciunt omnes homines, quid-

Appetitus rectitudinis & sciendi verum, est homini naturalis atque inseparabilis.

quidquid vel boni faciunt, vel mali: Quis enim vllo modo velle possit esse infelix, etiamsi illud vult, vbi eum vel nolentem infelicitas consequatur? Amant enim omnes beatitudinem (ait Augustinus Concione 2. super Psalmum 32.) & ideo peruersi sunt homines, quia mali volunt esse, cùm miseri esse nolint. Et cum sit malitiæ indiuidua comes miseria, isti peruersi non solùm mali esse volunt, & miseri esse nolunt, quod fieri non potest; sed ideo volunt mali esse, ne miseri sint. Furtum quis facit; quære, cur faciat? respondet vtique propter famem, & propter necessitatem. Ergo, ne miser sit, malus fit, & ideo miserior est, quia malus est. Depellendæ igitur miseriæ causa, & acquirendæ beatitudinis gratia, faciunt omnes homines quidquid vel boni faciunt, vel mali: semperque beati esse volunt, siue malè viuentes, siue benè viuentes: sed non contingit omnibus, quod omnes esse volunt. Ac licet peccando, nec pietatem, nec felicitatem tenuit homo: voluntatē tamen felicitatis ne perdita quidem felicitate, perdidit. Nemo est hominum, qui gaudere nolit, qui pacem habere nolit, qui refugiat felicitatem, qui non vitet errorem; vt falli nemo velit ab aliis, etiam quicumque vult alios fallere. Quantum verò ametur sanitas, & integritas, rectusque mentis & rationis vsus, ex eo intelligitur, quod lamentari quisque sana mente mauult, quàm in dementia lætari. Ex hoc autem veritatis, & beatitudinis appetitu fit, vt etiam cognoscat, id, quod ad assequendam veritatem, & felicitatem conducit, esse agendum; quod autem inde abducit, & abstrahit, esse vitandum: deteriora item melioribus esse subdenda, æternaque temporalibus præferenda.

S. Augustinus.

85. Præterea, quidquid ab alio quis pati non vult, ideo pati non vult, quia malum iudicat: & quod ab alio fieri sibi exigit, ideo exigit, quia bonum esse arbitratur: vnde naturaliter manifestum est, omni homini, non esse faciendum alij homini, quod ipse pati ab alio homine non vult: & id esse præstandum aliis, quod sibi ab aliis exhiberi & præstari cupit, &

postulat. Hanc vtique legem in cordibus hominum scriptam, nec ipsa delet iniquitas: quis enim fur, æquo animo furem patitur? Quis adulter adulterum? nullus est, qui facit alteri iniuriam, nisi qui ab alio iniuriam sibi fieri nolit: atque hoc ipso transgreditur naturæ legem, quam non sinitur ignorare, dum id quod facit, non vult pati. Iudicat enim pœna dignum esse, quod malè agitur: quod autem benè fit, præmio & laude. Ideoque sicut benè agens, naturaliter gaudet: ita cùm malè agit, naturaliter metuit, & morsum conscientiæ patitur, etiamsi nemo scelus eius accuset, aut etiam nouerit. Nempe verum est, quod vulgò dicitur: (Conscientia, mille testes.) Scitumque est illud Iuuenalis: (Se iudice, nemo nocens absoluitur.) Ex hoc naturę instinctu cognouit Cain peccatum suum, dicens: *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Et primi nostri parentes, statim post lapsum, cognouerunt peccatum suum: nam continuò erubuerunt, & seipsi abscondere à conspectu Dei voluerunt. Pharao quoque, licet extremæ impietatis homo, ante legem DEI per Mosem hominibus latam, naturali rationis iudicio, & conscientiæ testimonio, peccata sua cognouit, & confessus est, dicens: *Dominus iustus est, ego autem & populus meus impij.* Videat lector B. Hieronymum in epistola ad Algasiam, in responsione, ad quæstionem octauam. Ex his porrò naturæ à DEO conditæ reliquiis (ait Prosper in libro contra Collatorem capite vigesimo secundo) naturali quadam intelligentia, homo cognoscit mores ciuitatum, concordiamque populorum, non posse aliter contineri, nisi vt rectè factis præmia, & peccatis supplicia decernantur. Ideoque prudentes viri ad similitudinē legalium mandatorum, proprio iudicio, multa sanxerunt. Attēdite vniuersum orbem terrarum (Augustinus inquit tractatu octauo in Ioannem) ordinatum in ipsa humana Republica diuersis administrationũm muneribus, distinctis ordinibus potestatũ, ædificatis ciuitatibus, sancitis legibus, formatis moribus, inuentisque artibus: si enim nec ad ista terrena ordinanda, ratio-

Iuuenal. Saty. 13.

Genes. 4.

Genes. 3.

Locus Exod 9.

S. Hieronym. epist. 51.

Prosper.

Augustinus.

rationalis animi vigeret ingenium, non vitiata esset, sed extincta natura. Ex his apparet, legem naturalem non vsquequaque, nec omnino, per hominum peccata, qualiacunque & quantacunque sint, ex animis humanis posse deleri.

86. *Quatenus lex naturalis ignorari possit.*

Sed quia in proxime antecedenti disputatione ostensum est, multa quondam fuisse apud varias Gentes infanda & horrenda scelera, & legi naturali plane contraria, quo licet intelligere, fuisse ex animis earum Gentium legem naturalem magna in parte delteam: ne videantur ea quæ conclusimus, inter se pugnare, lectorem animaduertere volumus, legem naturalem dupliciter posse considerari, vel secundum quædam prima & vniuersalissima principia practica, cuiusmodi sunt illa, Viuendum esse secundum rationem: bonum esse prosequendum, & malum fugiendum: Quod tibi non vis ab alio fieri, ne feceris aliis: Quod ab aliis tibi fieri vis, fac etiam tu aliis. Hæc prima & generalissima principia legis naturalis non possunt ignorari ab homine, nec ex animo eius obliterari simpliciter atque in vniuersali: possunt tamen in particulari deleri ad aliquod tempus; dum ratio videlicet aut nimia cupiditate aut odio, aut ira, aut alia quapiam perturbatione impeditur, atque prohibetur à te applicare præcepta illa hîc & nunc ad has vel illas particulares operationes. Si autem lex naturæ consideretur secundum ea, quæ sunt quasi conclusiones, quæ per necessariam & euidentem consecutionem ex illis primis principiis practicis, proximè deducuntur; Potest in his lex naturæ obscurari, & ignorari, tum quantum ad notitiam, tum quantum ad rectitudinem. Id porrò vsu venire solet quando sunt hominum animi vel falsis opinionibus occupati, noxiisque erroribus imbuti; vel prauis moribus atque institutis condocefacti, & inueterata peccandi consuetudine corrupti. Quibus ex causis accidit, vt neq; apud Germanos (vt scribit Cæsar libro sexto de Bello Gallico) latrocinari esset in vitio; nec apud Græcos & Romanos, pluresq; alias Gentes, infandi puerorum amores, turpes, & probrosi, infamesq; ducerentur. *Iul. Cæsar.*

87.
An ignoratio legis naturæ, qualis qualis esse potest, tollat culpam, aut minuat.
S. Augustinus.

Sed videamus deinceps, an legis naturalis ignoratio, qualiſcumque, & quantacumque ea fuerit, facere queat excuſabilem hominem à culpa, & immunem à pœna. Qui nouerunt diuinam legem (Auguſtinus inquit de gratia & libero arbitrio capite tertio) nullam habent excuſationem ignorantiæ, quam ſæpe homines ſolent ſuæ improbitati prætexere. Verùm nec illi ſine pœna erunt, qui legem DEI neſciunt. Nam cum Dauid dicat (pſalmo 78.) *Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non nouerunt.* Et Paulus ſcribat in primo capite poſterioris epiſtolæ ad Theſſalonicenſes: *Cum venerit in flamma ignis, dare vindictam iis qui non nouerunt DEVM.* Sit autem alieniſſimum, & remotiſſimum à DEI iuſtitia & bonitate, eum, qui puniri non debet, condemnare, vt proditur Sapientiæ capite duodecimo, & Geneſ. 18. neceſſario conficitur, nullam vindictam, nullam pœnam, nullam DEI correptionem, aut flagellum cuipiam hominum infligi ſine peccato, excepto domino noſtro IESV CHRISTO, qui non pro ſuis, ſed pro noſtris peccatis flagellari, & occidi voluit. Quocirca vbicumque apparet pœna, inibi aliquod latere peccatum, exiſtimare conuenit: vbi verò peccatum eſt, & pœna, ibi etiam lex prohibens & puniens vt ſit, neceſſe eſt: neque verò peccatum erit, ſi non ſit, quod diuinitus fieri vel iubeatur, vel prohibeatur. Itaque etiam qui ex ignorantia peccare videntur, non ſunt omnino excuſabiles. Cum enim DEVS à principio rectum hominem fecerit, eique integram & perfectam legem naturæ, rerumq; agendarum, & fugiendarum ſcientiam indiderit, quam ipſe peccando vel deleuit, vel obſcurauit: efficitur, vt ex peccato proueniat omnis quam boni patitur ignorantia. Quemadmodum in codice ſcripto permanent edicta publica Regum, vel Imperatorum, etiamſi homo cæcus ſit, & ea legere non poſſit. qui enim oculos ſibi eruit, ne mandatum conſcriptum legeret, excuſare non poteſt ignorantiam edicti. Merito igitur celebris eſt apud Theologos illa B. Auguſtini ſententia: Inexcuſabilis eſt omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento propriæ voluntatis; ſi

Eccleſ. 7.

Auguſtinus in epiſt. 105. ad Sixtum.

tis; siue qui nouit, siue qui ignorat: quia & ipsa ignorantia in iis quidem, qui intelligere noluerunt, sine dubio peccatum est; in iis autem, qui intelligere non potuerunt, est pœna peccati. ergo in vtrisque non est iusta excusatio, sed est iusta damnatio.

Non est tamen negandum, ignorantiam legis eleuare aliquantulum, & minuere peccatum: ignorantium enim legem quàm scientium leuiora sunt peccata. Habemus etenim super hoc expressam Domini sententiam, quam Lucas refert capite 12. his verbis: *Ille seruus qui cognouit voluntatem domini sui, & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Nam, vt dicit Augustinus libro 14. de Ciuitate DEI capite 12. tanto maiori iniustitia violatur præceptum, quantò faciliori potest obseruantia custodiri. Ignoranti enim, deest scientia, & bona voluntas; scienti verò, deest tantùm bona voluntas. Igitur qui sciens peccat, liberiori voluntate, ideoque plus peccat quàm nesciens. Quanquam peccatum nescientis, vt ait Augustinus libro 1. Retractationum cap. 13. non sit prorsus sine voluntate; voluntate, inquam, facti, non tamen voluntate peccati, quod tamen factum, peccatum est. Hoc enim fit, quod fieri non debet. Quamobrem talia delicta non in totum excusantur. Contra hæc enim oramus: *Ab occultis meis munda me Domine*; Et Apostolus dicebat: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Licet autem lex ignoretur, fixa tamen & inuariata permanet lex naturæ, quantacumque fuerit hominis improbitas atque prauitas. Eadem quippe est lex de non fornicando, & viro casto, & viro impuro: ceteraq; legis naturæ præcepta eadem sunt scientibus atq; ignorantibus, & iustis, atq; iniustis: nunquam enim sic DEVS punit malam voluntatem (sicut Augustinus scribit in lib. 8. super Genesim ad litteram, cap. 23.) vt naturæ perimat dignitatem. Si autem eadem naturæ dignitas est iustis atque iniustis, proculdubio idem est vtrisque naturalis ordo: eadem ergo etiam lex est, quæ ordinem illum conseruari iubet. Cumque DEVS

88.

Locus Lucæ cap. 12.

S. Augustinus.

Idem Augustinus.

Locus psalmi. 18.

1. ad Corinth. 4.

S. Augustinus.

Devs legem naturalem dederit homini quaſi regulam & menſuram eorum, quæ ſecundum rectam rationem vel agenda, vel euitanda ſunt; neceſſum profectò fuit, legem naturæ eſſe inuariabilem: in omnibus enim rebus regula, & menſura, inuariabilis eſt, vt ea, quæ metienda & dirigenda ſunt, quæ ipſa per ſe mutabilia ſunt, menſuræ aptari queant, ne, ſicut habet Prouerbium, fiat Leſbia regula, hoc eſt; non vt res menſuræ, vti conuenit, ſed menſura ipſis rebus, quod planè peruerſum eſt, accommodetur. Ergo lex naturæ non ad mores hominum detorqueri & obliquari, ſed contra potius hominum mores ad rectam legis naturalis normam corrigi, & dirigi, & formari debent.

DECIMAQVARTA DISPVTATIO.

De legis naturalis, poſt peccatum Adæ inſufficientia ad bene viuendum & agendum ſecundum rectam rationem, & ad comparandas virtutes morales: multoq; magis ad pie digneq; Deo viuendum.

89. *An poſt peccatū ſemina virtutum ſint in animis hominum naturaliter & efficaciter.*

Doctrina eſt celebris Philoſophorum, ſparſa eſſe à natura in animis hominum, inſitaque ſemina omnium virtutum, quæ in lege naturali continentur: quibus non ſolùm homines moueantur, & promoueantur ad bene agendum, verùm etiam, hiſce ſeminibus adoleſcentibus, maturi virtutum fructus procreentur: quam tamen ſententiam, & vanam, & falſam eſſe perpetua omnium hominum exempla, & experimenta conuincunt. Quod enim poſt peccatum Adæ, reliquiæ legis naturalis non ſint in homine viuida, & efficacia ſemina, (ſi careat is

DEI gratia) ex paucis quæ hic subiiciam, manifestum esse poterit. Id enim est homini semen & origo virtutis, quod est boni operis ferax: nam vt Paulus inquit ad Galatas 6. *Qui seminat in Spiritu; de Spiritu metet vitam æternam.* Sunt enim bona opera, semen vitæ æternæ. Ioannes item in capite tertio primæ epistolæ, natiuitatem ex DEI Spiritu acceptam, per quam quis ex DEO nascitur, semen DEI appellat, dicens: *Qui natus est ex DEO, non peccat, nec potest peccare: quia semen eius in ipso manet.* Et CHRISTVS dominus Matthæi 13. filios regni appellat semen suum, hoc est, à se seminatos. Cum igitur ante DEI gratiam, vitia dominentur homini, suffocantia quicquid in eo boni est, cum quibus vitiis virtutes habitare non possunt: & cum ipsa prauitas hominis, partim originis contagio contracta, partim frequenti vsu peccandi amplificata, & roborata, regnans in homine, occasione accepta per reliquias legis naturæ, fiat acrior atque potentior: clarissime patet, eiusmodi reliquias legis naturalis non esse homini, gratia DEI destituto, semina virtutum; sicut nec scortatori diuitiæ sunt semina bonæ vitæ, nec gladius furioso, vitæ est custodia, sed sui ipsius necis occasio. Et verò, contra legem naturalem, per hominum peccata, nimium quàm debilitatam, verissime conuenit, quod B. Paulus dixit de lege Mosis; *Lex iram operatur.* Et alio loco: *Virtus peccati lex*: Et ait alio loco, *Peccatum occasione accepta, factum esse supra modum peccans peccatum per mandatum.* Ob eandem quoque causam non est dicendum propter reliquias legis naturalis remansisse in homine lumen & decus virtutum: cum turpiora dedecora, crassioresque tenebras animis hominum, occasione legis, peccatum attulerit. Equidem non inficior, homini, ante peccatum, semina virtutum omnium, munere CREATORIS fuisse inserta, è quibus magna facilitate, ac felicitate, virtutes omnes prouenissent. Sed ea tamen semina, præuaricatione primi parentis, & tot tantisque aliorum hominum peccatis vitiata esse affirmo: nec haberi posse integra, nisi eo restituente per gratiam, qui condendo naturam dederat:

Ad Rom. 4.
Ad Rom. 7.

quin etiam pro virtutum ſeminibus, eſſe in cordibus hominum infuſa omnium vitiorum venena.

90. *Omnes homines (niſi qui gratia DEI ſanati ſunt) eſſe præuaricatores legis naturalis.* *S. Auguſtinus.*

Ex his porrò intelligere licet quemlibet hominem iam adultum, priuſquam per DEI gratiam ſanetur, legis naturæ præuaricatorem eſſe. Quanquam enim quidam ignorantium verum DEVM, adeo fuerunt gloriæ auidi, ſicut de Romanis docet Auguſtinus in libro quinto de ciuitate DEI cap. 12. vt eius vnius cupiditate ceteras omnes prauas cupiditates compreſſerint, ideoq; à magnis, & apud alios conſuetis vitiis, & hominum iniuriis ſeſe abſtinentes, non fecerunt aliis, quod ipſi pati nollent, & quarundam inſignium virtutum moralium præclara dederunt documenta, & exempla reliquerunt: iſti tamen omnes peccatores erant, legiſq; naturæ violatores: pauca enim ea bona, quam plurimis aliis ſceleribus, vel foras erumpentibus, vel intus tantum animo conceptis, & contentis, inquinabant, atque corrumpebant, & illa ipſa bona, ad malum finem, hoc eſt, vel ad ſua commoda, vel ad vanam laudem, & gloriam, referentes, vitiabant. Si qui verò iuſtitiam propter ſeipſam expetendam eſſe cognouerunt, tamen ipſi nequaquam id fecerunt: non enim poteſt ſcientia, ex naturæ opibus reſidua ſui perceptione præſtare, vt quod faciendum eſſe nouerimus, & amemus facere, & opere perficiamus. Homo enim (inquit Proſper libro contra collatorem capite 22.) excellentiſsimis licet artibus cunctiſq; mortalium polleat diſciplinis, iuſtificari tamen ex ſe non poteſt: quia bonis ſuis male vtitur; in quibus ſine cultu veri DEI impietatis, & immunditiæ conuincitur: & vnde defendi ſe exiſtimat, grauiter inde accuſatur. Nam etſi tanta eſt vis honeſtatis & probitatis (vt ait Auguſtinus lib. 2. de ciuitate DEI, cap. 26.) vt omnis, vel pene omnis hominum natura eius laude moueatur: nec ſit vſque adeo turpitudine peccatorum vitiata, vt totum amittat ſenſum honeſtatis, immoderatus tamen vitiorum amor efficit, vt frequentiſsime naturalis honeſtatis reſpectu ſenſuque non moueatur homo, ſed ita paulatim praua peccandi conſuetudine obſcu-

Proſper.

B. Auguſtinus.

obſcurentur, & tantùm non extinguantur reliquiæ legis naturæ: prorſus adeo, vt incipiat videri iuſtum, quod vtile eſt; & haberi honeſtum, quod eſt iucundum: vnde proditiones patriæ, & tyrannides; & fraudes hominum tam priuatim, quàm publicè exiſtunt, atque inualeſcunt: quemadmodum ex aduerſo, familiarum, & ciuitatum, & totius humanæ ſocietatis conſeruatio pendet ex principio illo legis naturalis: QVOD tibi non vis, alteri ne feceris. Cernimus apud quoſdam (ſcribit Hieronymus ſuper primum caput Ezechielis) ipſam conſcientiam; eiuſque remorſum aſsiduitate, grauitateque peccatorum, penitus opprimi nec ſentiri: cuius manifeſtum eſt indicium, eos nec pudorem habere, nec verecundiam in delictis; ita vt in eos verè dici poſsit illud Hieremiæ capite tertio: *Frons meretricis facta eſt tibi*: *noluiſti erubeſcere.* Quadrat etiam in iſtos illud quod eſt in Prouerbiis capite 18. *Impius cum venerit in profundum malorum, contemnit.* Ergo de lege naturali poſt peccatum, & in natura corrupta, ſimiliter dici poteſt, atq; S. Paulus de lege Moſis dixit: *Lex ſubintrauit, vt abundaret delictum.* Et quod idem Paulus ait alio loco, plane competit in legem naturalem: *Ego,* (inquit Paulus) *viuebam ſine lege aliquando: ſed cum veniſſet mandatum, peccatum reuixit, ego autem mortuus ſum: & inuentum eſt mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem. Nam peccatum, occaſione accepta per mandatum, ſeduxit me, & per illud occidit.* Huius porrò euentus rationem facile ſupra expreſſerat Paulus his verbis: *Quid ergo dicemus? lex peccatum eſt? abſit. Sed peccatum non cognoui niſi per legem: nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, Non concupiſces. Occaſione autem accepta, peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam, ſine lege enim peccatum mortuum erat.*

Hieronymus.

Ad Rom. 3. & 7.

Exodi 20.

91. Si autem lex naturæ, poſt peccatum inſufficiens eſt, vt oſtendimus, ad faciendum opus morale, quanto magis erit inſufficiens ad piè viuendum, & faciendum opera DEO grata, æternæque vitæ prœmio digna? Audiat lector B. Auguſtinum: Ineſt ſanè in hominibus (Auguſtinus inquit) vis illa naturæ,

Inſufficientia legis naturalis ad piè, ac dignè DEO viuendū.

Aug. lib. de ſpiritu & lit. cap. 27.

naturæ, qua legitimum aliquid anima rationalis & sentit, & facit: sed pietas tamen, quæ hominem transfert in aliam vitam beatam, & æternam, habet aliam legem, nempe immaculatam, & conuertentem animas: vt ex illo lumine renouentur, fiatque in eis quod dixit Dauid: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Vnde & auersi à DEO obsolescere meruerunt: renouari autem, nisi per gratiam CHRISTI, nullo modo possunt. Memorabilis profectò est super hac re, ac venerabilis, omnique acceptione digna, illa Concilij Arausicani sententia, quæ in canone vigesimo primo eius concilij pronuntiatur his verbis: Sicut eis, qui volẽtes in lege iustificari, & à gratia exciderant, verissime dixit Apostolus: *Si ex lege iustitia est, ergo CHRISTVS gratis mortuus est,* quasi diceret: Iam erat lex ante CHRISTI aduentum, & non iustificabat: iam erat & natura, & non iustificabat, ideoque CHRISTVS non gratis mortuus est: sed vt lex per ipsum impleretur, qui dixit: *Non veni legem soluere, sed adimplere,* & natura per Adam perdita, per eum repararetur, qui dixit, venisse se quærere, & saluum facere quod perierat.

Psal. 18. *Psal. 4.* *Concil. Arausicanum.* *Ad Gal. 5.* *Matth. 5.* *Luc. 22.*

92. *Cur necesse fuerit, legem naturalem à DEO inscriptam in cordibus hominum, extrinsecus etiam scribi in tabulis.*

Sed quid mirum, legem naturæ, post Adæ peccatum, inualidam fuisse ad vitam benè pieque instituendam, cum processu temporis, & assiduo peccandi vsu, adeo fuerit obscurata, & propemodum obliterata, vt multi, quæ aperte mala erant, æstimarent bona; & quæ bona erant, mala ducerent. Quam ob causam necessum fuit, legem naturæ, iam in cordibus hominum fermè deletam, extrinsecus in tabulis descriptam, & expressam renouari, & proponi homini, vt sic eam recognosceret: de quo pulcherrima sunt illa B. Ambrosij verba in epistola 71. quam scripsit ad Irenæum: Soluit naturalem legem Adam, qui voluit sibi arrogare quod non acceperat, vt esset CREATORI similis diuinum honorem affectans. Itaq; per inobedientiam, traxit offensam, & in culpam incidit ex insolentia. Qui si non rupisset imperium, & obediens fuisset mandatis cœlestibus, prærogatiuam naturæ, atque ingenitæ sibi innocentiæ hæredibus propriis transmisisset. Ergo

S. Ambrosius. *Gen. 3.*

go quia propter inobedientiam, prærogatiua naturalis legis corrupta, atque interdicta est, ideo scriptum legis testimonium est necessarium; vt vel partem haberet, qui vniuersum amiserat: & cui perierat, quod nascendo assumpserat, discendo saltem cognosceret, & custodiret. Ad eandem spectat sententiam, quod dixit in enarratione Psalmi quinquagesimi septimi, & scriptum reliquit beatus Augustinus: Manu (inquit) formatoris, in ipsis cordibus nostris VERITAS scripsit: QVOD TIBI NON VIS FIERI, NE FACIAS ALTERI. Hoc antequam lex daretur, nemo ignorare permissus est, vt esset vnde iudicarentur, etiam quibus lex non erat data. Sed ne sibi homines aliquid defuisse quererentur, scriptum extrinsecus est, & in tabulis, quod intus in cordibus suis non legebant. non enim scriptum non habebant, sed legere nolebant. oppositum itaque est oculis eorum, quod in conscientia videre cogerentur: & quasi forinsecus admota voce DEI, ad interiora sua homo compulsus est, dicente scriptura: *In cogitationibus impij interrogatio erit.* Ibi autem interrogatio, vbi lex. Sed quia homines appetentes ea, quæ foris sunt, exules à seipsis facti sunt; data est etiam conscripta lex, non quòd ea in cordibus eorum scripta non esset, sed quia tu fugitiuus eras cordis tui, ab illo qui vbique est, comprehenderis, & ad te ipsum intro reuocaris. Nam scripta lex quid aliud clamat eis, qui deseruerunt legem naturalem scriptam in cordibus suis, nisi illud: *Redite præuaricatores ad cor.* Sic Augustinus.

S. Augustinus.

Tobiæ 4.

Sapientiæ 1.

Locus Isaiæ cap. 46.

DECIMAQVINTA DISPVTATIO.

Legem naturalem, CHRISTI gratia illustratam, ac renouatam, valere ad piè viuendum, & dignè DEO seruiendum, ac placendum.

93. S. Augustinus.

QVEMADMODVM cognitio legis Mosaicæ in iis, quos gratia CHRISTI dirigebat, & adiuuabat, efficax erat ad omne bonum agendum, malumque vitandum: ita & lex naturæ, quæ post peccatum Adæ, in homine reliqua est, iuuante CHRISTI gratia, eo perducit hominem, vt, & quod agendum est, cognoscat, & agere velit, & opere ipso perficiat. Hoc enim agit spiritus gratiæ (Augustinus ait in libro de spiritu & littera cap. 27.) vt imaginem DEI, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis. Vitium enim contra naturam est, quam vtique sanat gratia. Et ideo Dauid dicebat: *Sana animam meã, quia peccaui tibi.* Proinde, *naturaliter homines, quæ legis sunt, faciunt:* qui enim hoc non faciunt, vitio non faciunt, quo vitio lex DEI deleta est è cordibus. Ideoque sanato vitio fiunt, quæ legis sunt, naturaliter: non quod per naturam negetur gratia, sed potius per gratiam reparetur natura: simul autem & hoc dicendum, sicut docet S. Basilius sub finem epistolæ centesimæ quadragesimæ primæ, quod naturalem illam iudicandi vim DEVS nobis inseruit, & fecit, nihil indigam doctrinæ: nemo enim docet colorum, aut figurarum aspectus internoscere, aut inter sonos, vel odores, vel sapores, vel inter molle, & durum, vel calidum, & frigidum discernere. Similiter nec mentem humanam quispiam docebit sese illis applicare, quæ sunt intelligibilia. Et vt sensus, si quid acciderit incommodi, cura tantùm opus habet, & propriam facilè

Locus Psal. 40.

S. Basilius.

eilè operationem explet; ita mens carni alligata, eiusque repleta phantasiis, fide opus habet, & rectæ vitæ conuersione. Sic Basilius. Cuius sententiæ consentanea sunt, quæ disputat Damascenus in libro tertio de fide orthodoxa capite decimo quarto his fermè verbis: Naturales sunt virtutes, & naturaliter & æqualiter in omnibus insunt, etsi non omnes æquè operentur ea, quæ sunt naturæ. Nam ex eo quod est secundum naturam, per transgressionem, lapsi sumus in id quod est præter naturam. Dominus autem ex eo, quod est præter naturam, ad id, quod est secundum naturam, nos reparauit: hoc enim est, secundum imaginem, & similitudinem DEI renouari. Quocirca exercitatio & alij labores, non ad acquirendam virtutem, quæ forinsecus sit inducenda, excogitati sunt; sed ad inductam, & præter naturam, prauitatē expellendam. Quemadmodum & ferri rubiginem non ei naturalem existentem, sed ex negligentia contractam, per laborem detergentes, naturalem ferri splendorem nitescere facimus. Ita Damascenus.

Damascenus naturales dicit esse virtutes.

94. Reliquiæ porrò legis naturalis, quas suprà diximus, in hominibus impiis, non solùm non esse virtutum semina & incitamenta bonarum actionum, & officiorum; sed contra potius, per humanæ naturæ corruptelam, occasiones esse turpius, peiusque viuendi: in homine tamen, iam per CHRISTI gratiam sanato, & roborato, verissima sunt, & fœcundissima maximarum virtutum semina. Euidenter (Augustinus inquit libro secundo de sermone Domini in monte capite 15.) per reliquias legis naturæ, in conscientia cuiuslibet animæ, quantumcumque peruersæ, quæ tamen vllo modo ratiocinari potest, loquitur DEVS: quod DEI verbum etsi generatim fiat, principium tamen est, ex quo, CHRISTI SPIRITV adiuuante, procedit fides, procedit & dilectio. Qui enim DEO credit, aut DEVM diligit, ideo hoc agit, quia bonum est, & quia suum cuique reddere oportet, & quia DEO debitum est. Ad omnia enim (vt ait Basilius in Regulis fusius disputatis capite secundo, & Homilia nona in Hexameron)

S. Augustinus.

S. Basilius.

ron) quæ descripta nobis præcepta sunt consequenda, naturales etiam à DEO facultates accepimus. Cùm igitur præceptum nobis sit, vt charitatem in DEVM habeamus, in ipso confestim ortus nostri exordio vim quandam nanciscimur, per quam nostra sponte ad ipsum diligendum impellimur. Nam & rerum pulchrarum, naturali propensione appetentes sumus. Et sponte nostra quidquid necessitudine aliqua coniunctum nobis est, diligere, & quicumque de nobis benè meriti sunt, amore prosequi consueuimus, sine præuia doctrina. Quid est autẽ diuina pulchritudine amabilius? Quis nobis coniunctior, quàm qui nos creauit, DEVS? Quis nobis plura præstitit beneficia, quàm DEVS, cuius totum est, quicquid habemus, & sumus. Multa igitur in nobis sunt diuini amoris inuitamenta, & incitabula.

95. Quanquam igitur post peccatum, non sine CHRISTI gratia assequantur homines sincerum honestatis, & probitatis amorem, & malitiæ totius detestationẽ: nobis tamen, CHRISTI fide, & gratia adiutis, non adeò difficile & arduum est, amorem recuperare iustitiæ, & odium iniquitatis, si tamen id ardenti contendamus affectu: ad vtriusque enim consecutionem DEVS impertiuit vtiliter potentiam, animæ rationali; vt amandi, ita & habendi odio, vt duce ratione directi virtutem quidem amemus, odio autem habeamus iniquitatem. Creando etenim DEVS humanam naturam, vnicuique hominum semen pietatis, & sapientiæ, & velut quasdam intelligendi radices inserit, atque hoc modo rationalem faciens naturam, naturæ suæ participem facit; & ineffabilis sui splendoris, quasi lucidos vapores, eo modo quem solus ipse nouit, in mentem hominis immittit. Reperiet hæc lector apud Basilium in explanatione illorum verborum Psalm. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem.* Nec absimile est, quod scribit S. Hieronymus, exponens verba illa Pauli ad Galatas capite primo: *Vt reuelaret FILIVM suum in me.* Perspicuum est, inquit, naturâ, omnibus, DEI notitiam inesse, & neminem sine CHRISTO nasci; & habere vnumquemque semina

S. Hieronym.

in se

in se iustitiæ, & sapientiæ, reliquarumq; virtutũ. Vnde multi absque fide, & Euangelio, vel sapienter faciunt aliqua, vel sanctè, vt parentibus obsequantur, vt inopi manum porrigãt, vt non opprimant vicinos, vt non aliena diripiant, magisque istiusmodi homines iudicio DEI obnoxij sunt, quòd habentes in se principia virtutum, & DEI semina, non credunt in eum, sine quo esse non possunt. Et paulò infrà tractans verba illa: *Iustus autem ex fide viuit*. docet bona ista naturalia, si adiunctam non habeant fidem, & gratiam DEI, esse sterilia, & mortua, & infrugifera homini, quòd omnium virtutum, & bonorum, quasi vita sit, CHRISTI fides viuida. Considerandum, inquit, est, non dixisse Prophetam: *Homo ex fide viuit*, ne occasionem tribueret, virtutum opera contemnendi: Sed dixit: *Iustus ex fide viuit*, vt quicumque fidelis esset futurus, & per fidem victurus, prius esset iustus, & puritate vitæ quasi quibusdam ad fidem gradibus ascenderet. Potest ergo fieri, vt sit aliquis iustus aliquo modo, vel habeatur iustus; sed quia sine fide CHRISTI est, non viuat. Paulus de se ait: *Secundum iustitiam quæ ex lege est, sine reprehensione conuersatus*. Fuerat igitur prius Paulus iustus secundum legem, sed nondum viuere poterat, quia non habebat in se CHRISTVM dicentem: *Ego sum vita*. In quem postea credens, cœpit & viuere. Similiter itaque & nos dicere possumus: Castus, non nisi ex fide viuit: Sapiens, ex fide viuit: Fortis, ex fide viuit: & de cæteris virtutum partibus similem sententiam proferamus aduersus eos, qui in CHRISTVM non credentes, putant se iustos, & fortes, & sapientes, & temperantes esse; vt sciant omnes, nullum absque CHRISTO viuere, sine quo, omnis virtus, in vitio est. Hæc Hieronymus. His quoniam maximè consona sunt, adiungam quæ ad eandem sententiam disputat sanctus Augustinus in libro quarto contra Iulianum capite tertio. Non absurdè, inquit, virtus definita est à Philosophis: *Virtus est animi habitus naturæ modo & rationi consentaneus*. Verum isti dixerunt; sed quid sit consentaneum liberandæ, ac beatificandæ naturæ humanæ, ne-

Ad Galat. 3.
Habacuc 3.

Ad Philip. 3.

Ioan. 14.

S. Augustinus ex definitione virtutis argumentatur, virtutem sine fide Christi, veram esse non posse.

ſcierunt. Neq; enim omnes homines, naturali inſtinctu, immortales, & beati eſſe vellemus, niſi eſſe poſſemus: ſed hoc ſummũ bonum præſtari hominib. non poteſt, niſi per CHRISTVM, & hunc crucifixum, cuius morte mors noſtra vincitur, cuius vulneribus vulnera noſtra ſanantur. Ideoque iuſtus ex fide CHRISTI viuit: ex hac enim fide, prudenter, fortiter, temperanter, & iuſtè, ac per hoc, his omnibus virtutibus, rectè ſapienterque viuit, quia fideliter viuit. Si ergo ad conſequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides quæ in CHRISTO eſt, promiſit, nihil proſunt homini ſine fide virtutes; nec vllo igitur modo veræ poſſunt eſſe virtutes.

96.

Exempla multorum, qui Dei fide & gratia præditi, ante omnem legem ſcriptam diuinitus datam, ſanctiſſimè vixerunt ſecundum legem naturalem.

Quantam porrò vim, etiam poſt peccatum, lex naturalis habeat in animis hominum ad benè viuendum, rectèque agendum, ſi tamen fuerit fidei lumine illuſtrata, & cœleſtis gratiæ robore confirmata, clariſſimè licet cernere in compluribus viris ſanctiſſimis, qui fuere ante legem Moſis, vt in Abel, Henoch, Noë, Abraham, Iſaac, Iacob, Ioſeph, Melchiſedec, & Iob: quorum virtutes, & mores, & facta, tanquã clariſſimum quoddam eximiæ probitatis & ſanctimoniæ exemplũ, diuina ſcriptura omnibus proponit ad imitandum. Hi autem, cùm nullam extrinſecus legem ſcriptam, diuinitus accepiſſent, illuminati fide, & gratia DEI adiuti, legis naturalis præcepta plenè, perfectèque cuſtodierunt: & iis, qui poſtea legali, & prophetica inſtructi, diuinarum rerum cognitione abundarunt, non modò imitabiles, ſed etiam admirabiles fuerunt. Sed paucis hiſce rebus de lege naturali, ceu, quadam à recto diſputationum itinere, facta digreſſione, decurſis: referamus nos ad explicandum quaſdam alias B. Pauli ſententias, quæ in reliqua huius ſecundi capitis parte continentur.

DECI-

DECIMASEXTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Si autem tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in DEO, & nosti voluntatem eius, & probas vtiliora instructus per legem, &c.

Vers. 17. & 18.

97.

HIS verbis B. Paulus deprimens arrogantiam Iudæorum, docere voluit, esse verum quod suprà dixerat: Non auditores legis, sed factores, iustos esse apud DEVM: nec profuturam Iudæis legem scriptam, de qua tantoperè gloriabantur; quin etiam plurimum eis nocituram, vtpote præcepta eius nequaquam exequentibus. Quinque porrò his verbis, Iudæorum prærogatiuæ indicantur, ob quas illi immodicè sibi placebant, & superbè gloriabantur, Gentes omnes præ se contemnentes. Sed Paulus ostendit, ob eas ipsas prærogatiuas, maiori dignos esse ipsos vituperatione & reprehensione. Latinus interpres vertens hoc loco: *Si autem tu Iudæus cognominaris*, videtur pro illo, *Si autem*, legisse græcè (εἰ δὲ) quod sonat, si autem, vel, si verò. At enim nunc ferè codices græci habent ἴδε, quod Faber vertit, Vide, Erasmus autem, ecce. sedenim lectionem interpretis Latini, sequuntur hoc loco & Origenes, & Ambrosius, & Theophylactus, & in libro de spiritu & littera cap. 8. B. Augustinus. Non igitur verè dixit Erasmus, veriorem, & antiquiorem scripturam apud Græcos habere dictionem illam græcam, vt significat (ecce) non vt significat (si autem) quis enim inducat in animum credere vetustiora, emendatioraq; exemplaria Erasmū habuisse, quàm Theophylactus, Augustinus, Ambrosius, & Origenes habuerunt?

98. Nomen Iudæorum non paruæ laudis & celebritatis olim fuit: multa enim leguntur in sacris litteris, ad eximiæ cuiusdam & singularis Iudaicæ gentis dignitatis, & honoris commendationem; cuiusmodi est illud: *Facta est Iudæa sanctificatio eius, Israël potestas eius.* Et alio loco: *Notus in Iudæa DEVS, in Israël magnum nomen eius.* Et Dominus noster dixit Samaritanæ: *Salus ex Iudæis est.* Et in libro Ecclesiast. scriptũ est, licet diuina sapientia in omnib. DEI operib. resplendeat, pręcipuè tamen eam, residere & elucere in populo Iudaico: *In Sion,* inquit, *firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui, & in Hierusalem potestas mea. Et radicaui in populo honorificato, & in plenitudine sanctorum detentio mea.* Sed hoc ipsum variis pulchrisque similitudinibus expressit Auctor libri quarti Esdræ capite quinto his verbis: *Dominator Domine, ex omni sylua terræ, & ex omnibus arboribus eius elegisti vineam vnicam, & ex omni terra foueam vnam: & ex omnibus floribus elegisti tibi lilium vnum, & ex omnibus abyssis maris replesti tibi riuum vnum: & ex omnibus ædificatis ciuitatibus, sanctificasti tibi vnam, Sion: & ex omnibus creatis volatilibus, delegisti tibi columbam vnam: & ex omnibus pecoribus prouidisti tibi ouem vnam: & ex omnibus multiplicatis populis, acquisiuisti tibi populum vnum; & ab omnibus probatam legem, donasti huic, quem desiderasti & elegisti populo.*

Psalm. 113. Psalm. 75. Ioan. 14. Ecclesiast. 24.

99. Sed quæ fuerit prima origo, & propria ratio huius appellationis, paucis indicandum est: hac enim de re, multa falsò & fabulosè ab Ethnicis scriptoribus tradita sunt memoriæ. Iustinus historicus inter alia, quæ de origine ac rebus Iudæorum vel inscienter nugatur, vel mentitur impudenter, etiam hoc est, Israëlem, regem fuisse decem filiorum prouentu, maioribus suis clariorem: itaque populum in decem regna diuisum filiis tradidisse: omnesque ex nomine Iudæ, qui post diuisionem decesserat, Iudæos appellari, colique eius memoriam ab omnibus iussit, cuius portio omnibus accesserat. Sic ille lib. 36. Cornelius verò Tacitus libro vigesimo primo Annalium, vel secundum veriorem librorum eius diuisionem, in libro quinto historiarum, de ratione appellationis

Vnde appellati sint Iudæi, falsa Iustini, & Taciti opinio.

tionis

tionis Iudæorum ad hunc modum ſcribit: Iudæos Creta inſula profugos, nouiſſima Libya inſediſſe memorant, qua tempeſtate Saturnus, vi Iouis pulſus, ceſsit regnis: Argumentum è nomine petitur, inclytum in Creta Idam montem, accolas Idæos, aucto in barbarum cognomento, Iudæos vocitari quaſi Idæos. Hæc Tacitus. Sed hæc; figmenta ſunt iſtorum, longe à ratione, ac veritate, auerſa, quod ex ſacris litteris licet intelligere.

100. *Iudaos non eſſe appellatos à Iuda Machabao, & putauit Ambroſius. Catharinus.*

Sanctus Thomas refert hoc loco opinionem quorundam, nec tamen eos nominat, qui putarunt appellatos eſſe Iudæos à Iuda Machabæo, cuius egregiæ virtutes, & præclara in bellis facinora in libris Machabæorum prædicantur: Hanc opinionem Catharinus affingit Ioſepho, ſatis profecto inſcienter; nam longe diuerſam fuiſſe Ioſephi ſententiam, mox dilucēſcet. Ego iſtius opinionis probatorem, aſſertoremque nominare poſſum Ambroſium ſuper primum caput epiſtolæ ad Romanos; ſi tamen eorum commentariorum auctor fuit B. Ambroſius. Sed ille tamen Auctor, quicunq; fuit, exponens verba illa Pauli: *Virtus enim* DEI *eſt, in ſalutem omni credenti, Iudæo primùm & Græco*, ſic ait: Iudæi ex tempore Iudæ Machabæi dici cœperunt, qui in cauſa cladis, reſtitit ſacrilegiis Gentium, & fiducia DEI collegit populum, & defendit genus ſuum: fuit autem ipſe ex filiis Aaron. Hæc ille. Verum iſtiuſmodi ſententiam in promptu eſt refellere. In diuina etenim ſcriptura, multo antiquior ætate Iudæ Machabæi, inuenitur appellatio Iudæorum. Heſter quippe non annis modo, ſed etiam ſæculis anteceſsit ætatem Iudæ Machabæi: in cuius libro plurifariam ponitur appellatio Iudæorum, tanquam communis eius Gentis: ſicut etiam apud Nehemiam capite. 4. & Eſdram capite 5. qui longe fuerunt ante Heſther. Quin etiam apud Danielem capite 13. & 14. & ante ipſum Danielem, apud Hieremiam capite 40.

101. *Vera origo & ratio appellationis Iudaorum.*

Vera igitur, & propria ratio huius appellationis Iudæorum ita ſe habet. Animaduertere eſt in ſacris litteris, eam Gentem à primo, etiam ante Abraham, dictos fuiſſe Hebræos:

os: quod nomen licet omnium primo tributum legamus Abrahæ Genes. 14. id tamen fuisse ante vulgo vsurpatum, vel ex eo ipso loco scripturæ non temere creditur. Eius verò appellationis origo fuit ex Heber, quando facta est linguarum diuisio, & Gentium: quam ob causam ipse filium, id temporis genitum, vocauit Phaleg. Verùm quia Iacob auctus est à DEO nomine Israëlis, vt in lib. Genesis traditur cap. 32. & ex duodecim eius filiis vniuersus deinde populus in totidem diuisus tribus, fuerat propagatus; cœpit Gens vtroque nomine appellari, dicebantur enim & Hebræi, & Israëlitæ. Postea verò, regnante Roboam, discissum est regnum eius, populusque in duas partes diuisus; decem namque tribus constituerunt sibi regem Ieroboam, appellabaturque regnum Israël, hæ ductæ in captiuitatem ab Assyriis, nunquam postea in terram suam reuersæ sunt: sed ad eam incolendam missi ab Assyriis sunt alienigenæ, qui postea Samaritæ dicti sunt. Reliquæ autem duæ tribus Iuda, & Beniamin, adhæserunt regno Roboam: quæ licet etiam postmodum captiuæ Babylonem ductæ sint, attamen post septuaginta annos, per Cyrum soluta captiuitate, reductæ sunt in terram suam, & quia tribus Iuda & amplior, & nobilior erat, præsertim verò quòd ea terra, quam post reditum insederunt, atque coluerunt, ad sortem tribus Iuda pertinebat; eo factum est, vt vniuersa gens illa à tribu Iuda, nomen & appellationem indueret Iudæorum. Nec solùm qui erant ex tribu Beniamin, sed quicumque ex aliis tribubus in patriam reuertentes, sese illis adiunxerunt, eodem nomine appellabantur. Ergo Iudæi, ab initio dicebantur propriè illi tantùm, qui erant ex tribu Iuda: post secessionem autem decem Tribuum à regno Roboam, vsque ad captiuitatem, quicumq; erant sub regno successorum Roboam, & Dauidis, dicebantur Iudæi: post reuersionem autem ex captiuitate Babylonica, omnes indifferenter dicebantur Iudæi: atque hoc duntaxat nomine à profanis scriptoribus & cogniti & celebrati sunt. Ad huius rei confirmationem adscribam hîc verba Iosephi ex capite quinto li-

Iosephus.

bri

bri vndecimi Antiquitatum, quæ sunt huiusmodi: Appellatio hæc Iudæorum tunc primùm illis, & regioni est indita, quando à Babylonia sunt reuersi: propterea quod Iudæ tribus iam olim ea loca occupauerat.

102. *An Iudæi antiquitus sint appellati Solymi.*

Sed illud etiam quæri dignum est, an Gens illa fuerit antiquitus appellata nomine Solymorum, vt qui à vetustissimis Ethnicorum scriptoribus, nomine Solymorum celebrantur, fuerint Iudæi: hoc enim fuisse ab antiquis traditum; narrat Iosephus libro septimo Antiquitatum capite tertio, & Tacitus libro quinto Historiarum his verbis: Clara alij Iudæorum faciunt initia: Solymos carminibus Homeri celebratam gentem, conditæ vrbi, Hierosolymam nomine suo fecisse. Iosephus in primo libro contra Apionem citat Cherillum poëtam antiquum, qui prodidit, Solymos Iudæos militasse sub Xerxe, quando bellum Græciæ intulit: recēsens enim gentes, quæ in eius erant exercitu, nouissimos numerauit Solymos, quos ait habitasse iuxta Solymos montes, prope magnum stagnum, quod in scriptura nominatur Mare salsissimum, vel alio nomine mortuum. Verùm ista opinio falsa est. Bellum enim Troianum incidit in ætatem Samsonis, vel Heli pōtificis Iudæorum, vt alibi ostendimus: eo autem tempore Iudæi durissima seruitute premebantur, & vexabantur à Philistæis, nec vllum commercium habebant cum Græcis vel Asianis; & nondum ceperant vrbem Solymam, siue Hierusalem, vnde nomen ei Genti Solymorum, secundum istos factum est: eam namq; vrbem Iebusæi, tenuerunt vsque ad regnum Dauidis, vt patet ex libro Iudicum, & ex libro secundo Regum. Solymi porrò, quos Homerus memorat, populi fuerunt Asiani, vt facile intelligi potest ex ipsius Homeri descriptione; quod etiam probat Strabo 1. & decimo quarto libro, productis in medium Homeri versibus: & ait, Solymos tenuisse celsos Tauri vertices circa Lyciam vsq; Pisidiam, & esse eos, qui olim Milyes vocabantur. Herodotus primo libro Solymos facit populos Asiæ, eosdemque, qui postea dicti sunt Lycij: sed id esse contra Homerum, probat Strabo lib. 14. Plinius

Iosephus. Tacitus. Iudic. c. 1. Strabo.

nius lib. 5. cap. 27. Insident, inquit, verticem Pisidæ, quondam Solymi appellati, quorum Colonia Cæsarea, eadem Antiochia. Et eiusdem lib. cap. 30. testimonio Gratosthenis confirmat, in Asia interiisse quosdam populos, in quibus gentem numerat Solymorum, quorum regio proxima erat Pamphiliæ, Isauriæ, Lycaoniæ.

DECIMASEPTIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Vers. 25. 26. 27.

CIRCVMCISIO quidem prodest, si legem obserues: si autem præuaricator legis sis, Circumcisio tua præputium facta est. Si igitur prępputium iustitias legis custodiat, nonne præputium illius in Circumcisionem reputabitur? & iudicabit id quod ex natura est, præputium, legem consumans, te, qui per litteram & circumcisionem præuaricator legis es?

103.
Gen. 17.

DVas maxime ob res gloriabantur Iudæi, ob circumcisionem Abrahæ datam, & ob legem datam Mosi. B. Paulus vt ostenderet vanam esse istiusmodi gloriationem Iudæorum, non obseruantium ipsam legem; sicut docuit superioribus verbis, non qui legem habent scriptam, sed qui eam factis exprimunt, verè iustificari, vereque gloriari posse apud DEVM: ita nunc probat, Circumcisionem carnalem nihil profuturam Iudæis non obseruantibus præcepta legis. Gentiles verò legis mandata

data exequentes, etiam ſine circumciſione carnali fructum eius ſpiritualem,& ſolidam apud DEVM gloriam conſecuturos. Illud, *Circumciſio tua, præputium facta eſt*, ſignificat, Iudæo non ſeruanti legem, nihilo plus circumciſionem profuturam, quàm ſi fuiſſet incircumciſus. Hieronymus exponens hunc locum, ait, hoc intereſſe inter circumciſionem carnalem, & ſpiritualem, quod carnalis nihil planè valet ſine ſpirituali; cum ea verò coniuncta multum valuit: at verò ſpiritualis, etiam ſine carnali plurimum valet, vt certe valuit & ante datam legem circumciſionis, & ea lege per CHRISTI legem abolita. Ponam hîc eius verba: Viſibilia, inquit, indigent inuiſibilibus: inuiſibilia non indigent viſibilibus, eo quod viſibilia imago ſunt inuiſibilium, & inuiſibilia veritas ſunt viſibilium. Quapropter circumciſio carnis, indiget cordis circumciſione; circumciſio autem cordis, non indiget circumciſione carnis; veritas etenim non indiget imagine, ſed imago indiget veritate. Sed cur data eſt circumciſio, ſi per ſe ipſam non prodeſt? Primùm, vt agnoſceretur DEI populus inter Gentes: vnde quando ſoli fuerunt in deſerto, non fuerunt circumciſi. Deinde, vt corpora eorum agnoſcerentur in bello, nam quòd in tali membro ſignati ſunt, cauſa fuit, ne aliud membrum aut debile fieret, aut turpe, quod publice videretur. Tum etiam propter gratiç promiſsionem, in qua erant per caſtitatem placituri DEO. Deniq; vt CHRISTVS ſignificaretur ex ſemine Abrahæ naſciturus, qui ſpiritualem afferens circumciſionem, finem illi carnali erat allaturus: cuius typum gerens Ioſue, populum ſecundo circumcidere iuſſus eſt. Sic iſte Auctor. Cum hac verò ſententia Pauli: *Circumciſio quidem prodeſt, ſi legem obſerues*, mirificè conuenit altera illa eiuſdem ſententia: *Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſeruatio mandatorum DEI.* Hæc verò vtraque ſententia aperte redarguit noſtri temporis Hæreticos, omnem vim & rationem iuſtitiæ adimentes bonis operibus, & obſeruantiam legis, impoſſibilem eſſe dicentes. Aduerſus quos facit etiam quod hîc ſubiungit Paulus dicens:

Auctor commentariorum in epiſtolam ad Romanos, ferens nomen Hieronymi.

Ioſue 5.

Locus 1 ad Corinth. 7.

Et iudicabit quod ex natura est præputium legem consumans, te, qui per litteram, & circumcisionem præuaricator legis es. Potest igitur ab homine lex & obseruari, & consumari.

104. *Conciliatio duarum inter se Pauli sententiarũ, quæ inuicem pugnare videntur*

Sed huic sententiæ Pauli duplex subest quæstio. Primò enim quæritur, quo modo verum sit, circumcisionem prodesse legem seruantibus, cum in Epistola ad Galatas capite quinto asseueranter dicat Paulus: *Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, CHRISTVS vobis nihil proderit.* Verùm facilis est huius quæstionis solutio. Paulus enim hoc dixit Galatis, qui fidem, & gratiam CHRISTI acceperant, quando iam circumcisionis vsus per legem Noui Testamenti abrogatus fuerat. In hoc autem loco Paulus loquitur de circumcisione secundum eum temporis statum, in quo lex Mosis vigebat, nimirum ante mortem CHRISTI. B. Augustinus in expositione inchoata epistolæ ad Galatas, docet legis Mosaicæ duo fuisse præceptorum genera; quædam enim erant moralia, per se ipsa bona, quorum obseruatio non est per legem Euangelicam antiquata, cum ea omni homini, atq; in omni tempore sit necessaria. Alia erant præcepta de Sacramentis, aliisque plurimis cæremoniis, quæ per se non erant bona, sed indifferentia; nec earum obseruatio mortales omnes obstringebat, nec in omni tempore vim habitura erat: Sed obligabat tantùm Iudæos vsque ad tempus noui Testamenti. In quibus præceptis præter eorum litteralem sensum, abstrusus latebat sublimior alius quidam & præstabilior sensus mysticus, significationem habens rerum præstantissimarum, vel ad informationem morum, vel ad agnitionem, & contemplationem veritatis pertinentium. Adscribam hîc Augustini sententiam, quæ est huiusmodi: Scire conuenit, opera legis fuisse bipartita: nam partim in Sacramentis & ceremoniis, partim verò in moribus versabantur. Ad Sacramenta pertinent circumcisio carnis, Sabbatum temporale, neomeniæ, sacrificia, atque omnes huiusmodi innumeræ obseruationes. Ad mores autem, Non occides, Non mœchaberis, Non falsum testimonium dices, & talia cetera. Numquid igitur Paulus ita non curabat, vt Christianus esset homi-

S. Augustini obseruabilis sententia.

Exodi 20.

cida,

cida, vel adulter; sicut non curabat, vtrum esset circumcisus, an præputiatus? minime verò. Nam de illorum necessitate sub finem huius Epistolę distinctè, copioseq; differit. Illorum porrò Sacramentalium, & ceremonialium præceptorum, tempore Christianismi, vtilitas intellecta est. Nam hæc omnia etiam nunc exponuntur Christianis, vt intelligant ea nunc non valere, nec ea facere eos cogi. Quando autem valebant, in obseruationibus eorum, si non penitus intelligebantur, seruitus sola erat in Iudæis. Si autem & obseruabantur, & intelligebantur, non modo nihil oberant, sed etiam proderant, tanquam & illi tempori, & illi genti congruentia, cui tunc talis seruitus vtilis erat, vt sub timore custodiretur. Nihil enim tam piè animam terret, quàm Sacramentum non intellectum: intellectum verò parit pium gaudium, & celebratur liberè, si opus est tempori; si autem iam non est opus, cum suauitate spirituali tantummodo legitur, & tractatur. Omne porrò Sacramentum veteris legis, cum intelligitur, aut ad contemplationem veritatis refertur, aut ad bonos mores. Contemplatio veritatis in solius DEI dilectione fundata est: boni mores in dilectione DEI, & proximi, in quibus duobus præceptis tota lex pendet, & Prophetæ. Atque hæc est Augustini eo loci sententia.

Matthæi 22.

105.

Quomodo intelligendum sit, Circumcisionem sine obseruatione legis nihil prodesse.

Altera quæstio est, si Circumcisio non prodest nisi legem seruantibus, ergo nihil proderat infantibus Iudæorum ante vsum rationis: non igitur mundabat eos à peccato originali: quod omnes tamen fermè Theologi sentiunt, & tradunt iam inde vsque ab Augustino. Respondet in Commentario huius loci S. Thomas, Apostolum hic loqui non de infantibus, sed de adultis: quibus, si legem non obseruarent, accepta circumcisio non proderat ad consequendam salutem; sicut nec Christianis iam adultis prodest baptismus ad æternam salutem percipiendam, absque obseruatione legis diuinę: nec viris religiosis prodest professio vitæ, ac disciplinę religiosę, nisi suam obseruent regulam. Nimirum circumcisio erat quasi quędam professio Iudaismi obligans omnes, qui circumcidebantur, ad obseruantiam legis Mosaicę, se-

S. Thomas.

cundum illud Pauli ad Galatas 5. *Testificor omni homini circumcidenti se, quia debitor est vniuersæ legis implendæ.* Quid quod, in ipsa circumcisione implicite continebatur quasi votiua professio, & obligatio obseruandi legem, suo tempore, implenda? Ceterùm sententia hæc Pauli bene notanda est: adiuuat enim opinionem eorum, qui censuerunt, nullum fuisse circumcisionis Iudaicæ spiritualem effectum in anima, siue mundandi eam à peccatis, siue cœlesti gratia ornandi: sed externum fuisse duntaxat quoddam signum distinctiuum populi DEI ab aliis populis, & rememoratiuum peccati originalis, & præsignificatiuum MESSIÆ. In hac verò sententia fuere plures antiquissimi, & sanctissimi, & doctissimi patres. Sed nos huius quæstionis tractatum, explicatumq; opportunius facturi sumus infra super caput quartum huius Epistolæ.

106.

Quem vocet Paulus Iudæum in abscondito, & circumcisionem cordis in spiritu, non in littera.

Extremo loco aduertat lector S. Paulum in vltimis verbis huius capitis laudare plurimum & Iudæum absconditum, & circumcisionem cordis in spiritu, non littera factam: cuius laus non est ex hominibus, sed ex DEO est. Iudæum in abscondito vocat eum, qui per SPIRITVM in ipso habitantem adorat DEVM in Spiritu, & veritate, & legis mandata in affectu cordis, & in operis effectu habens; ad quem reuera pertinent promissiones DEI Abrahæ, & Patribus datæ. Circumcisionem autem in Spiritu, & non in littera appellat, quam lex etiam Mosis probat, non secundum litteralem sensum accepta, sed secundum spiritualem intellectum considerata. Sic enim interpretatur Augustinus in libro expositionis quarundam propositionum ex epistola ad Romanos.

S. Augustinus.

Sed præstat illud (in Spiritu) intelligere, in corde, & Spiritu facta, per spiritualem animi virtutem, spiritualemque DEI gratiam circumciso spiritualiter animo ab omnibus vitiis, & cupiditatibus, atque erroribus. Et ita exponit Augustinus in libro de spiritu & littera capite 8. docens circumcisionem cordis à Paulo dici puram ab omni illicita concupiscentia voluntatem, quam facit non littera legis docens, & minans,

Idem Augustinus.

minans, ſed SPIRITVS DEI ſanans, & adiuuans: Nec ſolùm talis circumciſio laudatur in nouo Teſtamento, ſed etiam præcipuè commendatur in veteri Teſtamento, & longè præponitur circumciſioni carnali. Vnde Moſes Deuteronomij decimo: *Circumcidite*, inquit, *præputium cordis veſtri.* Et Hieremias: *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium veſtrorum viri Iuda.* Et S Stephanus exprobrans Iudæis: *Dura* (inquit) *ceruice, & incircumciſi cordibus, & auribus, vos ſemper* SPIRITVI *ſancto reſtitiſtis.*

Locus Deuteronomij 10.

Hierem. 4.

Act. 7.

Hæc porrò ſpiritualis circumciſio cordis, penitus conuellit, euertitque dogma illud Hæreticorum noſtri temporis, per iuſtificationem hominis, non ei auferri peccata, ſed eadẽ manere, quæ prius erant, non tamen imputari ei, ad condemnationem; nec eius animo infundi iuſtitiam, per quam verè ſit ipſe iuſtus, ſed extrinſecus tantùm dici, & fieri iuſtum per CHRISTI iuſtitiam, ei quodam modo imputatam. Sed hæc doctrina tollit è medio circumciſionem cordis, toties, tantumque laudatam in ſacris litteris. Si enim in homine iuſtificato manent eadem peccata ſemper dum hîc viuit, ergo non eſt circumciſus ab iſtis. Sicut enim corporalis circumciſio fit auferendo, & reſecando particulam quandam carnis; ita ſpiritualis fit auferendo vitia, malaſque cupiditates animæ, & ab his vacuam eam, puramque reddendo.

In Hæreticos huius temporis negantes per iuſtificationẽ auferri peccata, & infundi iuſtitiam hominis.

IN CAPVT TERTIVM DISPVTATIONES VNA ET VIGINTI.

CAPVT III.

Versu 1. QVID ergo amplius Iudæo est, aut 2. quæ vtilitas circumcisionis? * Multum per omnem modum. Primùm quidem, quia credita sunt illis eloquia DEI. 3. * quid enim si quidam illorũ non crediderunt? Numquid incredulitas illorum fidem DEI euacuabit? Absit. 4. * Est autem DEVS verax, omnis autem homo mendax, sicut scriptum est: Vt iustificeris in sermonibus tuis: & vincas cùm iudicaris. 5. * Si autem iniquitas nostra iustitiam DEI commendat, quid dicemus? Numquid iniquus est DEVS qui infert iram? (secundum hominem dico) 6. * Absit. alioquin quomodo iudicabit DEVS hunc mundum? 7. * Si enim veritas DEI in meo mendacio abundauit in gloriam ipsius: quid adhuc & ego tanquam peccator iudicor? 8. * & non (sicut blasphemamur, & sicut aiunt quidam

Psalm. 115.
Psalm. 50.

dam nos dicere) faciamus mala, vt veniant bona: quorum damnatio iusta est. *Quid ergo? 9.
præcellimus eos? Nequaquam. Causati enim sumus Iudæos, & Græcos omnes sub peccato esse. *Sicut scriptũ est, Quia non est iustus quisquam, *non est intelligens, non est requirens DEVM *omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum. *Sepulcrum patens est guttur eorum: linguis suis dolosè agebãt: venenum aspidum sub labiis eorum. *Quorum os maledictione & amaritudine plenum est. *Veloces pedes eorũ ad effundendum sanguinem. *Cõtritio & infelicitas in viis eorum: *& viam pacis non cognouerunt. *Non est timor DEI ante oculos eorum. *Scimus autem quoniam quæcumque lex loquitur, iis, qui in lege sunt, loquitur: vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus DEO. *quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati. *Nunc autem sine lege iustitia DEI manifestata est: testificata à lege, & Prophetis. *Iustitia autem DEI per fidem IESV CHRISTI in omnes, & super omnes qui credunt in eum: non enim est distinctio: *omnes enim peccauerunt, & egent

10. Psalm. 13. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23.

gent

24. gent gloria DEI. * Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo IESV; 25. * quem proposuit DEVS propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præcedentium delictorum in sustentatione DEI, 26. * ad ostensionem iustitiæ eius in hoc tempore: vt sit ipse iustus, & iustificans eum, qui est ex fide IESV CHRISTI. 27. * Vbi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? 28. Non: sed per legem fidei. * Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis. 29. * An Iudæorum DEVS tantùm? nonne & Gentium? 30. Immo & Gentium, * quoniam quidem vnus est DEVS qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem. 31. * Legem ergo destruimus per fidem? Absit: sed legem statuimus.

PRIMA DISPVTATIO.

De multis singularibus eximiisq́ beneficiis à DEO collatis genti Iudæorum super alias gentes.

SVPER

SVPER ILLIS VERBIS:

QVID ergo amplius Iudæo eſt, aut quæ vtilitas circumciſionis? Multum per omnem modum. Primùm quidē, quia credita ſunt illis eloquia DEI.

Verſu 1.

I.

Argumentum huius tertij capitis.

IN priori parte huius tertij capitis B. Paulus ſoluit tres obiectiones, quæ ſibi poterant fieri: quarum prima oritur ex iis quæ dicta fuerant in fine præcedentis capitis, vbi viſus eſt Paulus per omnia exæquare Gentilem Iudæo quantum ad gratiam iuſtificationis, & remunerationem vitæ æternæ. Ex primæ autem obiectionis ſolutione, ſecunda emergit obiectio, & ex huius explicatione tertia exiſtit. In poſteriori verò parte capitis in illis verbis, quæ ſunt verſu vigeſimo: *Quia ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo*, reuertens Paulus ad principalem quæſtionem tractandam in hac epiſtola, & propoſitam ſuprà in primo capite illis verbis: *Iuſtitia DEI reuelatur ex fide in fidem, ſicut ſcriptum eſt: Iuſtus autem ex fide viuit*, quibus verbis ſignificatur, iuſtitiam, qua DEVS iuſtificat hominem, non ei contingere niſi per fidem CHRISTI. Hanc igitur principalem huius epiſtolæ quæſtionem aggreditur Paulus poſteriori parte huius epiſtolæ enucleatè declarare, ac probare multifariam, argumentans, nullum hominem iuſtificari ex operibus legis, ſed ſolùm per fidem & gratiam CHRISTI.

Habac. 3.

Prima itaque obiectio, quam initio huius capitis facit ſibi Apoſtolus, eſt huiuſmodi: Si Iudæo nec Iudaiſmus, nec lex Moſis, nec circumciſio carnis ſine legis obſeruatione quidquam prodeſt apud DEVM: Gentili autem omnibus Iudæorum prærogatiuis carenti, digna legis obſeruatio veram confert ſalutem, & gloriam apud DEVM; quid ergo amplius habet Iudæus, quàm Gentilis? aut quam ei affert vtilitatem

circumcisio carnis? nam aliquid plus habere Iudæum, quàm Gentilem, satis indicauit Dominus Deuteronomij cap. 7. dicens: *Te elegit Dominus* DEVS *tuus, vt sis ei populus peculiaris, de cunctis populis, qui sunt super terram.* Et in capite quarto: *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Dominus* DEVS *noster adest cunctis deprecationibus nostris. Quæ est enim alia gens sic inclyta, vt habeat ceremonias, iustaq; iudicia & vniuersam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros?* Hinc nempe mutuatus est Dauid, quod cecinit Psalmo 147. *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.* Circumcisio etiam cùm fuerit Abrahæ tradita à DEO, non potuit esse non vtilis: nimirum DEVS per Isaiam dixit cap. 48. *Ego Dominus docens te vtilia.* Hanc igitur obiectionem breuiter exoluens Paulus, docet, multò plus habere Iudæum, quàm Gentilem: & illud præcipuè, quod Iudæis, & non Gentilibus credita sunt eloquia DEI.

Locus Psalmi 147.

Genes. 17.

2.

Multa Iudæorum præ cæteris gentib. honoru ac dignitatis prærogatiua.

Et verò multa fuere præclara, & eximia collata diuinitus in populum Iudæorum, quibus ille antecelluit Gentilem. Principio, Iudæi potissimùm ex cunctis mundi gentibus electi sunt à DEO, vt & ipsi peculiariter essent populus DEI; & qui est omnium DEVS, peculiariter esset DEVS ipsorum, singulari quadam beneuolentia, & cura eos pascens, & regens, ac defendens. Tum, quia solus inter omnes gentes Iudæus populus habebat veram DEI notitiam, verumq́ue cultum & religionem, cæteris omnibus in densissima Idololatriæ caligine iacentibus ac demersis. Deinde, in gente Iudaica, cuius origo fuit post diluuium à Sem filio Noë, principalis autem parens fuit Abraham, ab initio mundi vsque ad CHRISTVM sincera fides DEI, & religio perpetuò custodita est. Ad hæc in hoc populo plurimi floruerunt sapientia, & sanctitate factisq́ue in omni genere virtutum admirandis, & apud DEVM gratiosissimi, vt fuerunt Prophetæ, multique Reges, & Principes: Huic item soli populo DEVS legem à se conditam, & scriptam tradidit, continentem sanctissima præcepta, & documenta Reipublicæ DEO

Genes. 11.

cæ DEO gratæ moralia, cæremonialia, & iudicialia. Per quam legem, lex naturæ, nimium quantum obſcurata, ac propemodum ex animis hominum deleta, multum reformata, & renouata, & illuſtrata fuit. Quid? illud quanti fuit, quod crebrò DEVS huic populo apparuit; quod multa edidit miracula, & reſponſa reddidit, quod ſua conſilia, & arcana eum prædocuit; quod prænunciauit etiam quæ multis poſt ſæculis facturus erat, quod ad eum erudiendum, & defendendum, & liberandum miſit Prophetas, & Iudices, & Reges, etiam ipſos ANGELOS. Multa quoque, miraque in eo populo fecit prodigia & miracula, magna præſtitit beneficia, magnifica dedit promiſſa. Atque inter alia, quæ ad promouendam, & amplificandam religionem, & pietatem erga DEVM conducebant plurimum: inſtituit multa & Sacramenta, & ſacrificia, & ſacra, præcipuè autem circumciſionem: non vt eſſet modo carnale quoddam, externumque eius gentis ab aliis diſcerniculum, ſed potiſſimùm, vt & adultos & infantes ab originali peccato mundaret. Adiice, quod illi populo promiſſus eſt MESSIAS, qui ex Iudæis natus, & apud Iudæos verſatus, Iudæiſque doctrina & miraculis, atque innumeris beneficiis vtiliſſimus fuit. Ac demùm ex Iudæa lex, & doctrina Euangelica profecta eſt ad Gentes. Apoſtoli enim, Patres, & Doctores Gentium, filij erant Iudæorum; vereque dictum eſt ab Iſaia capite ſecundo: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.* Eodem ſpectat illud Domini Ioannis quarto: *Salus ex Iudæis eſt.* Et illud Zachariæ capite octauo: *In diebus illis apprehendent decem homines ex omnibus linguis Gentium fimbriam viri Iudæi, dicentes; Ibimus vobiſcum, audiuimus enim quoniam DEVS vobiſcum eſt.* Harum prærogatiuarum populi Iudaici commemorat aliquot B. Paulus infrà initio capitis noni.

3. *Ambroſius.*

His conſona ſcribit ſuper hoc loco Ambroſius: Quanquã, (inquit) multa ſunt, quæ ad honorificentiã & meritum pertineant ſeminis Abrahę: hoc tamẽ ſolùm apertè memorat hoc

loco Paulus, quòd illis credita sunt eloquia DEI: id enim maximæ laudis eorum est, vt legem, per quam condiscerent rectum à peruerso distinguere, digni iudicarentur accipere: vt post hoc primum, cætera qualia sint, facilè possint intelligi. Quoniam autẽ Iudæis carnalibus, id est, incredulis, nihil proficere testimoniũ gentis ostẽdit, ne oẽs, id est, & credẽtes, & nõ credentes malè tractasse videretur, docet multum vtile esse Iudæis credentibus, quod filij sunt Abrahæ: his quippe eloquia DEI sunt credita, dum legem, quæ peccatis hominũ obsoleuerat, quasi impunè peccaretur apud DEVM, merito Patrum reformatam accipiunt, & populus DEI vocantur. Ægyptus quoque propter iniurias illorum, diuersis plagis percutitur: Cœlesti etiam pane cibantur: omnibusque gentibus terrori sunt, testante hoc Raab meretrice: quibus etiam CHRISTVS Saluator ad sanctificationem promissus est. Idcirco Paulus dixit hoc loco multum vtile Iudæis per omnem modum esse quod filij sunt Abrahæ, & anteponit gentibus, sed præcipuè qui credunt. Sic Ambrosius. Similia Theodoretus super hoc ipso loco: Cùm, inquit, Iudæorum supercilium valde contraxisset Paulus superiori capite, & ostendisset eos frustrà, circumcisionis, & legis, & Iudaismi iactantia gloriari, ne quis existimaret Paulum id fecisse propter odium & maleuolentiam eius gentis, protinus adiecit hæc verba: *Quid ergo amplius Iudæo est, aut quæ est vtilitas circumcisionis?* Si alienigenarum, inquit, gentium aliqui pietate, ac virtute ornati, iis, quæ à DEO dicta, & promissa sunt fruuntur: cur nam DEVS Israëlem à cæteris gentibus separauit, eique dedit circumcisionem? Respondet Paulus, Iudæum multis rebus præferri gentili, hoc enim est quod ait: *Multum quidem per omnem modum.* Elegit enim eorum maiores; ab Ægyptiorum potentia eos liberauit; fecit, vt clara esset eorum fama, & in ore omnium versaretur, & omnis generis miracula patrauit. Legem eis dedit; Prophetas eis constituit. Et hoc est quod ait: *Multum per omnem modum.* Sed his omnibus silentio prætermissis, solam legislationem posuit,

Iosu. 5.

fuit, dicens. *Quia credita illis sunt eloquia* DEI. Maximus porrò hic honor est, cùm aliæ gentes solam discernendi bonum à malo facultatem, quæ datur cunctis hominibus à natura, haberent, eos præterea legem à DEO accepisse. Hæc Theodoretus.

4. Verùm nos perpendamus *hæc* Pauli verba: *Quid ergo amplius Iudæo est?* Ad verbum greca hoc sonant. *Quid ergo amplius Iudæi?* Pro illo, *amplius*, græcè est περισσὸν, quod licet significet & superuacaneum, & eximium, & præcellens, hîc tamen significat plus vel amplius, & id, in quo Iudæus abundat præ Gentili, atque eum exuperat. Quod autem hîc non significet eximium & præcellens, vt vult Erasmus, non obscurè indicat Paulus infra dicens: *Quid ergo, præcellimus eos? Nequaquam.* Vocem autem περισσὸν, pro amplius, siue plus, acceperunt & Origenes, & Theophylactus. Ambrosius verò hoc loco, & Augustinus libro tertio contra Aduersarium legis & Prophetarum legunt (amplius) sicut habet noster interpres. Illud: *Multum quidem per omnem modum*, varie legitur græcè; quidā enim legunt πολὺ, per vnum λ, & vltimam per υ, quod significat multum, & hoc modo legit noster Interpres. Alij legunt (πολλὴ) per duplex λ, & vltimam literam η, & latine vertitur, multa, & refertur ad illud: *Quæ vtilitas circumcisionis*, nam pro (vtilitas) græcè est ὠφέλεια. *Primum quidem.* Origenes illud, *Primum quidem*, sumit atque interpretatur numeraliter hoc sensu: Licet etiam Gentibus nunc credantur eloquia DEI, verum tamen ea prius credita sunt Iudæis; magna planè, DEI prouidentia, vt ea Iudæi integra & incontaminata custodientes, traderent Gentibus fidelibus, quibus erant profutura. Alij illud (primum) exponunt per vocem (præcipuè) vel (potissimum) multi putant ea voce hic ordinem sermonis potius significari, quàm aliquid ex supradictis.

Origenes, Theophylactus, Ambrosius, Augustinus.

5. *Credita sunt illis eloquia* DEI. Nescio quid plus significat *credita*, quam commissa, nimirum credere alicui rem quampiam, est eius fidei iam nobis perspectæ ac probatæ committere, quasi ad honorem eius personæ, cui confidimus. Atque

hanc emphasim eius vocis significauit Theophylactus, & Chrysostomus, sed clarius Ambrosius, dicens, maximam fuisse laudem Iudæorum, quod legem à DEO accipere digni iudicati sunt. *Eloquia DEI*, græcè est, τὰ λόγια, quæ vox secundum Hesychium significat numinum responsa, & vaticinia, & oracula: secundum quam notionem nomen eloquiorum referendum esset ad Prophetarum vaticinia. Duo tamen, & septuaginta Interpretes, quos libenter, frequenterq; Paulus imitari solet, vocem illam græcam generaliter vsurpant, prout pertinent ad vniuersam legem, cùm aliis in locis, tum sæpenumero in Psalmo 118. vbi crebra, & passim obuia est eius vocis vsurpatio. Quanquam in psalmo 18. ea vox tribuitur etiam nostris eloquiis, cum dicitur: *Et erunt vt complaceant eloquia oris mei*. Eloquia itaq; DEI significant scripturam veteris Testamenti, quæ docet quibus in rebus verus DEI cultus sit positus. Item continet magnificas DEI promissiones nominatim datas Iudæis. Ambrosius & Theodoretus per eloquia DEI intelligunt legem Mosis. Photius, magnifica DEI dona & beneficia. Quidam diuinas promissiones à DEO datas Abrahæ, & semini eius. Nonnulli domestica DEI responsa, vel Prophetarum vaticinia. Multi, omnia hæc simul, quod est probabilius. Hinc porrò elucet vtilitas circumcisionis, quòd electum videlicet à se populum Hebræum, atque hac circumcisionis nota insignitum, & ab aliis gentibus separatũ, & oraculis suis & respõsis, & singulari, mirabiliq; lege, & amplissimis promissionibus, & innumeris donis ac beneficiis dignatus est DEVS. Et hactenus quidẽ tractata, valent ad diluendam primam obiectionem, significatã à Paulo primis illis verbis: *Quid ergo amplius Iudæo est, aut quæ vtilitas circumcisionis?* Sequitur deinceps altera obiectio, proxime sequẽtibus illis verbis indicata: *Quid enim, si quidam illorũ nõ crediderunt?*

Theophyl. Chrysost. Ambros. Hesychius.

Ambrosius. Theodoretus. Photius.

SECVNDA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

QVID enim, si quidam illorum non crediderunt? nunquid incredulitas illorum fidem DEI

Vers. 3. & 4.

DEI euacuauit? Absit. Est autem DEVS verax, omnis autem homo mendax, sicut scriptum est. Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.

SECVNDA obiectio insinuatur verbis illis: *Quid enim, si quidam illorum non crediderunt?* Poterat enim quispiam obiicere Apostolo: Quid Iudæis profuerunt eloquia DEI, cum eorum complures diuinis eloquiis fidem non habuerint? Recte namque B. Petrus dixit: *Melius erat illis non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem, retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato.* Non crediderunt autem Iudæi, primùm quidem ipsi eorum legislatori Mosi, sicut in Psalmo 105. scriptum est: *Non crediderunt in verbis eius.* Et Dominus dixit: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi.* Nec postea crediderunt Prophetis, sicut Ezechieli dixit Dominus. *Increduli, & subuersores sunt tecum.* Denique nec ipsi FILIO DEI, & ipsorum MESSIÆ crediderunt: quod exprobrans illis Dominus noster: *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* Huic itaque obiectioni respondens Paulus, ait: *Numquid incredulitas illorum fidem DEI euacuauit? Absit.* Quasi dicat: esto, multi non crediderint, num propter eorum incredulitatem, DEVS non præstitit, vel non præstabit promissa sua? Absit: quod est horrētis, & abominātis, græcè est μὴ γένοιτο, id est, ne fiat. Pro illo, *euacuauit* nūc codices greci habent in futuro *euacuabit*, videtur igitur latinus Interpres legisse verbū græcū in præterito: quāquam, quod spectat ad veritatem sententiæ, nihil interest, præsenti tempore *euacuat*, siue futuro *euacuabit*, siue præterito *euacuauit*, legatur. Sicut autem latinus interpres habet in præterito *euacuauit* itidē legit Cyprianus, tum alibi sæpe, cū in epist. 3. & 4. 1. lib. & Ambrosius hoc loco, & Augustinus lib. 2. contra Aduersarium legis, & Prophetarum, & in li. contra secundam Gaudentij epistolam capite septimo, & Prosper in libro primo de vocatione Gentium, cap. tertio. Illud autem.

6.

2. Pet. 2.

Ioan. 5.

Ezech. 2.

Ioan. 8.

S. Cyprianus.

S. Ambrosius.

S. Augustinus.

S. Prosper.

fidem DEI non est accipiendum de fide, qua credit homo in DEVM, sed de fide, qua DEVS ipse promissa sua præstans, fidelis & verax appellatur, vt scriptum est ad Hebræos decimo: *Fidelis enim est, qui repromisit.* Et alibi dictum est: *Si nos non credimus, ipse fidelis est, & seipsum negare non potest.* Eodem spectat illud Pauli: *Sine pœnitentia sunt dona & vocatio* DEI.

Heb. 10.

7. Sed aduertat lector, duplex esse genus promissionum diuinarum. Sunt enim quædam promissiones DEI omnino absolutæ, & omnino implendæ, de quibus vere intelligitur, quod hîc ait Paulus, iniquitatem hominum non euacuare fidem & promissiones DEI. Aliæ sunt promissiones, & comminationes DEI, non absolute, ac præcise factæ, sed conditionales, quæ vt impleantur, adesse debet conditio aliqua, ex parte hominum: quarum notabile habes testimonium & exemplum apud Hieremiam capite decimo octauo. Theologi Scholastici prius illud genus vocant Prophetiam prædestinationis, posterius verò, Prophetiam comminationis: Legatur S. Thomas in Secunda Secundæ quæst. 171. art. vltimo. Quoniam verò prædictam distinctionem, quam nosse oportet ad recte intelligendam huius sententiæ Pauli veritatem, breuiter, appositeque declarauit Caietanus in hoc loco, adscribam hic eius verba: Aduerte (inquit Caietanus) quod hæc Pauli doctrina est vera, & est intelligenda in iis, quæ dicuntur à DEO absolute; non autem in iis, quæ dicuntur ratione meritorum humanorum, vt patet ex illis verbis Hieremiæ cap. 18. *Dixit* DEVS, *repente loquar aduersus gentem, & aduersus regnum, vt eradicem, & destruam, & disperdam. Si egerit pœnitentiam gens illa, pœnitentiam agam, & ego super malo quod locutus sum.* &c. Vnde hæc à Theologis dicuntur dicta secundum comminationem; illa verò secundum prædestinationem. Et in illis intelligendum est, incredulitatem, & demerita hominum non euacuare fidem DEI: quoniam in illis solum habet locum fides DEI, quandoquidem illa sola dicit DEVS ex se. Quæ etenim DEVS comminando, aut promittendo secundum merita hominum, mutabilia, ea non dicit

Duplex genus promissionum DEI.

S. Thomas

Caietanus.

Locus Hieremiæ cap. 18.

dicit ſecundum ſe, ſed ſecundum illa merita: & propterea mutatis illis meritis, non mutatur veritas DEI. Simpliciter ergo, & abſolutè loquendo, veriſsimum eſt, quod demeritum & incredulitas hominum, non tollit veracitatem DEI; quamuis tollat quandoque executiones, quæ erant futuræ, ſecundum eorum merita: vt pœnitentia Niniuitarum ſuſtulit prædictam ſubuerſionem Niniues. Et ſic de ſimilibus. Ita Caietanus.

Iona 3.

8. Sequitur illud: *Eſt autem DEVS verax; omnis autem homo mendax.* Græcè eſt per imperatiuum γινέσθω. Id eſt latinè, eſto, vel ſit, vel fiat. Et ſic interpretatur Origenes, docens non debere id accipi imperatiuè, ſed vel optatiuè, vel potius pronũtiatiuè. Et in Homilia 15. in Matthęum, citans hunc ipſum locum Pauli, monet, eum non eſſe intelligendum præceptiuè, quaſi velit Paulus omnem hominem fieri mendacem: ſed pronuntiatiue, dicens, omnem hominem eſſe mendacem. Ex quo patet ſecundum Origenem, eandem planè habere ſententiam, quam reddidit latinus interpres. Baſilius libro quarto aduerſus Eunomium tractans illud: *Dominus creauit me*, docet, ſcripturam non rarò verbum fieri, vel factum eſſe, attribuere DEO, idque teſtimonio huius loci, quem ita citat: *Fiat DEVS verax*, item eius, qui eſt in Pſalmo 117. *Factus eſt mihi in ſalutem.* Etiam Theophylactus legit. *Fiat verax.* Sed ita exponit, vt velit idem valere, atque, manifeſtetur, ſiue oſtendatur verax. Sicut porrò habet noſter Interpres: *Eſt autem Deus verax*, ita legit Cyprianus epiſtola tertia, & quarta, primi libri, & Ambroſius in libro tertio de fide, capite tertio, & in Commentario huius loci; Proſper item libro primo de vocatione Gentium capite tertio. Iam verò illud: *Eſt DEVS verax*, vel ab ipſo Paulo poſitum eſt, vel ſumptum eſt ex Prophetis, vel Pſalmis, vel ex lib. Numerorum, in cuius libri capite vigeſimo tertio ſic eſt: *Non eſt DEVS quaſi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis, vt mutetur.* In Pſalmo 85. ita legitur: *Tu Dominus DEVS miſerator, & miſericors, patiens, & multa miſericordia, & verax.* Hieremias hoc modo habet: *Dominus*

Origenes.

S. Baſilius.

Eccleſ. 24.

B. Cyprianus.

Proſper.

Hieremiæ 10. *nus* DEVS *verus est: ipse est* DEVS *viuens, & Rex sempiternus.* Quibus cum congruunt & illa, quæ legimus in Apocalypsi capite decimo nono: *Et vidi cœlum apertum, & ecce equus albus: & qui sedebat super eum, vocabatur Fidelis, & Verax, & cum iustitia iudicat, & pugnat.*

9. Locus Psalmi 115 tripliciter exponitur. Theodoretus.

Illud: *Omnis homo mendax*, sumptum est ex Psalmo centesimo decimo quinto, in cuius principio sic est: *Ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax.* Quorum verborum triplex expositio est: primam reperio apud Theodoretum his propemodum verbis ab eo traditam in expositione eius Psalmi: Aquila, inquit Theodoretus, sic vertit: *Ego dixi, dum obstupescerem, omnis homo mendacium.* Theodoretus verò ita: *Omnis homo deficit.* Symmachus autem hoc modo: *Et dixi dum anxius essem, omnis homo mentitur.* Equidem non temere istas omnes posui interpretationes, sed ostendere volens, humanam felicitatem mendacium vocari, quòd citò diffluat, nihilque constans habeat, vt sit hic sensus verborum Prophetæ: Cum repentinam humanarum rerum mutationem conspexissem, cumque pristinæ nostræ felicitatis meminissem, & assiduas calamitates cernerem, dixi mœrens: Nihil est firmum, atque stabile in rebus humanis: Sed is qui præsentibus prosperis rebus, tanquam permanentibus, fidit, frustratur sese ipse, suaque spe aberrat. Hoc etiam in trigesimo octauo Psalmo dicit: *Vniuersa,* inquiens, *vanitas omnis homo viuens.* Huius veritatis bene conscius sapiens ille Salomon, licet omni felicitate affluens, naturam tamen rerum humanarum benè cognitam, & perspectam habens, hoc posuit exordium cuiusdam libri sui: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Sic Theodoretus. Similiter eundem locum interpretatur Euthymius. Per ecstasim inquit (sic enim pro excessu legitur græcè) stuporem quendam intelligere debemus, stupefactus enim (ait Dauid) ob admirationem illius regionis viuentium, de qua paulò antè dixi. *Placebo Domino in regione viuentium,* cuius per sancti SPIRITVS gratiam, visionem habui;

Eccles. 1.

Euthymius.

Psal. 114.

bui; dixi palam, & manifeste, quod omnis homo in hac vita fallax est,& fallax est humana huius vitę felicitas,quã Magnus Gregorius, falsi nominis felicitatem appellauit, tanquam non permanentem,sed instar somnij citò auolantem.Omnia enim humana, vanitas vanitatum sunt, mutantur enim, & corrumpuntur; quæ verò in illa sunt viuentium regione, non fallacia,sed vera sunt omnia, nempe perpetua & immutabilia,atque incorruptibilia. Sic ille. Similemque habet expositionem Auctor commentariorum in Psalmos, referens nomen B.Hieronymi.

Nazianzenus.

10.

Iansenius. Caietanus.

Altera expositio est, quam sequitur Caietanus & Iansenius,Dauidem,ob excessum,id est,ob stuporem,&alienationem mentis, præ metu ac trepidatione, cum tribulationum ingentium,quasi fluctibus obrueretur,incidisse in cogitationem diffidentiæ, sibique ipsum dixisse: *Omnis homo mendax*: quasi diceret, Ergo quæcumq; mihi nomine & verbis DEI per Samuëlem & Nathan Prophetas prædicta & promissa sunt,me adepturum esse regnum, nedum liberatum iri ab inimicis meis,vana denique,ac fallacia fuerunt. Et hic sensus atque intellectus concordat cum alio simili loco, qui est in Psalmo 30. his verbis: *Ego dixi in excessu mentis meæ; Proiectus sum à facie oculorum tuorum.* Tertia expositio,quam B.Augustinus sequitur, & alij, eaq; probabilior ceteris videtur,huiusmodi est,Dauidem ad reprimendam, siue repellendam tentationem diffidentiæ, quæ ex multitudine, & magnitudine tribulationnm, quas patiebatur, ei accidebat exclamasse: *Omnis homo mendax*, tanquam diceret: Cum essem in magna trepidatione, præ qua vix eram mentis compos, mihique cogitationes diffidentiæ obreperent, dixi apud me, omnis quidem homo mentiri potest, at verò DEVS, qui mihi regnum promisit, verax est, nec est similis homini, qui mutatur, vt etiam ipse mentiatur: quamobrem constanti animo persistam in priori mea fiducia diuini auxilij, diuinarumq; promissionum. Et hanc esse germanã istorum verborum

S. Augustinus.

rum ſententiam, liquet, ex hoc Pauli loco, qui verba Dauidis eo ſenſu citauit. Nam cum dixiſſet: *Eſt autem DEVS verax*, quaſi ex aduerſo opponens, adiecit, *omnis autem homo mendax*. Nomen porrò exceſſus, cum dicitur: *Ego dixi in exceſſu meo*, non accipitur ibi pro laudabili illa mentis ecſtaſi, qua mens à terrenarum rerum cogitatione, & corporis ſenſibus abſtracta, ad diuinorum contemplationem ſuſtollitur. Vox hebræa propriè ſignificat, præ pauore ac trepidatione, feſtinationem, ac præcipitem fugam. Græca item vox, denotat ſtuporem, & alienationem ex nimio timore, vel gaudio contingentem homini; quanquam etiam pro laudabili illa alienatione mentis, ea voce vtantur & Dionyſius, & alij patres. Docet hoc ipſum Auguſtinus. Ecſtaſim (inquit) vocat pauorem, quem vrgentibus perſecutoribus, & impendentibus paſsionibus cruciatus, aut mortis, humana infirmitas patitur. Hoc enim intelligimus, quia in iſto Pſalmo vox Martyrum apparet: nam & alio modo dicitur ecſtaſis, cum mens non pauore alienatur, ſed aliqua inſpiratione reuelationis aſſumitur, & extollitur. Sed Dauid conterritus reſpexit infirmitatem humanam, & ſuam, & vidit non de ſe ſibi eſſe præſumendum, quia omnis homo eſt mendax. Sic Auguſtinus in expoſitione illius Pſalmi.

Dionyſ. Areopagita. Auguſtinus in Pſalmum. II.

II. *Quomodo intelligendum ſit omnem hominem eſſe mendacem.*

Dicitur autem omnis homo mendax vel ex naturali procliuitate, ad mentiendũ, vel ex habitu & conſuetudine mentiendi: frequenter enim homines mentiuntur, & frequenter mentiendo maximam ſibi comparant facilitatem mentiendi; prorſus adeo, vt rariſſimi ſint, qui non ſæpè aliquo modo mentiantur. Ex natura enim humana per Adæ peccatum corrupta, quaſi naturaliter pullulant aliquot propenſiones ad malum: quarum vna eſt ad concupiſcendum, id eſt, ad libidinem & voluptatem: de qua ſcriptum eſt Geneſ. 6. Senſum & cogitationem hominis ab adoleſcentia pronam eſſe ad malum. Altera eſt propenſio ad excuſandum peccata; ſecundum illud: *Ad excuſandas excuſationes in peccatis*. Tertia eſt ad amandum & ſectandum vana, & futilia, & cadu-

Quatuor hominis ex natura corrupta propenſiones ad malum.

Pſal. 140.

Pſalm. 140.

& caduca, & fugacia bona. Quam ob causam dictum est: *Vniuersa vanitas, omnis homo viuens.* Quarta demùm propensio hominum maxima est ad mentiendum vel perniciosè, vel iocosè, vel officiosè: de qua dixit Dauid: *Omnis homo mendax.* Et alio loco: *Filij hominum vsquequo graui corde? Vt quid diligitis vanitatem?* Et alibi: *Beatus vir, qui non respexit ad vanitates, & insanias falsas.* Atq; hæc fermè omnia in primis hominibus, statim vt peccauerunt, apparuisse, demonstrat liber Genesis.

Psalm. 115. *Psalm. 4.* *Psalm. 39.*

12\. Cæterùm cum dicitur, *omnis homo mendax*, intelligere id oportet de homine considerato secundum naturam humanam corruptam, & secundum eam loquente, & operante, non autem prout homo diuina fide illustratus, cœlestique gratia stabilitus est, secundum illud: *Bonum est gratia stabilire cor.* Nec verò, cùm dicitur omnis homo esse mendax, significatur, omnem hominem semper in loquendo mentiri; sed promptum esse & procliuem ad mentiendum, & frequẽter mentiri: tam falsum dicendo, quàm à se dicta, & promissa negando. Sic porrò intelligendam esse istam Dauidis sententiam, de homine, vt dixi, secundum se considerato, non autem per DEI gratiam sanctificato, docet B. Augustinus in commentariis Psalmorum, ista verba Dauidis exponens, & ita scribens: Quantum ad ipsum hominem pertinet, omnis homo mendax est: sed gratia DEI verax efficitur, ne pressuris inimicorum cedens, timeat loqui quod credidit, quin etiam neget: quod accidit Petro, qui, quoniam de se præsumpserat, experientia propria docendus erat non esse de homine præsumendum, quia omnis homo est mendax. Si autem de alio quouis homine non debet quisque præsumere, nec cõfidere, ergo nec de seipso, quoniam etiam ipse homo est. Bene igitur Dauid in pauore suo vidit, & intellexit, omnem hominem esse mendacem. nam qui nullo pauore vanescunt, nec persecutionibus cedendo mentiuntur, hi DEI muneribus tales sunt, non viribus suis. Proinde verissimè dictum est: *Omnis homo mendax.* Sed DEVS verax qui dixit:

Ad Hebr. 13. *S. Augustinus.* *Matth. 26.* *Psalm. 81.*

xit: *Ego, dixi, dij estis, & filij altissimi omnes. Vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus de Principibus cadetis.* Consolatur DEVS his verbis humiles corde, & implet eos non solùm fide credendæ, sed etiam fiducia prædicandæ veritatis, si perseuerantes subdantur DEO, nec imitentur vnum de Principibus cadentibus, diabolum: *Qui in veritate non stetit* (vt de eo Dominus dixit) *nec est in eo veritas: & cùm loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & pater eius.* Si enim omnis homo mendax est, in tantum non erit homo mendax, in quantum homines erunt dij, & filij altissimi. Sic Augustinus. Hieronymus itidem exponit istam sententiam. Quando, inquit, homines sumus, mentimur: quando autem fuerimus dij, desinimus mentiri. *Cùm enim sint æmulationes, & contentiones in vobis* (ait Paulus) *nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis?* Sed quid ait DEVS per Dauidem? *Ego dixi: Dij estis, & filij excelsi omnes.* Si quis igitur sanctus est, is quodammodo DEVS efficitur: & cùm factus fuerit DEVS, desinit esse homo, & non mentietur: hoc enim significare voluit Apostolus dicens: *Omnis homo mendax, DEVS autem verax.* Sic ille.

Ioan. 8.

S. Hieronym.

1. ad Corint. 1.

13. Frustrà igitur, atque inaniter, & futiliter conatur ex hoc loco, & ex hac sententia Dauidis, Lutherus probare, ac persuadere, omne opus hominis, etiam iusti, peccatum esse. Quod sanè hinc argumentari nequaquam licet. Primùm, quia sententia Dauidis, quod omnis homo sit mendax, intelligenda est de homine per se considerato, & secundum naturam humanam corruptam, non autem de homine iustificato, & sanctificato, & secundum iustitiam & gratiã, quam accepit, loquente, & operante, vt proximè dictum est, & auctoritate B. Augustini confirmatum. Deinde, etiam de homine per se, ac secundum naturam suam considerato non est verum dicere, semper eum in loquendo mentiri. Non enim Dauid dixit: Omnis homo semper mentitur, sed, *omnis homo mendax*, multum verò differt mentiri, ab eo, quod est mendacem esse; illud enim significat actum mentiendi, hoc autem

Futilis argumentatio Lutheri.

tem

tem denotat habitum vel consuetudinem mentiendi, vel procliuitatem & promptitudinem ad mentiendum: nec est necesse, semper mentiri eum, qui mendax est, id est, habitum & consuetudinem habet mentiendi. Ad hæc, esto, semper hominem mentiri, sunt tamen alia multa opera, quæ possunt bene fieri ab homine. Quod si Lutherus ita voluit argumentari; (cùm facilius sit verum dicere, quàm bonum facere;) si illud nemo potest hominum, multò minus hoc poterit: ea nihilominus argumentatio, leuis, & futilis est: nam præterquam quod, perspicuè falsum sumit, hominem loquendo non posse non mentiri; etiam sunt alia multa opera bona moraliter, ad quæ maiorem habet homo naturalem propensionem, quàm ad verum dicendum; vt est diligere parentes suos, & amicos, & benefactores, &c.

TERTIA DISPVTATIO.

Super varia & multiplici expositione illorum verborum Dauidis, quæ citat hoc loco beatus Paulus.

VT iustificeris in sermonibus tuis; & vincas cum iudicaris. *Vers. 3.*

BEATVS PAVLVS ad probandum quod dixerat, iniquitatem hominis non euacuare fidem DEI, affert verba illa Dauidis, quæ sunt in Psalmo quinquagesimo: *Vt iustificeris in sermonibus tuis; & vincas cùm iudicaris.* Quibus verbis Dauid hoc videtur dicere DEO: Si tu Domine, licet à me grauiter offensus, nihilominus 14.

nus tamen parcens peccatis meis, præstiteris mihi quæ antea promisisti; eo fiet, vt vincens hominum iudicia, qui iudicant, propter peccata mea, te non seruaturum mihi promissa, clarius appareat iustitia sermonum tuorum, id est, quàm sis fidelis, & verax, seruans promissa tua, etiam iis, qui te vehementer offenderunt. Sed quia hic locus Dauidis variè admodum exponitur, & celebratissimus est apud omnes patres, quò subtilius, enucleatiusque declaretur, lubet hîc varias percensere Auctorum expositiones, simulque indicare quænam earum maximè tum sententiæ verborum Dauidis conueniens, tum etiam proposito B. Pauli, his ipsis verbis pro testimonio, & argumento vtentis apta & congruens videatur.

Prima expositio S. Augustini, Hieronymi, & Gregorij.

Prima expositio est S. Augustini, & Hieronymi, illa verba Dauidis enarrantiũ: quam satis distinctè ac dilucidè B. Gregor. in explanatione quarti Psalmi pœnitentialis, tradit his verbis: *Tibi soli peccaui.* Homo homini non peccat; quia eum aut par, aut grauior culpa inquinat. DEVS solus iustè peccata punit, quia ipse solus est, in quo non potest inueniri peccatum quod puniatur. Quia ergo solus DEVS parcit, solus iustè iudicat, ideo ipsum solum appellat, qui peccat. Quo enim quisque peccando dissimilem se DEO facit, eo tremendam superni Iudicis maiestatem offendit. Clamet ergo ad DEVM peccator, clamet iniquitatum suarum conscius, clamet medullis cordis, & dicat: *Tibi soli peccaui*, quia tu solus es sine peccato. *Et malum coram te feci.* Ab aliis quidem peccatum meum ignorari potuit, te autem latere non potuit: penetrabilior enim omni gladio ancipiti, penetras vsque ad diuisionem animæ & spiritus, & artuum, & medullarum, & discretor es cogitationum cordis: nulla creatura in conspectu tuo est inuisibilis, quia omnia nuda, & aperta sunt oculis tuis. In tantum verò es sine peccato, vt etiam iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris. Dicit enim Apostolus. *Est DEVS verax, omnis autem homo mendax, sicut scriptum est, vt iustificeris in sermonibus tuis.* Si

Ad Hebræos 4.

DEVS

DEVS verax eſt, neceſſariò in verbis ſuis iuſtus eſt: nam ſi in ſermonibus ſuis falſa veris DEVS insereret, iuſtus omnino non eſſet. Sed abſit à fidelium cordibus, vt eſſe in DEO mendacium putetur. *Fidelis enim eſt in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis.* Et Dominus ipſe dixit: *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* DEVM itaque veritas iuſtificat, hominem verò mendacium condemnat. Sequitur: *Vt vincas cùm iudicaris.* Præuidebat Propheta DEVM in carne venturum, qui humano condemnandus eſſet iudicio, vt æternæ mortis homo careret tormento: ideoque ait: *Vt vincas cùm iudicaris.* Quaſi diceret, omnes qui iudicati ſunt, etiamſi multum fuerint in virtute prouecti, non tamen omnino iniuſtè ſubierunt iudicium, quia antequam iudicarentur, aliquo modo commiſerunt peccatum. Tu verò cum mortis ſententiam iniuſtè acceperis, quia ſolus homo inter homines ab omnibus peccatis es immunis, vincis omnes iudicatos, cùm iudicaris, vel tu Deus PATER in FILIO, vel tu Deus VERBVM in homine aſſumpto. Hæc Gregorius: Et conſimili ratione, vt dixi, verba iſta Dauidis, & Auguſtinus, & Hieronymus interpretantur. Quæ tamen expoſitio, licet vera ſit, & pia, non tamen ſecundum litteralem ſenſum videtur, nec propoſito Dauidis, qui ea verba dixit, nec B. Pauli, qui ea probationis loco vſurpauit, ſatis conueniens.

Pſalm. 144.
Matth. 24.

15. Altera expoſitio eorum eſt, qui verba iſta Dauidis referunt ad id, quod dixit initio huius Pſalmi: *Miſerere mei DEVS.* Et, *Dele iniquitatem meam.* Et, *A peccato meo munda me.* Et ita exponunt: Timebat Dauid, ne promiſſionem ſibi factam de perpetuando, in poſteris ſuis regno, propter ſcelus quod admiſerat, & adulterij, & homicidij, DEVS reſcinderet, & irritum faceret: idcirco humiliter ſupplicat DEO dicens: *Miſerere mei DEVS.* Et, *Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis.* Id eſt, vt iuſtus, & verax agnoſcaris eſſe in promiſſis tuis, quæ de perpetuitate mei regni dediſti mihi. *Et vincas cùm iudicaris.* Nã iudicant homines te non præſtiturum mihi promiſſa tua, propter ſcelera à me facta. Tu autem vinces hoc iudicium

Secunda expoſitio S. Thomæ.
Pſalm. 50.
2. Reg. 11.

hominum, nihilominus seruans, & præstans mihi promissa tua. Hanc expositionem omnium maximè probat hoc loco S. Thomas, hunc in modum scribens: Promiserat Devs per Nathan Prophetam Dauidi, quòd eius regnum in æternum stabiliret in semine suo, vt legitur primo Regum capite septimo. Postea verò propter peccatum adulterij, & homicidij, quod patrauit, dicebatur à quibusdam, quod Devs nō esset promissionem ei datam seruaturus. Intendit igitur Dauid, quod propter peccatum ipsius non sit mutanda iustitia Dei, ad quam pertinet, vt suos sermones impleat: vnde ait: *Vt iustificeris in sermonibus tuis.* Id est, vt ex hoc appareas in sermonibus tuis iustus, quia eos non præteris propter peccata mea. Deinde addit. *Et vincas cum iudicaris.* Scilicet promissionem tuam seruando contra opinionem & iudicium hominum, qui iudicant te non præstaturum mihi quod promisisti propter peccata mea. Verùm si dicitur homini, *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Quanto magis id competit Deo? Sic B. Thomas.

Ad Rom. 12.

16. Quoniam verò inter alias promissiones Dauidi datas à Deo, præcipua fuit promissio Messiæ ex eius semine nascituri, secundum illud: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Idcirco B. Gregorius verba ista Dauidis ad talem promissionem præcipuè ac principaliter refert & accommodat, supradicto loco ita scribens: Vel ita potest exponi: Iustifica me, vt tu iustificeris in sermonibus tuis: tu enim promisisti quod de stirpe mea carnem sis assumpturus, cum dixisti: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Sed si me de tanto non emundes scelere, de cuius semine carnem assumas, videor indignus. Laua me igitur ab iniquitate mea, ne sim frustratus promissione tua. *Et vincas cum iudicaris.* Iudicatus Dominus vicit, quia vnde in passione succubuit, inde maiorem sui gloriam resurgendo manifestauit. Iudicatus vicit, quia quorum, ad tempus, iudicium moriendo subiit, eos, iusto iudicio condemnatos, æterna morte mulctauit. Sic Gregorius. Quoniam autem promissio venturi Messiæ

Psalm. 131.

pertinet

pertinet ad prophetiam (vt Theologi vocant) prædestinationis, quæ est immutabilis, atque omnino implenda, ideo impediri propter Dauidis peccata nec debuit, nec potuit. Audiat Lector S. Thomam pluribus verbis hoc ipsum in cōmentario huius loci ita declarantem. Promissio facta Dauidi à DEO de incarnatione CHRISTI erat omnino implenda: vnde pertinebat ad prophetiam prædestinationis, secundum quam aliquid promittitur, omnibus modis implendum. Quod verò promittitur, vel pronuntiatur secundum prophetiam comminationis, non prædicitur, quasi omnibus modis implendum, sed secundum quod exigunt humana merita, quæ possunt mutari: & ideo si factum non fuisset, quod promissum est Dauidi, præiudicasset diuinæ iustitiæ. Si verò non fiat quod promittitur per prophetiam comminationis, non præiudicat diuinæ iustitiæ, sed designat mutationem meritorum humanorum. Vnde dixit Hieremias capite 18. *Repente loquar aduersus gentem, & aduersus regnum; vt eradicem, & destruam, & disperdam, & dissipem. Si egerit pœnitentiam gens illa, pœnitentiam agam & ego, super malo quod locutus sum.* Patet igitur secundum hunc sensum, quod peccatum hominis fidelitatem DEI non excludit. Hæc sanctus Thomas.

17. *Tertia expositio Theodoreti, Euthymij, Iansenij.*

Tertia expositio est Theodoreti, & Euthymij, quam sequitur Iansenius. Coniungunt isti hæc verba Dauidis: *Vt iustificeris in sermonibus tuis*, cum illis verbis proximè antecedentibus: *Tibi soli peccaui*, referentes ea, ad verba illa quæ DEVS per Nathan Prophetam locutus est Dauidi post factum ab eo adulterium, & homicidium: vt legitur in libro 2. Regum, capite 12. vbi DEVS quasi disceptans, & in iudicio contendens cum Dauide, redarguit eum per Nathan, quod tantis à se acceptis beneficiis, & in posterum accipiendis ornatus, ipse tamen contra, vsque adeo ingratus, & impius in tantum benefactorem suum extiterit. Et sic DEI iustificatione comprobata, condemnatio ipsius Dauidis tanquam rei iam conuicti, subiungitur illis verbis. *Quamobrem non recedet gladius,*

2. Reg. 12.

de domo tua, vſque in ſempiternum, & cætera quæ ſequuntur. Ergo ſenſus illorum verborum Dauidis: *Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis*, hic erit: Libenter peccaſſe me aduerſum te confiteor: ita vt cùm inter nos quaſi cauſa diſcutitur, & tu mecum iudicaris; tu in ſermonibus tuis, quibus me reum agis, iuſtam cauſam agere videaris: ego autem contrà, tanquam ingratus & iniquus meritò condemner, nihil habens quo me purgare, aut defendere coram te queam. Sic iſti. quorum expoſitio, licet videatur ſententiæ verborum Dauidis ſatis inhærens, & bene congruens, non tamen quadrare videtur conſilio, & propoſito Pauli argumentantis ex iſta Dauidis ſententia, propter hominum peccata non euacuari fidem Dei, quin etiam illuſtriorem reddi.

18. *Quarta expoſitio Caietani in commentariis in Pſalmos.*

Quarta expoſitio eſt Caietani, partim noua atque eius propria, partim non diſſimilis ſuperiorum. Locum autem illum Dauidis ex hebræo ad verbum (vt ipſe ait) ita latinè conuerſum legit Caietanus: *Tibi ſoli, tibi peccaui, & malum in oculis tuis feci: propterea iuſtificaberis in loqui tuo, & mundaberis in iudicare tuo.* Quæ verba explanans, hunc in modum ſcribit: Dupliciter exponi poſſunt, vel referendo ea ad conditiones inuentas in peccato illo Dauidis ſecundum perſonales conditiones ipſius Dauidis: vel referri poſſunt ad conditiones inuentas in illo peccato, prout eſt peccatum mortale. Si priori modo accipiantur, ſic expone: *Tibi ſoli peccaui*, quia te ſolum habeo Iudicem, & Dominum, & tui ſolius poteſtati, ac legibus ſubiectus ſum, cùm ſim Rex ſupremus huius populi. Et ad exaggerationem peccati, & qualitatis offenſæ in Devm geminauit illud: *Tibi ſoli, tibi peccaui, & malum in oculis tuis feci*, non enim feci in oculis hominum, ſed occultè: nam & adulterium ſecreto feci; & Vrias, licet publicè ſit occiſus in bello, occultum tamen fuit, quod ego fuerim cauſa mortis eius. *Propterea iuſtificaberis in loqui tuo.* Id eſt, Propterea conſequetur hoc, quod tu, qui ſolus es Iudex, parcendo mihi, iuſtificaberis, id eſt, verax fies in ſermone tuo. Si enim ego non peccaſſem, fuiſſes verax in promiſſione tua; locutionis

quippe

quippe iustitia est veritas. Si enim Dauid non peccasset, DEVS fuisset verax promissa data ei per Nathan præstando, vt est Secundo Regum capite septimo. Ex quo autē peccauit Dauid, indignum se reddidit promissione à DEO sibi data, nullusque remansit ei locus petendi promissa. Et idcirco dicit, quod si DEVS miserebitur sui, erit DEVS verax, non quia promisit, sed quia semel dixit, se Regni, ac MESSIÆ bona daturum sibi: & sic iustificabitur DEVS in suo loqui, quod est longe maius, quàm iustificari in promissione. *Et mundaberis in iudicare tuo.* Si peccatum meum fuisset publicum, & fuisset scandalosum, posset fortasse quispiam obiicere, quod iudicium misericordiæ tuæ erga me; non esset mundum; sed, quia tale non fuit peccatum meum, tibi enim soli manifestum fuit, ideo ex peccato meo, interueniente gratia tua, sequetur, quod absoluens me eris mundus in iudicando. Referendo porrò supradicta verba Dauidis ad conditiones peccati, quas habet secundum se, ea ratione, vt est peccatum mortale, altior est sensus istorum verborum. Nam illud: *Tibi soli peccaui*, denotat quod in peccando mortaliter, nullum offendimus nisi DEVM: ratio etenim omnis offensæ in eo est, quia fit contra DEVM, vel in ipso DEO, vt est odium DEI, & blasphemia, & similia: vel in nobis, aut in proximo, vt est fornicatio, adulterium, & homicidium. Sicut enim per caritatem non amamus nisi DEVM in seipso, & in nobis, & in proximo; ita & in peccato mortali, quod est contrarium caritati, non offendimus nisi DEVM. *Malum in oculis tuis feci.* Hoc ad exaggerationem culpæ facit, sicut qui peccat spectante Iudice, ac Prætore. *Propterea iustificaberis in loqui tuo.* Si non peccassem, esses verax in promissionibus præmiorum. Si peccassem & non parceres mihi, esses verax in comminatione pœnarum: Sed postquam peccaui, parcens mihi, eris verus in locutione tua, benefaciendo nobis, & saluando nos: non quia promisisti, facti enim sumus, ob peccatum, indigni promissione tua, sed quia dixisti. neminem enim saluat DEVS, nisi quem apud se dixit saluandum. *Et mundaberis in*

iudicare tuo. Si non peccassem, esses mundus in præmiando: si mihi peccanti non parceres, esses mundus in puniendo; me autem peccante, ac te miserente mei, eris mundus in iudicando, iudicio videlicet iustificationis: maxima quippe munditia iudicij inuenitur, quando impius, absque immundicia vlla iudicij, absoluitur gratuitò. Rarissimum est hoc in humanis iudiciis; atque eo magis commendat munditiam in diuino iudice. Hactenus ex Caietano.

18.

Quinta expositio Gregorij.

Quinta expositio ita se habet; Dauid illis verbis, respexisse ad promissionem datam à DEO de remissione peccatorum cuiuis verè, ac dignè scelerum suorum pœnitenti. Hæc autem DEI promissio in veteri Testamento non solum inuenitur apud Ezechiëlem capite decimo octauo, qui fuit quadringentis amplius annis posterior Dauide; sed etiam in Leuitico capite decimo sexto. *Orabunt* (ait Dominus) *pro iniquitatibus suis, & recordabor fœderis mei, &c.* Et in Deuteronomij capite trigesimo: *Si ductus pœnitudine reuersus fueris ad DEUM, reducet te Dominus DEUS tuus, & miserebitur tui, &c.* Sensus itaque verborum istorum Dauidis, est huiusmodi: *Miserere mei DEUS: dele iniquitatem meam: Laua me, & munda me à peccato meo, vt iustificeris in sermonibus tuis*, hoc est, vt veræ inueniantur promissiones tuæ, quibus promisisti cuiuis homini verè pœnitenti remissionem suorum peccatorum. *Et vincas cum iudicaris.* Id est, iudicantibus hominibus te non parciturum maximis, & grauissimis criminibus, dicentibusque cum impio Cain: *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Tu vincas istorum hominum iudicia, sententiamque subuertas; demonstrans nullum esse tantum crimen, quod non sit homini verè pœnitenti ignoscibile. Tu enim, vt ait Propheta, *præstabilis es super malitia.* Huic expositioni aut eadem est, aut certe persimilis interpretatio eorundem verborum, quam tradit S. Gregorius in explanatione quarti Psalmi pœnitentialis hoc modo scribens: Possunt aliter etiam ista verba Dauidis hoc modo exponi; quasi Dauid dicat: Ideo deprecor te, vt miserearis mei, & vt laues, & mundes me à pecca-

Genes. 4.

Ioel. 2.

S. Gregorius.

à peccato meo; *vt tu iustificeris in sermonibus tuis.* Id est, vt verax appareas in promissis tuis. Promisisti enim iustis regnum æternum, & virtutum amatoribus, æternæ vitæ brauium reparasti. Sed nisi me, atque alios peccatores iustifices, non poteris inuenire quos non damnes. Iustifica ergo me, vt tu iustificeris in sermonibus tuis, *& vincas cum iudicaris.* Iudicant te, qui negant post lapsum, reparationem fieri, & remissionem peccatorum nemini dandam asserunt. Quos, si mihi peccatum remiseris, velut fabricatores mendacij, & peruersorum dogmatum cultores superabis. Sic B. Gregorius. Hanc expositionem sine causa (meo iudicio) Iansenius, reiicit in suis Notationibus ad illum Psalmum, dicens, eiusmodi sensum verborum Dauidis, nequaquam conuenire proposito Pauli in hoc loco: vbi ex hoc Dauidis testimonio argumentatur, DEI iustitiam ex nostra iniquitate illustriorem fieri. At verò secundum istam expositionem, non tam apparet, declarari iustitiam DEI ex nostra iniquitate, quàm quod ex DEI misericordia, eius iustitia elucescit. Sed profectò, si ex misericordia DEI parcentis iniquitati hominum, elucescit eius iustitia, & veritas in promissis; similiter etiam innotescit ex ipsa iniquitate hominis, cui DEVS parcit, & qua non obstante, promissa sua fideliter seruat. Ergo iustitia DEI in seruandis promissis, ex ipsius misericordia parcentis peccatori per se ac principaliter explendescit. Eadem quoque clarescit ex iniquitate ipsius peccatoris, non quidem per se, sed vt ita dicam, per accidens, & occasionaliter.

19. *Sexta expositio.*

Sexta expositio est huiusmodi. In illis verbis: *Vt iustificeris in sermonibus tuis*, illud, *vt*, non significare causam siue finem, sed denotare euentum & consequentiam, & ordinem rei. Non enim id sensit Dauid, nec verbis istis docere voluit, ideo se peccasse, vt DEVS appareret iustus: Sed hoc esse consecutum, & ita euenisse ex peccato suo, propter infinitam videlicet DEI bonitatem. Nam dum Dauid tot à DEO tantisque cumulatus beneficiis, & promissis, non est veritus, grauissimis sceleribus admissis, DEVM, tantum benefactorem suum,

um, vehementer offendere; hinc clarissime Dei iustitia, & fides, ac veritas enotuit atque enituit, qui non solum eius peccatis ignouit, sed etiam data ei promissa præstitit. Est itaque verborum Dauidis hic sensus: Fateor (ait Dauid) me grauissimum scelus aduersum te fecisse: verùm, quæ tua est bonitas, & benignitas, hoc boni ex meis peccatis consecutum est, vt dum tu, licet à me vehementer offensus, nihilominus tamen, quæ mihi promiseras, fideliter seruas, & præstas; clarissimum sit omnibus, quàm tu in promissis tuis seruandis iustus sis, & verax atque fidelis. S. Thomas in commentario huius loci, aliquot superiorum expositionum commemorans, solam omnium primam, vt litteralem, & proposito B. Pauli bene conuenientem, laudat. Ceteras verò, licet veras, Pauli tamen proposito incongruas esse iudicat. Ego, vt primam lubenter approbo, & laudo, ita sextam omnibus præfero, vt sententiæ verborum Dauidis maxime inhærentem, & consilio B. Pauli aptissimam.

Iudicium de supradictis expositionibus.

QVARTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Versu. 5. 6. 7. & 8.

Si autem iniquitas nostra iustitiam DEI commendat, quid dicemus? Numquid iniquus est DEVS qui infert iram? (secundum hominem dico) Absit. Alioquin quomodo iudicabit DEVS hunc mundum? Si enim veritas DEI in meo mendacio abundauit in gloriam ipsius, quid adhuc & ego tanquam peccator iudicor, & non (sicut blasphema-

mur,

mur, & sicut aiunt quidam nos dicere) Faciamus mala, vt veniant bona: quorum damnatio iusta est.

20.

HIs verbis continetur tertia obiectio, quam sibi ipse facit Paulus, ex iis, quæ à Dauide & ab ipso proximè dicta sunt, existens. Si enim peccato Dauidis illustrior facta est DEI bonitas & veritas; ergo facienda sunt peccata, vt per ea DEI gloria illustrior fiat. Quam obiectionem, tanquam nimis absurdam atq; impiam, noluit Paulus propriè ac distinctè pluribus verbis refellere: Sed contentus est, quasi eam abominatus & execratus reiicere illo verbo. (Absit) & item illis verbis: *Quorum damnatio iusta est*. Tam eorum videlicet, qui dicunt facienda esse mala; vt eueniant bona; quàm eorum qui nos Apostolos ista prædicare, obtrectando & calumniando dictitant. Iudicat enim Paulus fuisse quosdam, qui hanc illi calumniam intenderant: arripientes fortasse occasionem ex eo quod Paulum dicentem audierant: *Vbi abundauit delictum, illic superabundauit & gratia.* Sicut infrà capite quinto scriptum est, & item illud, quod ipse ait infrà capite vndecimo: *Conclusit DEVS omnia in incredulitate; vt omnium misereatur.* Et hoc est, quod Paulus hoc loco ait: *Sicut blasphemamur.* Id est, sicut quidam qui prædicare nos hanc blasphemiam dicunt: vel sicut apud nonnullos malè audimus, & tanquam blasphemi habemur, quod talia prædicemus.

Illud autem: *Secundum hominem dico*, adiecit Paulus quasi correctione vtens, quod verba illa impia protulisset. *Numquid iniquus est DEVS?* Secundum autem hominem dicere, idem valet, ac more carnalium & imprudentium hominum loqui. Quanquam Origenes admonet quædam exemplaria non habere illud (dico) & pro illo, *Secundum hominem*, habere, *aduersus hominem*, ita coniungendo cum verbis proxime antecedentibus: *Numquid iniquus est DEVS, qui infert iram aduersus hominem?* Græca quippe propositio κατὰ cum Geni-

Origenes.

tiuo, significat contra, vel aduersus; cum Accusatiuo autem idem significat quod secundum. Pro illo verbo: (Commendat) cum dicitur: *Si iniquitas nostra iustitiam* D E I *commendat.* Græcè est *συνίστησι* quod verbum propriè significat statuere, stabilire, confirmare, ac fulcire; quanquam Hesychio auctore, apud græcos istud verbum variè accipitur; pro laudare, illustrare, confirmare, & commendare, & Origenes paulo post enarrans verba illa Pauli, quæ sunt infra capite quinto: *Commendat autem* D E V S *charitatem suam in nobis,* indicat verbum, commendat, eo loci pollere idem quod confirmat, vel amabilem facit. In illis autem verbis. *Quomodo iudicabit* D E V S *hunc mundum?* Græcè non est pronomen illud, (hunc) & significatur istis verbis, repugnare atque impossibile esse, vt iniquus sit, qui est futurus vniuersalis, & summus omnium Iudex; oportet enim quod est primum, & supremum in aliquo genere, esse in eo genere perfectum, sicut primum mouens est immobile; alioqui oporteret esse aliquid prius, à quo moueretur: & primum iudicans, & dirigens omnia, necesse est esse infallibile, alioqui oporteret esse aliud, à quo corrigeretur. Et huc spectant verba illa Iob capite trigesimo quarto: *Ideo viri cordati audite me: Absit à* D E O *impietas, & ab* O M N I P O T E N T E *iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, & iustè vias singulorum restituet eis. Verè enim* D E V S *non condemnabit frustra, nec* O M N I P O T E N S *subuertet iudicium. Quem constituit alium super terram? aut quem posuit super orbem quem fabricatus est?*

Hesychius.

Locus Iob cap. 34.

21. Sed illorum verborum B. Pauli: *Si iniquitas nostra iustitiam* D E I *commendat, quid dicemus? Numquid iniquus est* D E V S *qui infert iram? Absit.* Duplex potest esse sensus: vt alter sit hic: *Si iniquitas nostra iustitiam* D E I *commendat, num ideo iniquus est* D E V S *qui infert iram?* Hoc est, vindictam, puniens iniquitatem nostram? *Absit.* hoc est, non propterea D E V S est iniquus: non enim malitiæ nostræ assignandum est, sed clementiæ ac bonitati diuinæ, quod nostra iniquitate vtatur in gloriam suam. Alter sensus est huiusmodi: *Si iniquitas nostra*

ſtra iuſtitiam DEI *commendat*, ergo iniquus eſt DEVS, qui noſtram iniquitatem iudicat: Sed non eſt iniquus DEVS, non igitur iuſtitiam eius noſtra commendat iniquitas. Similiter illud etiam, quod ſubdit Paulus: *Si veritas* DEI *in meo mendacio abundauit in gloriam ipſius; quid adhuc & ego tanquam peccator iudicor?* &c. Dupliciter poteſt exponi: Primùm hoc modo: Si veritas DEI ſeruantis promiſſa ſua, per meum mendacium, & peccatum, maior & illuſtrior apparuit; non ego tanquam peccator damnari debeo, qui DEI veritatem, & iuſtitiam manifeſto, & illuſtro: quin potius faciamus mala, vt inde bona eueniant: hoc enim, ait Paulus, quidam malè, & falsò de nobis loquuntur, rectè à nobis dicta, inique calumniantes. Sed profectò iuſtè peccator punitur, nec ſunt facienda mala, vt inde bona eueniant: non ergo DEI veritas in meo mendacio abundauit. Poſſunt etiam aliter eadem verba ſic exponi, vt in perſona inſipientium, & impiorum hominum talia loquatur Paulus, in hanc videlicet ſententiam: Si, vt Dauidis verba ſonant, iuſtitia & veritas DEI per noſtrum peccatum vel mendacium clarius oſtenditur, magiſque eluceſcit, non debemus nos, qui noſtro mendacio gloriam DEI amplificamus, atque illuſtramus, damnari ac puniri, quin potius facienda ſunt nobis mala, vt quæ tantum boni pariant, illuſtriorem DEI nimirum gloriam. Hanc argumentationem hominum impiorum, qui & eam ipſi Paulo affingebant, referens hoc loco Paulus, non aliter refellit, quàm horrendo, & abominando tantam impietatem, dicens, *Abſit*, & item, *Quorum damnatio iuſta eſt*. Et verò ſi peccatum ex ſe, ſuaque natura augeret atque illuſtraret DEI gloriam, peccandum vtique foret; nec vllo modo iuſtum eſſet, peccatorem puniri. At verò non ex peccati natura id prouenit, ſed ex infinita bonitate, ac ſapientia, & potentia DEI, qui malis & peccatis, & ſcit, & poteſt, & vult bene vti ad maiorem gloriam ſuam. Huc ſpectat illa Boëtij præclara ſententia in libro quarto de conſolatione Philoſophica, Proſa ſexta: Sola, inquit, eſt diuina vis, cui mala quoque bona

Boëtius.

ſunt, cum eis competenter vtendo, alicuius boni elicit effectum. Ordo enim quidam cuncta complectitur, vt quod ab aſſignata ordinis ratione diſcedit, hoc idem, licet in alium, tamen in ordinem relabatur: ne quid videlicet in regno Prouidentiæ liceat temeritati.

22\. Ceterùm accuratè declaranda ſunt verba illa: *Faciamus mala, vt veniant bona*, quæ verba Paulus in perſona impiorum refert, ea prorſus abhorrendo. Ex hoc autem loco Theologi colligunt ſententiam illam, (Non eſſe facienda mala, vt eueniant bona) qua quidem vna ſententia complures aliæ veritates à Theologis liquido declarantur, valideque probantur, atque confirmantur. Sicut autem ſecundum diſciplinam Logicam, ex falſis argumentari verum, fas non eſt; ita ſecundum diſciplinam moralem, & doctrinam Chriſtianam, non eſt vtendum malis ad comparanda bona, nec ad bonum finem pertendendum eſt per mala media. Iuuat hîc tria commemorare Caietani ſuper hac ipſa ſententia, ſanè quàm Theologica documenta. Ac primum quidem eſt, peccatum nullo modo eſſe eligendum, vt medium ad quemcumque bonum finem conſequendum: repugnat enim peccato, ea ratione vt peccatum eſt, vt ſit eligibile. Si enim foret eligibile, cum omnis electio ſit alicuius boni, peccatum eſſet bonum, & ideo non eſſet peccatum: nec igitur propter ſe, nec propter quiduis aliud peccatum eſt eligibile. Hoc tamen non obſtat, quin verè dicantur peccata hominum eſſe materia diuinę iuſtitiæ & gloriæ: ſicut crimina latronum & parricidarum, ſunt materia iuſtitiæ boni Iudicis; & ſunt occaſiones oſtendendi gloriam iuſtitiæ eius; quin etiam quandoque ſunt materia clementiæ ac miſericordiæ Principis. Cum igitur Dauid dixit: *Tibi ſoli peccaui, vt iuſtificeris in ſermonibus tuis*, non ſenſit, nec ſignificare voluit, peccatum ſuum fuiſſe medium congruens ad illuſtrandam DEI iuſtitiam: Sed indicauit, ex occaſione peccati ſui oblatam eſſe materiam, in qua ſuperluceret iuſtitia, & fides, & veracitas DEI; ſicut qui commiſſi à ſe parricidij petit veniam à principe, vt in tanto crimine

Tria Caietani documenta.

mine potentiæ eius sublimitas, soluta ab omni lege humana, euidentius appareat.

Alterum Caietani annotamentum est huiusmodi: Quoniam euitatio maioris mali, est quoddam bonum, & eiusdem rationis cum bono, quantum ad esse iustum vel iniustum, & esse honestum, vel inhonestum, sicut etiam Philosophi tradiderunt; idcirco ob eandem rationem, qua horremus facere mala, vt eueniant bona, etiam horrere debemus facere mala minora, vt euitemus maiora mala: vitatio namque maioris mali, est quoddam bonum, & sanè minus bonum est, quàm consecutio alicuius boni: quare si non propter hoc, multò minus propter illud sunt facienda mala.

23.

Tertio loco adnotat Caietanus, non esse huic doctrinæ Pauli contraria, ea, quæ traduntur in decretis distinctione XIII. ex decreto Concilij Toletani VIII. & ex sententia B. Gregorij in libro 32. Moralium capite 27. vel secundum aliam distinctionem 22. Gregorius etenim eo loco conditionaliter loquitur, conditione pendente non ex parte rerum, sed ex parte hominis, dicens: *Si omnino nullus sine peccato euadendi aditus patet*, &c. quæ perplexitas non est ex parte rerum, sed interdum contingere potest ex parte hominis non videntis aditum euadendi absque peccato. Et tunc Gregorius consulit secundum indulgentiam, eligere minus malum, vtens auctoritate Pauli de vxore propter fornicationem vitandam. Concilium verò Toletanum non docet eligere minus peccatum, sed facere solutionem minoris obligationis, quam constat fieri sine peccato, vt patet in exemplo, quod ibi ponitur, de solutione iuramenti, & noxiæ promissionis: potius enim rescindendum est iuramentum, quàm implendum est promissum perniciosum. Hæc Caietanus, verè, doctéque, ac plane theologicè.

1. Cor. 7.

Concilium Toletanum VIII.

Verùm non fuerit alienum verba ipsa Concilij Toletani, quæ indicauit Caietanus, hîc adscribere. Sunt autem huiusmodi: Vbi periculi necessitas compulerit, id debemus resoluere, quod maiori nexu noscitur obligari. Quid autem ex his leuius, quidue sit grauius, pietatis acumine inuestigemus.

mus. Etenim cum periurare compellimur, Creatorem quidem offendimus, ſed nos tantũmodo maculamus: Cùm verò noxia promiſſa complemus, & Dei iuſſa ſuperbè contemnimus, & proximis impia crudelitate nocemus, & nos ipſos crudeliori gladio trucidamus. Sic ibi. Verba porrò beati Gregorij, quæ tantùm Caietanus attigit, ſic habent: Si omnino nullus ſine peccato euadendi aditus patet; minora ſemper eligantur; quia & qui murorum vndique ambitu, ne fugiat, clauditur, ibi ſe in fugam præcipitat, vbi breuior murus inuenitur. Hinc etiam Paulus, cum quoſdam in Eccleſia incontinentes aſpiceret, conceſſit minima, vt maiora declinarent, dicens: *Vnuſquiſque vxorem ſuam habeat, propter fornicationem.* Et quia tunc ſolùm coniuges ſine culpa in admixtione ſunt, cum non pro explenda libidine, ſed pro ſuſcipienda prole miſcentur; vt hoc etiam quod conceſſerat, ſine culpa, quamuis minima non eſſe monſtraret; ideo adiunxit: *Hoc dico ſecundum indulgentiam, non ſecundum imperiũ.* Non enim ſine vitio eſt, quod ignoſcitur, & non præcipitur. Peccatum profectò vidit, ſed quia poſſet indulgere, præuidit. Ergo cùm in duobus conſtringimur, vtiliter minimis ſubdimur, ne in magnis ſine venia peccemus. Itaque plerumque neruorum Behemoth perplexitas ſoluitur, dum ad virtutes maximas per commiſſa minora delicta tranſitur. Hæc dixit S. Gregorius exponens verba illa Iob, quæ ſunt in capite quadrageſimo: *Nerui teſticulorum eius perplexi ſunt,* docens verbis illis ſignificari perplexas diaboli ſuggeſtiones, quibus homo incertus & dubius, animi pendet, dum putat ſe non poſſe vnum peccatum euadere, quin alterum peccatum incurrat.

S. Gregorius.

1. ad Cor. 7.

24. At enimuerò iſti ſententiæ ac doctrinæ Pauli, non eſſe facienda mala, vt eueniant bona, vel vt arceantur maiora mala, planè aduerſari videtur facinus illud Loth, quod narratur in capito 19. libri Geneſis. Is enim videtur licitè feciſſe malum, vt vitaret aliud maius malum: nam filias ſuas obtulit libidini Sodomitarum, vt eorum nefandam violationem

nem

nem ab hostibus suis defenderet. In quo facto non peccasse eum, non leue argumentum est, quod beatus Petrus in capite secundo posterioris epistolæ suæ præclarum ei iustitiæ ac innocentiæ perhibet testimonium illis verbis: *Iustum Loth oppressum à nefandorum iniuria, & luxuriosa conuersatione eripuit DEVS: aspectu enim, & auditu iustus erat, habitans apud eos, qui de die in diem animam iusti iniquis operibus cruciabant.* Verùm de illo facto Loth, fueritne honestum, an improbum, dignumq; laude, an vituperatione, dissentiunt Auctores. Multi enim ipsum laudant, nedum à peccato vindicant: multi contrà improbant, & damnant. Laudare videtur S. Augustinus in libro de Mendacio capite septimo. Laudat Ambrosius in libro primo de Abraham capite sexto, & Chrysostomus in homilia quadragesima tertia. A peccato autem vindicant & S. Thomas in quęstionib. de Malo, quęstione prima, articulo primo, & in responsione ad decimamquartam obiectionem, & item Caietanus in Secundam Secundæ, in articulum quartum quæstionis septuagesimę quartę, & Ioann. Arboreus in libro decimo Theosophiæ, capite secundo. Ex aduerso autem illud factum Loth improbant, & culpant Augustinus in quæstione quadragesima secunda in Genesin, & in libro contra Mendacium, capite nono, & super caput decimum nonum Genesis, Glossa interlinearis, & Lyranus, & Thomas Anglicus, & Tostatus, & Lippomanus in catena, & Ioannes Ferus, nec non & Sotus de iustitia & iure, quæst. 1. art. 5.

Locus 2. Pet. 2.

Excutitur illud factũ Loth filias suas exponẽtis libidini Sodomitarũ, vt hospites suos inuiolatos seruaret.

S. Augusti.
S. Ambros.
S. Chrysost.
S. Thomas,
Caietanus,
Ioã. Arboreus.

S. Augustinus.
Glossa interlin. Lyranus.
Thomas Anglicus, Tostatus, Lippom.
Ioan. Ferus.
Sotus.

25. Equidem propensior sum in sententiam Augustini, factum illud Loth minimè approbantis. Cuius in libro contra mendacium, capite nono hæc sunt verba: Si peccare non debemus, ne grauius peccemus nos vel alij in quoslibet peccẽt, considerandum est in eo, quod fecit Loth, vtrum sit exemplum quod imitari, an potius quod euitare debeamus. Putandum enim est, cùm tam horrendum malum suis cerneret impendere hospitibus, quod ipse cuperet repellere, nec valeret, sic eius animum potuisse turbari, vt vellet facere, quod nõ humani timoris nebulosa tempestas, sed diuini iuris tranquilla

Auctoris sententia.

quilla

quilla ſerenitas, faciendum à nobis non eſſe clamabit: & iubebit potius, vt ſic noſtra peccata caueamus, ne alienorum peccatorum timore peccemus. Aliena quippe ille vir iuſtus timendo peccata, quæ niſi conſentientes inquinare non poſſunt, perturbatus non attendit ſuum peccatum, quo voluit ſubdere filias libidinibus impiorum. Hæc quando in ſcripturis ſanctis legimus, non ideo quia facta credimus, etiam facienda credamus, ne violemus præcepta, dum paſſim ſectamur exempla. Itaque rectiſſimè quiſpiam tunc dixiſſet ſancto Loth: Age quidquid potes, ne fiat quod meritò times. Sed noli facere magnum ſcelus tuum, dum magis horreſcis alienum. Quantumlibet enim diſtet inter tuum, & alienum, hoc tamen erit tuum, & illud alienum. Sic Auguſtinus. Culpandus igitur fuit Loth: ſed eam tamen culpam duæ res multum eleuarunt: primò ingens animi perturbatio, mentis iudicium impensè confundens, ac præſtringens, cuius ille ſatis magnam, & grauem cauſam habuit. Deinde flagrans eius ſtudium, magna ſanè dignum laude, à nefanda, & violenta Sodomitarum iniuria defendendi ac tuendi hoſpites ſuos.

26.

Quonam videatur illius facti Loth probabiliter excuſatio. Caietanus.

Si autem factum Loth excuſandum eſſe videatur, nullam ego commodiorem excuſandi eius facti rationem video, quàm quæ tradita eſt à Caietano ſuper illo Geneſis loco, vbi factum iſtud Loth narratur. Is verò ita ſcribit; Magna oritur quæſtio, vtrum Loth peccauerit offerendo filias ſuas libidini Sodomitarum, ad euitandam iniuriam ſuorum hoſpitum. Hinc enim apparet peccatum eſſe, flagitio repenſare flagitium, iuxta doctrinam illam Pauli, Non eſſe facienda mala, vt eueniant bona. Ex altera verò parte factum illud Loth fuiſſe licitum probare videtur auctoritas beati Petri, appellantis eum & aſpectu, & auditu iuſtũ, & nefariè vexatum atque oppreſſum à Sodomitis, & liberatum à DEO. Sed huius quæſtionis ſolutio, talis eſt; Loth non obtuliſſe filias Sodomitis animo repenſandi flagitium flagitio, ſed animo placandi furentem populum, per hyperboli-

bolicam quandam sui submissionem. Credebat enim, populum minimè acceptaturũ eiusmodi oblationem; sed fore potius, vt populus ille tanta eius placatus submissione, ab incepto desisteret, idque propterea verisimile erat, quod filiæ Loth primariis Sodomæ ciuibus iam desponsæ fuerant. Simile igitur est, quod de Loth dicimus, vt si placaturus quis alium à se magna offensum iniuria, nudum ei pugionem offerat, dicens: Interfice me; non eo sanè animo, vt ille occidat; sed vt, tanta ipsius mitigatus submissione, omnem ei remittat iniuriam & offensam. Verùm de hac quæstione satis hoc loco dictum sit: ampliorem enim tractatum eius fecimus in tertio Tomo commentariorum nostrorum in Genesin super caput decimum nonum, in prima disputatione.

QVINTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

QVID ergo? præcellimus eos? Nequaquam, causati enim sumus, Iudæos, & Græcos, omnes sub peccato esse: sicut scriptum est: Quia non est iustus quisquam, non est intelligens, non est requirens DEVM: *& quæ sequuntur vsque ad illa verba.* Non est timor DEI ante oculos eorum.

Versu 10. vsque ad 18.

QVONIAM Paulus initio huius capitis affirmauerat, Iudæos multis rebus præstare Gentilibus: ne fortè Iudæi ea re superbè aduersus Gentiles

27.

Ece extol-

extollerentur, nunc ipse sibi obiiciens ait: Num quia Iudæis credita sunt eloquia DEI, vt suprà diximus, propterea Iudæi præcellunt Gentiles? Respondet Paulus, nequaquam. Nec sunt hæc Pauli dicta inter se pugnantia. Nam licet Iudæi præcellant Gentes secundum quasdam prærogatiuas à DEO ipsis indultas; in negotio tamen iustificationis apud DEVM, quod nunc tractatur à Paulo, Iudæi non antecellunt Gentes, vt possint gloriari aduersus eas de iustitia sua coram DEO. Atque hunc esse germanum huius loci sensum, planè indicant, quæ deinceps proximè subiungit Paulus. Glossa super hoc loco ait Iudæos excelluisse Gentibus in tempore legis, & ante CHRISTI aduentũ: post aduentum autem eius, atque in statu gratiæ, haud quaquam præcellere. Nam vt scripsit Paulus ad Colossenses capite tertio: *In CHRISTO non est Iudæus, nec Gentilis, nec circumcisio, nec præputium.* Sed hoc responsum meritò non placet beato Thomæ. Paulus etenim infrà ostendet, Iudæos, etiam dum erant sub lege, minus quàm Gentiles, in peccatis fuisse: sicut per Ezechielem dicit Dominus: *Ista est Hierusalem, quam posui in medio Gentium. Contempsit iudicia mea, vt magis esset impia quàm Gentes.* Quocirca sanctus Thomas respondet, Paulum suprà esse locutum de excellentia Iudæorum, quantum ad singularia quædam beneficia & prærogatiuas, quas eis DEVS indulserat: hîc autem excludere præstantiam ipsarum personarum: quia Iudæi tantis à DEO acceptis beneficiis malè vsi sunt.

Ezechiel. 5.

28. *Causati enim sumus Iudæos & Græcos, omnes sub peccato esse.* Id est, causam, cur Iudæi in negotio iustificationis coram DEO non sunt præferendi Gentibus, suprà docuimus esse hanc, quòd omnes, tam Iudæi, quàm Gentiles, sub peccato sunt. Ac de Gentilibus quidem id ostendit supra in capite primo; de Iudæis verò in capite secundo. Magnam porrò emphasim habet illud: *Sub peccato esse.* Significat enim teneri constrictum iugo peccati, reumque esse æternæ damnationis, & obnoxium esse iræ ac vindictæ

Quid sit esse sub peccato.

dictæ diuinæ. Præterea significat, hominem qui peccat, tametsi actus peccati transeat, habere tamen in animo suo inhærentem maculam peccati, & obstrictum esse reatu æternæ damnationis: Quod euidenter colligitur ex verbis illis, quæ sunt in capite vigesimo secundo libri Iosue: *An parum vobis est, quia peccastis in Beelphegor, & vsque in præsentem diem macula huius sceleris in vobis permanet?* Vel, esse sub peccato, est seruum esse peccati, sicut dicit scriptura: *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* Significat item, hominem nec sua vi, nec vllius creaturæ adiutorio posse, citra singularem DEI gratiam, ex peccato emergere. Significat etiam pondere peccati grauatum & depressum esse, sicut dixit Dauid: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Est enim peccatum, talentum illud plumbi intra amphoram, quod vidit Zacharias. Ac demùm, sub peccato esse, significat, velut quadam necessitate, ex vno peccato in aliud vel simile, vel dissimile trahi.

Locus Iosue cap. 22.

Ioan. 8.

Psalm. 37.

Zachar. 5.

29. Iam verò grauem afferunt quæstionem verba illa, quæ citat Paulus ex veteri scriptura, dicens: *Sicut scriptum est, Quia non est iustus quisquam, non est intelligens, non est requirens DEVM,* & cætera vsque ad illud: *Non est timor DEI ante oculos eorum.* Hæc enim verba à Paulo citata, reperiuntur omnia in Psalmo decimo tertio, secundum latinam, & græcam translationem; at verò secundum scripturam hebraicam, tantùm in eo Psalmo reperiuntur ea verba: *Non est iustus quisquam, non est intelligens, non est requirens DEVM. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum.* Quæ autem deinceps sequuntur: *Sepulcrum patens est guttur eorum,* & cætera vsque in finem, non sunt in eo Psalmo secundum lectionem hebraicam. Quæritur itaque qua ratione græca & latina translatio istos versus inseruerit Psalmo decimo tertio, cùm eos inibi non habeat scriptura hebraica; & quomodo Paulus, qui nõ solet testimonia veteris scripturæ citare, nisi q̃ reperiũtur

An versus oẽs hic citati à Paulo, pertineant ad Psalmum 13.

in textu hebraico, in hoc loco citauerit istos versus ex Psalmo decimo tertio, in quo non sunt, vt diximus, secundum lectionem hebraicam. Huius quæstionis solutionem tradit B. Hieronymus in Prooemio libri decimi sexti commentariorum in Isaiam, respondens ad hanc ipsam quæstionem sibi ab Eustochio propositam, hoc modo scribens: Non paruam quæstiunculam mihi attulisti, quod octo versus qui leguntur in Ecclesiis in Psalmo decimo tertio, ab illo versu: *Sepulcrum patens est guttur eorum*, vsque in finem, qui versus in hebraico non habentur, Paulus vsurpauerit in epistola ad Romanos. Ego omnem scripturam mente perlustrans, animaduerti, sicut omnis pene epistola ad Romanos de veteri structa est Testamento, sic & hoc testimonium partim ex Psalmis, partim ex Isaia esse contextum. Nam primi versus sunt ex Psalmo decimo tertio. Ille: *Sepulcrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant*, est quinti Psalmi. Proximè sequens versus: *Venenum aspidum sub labiis eorum*, pertinet ad Psalmum centesimum trigesimum nonum. Qui autem deinceps sequitur: *Quorum os maledictione, & amaritudine plenum est*, ex nono Psalmo est. Tres autem versus subsequentes, illos dico: *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt*, sumpti sunt ex capite quinquagesimonono Isaiæ. Denique vltimus ille versus: *Non est timor* D E I *ante oculos eorum*, in Psalmo trigesimo quinto inuenitur. Nec moueat quenquam, quod quæ suis in locis numero singulari dicuntur, Paulus plurali numero posuerit: quippe qui scribebat ad plurimos, & in vnum sensum multa cogebat exempla. Ex quo licet intelligere, non tam Paulum de Psalmo decimo tertio sumpsisse quod in Hebræo non habetur, quàm eos, qui artem contexendarum scripturarum Apostoli nesciebant, quæsisse aptum locum, vbi assumptum ab eo ponerēt testimonium, quod absq; necessitate in scriptura positū non putabāt. Et quia ex 13. Psal. primos versus Paulus citauerat, existimauerant, ceterā quoq; narra-

S. Hieronym.

narrationē ex eodem Pſalmo eſſe ſumptam, & in eo reponi oportere. Deniq; omnes Græci tractatores, qui nobis eruditionis ſuæ in Pſalmos commentaria reliquerunt, hos verſiculos veru annotant, & prætereunt, liquidò confitentes, in hebræo non haberi, nec eſſe apud LXX. Interpretes: Sed eſſe in editione vulgata, quæ communis vocatur, & in toto orbe diuerſa eſt. Hactenus verba fuerunt B. Hieronymi.

30. *Lindanus.*

Quocirca ſatis miror Dominum Lindanum, egregie doctum & catholicum virum, qui in ſuo libro primo de optimo genere interpretandi ſcripturam, ex hac citatione Pauli valide argumentari ſe putauit, Biblia hebraica ab Hebræis eſſe corrupta, eo maxime argumento, quod prædicti octo verſus ex decimo tertio Pſalmo hic citati à Paulo, quos ibi habet tranſlatio ſeptuaginta interpretum, in libris hebraicis non reperiantur. Quanquam ipſe affirmat vidiſſe ſe vetuſtiſſimum quoddam Hebraici Pſalterij exemplar quod credebatur fuiſſe Auguſtini Epiſcopi Cantuarienſis, qui Angliam à Pelagianiſmo repurgauit; quod Pſalterium prædictos octo verſus in Pſalmo decimo tertio integros habebat, ſicut habent latinum & græcum Pſalterium, Sic Lindanus. Quem credibile ſit, aut non legiſſe quam paulo ſupra memorauimus, B. Hieronymi ſententiam, aut eam, cum iſta ſcriberet, animum eius non ſubiiſſe; niſi fortè & legerat, & in memoria eam habebat, ſed ab ea ſciens volenſque diſceſſit. Cum tamen ea, tum ob Hieronymi auctoritatem, tum ob rationes, quibus eam firmauit, probabilis admodum ei videri debuiſſet. Nec mihi quidem magnam fidem facit Pſalterium illud hebraicum illius Auguſtini: tum quia Auguſtinus ille non ſolum annis, ſed etiam ſæculis poſterior fuit Hieronymo: Vt neceſſe ſit, codices hebræos quos habuit S. Hieronymus, multo fuiſſe vetuſtiores, fideque digniores; tum etiam quod non eſt eruditi hominis, ex vno duntaxat codice, ceteros omnes velle corrigere; cum potius ex aliorum omnium codicum conſenſu, vnius diſcrepantis deprauationem concludere oporteat. Ioannes Iſaac Leuita, & Coloniæ, ſuperio-

Non fuiſſe corruptum ab Hebræis Pſalmum 13 vt putauit Lindanus.

ribus annis, professor linguæ hebraicæ, tres libros scripsit pro veritate hebraicæ scripturæ aduersus Lindanum; & inter alia docet, prædictos illos versus Psalmi decimi tertij, quos habebat hebraicum illud exemplar Augustinianum, quia in omnibus latinis Bibliis in eo Psalmo legebantur, ab aliquo hebraizante, nec sanè admodum docto linguæ hebrææ, ex latinis in hebræum sermonem conuersos, in eum locum illatos esse, atque insertos. Omnino, mihi non fit verisimile, Iudæos omnes, qui vbicumque terrarum dispersi erant, consensisse, atque conspirasse ad corrumpendum Biblia hebraica, ex decimo tertio Psalmo versus illos detrahendo. Nam quænam, obsecro, eos potuit ratio impellere ad tantæ impietatis scelus designandum, & perficiendum? Cum ipsi religiosissime, vel vsque ad superstitionem, in sacris Bibliis vel minima quæque obseruarent, ac venerarentur, nefas esse putantes; quidquam, quantumuis minimum, variare. Nempe de Iudæis dixit Dominus Ioannis quinto: *Scrutamini Scripturas, in quibus vos putatis vitam æternam habere.* Nec verò isti versus quidquam faciebant ad CHRISTVM Dominum, vel Christianam religionem, vt in eius odium eos inde remouerint; cum in aliis etiam Scripturæ locis illi versus reperirentur: & ob istam causam, alia potius detrahenda fuissent ex Psalmis & Prophetis, quæ apertam continebant prædictionem eorum, quæ in Domino IESV manifestè, perfectèque completa sunt. Ceterum licet isti versus non sint in eo Psalmo secundum Scripturam hebraicam, nec translationem LXX. Interpretum, nec in græca editione Complutensi, nec apud Græcos interpretes eo in loco exponãtur, vel legantur, sicut nec apud Latinum interpretem sunt in Psalmo quinquagesimo, per omnia simillimo decimi tertij Psalmi: non tamen ex decimo tertio Psalmo remouendi sunt; verùm ob antiquissimam lectionis consuetudinem, quæ præcessit etiam B. Hieronymi tempora, omnino retinendi.

Ioann. Ioan. 5.

SEXTA

SEXTA DISPVTATIO.

Quemadmodum intelligere oporteat verba illa Dauidis, quæ hîc commemorat B. Paulus.

Versu 12.

Non est iustus quisquam, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.

31. Quatuor expositiones.

HAc sententia, & verbis Dauidis abutuntur Lutherani, inde argumentantes, omnes prorsus homines, etiam iustificatos, perpetuò esse sub peccato. ob perpetuam naturæ humanæ corruptionem, natiuamque propensionem ad malum. quapropter Catholici doctores variis modis ista Dauidis verba interpretati sunt, vt ea dirigerent ad verum, & catholicum sensum. Sunt autem quatuor istorum verborum Dauidis expositiones. Prima expositio est: eo sensu dici nullum hominem esse iustum, nec bonum facere, quòd nemo ex seipso, & citra speciale DEI auxilium, posit verè iustus esse, & quod est verè bonum facere. Quod etiam confirmauit Moses Exodi 34. illis verbis: *Dominator DEVS misericors & clemens, qui aufers iniquitatem, atque peccata, nullusq; apud te, per se innocens est.* Hoc item modo interpretari conuenit illud Michææ 7. *Periit sanctus de terra, & rectus non est in hominibus.* Hæc interpretatio apta est atq; congruens proposito Pauli in hoc loco, vbi probare vult omnes homines esse in peccatis, nec iustos esse posse nisi per fidem, & gratiam CHRISTI. Altera expositio est, Nullum hominem dici iustum omnino, & quantum ad omnia; ita vt aliquando nullum peccatum fecerit, &, ad præsens, nullum peccatum adiunctum habeat, saltem veniale, sicut scriptum est in Prouerbiis capite 20. *Quis potest dicere: Mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Et Ecclesiaste 8. *Non est*

Prima expositio.

Secunda expositio.

Tertia expositio.

est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Tertia expositio: Illas sententias Dauidis vniuersales, esse dictas per hyperbolen, nec esse accipiendas vniuersaliter, sed in plurimis, vt paucissimi tantùm excipiantur: & hic loquendi modus per hyperbolen, frequens est in diuina scriptura, præsertim autem in Prophetis: de quo loquendi modo plura diximus supra in explanatione secundi capitis, exponentes illam sententiam Isaiæ: *Omnes nos quasi immundi facti sumus.* Primam expositionem supra positam attingit B. Augustinus explanans illum Psalmum decimum tertium: Et hanc & secundam expositionem approbat S. Thomas. Secundæ interpretationi magis adhæret Caietanus.

Isa. 64.

S. Thomas.
Caietanus.

32. Quarta expositio est huiusmodi. Omne hominum genus duos in populos distribui potest; quorum alter populus continet omnes impios atque improbos homines; alter autem pios homines, & honeste ac iuste viuentes. Supradictæ igitur Dauidis & Pauli sententiæ de impietate & improbitate omnium hominum, pertinent ad omnes homines non simpliciter & præcise, sed ad omnes illius prioris populi, qui quidem populus interdum segregatus & separatus est ab altero populo bonorum: nonnunquam verò, quantum ad habitationem, & ciuilis vitæ vsum, cum illo permistus & confusus est. Ac licet expositio hæc non admodum placere videatur B. Thomæ; ea tamen placuit Ambrosio, & videtur nobis apprime Dauidis & Pauli consilio & proposito cõgruere. Qui enim considerate legit illum decimumtertium Psalmum, comperiet in eo describi duplicem populum, alterum quidem impium, nam vox hebræa, quam ibi latinus interpres vertit *insipiens* propriè significat stultitiam cum impietate coniunctam. Alterum verò populum describit ibi Dauid fidelem, & pium, quem appellat, Plebem DEI, & generationem iustam, & cuius DEVS spes est: & quem populum alter ille populus impius pro ludo, & ioco habeat insectari & vexare, & quasi escam panis, vt Dauid ait, deuorare. Ergo sententiæ illæ Dauidis non ad omne genus hominum simpliciter

pliciter referendæ sunt, sed ad omnes homines illius impij, & iniqui populi, apud quos verè dicitur quod non sit iustus quispiam, nec faciens bonum. Ambrosius certè in Commentario huius loci Pauli, supradictas Dauidis sententias ita exposuit, vt à nobis dictum est, loquens enim de istiusmodi hominibus, quos Dauid & Paulus tanquam omnibus sceleribus corruptos memorat, hæc subdit: Istos omnes & Hieremias significauit, dicens capite 26. *Tunc omnes insurrexerunt in Prophetam Domini, volentes occidere eum.* Et capite 38. ait: *Omnis autem populus non permisit.* Non ergo omnes dixit, sed multos: & hos omnes dixit, sed bonos. Neque enim quia dicit: *Omnes declinauerunt*, totam penitus plebem significat, sed eam tantùm partem plebis, quæ omnes malos continebat: semper enim duo populi sunt in vna plebe, & vnus est bonus, alter malus: talis est populus, quem in Hierusalem designans Dominus increpat sub nomine Hierusalem, dicens: *Hierusalem quæ occidis Prophetas.* Et alio loco: *Generatio praua & adultera.* Et item, *Natio viperarum.* Et apud Isaiam: *Væ genti peccatrici.* Quod autem iste populus malus possit conuerti, & transire in populum bonum, demonstrat Apostolus, dicens: *Eramus & nos natura filij iræ, sicut & ceteri.* Et item: *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Et alio loco. *Et hæc quidem fuistis; sed nunc abluti estis, sed sanctificati estis, &c.* Sic Ambrosius.

Ambros.

Matth. 23. 12. 3.

Isa 1.

Ad Ephes. 2.

Infra 5.

Prima ad Cor. 6.

33. *Discutitur sententia quædam Chrysostomi.*

Non ab re fuerit, vt hoc loco cautum faciam Lectorem, admonendo eum cuiusdam sententiæ B Chrysostomi, nec probabilis, nec probæ: ne fortè, ob tanti viri auctoritatem, errore aliquo implicetur. Chrysostomus enim in Commentario illius decimi tertij Psalmi verba illa Dauidis: *Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum*, nimio plus quàm par erat, extendens, pertinere ea putauit etiam ad B. Virginem; dicens, eam in tempore pasionis filij sui Domini nostri, dubitationis, & incredulitatis tentatione perstrictam defecisse. Verba eius sunt hæc. Quando CHRISTVS est crucifixus, non fuit qui faceret bonum: Discipuli omnes fugerunt: Io-

annes nudus abscessit: Petrus negauit: Mariæ animam gladius dubitationis, & incredulitatis peruasit. Nec dissimile est quod tradit idem homilia 49. in Genesin. Similis fuit Origenis sensus in homilia 17. in Lucam. Nec diuersa fuisse videtur Augustini sententia in libro Quæstionum veteris & noui Testamenti, quæstione septuagesima tertia. Ego de Origene, cuius multi, & grauissimi errores in confesso sunt apud omnes, susque deque fero. Nec me mouet quicquam auctor illarum Quæstionum veteris & noui Testamenti, vt quem in eo opere multifariam esse lapsum sciam, nec eum fuisse Augustinum, habeammus exploratum, multisque argumentis compertum. De beato autem Chrysostomo, hoc tantum ad præsens habeo dicere, cum in sententia illa, veritatis, & pietatis terminos excessisse. Est enim indubitatum & certum in Ecclesia Catholica beatissimam Virginem, omnis peccati etiam leuissimi, ac minimi, per omnem vitam, fuisse expertem. Et ingenti catholicorum Doctorum assensu & approbatione celebratur sententia illa, quam in libro de natura & gratia capite 36. scripsit B. Augustinus, his verbis: De sancta Virgine MARIA, propter honorem CHRISTI, nullam prorsus cum de peccato agitur, habere volo quæstionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum ex omni parte peccatum, quod concipere, ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.

Origenes.

Beatam Mariam omnis peccati prorsus expertem semper fuisse.

Praclara B. Augustini sententia.

SEPTIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

SCIMVS autem quoniam quæcumq; lex loquitur, iis qui in lege sunt loquitur; vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus DEO.

NE

34.

NE Iudæi dicerent sententias Scripturæ supra memoratas à Paulo de omnium hominum impietate atque improbitate, non ad se, qui erant veri DEI cultores, sed ad impias Gentes idololatriæ deditas pertinere: idcirco Paulus id refellens, ait, præcepta, & ceremonias, & admonitiones, & comminationes legis diuinæ, & sacræ Scripturæ, non fieri nisi ad eos, qui ei legi subiecti sunt. Hunc locum exponens Ambrosius: Manifestum, inquit, est, quia Iudæos increpat lex, qui primùm non crediderunt duci suo Mosi, nec deinde Prophetis parentibus suis, quos & persequendo denique occiderunt: neque Apostolis cognatis suis secundum carnem, quorum sanguinem effuderunt, semper impij, & in DEVM rebelles; vt per legem damnentur, cuius auctoritatem impiè contempserunt. Sic Ambrosius. Sed verba hæc Pauli tres habent dubitationes. Primum enim, quomodo in Iudæos verè quadrat superior illa sententia Dauidis: *Dixit insipiens in corde suo, non est DEVS*, vnde cetera deriuantur, quæ subtexit Dauid, & hîc à Paulo narrata sunt. Iudæi enim veri DEI cultum, & religionem profitebantur. Respondet Hieronymus in Commentario huius loci, plerosque Iudæos, quamuis lingua confiterentur DEVM, factis tamen, & per legis diuinæ præuaricationem, negasse, cognitio enim DEI tantùm speculatiua, parui momenti est, præ quam est cognitio practica, continens sincerum DEI timorem, & obsequium. Altera dubitatio est, cum supradictæ sententiæ, quas Paulus memorat, non continentur in lege Mosis, neq; in Pentateucho, sed partim in Psalmis, partim apud Isaiam; quomodo Paulus in hoc loco eas assignat legi, dicens: *Scimus quoniam quæcumque lex loquitur, iis qui in lege sunt, loquitur?* Hanc dubitationem soluere licet declarando multiplicem in Scriptura significationem, & vsurpationem huius verbi lex. B. Hieronymus in epistola 151. quam scripsit ad Algasiam, in responsione ad octauam eius quæstionem docet, sex in scriptura reperiri varias huius vocis sex significationes. Primò pro lege Mosis continente præcepta

Ambrosius.

Tres dubitationes.

Prima dubitatio.

S. Hieronymus.

Secunda dubitatio.

Sex in scriptura varia significationes huius vocis lex.

cepta moralia, Cæremonialia, Iudicialia: tum pro ea parte Scripturæ, quæ continet historias: deinde pro libris Prophetarum: adhæc pro Psalmis: præterea pro spirituali & mystica intelligentia legis Mosaicæ, & veteris Scripturæ: ac demum pro lege naturali, quæ non in tabulis scripta est, sed in cordibus hominum naturaliter impressa. Ponam hîc verba S. Hieronymi. Non abs re arbitror, inquit Hieronymus, si requiram quot genera legis in scripturis sanctis esse memorentur. Dicitur lex, quæ per Mosen data est, secundum illud, quod scriptum est ad Galatas 3. *Quotquot ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.* Et item: *Lex Pædagogus noster fuit in CHRISTO, vt ex fide iustificemur.* Historia quoque, quæ præcepta non continet, sed quid factum sit, refert, à Paulo appellatur lex: *Dicite mihi*, inquit ad Galatas, *qui sub lege vultis esse, legem non legistis? scriptum est enim, quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & alterum de libera*, &c. Hæc autem historia in libro Genesis scripta est. Sed & Psalmi legis nomine interdum appellantur. Sic enim Dominus dixit Ioan. 15. *Vt impleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis.* Sunt autem hæc verba in Psal. 68. Esaiæ quoq; Prophetiam Apostolus legem vocauit, cum in 14. capite prioris Epist. ad Corint. dixit: *In lege scriptum est, quoniam in aliis linguis, & in aliis labiis loquar populo huic, & nec sic me exaudiet, dicit Dominus.* Hoc autem iuxta hebraicum & Aquilam scriptum reperitur in Esaia capite 21. Appellatur etiam lex mystica scripturarum intelligentia, secundum illud Pauli: *Scimus quia lex spiritualis est.* Et extra hæc omnia legem vocauit Apostolus, quæ naturaliter scripta est in cordibus nostris, dicens, *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt: & legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui docent opus legis scriptum in cordibus suis.* Ista lex, quæ in corde scribitur, omnes continet nationes; & nullus hominum est, qui hanc legem nesciat: vnde omnis mundus sub peccato, & vniuersi homines præuaricatores legis sunt: & idcirco iustum iudicium DEI est scribentis in corde humani generis: QVOD TIBI

S. Hieronymus.

Genes 16. 21.

Ad Roman. 7.

Ad Roman. 2.

FIERI

FIERI NOLVERIS, ALTERI NE FECERIS. Hactenus ex Hieronymo. Paulus igitur hoc loco, vocabulo legis amplissime sumpto, vt etiam Psalmos & Prophetias continet, vsus est. Tertia dubitatio est, Quomodo Paulus dicat, legem siue scripturam nō loqui nisi ad eos, qui sub lege sunt, & scripturas colunt, id est, ad ipsos Iudæos, cum permulta reperiantur apud Prophetas dicta in Gētes, id est, aduersus Babylonios, Ægyptios, Idumeos, Moabitas, Ammonitas, & Tyrios. Sed respondendum est, quæcumq; lex absolutè, & indefinitè loquitur, ad eos proculdubio loqui, qui sub lege sunt; cum verò loquitur ea, quæ pertinēt ad alias nationes; speciali eas titulo designat dicens: Onus Babylonis, Onus Ægypti, & similia. Scriptura porrò aliarum gentium calamitates prænuntiabat, ad diuinæ iustitiæ declarationem & ipsorum Iudæorum vel consolationem, vel terrorem.

Tertia dubitatio.

Sequitur illud: *Vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo.* Hæc verba superioribus adiecit Paulus, vt aperiret quo animo & consilio, tam Iudæorum, quàm Gentium, peccata commemorauerit suprà; ob eam nimirum causam, vt omnes homines cognoscerent se peccatores esse, & non à se, sed à Deo per CHRISTVM petendam esse peccatorum veniam, & veram iustitiam. Illud: *Vt omne os obstruatur*, significat, ne quis hominum gloriari vllo modo queat de iustitia sua, sed euidenter conuictus iniquitatis suæ, de sua iustitia conticescat, atque obmutescat, subiiciens omnino se ipsi Deo, & ab eo remedium animi sui petens non secus quàm ægrotus agnoscens indigere se medici opera, ei se subiicit; & ideo subiungit Paulus: *Et subditus fiat omnis mundus Deo.* Dixit: *Omnis mundus*, pro eo quod est, omnes homines qui sunt in mundo. Quid sit, subditum esse mundum Deo, sic exponit Ambrosius, vt mundus prostratus Deo ad suorum peccatorum indulgentiam, & Dei gratiam peruenire queat. S. Augustinus in libro de gratia CHRISTI, capite octauo, & in libro expositionis epist. ad Galatas sic hunc locum legit, & citat: *Vt reus fiat omnis mundus Deo.* Vox au-

35.

Ambrosius.

S. Augustinus.

tem, reus, significare videtur obligationem ad pœnam. Pro voce illa, *subditus*, græcè est ὑπόδικος, latinè obnoxius, significans eum, qui ob aliquam noxam, siue crimen, reus est pœnæ. Est autem græcum illud vocabulum forense, nam compositum est ex voce δίκη, quæ significat causam, & crimen, & vindictam, & pœnam. Theophylactus vocabulum istud græcum sic exponit: Vt omnis mundus reddatur ὑπόδικος, id est, condemnatus, libertate ac fiducia carens, & opis indigens alienæ. Vocabulum autem latinum obnoxius, respondẽs illi græco, significat eum, qui addicitur noxæ, vel ob noxam addicitur alteri, in cuius potestate est: quocirca ea vox transfertur ad significandum eum, qui alteri est obligatus, vel deuinctus: nam qui beneficia in alios conferunt, dicuntur sibi eos reddere obnoxios. Obnoxium certè dici pro subiecto & subdito, ab elegantissimis scriptoribus latinis, patet ex verbis Ennij, Plauti, Sallustij, & Virgilij, quæ super eius vocis significatione commemorat Aul. Gellius lib. 7. cap. 17.

Theophylactus. *Quid vox obnoxius.* *A. Gellius.*

36. Ad horum Pauli verborum tractatum atque intellectum conducunt quæ scripta reliquit B. Augustinus in expositione epistolæ ad Galatas, his verbis: In Iudæis erat per transgressionem legis, confringenda superbia: qui gloriantes de patre suo Abraham, quasi naturalem iactabant se habere iustitiam, & merita sua, incircumcisis cæteris gentibus tanto perniciosius, quanto arrogantius præferebant. Gentes autem facillimè, etiam sine huiusmodi legis transgressione, humiliarentur. Homines enim nullam ex parentibus suis originem iustitiæ trahentes, simulacrorum etiam seruos inuenit euangelica gratia. Non enim, sicut istis, dici poterat, non fuisse illam iustitiam parentum suorum in colendis Idolis, quam esse ipsi arbitrabantur; ita Iudæis dici poterat, falsam fuisse iustitiam patris eorum Abraham. Denique illi infideles de oliua sua facti; hi autem fideles, de oleastro suo in oliuam illorum inserti esse monstrantur. Iudæorum ergo per legis transgressionem conterenda erat superbia. Quapropter

S. Augustinus. *Ad Rom. 11.*

cum

cum eorum peccata multis ſcripturarum ſententiis Paulus exaggeraſſet, adiunxit: *Scimus quoniam quæcumque lex loquitur, iis, qui in lege ſunt, loquitur, vt omne os obſtruatur, & reus fiat omnis mundus* DEO. Iudæi ſcilicet de tranſgreſſione legis; Gentes verò de impietate ſine lege. Vnde & alio loco ait: *Concluſit* DEVS *omnia in incredulitate, vt omnium miſereatur.* Ita Domine, ita fac miſericors Domine: Impera quod non poſſit impleri; immò impera quod non niſi per tuam gratiam impleri poſſit: vt cùm homines per ſuas vires implere id nequiuerint, omne os obſtruatur, & nemo ſibi magnus videatur: ſint omnes paruuli, & reus fiat omnis mundus tibi: quia non iuſtificabitur ex lege omnis caro coram te. Obſtruatur omne os in laude ſua, & non aperiatur niſi in laudem DEI. Sic Auguſtinus.

Ad Gal. 3.
Aug. in tractatu Pſalmi 118.

37. Sciat porrò Lector, nonnullos eſſe Auctores, qui ſuperiores illas ſententias Dauidis & Pauli de communi omnium hominum improbitate, quod non ſit iuſtus quiſquam, nec ſit vllus qui faciat bonum, extendentes ad omne genus hominum, interpretentur eas ſentētias de perfecta iuſtitia, quæ excludit etiam peccata venialia, quibus peccatis iuſtitiæ perfectio, & ſplendor quodammodo obſoleſcit: vt eorum verborum & ſententiarum hic ſit intellectus; Neminem eſſe hominum, qui non peccet, ſaltem venialiter; aut qui ſit plenè perfecteque iuſtus, & qui ſemper faciat bonum. Sed enim iſti Auctores, licet vera ſint, quæ docent, non tamen attingere videntur ſcopum Paulo propoſitum, nec ſenſum eius tenere. Conſilium enim, & ſenſus B. Pauli in hoc loco, fuit docere ac probare, omnes homines ſiue Iudæi ſint, ſiue Ethnici, ſub peccatis eſſe, & damnabiles, & obnoxios diuinæ vindictæ, & reos gehennæ, abſq; DEI gratia & CHRISTI fide; quod non poteſt quadrare in homines iuſtos, & peccatis duntaxat venialibus præditos: nec ſanè peccata Iudęorum & Gentium, quę ſuprà memorauit Paulus, fuerunt niſi grauiſſima ſcelera.

Superiores Dauidis & Pauli ſententias de iniquitate omnium hominū, non eſſe interpretandas de peccatis venialibus.

OCTA-

OCTAVA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Versu 20.

Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo.

38.

AD horum verborum expositionem atque intelligentiam facit quod habet B. Augustinus in expositione quarundam propositionũ ex epistola Pauli ad Romanos. Cùm enim supradicta Pauli verba cõmemorasset, subdit hæc: Putant quidam hæc verba Pauli, & alia quædam deinceps sequentia dici à Paulo in contumeliam legis Mosaicæ: ideoque sollicitè legenda sunt, vt neque lex ab Apostolo improbata videatur, neque homini arbitrium liberum sit ablatum. Itaque quatuor hos gradus hominis distinguamus, Ante legem, sub lege, sub gratia, & in pace. Ante legem sequimur concupiscentiam carnis: sub lege, trahimur cum ea: sub gratia, nec sequimur eam, nec trahimur ab ea: In pace, nulla est concupiscentia carnis. Ante legem igitur non pugnamus, quia non solùm concupiscimus, & peccamus, sed etiam approbamus peccata. Sub lege pugnamus, sed vincimur: fatemur enim mala esse quæ facimus; & fatendo mala esse, vtique nollemus facere, sed quia nondum est gratia, superamur. In isto gradu ostenditur nobis quomodo iacemus, & dum surgere volumus, & cadimus, grauius affligimur. Vnde dicitur: *Lex subintrauit, vt abundaret delictum.* Et quod nunc positum est: *Per legem cognitio peccati.* Non enim per legem fit ablatio peccati, quia per solam gratiam aufertur peccatum. Bona igitur lex, quæ vetat ea quæ vetanda sunt; & iubet ea, quæ iubenda sunt: sed cum quispiam viribus suis putat illam implere, non autem per

S. Augustinus de quadruplici statu hominis.

Ad Rom. 5.

gratiam

gratiam liberatoris sui, nihil ei prodest ista præsumptio: immo etiam tantum nocet, vt vehementiori peccandi desiderio capiatur, & in peccatis etiam pertinacior inueniatur. Vbi enim non est lex, vt dixit Paulus, nec præuaricatio est. Sic ergo iacens in peccatis, cùm se cognouerit, per seipsum surgere non valere, imploret liberatoris auxilium. Venit ergo gratia, quæ donet peccata prçterita, conantem adiuuet, & tribuat caritatem iustitiæ, & auferat metum. Sic ibi Augustinus.

Ad Rom. 4.

39. Sed expendamus primam illam Pauli sententiam: *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram* DEO. Hæc sententia potest dupliciter intelligi, primò vt reddat hunc sensum: Nullus homo iustificari potest ex operibus legis, quia nullus est, qui opera legis (sine speciali DEI gratia) plenè digneq; impleat & perficiat: omnes etenim sunt legis trãsgressores. Potest etiam aliter ita exponi secundum Augustinũ, quæ est germana, & vera, & Catholicis probata expositio. Ex operibus legis, qualiacumque sint, id est, siue ceremonialia, siue iudicialia, quæ sunt propria legis Mosaicæ, siue moralia, quæ pertinent etiam ad legem naturalem, nullus hominum iustificari potest. Paulus itaque per hanc sententiam excludit omnia opera, quæ antecedunt gratiam DEI, siue sint ex lege Mosis, siue ex libero arbitrio hominis; iuxta id, quod ipse dixit in capite tertio epistolæ ad Titum: *Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit.* Potuisset igitur Apostolus, omisso illo Genitiuo (legis) præcisè, absoluteque dicere: Ex operibus non iustificabitur omnis homo coram DEO: sed, consultà opera, nominauit legem, vt magis vrgeret Iudæos, qui in lege data sibi diuinitus ita conquiescebant, quasi ea vim haberet iustificandi. Non solùm aũt excludere Paulũ hoc loco opera legis ceremonialia, vel iudicialia, satis indicat id, ꝙ mox adiecit: *Per legẽ enim cognitio peccati.* Quod potissimũ legi conuenit, propter præcepta moralia, quibus peccata vetantur. Eodemque spectat, quod infrà capite septimo dicit B. Paulus:

Exodi 20. *Peccatum non cognoui nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces.*

40. *De qua iustificatione loquatur Paulus.* Sciat porrò Lector, cùm verbum iustificandi dupliciter accipi possit, vel de prima iustificatione, qua ex iniusto fit homo iustus; vel de secunda, quæ non est aliud nisi iustitiæ iam acceptæ profectus, & incrementum: Apostolum, cùm dixit, ex operibus legis non iustificari hominem, non loqui de secunda iustificatione, sed de prima, quæ est translatio hominis ex statu peccati ad statum iustitiæ. Hoc autem manifestum fit, tum ex ipsius Pauli proposito & progressu in disputatione huius capitis, in quo disputat omnes homines esse peccatores, & indigere gratia DEI, quæ per fidem CHRISTI donatur homini. Tum etiam id liquet, quia secunda iustificatio, id est, auctus iustitiæ, fit ex antecedentibus operibus, quæ cum sint hominis iam iusti, & proueniant ex iustitia diuinitus ei donata, merentur iustitiæ incrementum. *Quæ opera hominis & quomodo excludat Paulus à iustificatione.* At verò hominis opera, quæ antecedunt primam iustificationem, cùm sint hominis peccatoris, & inimici DEI, non possunt parere, nec mereri iustificationem. Potest tamen peccator speciali DEI auxilio præuentus, & adiutus, aliqua facere, quæ licet non mereantur iustificationem, præparant tamen animum eius, & idoneum faciunt, atque capacem iustificationis: non igitur Paulus excludit opera omnia præcedētia iustificationem, nisi quæ sine speciali auxilio DEI sunt; sed excludit omnia tanquam merita condigna ipsius iustificationis. *Caietanus.* Adnotauit Caietanus super hoc loco, ponderans illud Pauli: *Non iustificabitur coram DEO*, duplicem in scriptura, præcipuè verò apud Paulum tradi iustitiam: quarum altera vocatur iustitia operum, altera verò iustitia fidei, vel DEI. *Discrimen iustitiæ operum, & quæ iustitia Dei.* Inter quas hoc est discrimen, quod iustitia operis iustificat tantummodo illud opus, cuius est, & etiam operantem, secundum habitum illius operis: non autem iustificat eum absolutè, quia non delet peccata eius, sed relinquit hominem in peccatis, quæ fecit. At iustitia DEI, simpliciter & absolutè iustificat hominem, quia aufert ei peccata omnia,

nia, quæ in eo inuenit, & inhærens ei, facit eum verè iustum. Ergo iustitia operis potest fortasse iustificare hominem coram hominibus, non autem coram DEO, quod sola præstat iustitia DEI. Nec pugnat hæc sententia Pauli cum ea, quæ suprà in capite secundo posita est: *Factores legis iustificari apud DEVM*: nam ibi Paulus locutus est de iustificatione hominis secundum opera: nunc autem, dicens iustificari hominem ex operibus legis, loquitur de iustitia DEI, & de iustificatione hominis absolutè. Ita Caietanus. Sed nos in propria disputatione, quam fecimus super illa sententia Pauli, refutauimus istam interpretationem Caietani: & docuimus, Paulum ibi loqui de vera iustificatione coram DEO, & locum illum non pugnare cum hoc altero loco Pauli.

41. *S. Ambrosius.*

Ambrosius explanans verba hæc Apostoli: Non ideo, inquit, Iudæi dicuntur non iustificati coram DEO, quia legis opera nõ fecerunt, quippe cum lex iustificare simpliciter hominem non possit: sed quia Sacramentũ mysterij DEI, quod in CHRISTO est, credere, ac recipere noluerũt. Per hoc enim mysterium decreuit DEVS, iustificare hominem, non per legem, quæ ad tempus iustificat, & non apud DEVM. Ideo legẽ seruantes, in tempore iusti sunt, non apud DEVM: quia fides per quam iustificantur homines apud DEVM, non est in eis: Maior enim fides est, quàm lex: quia lex ad nos pertinet, fides ad DEVM. Idcirco lex temporalem habet iustitiam, fides æternam. Dicens porrò, quod omnis caro non iustificabitur, significauit nomine carnis ipsum hominem: sicut etiã Isaiãs, dicens cap. 40. *Et videbit omnis caro salutare DEI*. Id est, omnis homo videbit CHRISTVM, in quo salus omnium cõtinetur. Signate autem appellauit carnem, & non hominem, quia loquitur de hominibus, qui obnoxij peccatis sunt. Sicut enim iustitia facit spirituales, ita & peccata faciunt carnales, vt ex actu nomen accipiat homo. Sic Ambrosius. Controuersiam autem inter Catholicos, & Hæreticos huius temporis, An iustificatio hominis fiat per solam CHRISTI fidem,

& sine vllis operibus, nos infrà tractabimus super illis verbis Pauli: *Arbitramur iustificari hominem per fidem, sine operibus legis.* Versu 28. S. Augustinus in hac sententia Pauli ponderans illud. *Coram* DEO. Potest, inquit, fieri, vt ex operibus legis quispiam iustificetur coram hominibus, non tamen coram illo; qui cordis ipsius, & intimæ voluntatis inspector est, vbi videt, etiam si aliud faciat, qui legem timet, quid tamen mallet facere, si liceret. Ac ne quisquam putaret Apostolum loqui de lege veteri, quantum ad ceremonialia præcepta, vt sunt Sabbatum, & neomenia, & ipsa circumcisio, quasi per hæc quidem non iustificetur homo, per decalogi autem præcepta moralia iustificari queat: idcirco continuò subiunxit Paulus de qua lege sit locutus, dicens: *Per legem enim cognitio peccati*, quod præcipuè ad legem Decalogi spectat. Sicut etiam quod infrà dixit: *Peccatum non cognoui nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces.* Sic Augustinus in capite octauo libri de spiritu, & littera.

S. Augustinus. *Ad Rom. 7.*

NONA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS;

Per legem enim cognitio peccati.

Versu 20.

42. HÆC verba continent præcedentis sententiæ probationem, & confirmationem. Dixerat Paulus, neminem ex lege iustificari posse coram DEO: id nunc probat, quia per legem fit cognitio peccati. Quibus verbis insinuare videtur huiusmodi quandam argumentationem: Ad veram hominis iustificationem non satis est cognitio peccati, sed potissimùm necessaria est remissio, & remotio ipsius peccati, quod hominem facit iniustum:

iuſtum: Sed lex præbet ſolùm cognitionem peccati, non autem ipſum tollit, ergo lex non poteſt iuſtificare, ſed neceſſaria eſt DEI gratia tollens peccatum, & faciens hominem coram DEO iuſtum, & huc pertinet dictum illud B. Ioannis: *Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per IESVM CHRISTVM facta eſt.* Oportet igitur in hac Pauli ſententia, intelligere ac ſupplere aduerbium (tantùm) hoc modo: Per legem fit cognitio tantùm peccati. Loquitur enim Paulus de cognitione peccati, præcisè ſumpta, & vt diſtinguitur à peccati remiſſione ac remotione. Quoniam verò legis munus, & virtus fuit tantum illuminandi mentes hominum, & manifeſtandi eis peccatum, idcirco ſæpè in ſcriptura tribuitur ei vis illuminandi. Dauid enim ait: *Præceptum Domini lucidum, & illuminans oculos.* Et alio loco: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Et filius eius Salomon: *Mandatum*, inquit, *lucerna eſt, & lex lux*, quam etiam ob rem Moſes legem vocauit igneam, dicens: *In dextera eius lex ignea.* Dicta eſt autem ignea, quod haberet virtutem ignis illuminandi, id eſt, manifeſtandi peccata, non autem, quod haberet ignis virtutem comburendi, & conſumendi, id eſt, delendi, ac tollendi peccata. Scitè igitur B. Gregorius legem veterem ſimilem fuiſſe dixit illius ignis, quem in rubo vidit Moſes. Is enim lucebat in rubo, ipſumque colluſtrabat; ſed ipſum tamen minimè comburebat, neque conſumebat. Similiter lex Moſis illuminabat Iudæos, qui erant tanquam rubus ſpinis obſitus, id eſt, peccatorum pleni: illuminabat, inquam, eos, demonſtrans peccata, ſed ea conſumendi, & penitus auferendi vim non habebat.

Ioannis 1.

Pſal 18. & 118.
Prou. 6.

Locus Deuteronomij 33.

S. Grego. hom. 7. in Ezechielem.
Exod 3.

43. Ceterùm illud habet hoc loco dubitationem, Quomodo Paulus legi veteri tribuat, tanquam proprium eius, quod notificaret peccatum: quaſi ante legem Moſis non eſſet cognitum hominibus peccatum per legem naturalem, quæ docet bonum à malo diſcernere, & vbi quis peccauit, per interiorem conſcientiæ teſtificationem ipſum arguit, & accuſat, atque condemnat, vt ſupra capite 2. diſertis verbis Paulus i-

pſe docuit. Nonne, tot annis ante legem Moſis, fratres Ioſeph agnoſcentes peccatum, quod in ipſum admiſerant, pœnitenti animo dixerunt: *Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem noſtrum: idcirco venit ſuper nos tribulatio.* Immo verò in ipſo propemodum exordio mundi Cain peccatum ſuum parricidij plus ſatis agnoſcens, dicebat: *Maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear.* Sedenim huius quæſtionis ſeu dubitationis, hæc eſt ſolutio. Quatuor ob cauſas dicitur lex vetus feciſſe notum peccatum hominibus. Primò quidem, quoniam lex naturalis, nimia peccandi conſuetudine, adeo in animis hominum obſcurata erat, quantum ad cognitionem peccatorum, vt multa, quæ reuera erant peccata, pro peccatis tamen non haberentur; vt eſt ſimplex fornicatio, quin etiam apud multos, ipſum nefandum ſcelus, & alia mala, quæ ſine iniuria & damno aliorum hominum fiebant. Quoniam igitur lex Moſis, quantum ad cognitionem peccatorum, maiorem in modum reformauit, & renouauit, & clarificauit legem naturalem; idcirco ei præcipue tribuitur cognitio peccati. Deinde, licet antea notum eſſet peccatum; attamen lex euidentius demonſtrauit & turpitudinem, & grauitatem, & damnum peccati. Ad hæc lex oſtendit peccatum eſſe malum, nõ eo ſolùm nomine, quia eſt contra rationem, vt facit lex naturalis, ſed eo maxime, quia eſt contrarium voluntati DEI, grauemq; continet DEI iniuriam, & offenſam. Præterea, lex non ſolùm vetans peccata, ſed etiam conſtituens peccatoribus varia ſupplicia, declarauit non modo peccatum eſſe per ſe malum, ſed eſſe dignum pœna, nec impunè fieri peccata: nec tantùm pœna temporali puniendum eſſe peccatum in hac vita, ſed etiam poſt hanc vitam ſuppliciis æternis. Nam quamuis hoc lex Moſis non aperte demonſtret; id tamen cognoſcere licet ex diuina ſcriptura Pſalmorum, & Prophetarum. Vocabulum enim legis hoc loco, etſi præcipue dicitur de lege Moſis, pertinet tamen etiam ad alias partes diuinæ ſcripturæ: Sicut etiam ſuprà, cum Paulus dixit: *Scimus quia quæcumque lex loquitur, iis, qui in lege ſunt loquitur*

Geneſ. 4.

Quatuor ob cauſas cognitionem peccati præcipue attribus legi veteri.

quitur. Vt nos in eorum verborum expoſitione ſupra docuimus.

45. *Hieronymus.*

Eandem quoque cauſam, cur legi Moſis tribuatur cognitio peccati, tradit Hieronymus, ita ſcribens ſuper hoc loco: Per legem non remiſſio eſt peccati, ſed cognitio tantùm. Ideo autem per legem, quid ſit peccatum, agnoſci dicitur: quia aut in obliuione erat lex naturæ, aut ante legem litteræ, ſiue Moſis, leuiora quæque non cognoſcebantur eſſe peccata; cuiuſmodi ſunt, quæ aliis non nocent, vt concupiſcentia, & ebrietas, & alia huiuſmodi. Sic ille. Idem pluribus verbis ſcribit Ambroſius in Commentario huius loci: Per legem, inquit, cognitio peccati, per fidem autem abolitio eius: ideo non lex, ſed fides ſequenda eſt. Sed quomodo, inquit, per legem cognitio peccati? nonne peccatum cognitum erat ante legem? cum & Ioſeph in carcerem per calumniam peccati, & piſtor & pincerna Pharaonis propter peccatum coniecti ſint? Non igitur ante legem peccata latebant. Sed tripartita eſt lex, & prima pars de Sacramento Diuinitatis DEI eſt: Secunda continet præcepta legis naturalis prohibens peccata: Tertia verò factorum eſt, id eſt, ceræmonialium obſeruationum, vt ſabbathi, neomenię, circumciſionis, &c. Lex autem, de qua hic loquitur Paulus, eſt lex naturalis, quæ partim per Moſem reformata eſt, partim auctoritate eius firmata eſt in peccatis cohibendis. Hæc dicitur notum feciſſe peccatum, non quod antea lateret, ſed quia oſtendit peccata quæ fiunt, non impune futura apud DEVM: ne fortè quis ad tempus euadens, legem illuſiſſe putaretur. Hoc eſt ergo quod lex oſtendit. Hæc Ambroſius.

Ambroſius. *Gen 40.*

DECIMA

DECIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Versu. 21. 22.

Nunc autem ſine lege iuſtitia DEI manifeſtata eſt: teſtificata à lege & Prophetis. Iuſtitia autem DEI per fidem IESV CHRISTI, in omnes, & ſuper omnes qui credunt in eum.

40. *S. Auguſtinus.*

HÆc verba Pauli tractans B. Auguſtinus in cap. 9. libri de ſpiritu & littera, hunc in modum ſcribit: Dixerat Apoſtolus per legem nullum hominem iuſtificari, quia per legem tantùm fit cognitio peccati: hic fortaſſe diceret humana præſumptio (qualis fuit Pelagij) ignorans DEI iuſtitiam, & ſuam volens conſtituere; meritò dixiſſe Paulum, quod ex lege nemo iuſtificatur. Lex enim oſtendit, quod faciat & impleat voluntas: ac ſic homo iuſtificatur, non per legis imperium, ſed per liberum arbitrium. Sed, ô homo, attende quod proximè Paulus adiungit, dicens: *Nunc autem iuſtitia DEI ſine lege manifeſtata eſt: teſtificata per legem, & Prophetas.* Parumne inſonant ſurdis hæc verba: *Iuſtitia DEI manifeſtata eſt.* Hanc ignorant qui ſuam volunt conſtituere iuſtitiam, & huic nolunt eſſe ſubiecti. Iuſtitia, inquit, DEI manifeſtata eſt, non dixit, Iuſtitia hominis, vel iuſtitia propriæ voluntatis, ſed iuſtitia DEI: non qua DEVS iuſtus eſt, ſed qua induit hominem, cum iuſtificat impium. Huic iuſtitiæ teſtimonium perhibent lex, & Prophetæ: Lex quidem, eo ipſo, quod iubendo, & comminando, & non iuſtificando hominem, ſatis indicat, dono DEI iuſtificari hominem per adiutorium ſpiritus. Prophetę autem quia id quod prædixerunt, CHRISTI impleuit aduentus. Vnde mox ſubdit: *Iuſtitia DEI per fidem IESV CHRISTI.* Hoc eſt, per

Ad Romanos. 10.

per fidem, qua creditur in CHRISTVM. Sicut autem ista fides CHRISTI dicta est, non qua credit CHRISTVS, sic & illa iustitia DEI appellata est, non qua iustus est DEVS: Vtrumque enim nostrum est, sed ideo DEI, & CHRISTI dicitur, quod eius nobis largitate donatur. Sed quomodo iustitia DEI per legem testificata est, si sine lege manifestata est? Sed iustitia DEI, sine lege est, quia DEVS eam per spiritum gratiæ credenti confert sine adiutorio legis, hoc est, non adiutus à lege; ostendit enim per legem homini infirmitatem suam, vt ad DEI misericordiam per fidem confugiens sanetur. Idem Augustinus cap. 8. de gratia CHRISTI contra Pelagium & Celestium· Vsq; adeo, inquit, aliud est lex, & aliud gratia, vt lex non solum nobis non prosit, verum etiam plurimum obsit, nisi adiuuet gratia; & hæc ostendatur legis vtilitas, quoniam quos facit præuaricationis reos, cogit confugere ad gratiam, liberandos, & vt concupiscentias malas superent, adiuuandos. Iubet enim magis quam iuuat: docet morbum esse, non sanat: immo ab ea potius quia non sanatur, augetur; vt attentius, & sollicitius gratiæ medicina quæratur. Hoc ipsum porrò superbis est vtile, post legem, sub peccato arctius & manifestius concludi, ne ad faciendam iustitiam, de liberi arbitrij quasi propriis viribus præsumatur: Sed omne os obstruatur, & reus fiat omnis mundus DEO, quia non iustificabitur ex lege omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati: nunc autem sine lege iustitia DEI manifestata est; hoc est, manifestum est, iustitiam hominis non ex lege, sed ex DEO prouenire; non quæ, illo imperante, cognoscendo, timeatur; sed quæ illo donante, diligendo, tenetur: vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Ita S. Augustinus.

1. ad Cor. 1.

47. *Ambrosius.*

Ambrosius etiam recte, ac dilucide hæc Pauli verba explanans: Apertum est, inquit, quod iustitia DEI, sine lege apparuit: Sed sine lege sabbati, & circumcisionis, & neomeniæ, & vindictæ; non tamen sine Sacramento diuinitatis DEI, quippe cum iustitia DEI de Sacramento DEI sit. Nam quan-

do quos lex reos tenebat, eis Dei iustitia ignouit, sine lege vtique hoc fecit: quia iniquos lex vindicatura erat; hæc autem iustitia donauit eis peccatum. Et ne fortè hoc esse contra legem factum putaretur, adiecit Paulus, iustitiam Dei testimonium habere à lege & Prophetis: à lege quidem, quia lex ipsa id prædixerat, venturum nempe, qui homines saluaret, quia legi concessum non erat, vt peccata donaret. Ideo autem vocata est iustitia Dei quæ condonat peccata hominibus, cum tamen id proprium esse videatur misericordiæ: quia remissio peccatorum ex promissione Dei originem habet; cum autem promissio Dei redditur, iustitia Dei vocatur. Iustitia enim Dei est, quia redditum est quod promissum est: & cum suscipit confugientes ad se, iustitia dicitur; quia non suscipere confugientes ad ipsum, contra iustitiam promissionis eius esset. Sic Ambrosius.

Isa 19.

48. Sed nos pensitemus singulatim hæc verba B. Pauli. Dicere quispiam poterat: Si lex vetus tantùm præbet cognitionem peccati, & non iustificat hominem; vnde igitur homini aduenit, & accedit iustitia, qua verè iustus sit coram Deo? Hoc nunc docet Apostolus, dicens; iustitiam, qua fit homo iustus, sine legis merito & adiutorio, prouenire misericorditer & gratis à Deo. Licet autem eiusmodi iustitia non sit ex lege, perhibet ei tamen & lex, & Prophetæ testimonium. *Nunc*, id est, in hoc tempore legis nouæ & gratiæ post aduentum Christi, & publicatum Euangelium, facta est manifestatio istiusmodi iustitiæ, quæ antea perpaucis nota, plerisque omnibus operta & abscondita erat. Simile huius est, quod supra capite 1. dixit Paulus: *Euangelium, virtus Dei est in salutem omni credenti: iustitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem sine lege.* Id est, sine adiutorio legis, vel sine meritis operum legis præcedentibus iustificationem *Iustitia Dei*, Ambrosius intelligit iustitiam, qua Devs iustus dicitur, præstans promissa sua, inter quæ principale est hoc promissum de exhibenda remissione peccatorum, & iustificatione fideliter & humiliter ad ipsum confugientibus. Sed præstat

cum

cum Augustino interpretari iustitiam DEI, non qua DEVS iustus est, sed qua induit hominem, cum ex iniusto eum facit iustum, de qua etiam dixerat per Isaiam: *Prope est salus mea, vt reueletur. Manifestata est.* Non dixit, creata, vel facta est: quia ratio hæc iustitiæ DEI gratuitò iustificantis peccatorem, semper fuit in mundo, nec solùm in Iudæis, verum etiam in nonnullis Gentilium, vt in Melchisedech & Iob. Quæ igitur prius erat occulta & abscondita, & paucissimis perspecta, in tempore legis nouæ, per Euangelicam prædicationem, & doctrinam manifestata omnibus est: Dico fuisse ante occultam, non quantum ad rem creditam, id est, CHRISTVM, sine cuius fide nemo vnquam iustificari potuit: Sed ea fides tunc erat operta, non autem expressa. Tum etiam quantum ad publicationem eius, quia talis ratio iustificandi hominem, non erat mundo promulgata, & publicata, sicut postea per Apostolicam prædicationem & doctrinam.

S. Augustinus. Isa. 56.

47. Ac ne quis putaret quia talis iustitia DEI non est ex lege, eam vel contrariam esse legi, vel nouum quoddam esse inuentum, atque institutum, mox adiunxit Paulus. *Testificata à lege, & Prophetis.* Lex porrò tripliciter hanc DEI iustitiam per CHRISTVM testificata est; primum eam prænuntiando, sicut Dominus dixit Iudæis: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit.* Et Paulus infra capite decimo, illud quod est in capite trigesimo Deuteronomij: *Ne dixeris in corde tuo? Quis ascendet in cælum, id est, CHRISTVM deducere? Aut quis descendet in abyssum, &c. Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo.* Vult esse quasi vaticinium & testimonium iustitiæ, quæ datur homini per fidem CHRISTI. Deinde lex testimonium perhibuit huic iustitiæ DEI; præfigurando eam in suis sacrificiis & sacramentis: nam vt alia taceam, nec ipsum vetus Testamentum confirmatum est à Mose sine aspersione sanguinis; nec in vetere Testamento fiebat remissio peccati sine sanguine. Ac demum lex, ipso effectu testabatur veram hominis iustitiam non à se, sed à DEO quærendam, & petendam esse. Lex enim, inquit Augustinus,

Lex Vetus tribus modis testificata est iustitiam DEI. Ioan. 5. Exodi 24. Heb. 9. Augustinus.

gustinus, hoc ipso quod iubendo, & minando neminem iustificabat, satis indicabat dono DEI iustificari hominem per adiutorium spiritus. Idem in epistola centesima quadragesima quarta. Lex, inquit, docendo, & iubendo, quod sine gratia impleri non poterat, demonstrabat homini suam infirmitatem; vt quæreret demonstrata infirmitas SALVATOREM, à quo sanata voluntas posset, quod infirma non poterat. Et lex quidem adducit ad fidem, fides impetrat SPIRITVM largitorem: diffundit SPIRITVS charitatem, implet charitas legem. Sic Augustinus.

Rom. 5.

48. Sed quomodo etiam Prophetæ testificati sunt hanc DEI iustitiam? Hoc nos docuit B. Petrus, dicens: *Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes qui credunt in eum.* Et idem alio loco: *Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum. De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt.* Sed illustrissimis verbis huiusmodi iustitiam prænuntiauit, & promisit DEVS, donandam in nouo Testamento, per quam maximè nouum Testamentum veteri differt ac præstat. Sic enim locutus est per Hieremiam: *Ecce dies venient, dicit Dominus: & feriam domui Israël, & domus Iuda fœdus nouum: non secundum pactum quod pepigi cum patribus vestris in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Aegypti; pactum, quod irritum fecerunt. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israël post dies illos: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam: Et ero eis in DEVM, & ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit vltra vir proximum suum, dicens, cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me à minimo eorum vsq; ad maximum, ait Dominus: quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.* Similia eorum dixit DEVS aliquot annis post, per Ezechielem: *Effundam*, inquit, *super vos aquam mundam, & mundabimini, ab omnibus inquinamentis vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor nouum, & spiritum meum ponam in medio vestri. Et auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Et*

Actorum 10.

1. Pet. 1.

Quomodo Prophetæ sint testificati gratiam DEI, quæ facit hominem iustum.

Locus Hierem. 31.

Ezech. 36.

spiritum

spiritum meum ponam in medio vestri: & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis & operemini. Et paulò post: *Saluabo vos ex vniuersis inquinamentis vestris & recordabimini viarum vestrarum pessimarum, studiorumq; non bonorum, & displicebunt vobis iniquitates vestræ, & scelera vestra.* B. Augustinus, cùm alibi, tum plurifariam in libro de spiritu, & littera, docet, supradictis duabus sententiis Hieremiæ & Ezechielis graphicè describi vim, & præstantiam noui Testamenti; simulque indicari, quanam potissimum re nouum Testamentum differat à veteri atque ipsum antecellat.

S. Augustinus.

VNDECIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Iustitia autem DEI per fidem IESV CHRISTI in omnes, & super omnes qui credunt in eum: non enim est distinctio: omnes enim peccauerunt, & egent gloria DEI.

Versu 22. et 23.

SI, (vt paulò suprà dictum est) vera hominis iustificatio coram DEO non fit per legem veterem, per quid igitur fit, & in quibus fit? Hoc Paulus declarat supradictis verbis, dicens, iustitiam DEI, per quam homo verè iustificatur, dari per fidem CHRISTI, & dari omnibus quicumque credunt in eum. Per fidem igitur donatur homini iustitia; cuius fidei principalis materia, &, vt vocant, obiectum, est CHRISTVS, id est, eius & humanitas, & DIVINITAS, & mysteria eius, maximè verò incarnationis, & passionis, & resurrectionis. Omnibus itaque siue Iudæis, siue Gentilibus credentibus in CHRISTVM, donatur hæc DEI iustitia. Credentibus, inquam, non more Dæmo-

49.

num, qui credunt, & contremiſcunt, nullo videlicet erga DEVM amoris, & pietatis affectu; ſed fide coniuncta cum DEI amore, & cum deteſtatione peccatorum ſuorum, firmoque propoſito ea in poſterum cauendi, & cum deliberata voluntate, omnibus DEI præceptis obtemperandi. Cùm autem dicitur hoc loco, iuſtitiam DEI dari per fidem credentium in CHRISTVM, non ita eſt accipiendum, quaſi iuſtitia ſit ex DEO, & fides per quam idonei ſumus accipere iuſtitiam, ſit ex nobis, ſicut dixerunt Pelagiani: hoc enim & falſum, & impium eſt, & apertè contrarium illi ſententiæ Pauli: *Gratia eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis; donum enim DEI eſt.* Sed propterea dicitur iuſtitia DEI dari per fidem homini, quia in ipſa iuſtificatione hominis, primus humanæ mentis motus in DEVM, eſt per fidem, teſtante Apoſtolo: *Accedentem ad DEVM oportet credere.* Quare cùm fides ſit initium, & fundamentum, & radix iuſtificationis, rectè dictum eſt à Paulo, DEI iuſtitiam homini dari per fidem CHRISTI. Fides porrò, quæ non ſolùm inchoat iuſtificationem, ſed verè facit iuſtum, nec eſſe poteſt, niſi in hominibus iuſtis, non eſt fides nuda, & expers charitatis, nec ſterilis, atque infœcunda bonorum operum; talis enim fides, ſecundum Iacobum, mortua eſt, & ſecundum Paulum, nihil homini prodeſt, ſed ea fides eſt quæ per dilectionem operatur. De hac vtique fide intelligitur, quod Paulus dixit: *Habitare CHRISTVM per fidem in cordibus veſtris.* Quæ habitatio non fit ſine charitate, teſtante Apoſtolo Ioanne: *Qui manet in charitate, in DEO manet, & DEVS in eo.* Ad huiuſmodi quoque fidem pertinet, quod dixit B. Petrus: *Fide purificans corda eorum.* Ea namque purificatio non fit ſine caritate: nam, vt ait Salomon: *Vniuerſa delicta operit charitas.* Hanc verò ſententiam Pauli, quod iuſtificatio hominis fiat per fidem, interpretati ſunt Patres Tridentini Concilij ſic eſſe intelligendam. Quia fides eſt humanæ ſalutis initium, & fundamentum, atque radix iuſtificationis, ſine qua impoſſibile eſt placere DEO, idcirco dici DEI iuſtitiam homini dari per fidem.

Locus Pauli ad Epheſ. 2.

Ad Hebr. 11.

Quomodo per fidem iuſtitia.

Iacobi 2.

1. Cor. 13.

Locus Pauli ad Epheſ. 3.

1. Ioan. 4.

Locus Actor. 15.

Prouerb. 10.

Seſſ. 6. in Dec. de iuſtificatione cap. 8.

Ad Hebr. 11.

Hæc

50. Hominem iustificari & saluari per Christum, præcipuè manifestatum est in nouo Testamento.

Hæc autem iustitia DEI, per CHRISTVM iustificans homines, præcipuè manifestata est in nouo Testamento. Statim enim initio eius Angelus Domini de CHRISTO loquens, dixit sancto Ioseph: *Vocabis nomen eius IESVM: ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Et Ioannes Baptista cùm vidisset Dominum, exclamauit, dicens; *Ecce Agnus DEI, ecce qui tollit peccata mundi.* Et Iudæis dixit Dominus: *Vt sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in terra, dimittendi peccata.* Et alio loco: *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto; ita exaltari oportet Filium hominis: vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et alias: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Et item: *Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.* Et: *Ego sum via, veritas, & vita.* Et post resurrectionē suam apparens discipulis, insufflauit in eos, dicens: *Quorū remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Et iterum apparens eis, aperuit illis sensum, & dixit eis: *Quoniam sic scriptum est, & sic oportebat CHRISTVM pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes.* Plenæ fuerunt huius rei conciones Apostolorum, plenaque eorum scripta: de quibus vnum modo nunc memorabo, quod dixit B. Petrus: *Non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Hæc porrò veritas, quod per solùm CHRISTVM iustitia DEI donetur hominibus indifferenter, siue Iudæis, siue Gentilibus, non potuit manifestari per legem naturæ; quippe cùm veritas hæc sit supernaturalis, nec ad eius cognitionem intellectus humanus naturaliter aspiret. Neque manifestari debuit per legem Mosis, quia per eam CHRISTI mysteria operte adumbranda, & præfiguranda potius erant, quàm apertè, explicateq; manifestanda: talis enim manifestatio reseruabatur nouo Testamento: Vnde Paulus dixit: *Secundum dispensationem, quæ data est mihi in vobis, vt impleam verbum DEI, mysterium, quod absconditum fuit à sæculis, & à genera-*

Matth. 1. Ioan. 1. Matth. 9. Ioan. 3. Num. 21. Infra 4. Ioan 10. Ioan. 14. Infra 20. Lucæ 24. Actorum 4. Locus Pauli ad Coloss. 1.

nerationibus, nunc autem manifestum est sanctis eius. Et alio loco: *Priusquam veniret Fides, sub lege, custodiebamur conclusi, in eam fidem; quæ reuelãda erat.* Huc etiam spectare videtur quod Paulus dixit de velamine, quo facies Mosis operiebatur: non enim aliter Iudæi faciem eius aspicere poterant. Quod velamen Iudæis vsque in hodiernum diem manet in lectione veteris Testamenti. Cùm enim legunt Mosen, velamen positum est super cor eorum: cùm autem conuersi fuerint ad Dominum, auferetur velamen. nos autem, inquit Paulus, *sine velamine, & reuelata facie gloriam Domini speculamur.*

Ad Gal. 3.

Exodi 24.

2. ad Cor. 3.

DVODECIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Omnes enim peccauerunt, & egent gloria DEI.

Versu 23.

51.

APTISSIME hæc verba iunguntur cum illis proximè antecedentibus: *In omnes, & super omnes, non enim est distinctio*, reddit enim causam Paulus cur iustitia DEI per CHRISTVM non ad Iudæos tantùm, sed ad omnes homines pertineat: Quoniam, inquit, omnes homines sunt peccatores, nec à peccatis vel per legem Mosis, vel per proprium liberum arbitrium iustificari possunt: & ideo egent hac iustitia DEI per CHRISTVM omnes homines. Sed cur iustitiam DEI, qua iustificatur peccator, Paulus vocat gloriam DEI, dicens: *Et egent gloria DEI?* Nonnulli quidẽ codices Latini pro (gloria) habent (gratia) hoc modo, *& egent gratia DEI*, & ita citat hunc locum Hieronymus in libro sexto commentariorum in Isaiam explanando illa verba capitis decimi sexti: *Et præparabitur in misericordia solium.* Veruntamen plerique Latini codices, & emenda-

An sit legendũ (gloria Dei) an (gratia Dei.)

S. Hieronym.

mendatiſſimi quique habent (gloria) non autem (gratia) atq; ita etiã legunt, & citant hunc locum Latini Patres, & expoſitores. Nam quod Cyprianus in libro ſecundo aduerſus Iudæos, capite vigeſimo ſecundo, pro gloria ponat claritatem, ſic hunc locum citans: *Omnes peccauerunt, & egent claritate* DEI. Idem ſignificare voluit nomine claritatis, atque vocabulo gloriæ. Omnes certè græci codices habent δόξης τοῦ θεοῦ, quod ſignificat gloriam, & non gratiam. Quanquam nomen gloriæ Theodoretus in ſuo commentario interpretetur per nomen gratiæ.

S. Cyprianus.

Theodoretus.

52\. *Cur iuſtitia Dei, qua fit homo iuſtus, appelletur gloria Dei, quinque expoſitiones.* *Prima expoſitio.*

Sed redeo ad propoſitam Quæſtionem, cur iuſtitia DEI, qua iuſtificatur peccator, appelletur gloria DEI, quinque ſunt expoſitiones, atque rationes huiuſmodi appellationis. Prima expoſitio eſt, iuſtitiam DEI, eſſe dictam gloriam DEI, per Metonymiam, quia iuſtitia DEI faciens hominem iuſtum, & amicum DEI, ſimul etiam facit eum idoneum, & dignum laudatorem, & glorificatorem DEI: nec ſolùm ipſe glorificat DEVM, ſed etiam in ipſo DEVS glorificatur ab aliis. Iuxta hanc interpretationem eſt Anſelmi expoſitio, ſic exponentis hunc locum: *Omnes peccauerunt*, vel in ſe, vel in Adam: quoniam lex ſiue in Paradiſo data, ſiue naturaliter inſita, ſiue in tabulis, & litteris promulgata, præuaricata eſt ab ipſis. Omnes ergo peccauerunt, & egent gloria DEI, id eſt, DEVS magis magiſque glorificatur tribuendo beneficia gratiæ ſuæ per remiſſionem delictorum, & multiplicationem virtutum. Omnes egent gloria, non ſua, vt glorientur quaſi ſuis meritis, ſed egent gloria DEI, id eſt, omnino neceſſarium eſt eis, vt gloria DEI dilatetur in ipſis. Si autem iuſtitia ex operibus legis haberetur, non vtiq; iuſtitia eſſet gloria DEI, ſed gloria hominum legem obſeruantium. Sed quia per gratiam, & non per legem habetur iuſtitia, ipſa profectò eſt gloria DEI, non hominum: vt quicquid habet homo, non ſibi, ſed DEO adſcribat, ne dicatur ei: *Quid habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quare gloriaris quaſi non acceperis?* Sic Anſelmus.

S. Anſelmus.

Geneſ. 2.

1. Cor. 5.

53. *Secunda expositio.*

Altera expositio est, propterea iustitiam DEI vocari gloriam DEI, quod DEVS eo maximè gloriam suam declarat, & ob id potissimùm glorificatur ab omnibus, quòd homines peccatis oppressos, & obnoxios æternæ vindictę, sola bonitate, & misericordia sua gratis condonans eis peccata, sibi reconciliet, faciatque amicos & filios suos, & hæredes vitæ æternæ. Sciat porrò lector, vocabulum gloriæ non raro in sacris litteris significare id, quod in vna quaque re maximè commendat, & magnificat, & clarificat eam rem, facitque maximè spectabilem, & venerabilem, & laudabilem. Vnde ignis ille, & claritas, & tonitrua, & fulgura, miraque alia, quæ apparuerunt in monte Sina, cùm DEVS daret legem Mosi, appellantur gloria DEI, quod res illæ præsentiam & maiestatem DEI, maximè gloriosam, id est, admirabilem, & venerabilem, atque formidabilem facerent. De quo ita scriptum est in libro Exodi, capite vigesimo quarto; *Operuit nubes montem, & habitauit gloria Domini super Sinai. Erat autem species gloriæ Domini quasi ignis ardens super verticem montis in conspectu filiorum Israël.* Et postquam perfectum fuit à Mose tabernaculum, dicitur Exodi 40. quod *gloria Domini impleuit illud, nec poterat Moyses ingredi tectum fœderis nube operiente omnia, & maiestate DEI coruscante.* Simile item legitur in tertio libro Regum, capite octauo in dedicatione templi Salomonis, postquam ædificatio eius absoluta est. Deinde ingentem diuitiarum copiam & exuperantiam regis Salomonis, Dominus noster vocauit gloriã eius, cùm dixit Matthæi 6. *Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis.* Adhæc, arboris proceritas, & pulchritudo, & vbertas fructuũ, non solùm ipsius, sed etiam agri, & campi, vocari solet gloria eius, arboris vel agri, siue campi. Vnde sunt illa, *Gloria libani, decor, & gloria Carmeli, &c.* Similiter igitur, quoniam remissio peccatorum, & iustificatio hominis maximè commendat, & magnificat, atque clarificat bonitatem, & misericordiam DEI; idcirco iu-

Quid sæpe in scriptura vocabulum gloriæ significet.

Locus Matth. cap. 6.

Isaiæ 35.

co Iustitia DEI, quæ id præstat, appellatur gloria DEI. Tale scilicet est quod Ecclesia in quadam oratione siue collecta dicit DEO: DEVS qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miserando manifestas.

Tertia expositio est Caietani, qui gloriam DEI, interpretatur gloriam, quam habet homo apud DEVM: homo enim, dum est peccator, licet propter aliqua opera iusta quæ facit, possit habere gloriam apud homines, nullam tamen habere gloriam potest apud DEVM: peccatum etenim facit hominem coram DEO vilem, & abiectum, & despicatissimum. Caietani verba sunt hæc: *Egent gloria DEI*, pro, carent gloria DEI, siue per gloriam DEI intelligas gloriam cœlestis patriæ, siue, quod magis est congruens litteræ, gloriam hominis apud DEVM. qui enim peccauit, quo vsque remittatur ei peccatum, nec laudem, nec claritatem, nec gloriam habet apud DEVM. & hoc dicit directè ad differentiam gloriæ, quæ habetur apud homines, cùm quis licet olim peccauerit, iustitias tamen operum exercet. Talis enim eget gloria DEI, eo quod non est consecutus à DEO veniam suorum peccatorum; quamuis habere possit gloriam hominum: Cùm enim sit adhuc pecator, est inimicus DEI, nec opera eius possunt esse DEO accepta, nedum gloriosa. Et hunc esse litteralem sensum horum Pauli verborum, satis dilucet ex iis, quæ paulò infrà dicit Paulus initio quarti capitis de Abraham: qui si ex operibus iustificatus fuisset, habuisset quidem gloriam apud homines, non tamen apud DEVM.

54.
Tertia expositio Caietani.

Priusquam reliquas expositiones commemorem, prædocendus est lector, cùm dicitur: *Egent gloria DEI*, pro illo (egent) græcè legi *ὑστεροῦνται*, quod propriè significat, carent, & destituuntur, & ad verbum sonat, posteriorantur, id est, posteriores sunt, vel retrò relinquũtur. Vt Latinus tamen interpres vertit, *egent*, ita legunt, & citant hunc locũ Patres, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, & alij. Sanè nonnullibi verbum istud græcum significatiõẽ

egendi habet; vt apud Lucam capite decimo quinto cùm de filio prodigo dicitur, quod *cœpit egere*, & in capite vndecimo posterioris epistolæ ad Corinthios, vbi Paulus ait: *Cùm essem apud vos, & egerem*, vtrobique est idem verbum græcum, quod est in hoc loco: Verùm prosequamur reliquas expositiones.

Quarta expositio Chrysost.

Est igitur quarta expositio Chrysostomi, quam sequitur Theophylactus: Interpretatur Chrysostomus verbum græcum ὑστεροῦνται, carere, & destitui, siue orbari, & priuari: gloriam autem DEI, facit gloriam cœlestis patriæ, quæ tanquam præmium bonorum operum, datur iustis post hanc vitam: vt secundum Chrysostomum, horum verborum sit hic sensus: Omnes homines, quia peccauerunt, destituuntur gloria DEI, id est, non habent ius capessendi gloriam cœlestem, nec ad eam peruenire possunt. Ponam hîc verba Chrysostomi: Omnes, inquit, homines, cuiuscumque conditionis sint, peccauerunt, nec ex istis se Iudęus eximat, nam etiamsi peculiarem à DEO legem accepit, per eam tamen solam peccati agnitionem, non autem fugam percepit. Quodsi confiteatur Iudæus se peccasse, multò tamen minus quàm Gentiles peccauerunt; hoc ipsum nihil adiuuat eum, nec idoneum facit consequendæ gloriæ DEI. Vnde Paulus cùm dixisset, *Omnes peccauerunt*, mox adiecit, *& destituuntur gloria DEI*. Esto igitur, Iudæe, nec tot, nec tanta feceris peccata, quæ Gentilis admisit: peccasti tamen, & ideo priuatus es gloria DEI. Gloria etenim cœlestis datur solùm iustis, qui dignè seruierunt, & placuerunt DEO, non autem peccatoribus, qui offenderunt DEVM, & legem eius præuaricati sunt: quibus non gloria, sed ignominia, & confusio, & vindicta post hanc vitam parata est. Hactenus ex Chrysostomo.

56.
Quinta expositio Oecumenij.

Quinta expositio est Oecumenij, qui verbum græcum ὑστεροῦνται propriè accipit, pro eo quod est posteriorantur, siue posteriores sunt gloria DEI, id est, necesse est eos misericorditer à DEO præueniri, & iustificari, vt postea ipsi sint idonei, & digni glorificare DEVM, & ad gloriam eius cœlestem peruenire.

uenire. Oecumenij verba sunt huiusmodi: *Et posteriores sunt gloria* DEI. Ne tu mihi, Iudæe, dicas, Græci grauius peccauerunt: nōne tu gloria ac beneficentia DEI posterior es? nonne gratis, & absque tuis iustis operibus saluaris, non aliud ad iustificationem tuam afferens, nisi fidem, & ita post DEI gloriam ac beneficentiam accedis? Ergo, *posteriores sunt gloria* DEI, hoc est, non ipsi præuenerunt ad glorificandum DEVM: exciderant enim omnes ab honorando DEVM: Iudæi quidem legis transgressores facti, Ethnici verò idola colentes. quare post acceptum à DEO gratis beneficium iustificationis, tum demum accesserunt ipsi ad honorandum, & glorificandum DEVM. sic fermè Oecumenius. Supradictæ omnes expositiones satis sunt probabiles: si tamen earum vna aliqua præferenda esset aliis, primam equidem anteferrem.

DECIMATERTIA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Iustificati gratis per gratiam ipsius.

Versu 24.

57.

PRo illo, *iustificati*, græcè est, δικαιούμενοι, participium passiuum, sed præsentis temporis, quo Latini carent. Ad verbum itaque sic posset commode verti: *Iustificantur autem gratis*, addita coniunctione (autem) quo planior sit orationis contextus. Atq; hoc ipso modo verba hæc citat B. Cyprianus in libro secundo contra Iudæos, capite vigesimo sexto. Sic porrò bellè cohærent hæc verba cum proximè antecedentibus, ita legendo: *Omnes peccauerunt, & egent gloria* DEI: *Iustificantur autem gratis per gratiam ipsius, &c.* Sed quid est gratis iustificari? hoc nempe, non iustificari virtute ac merito bonorum operum hominis, qualiacumq; sint illa, siue legalia, siue quoquo mo-

S. Cyprianus.

Quomodo intelligendum sit, homines iustificari gratis.

do moralia: ita vt bona opera hominis nec efficiant, nec mereantur veram iustificationem apud Deum. Hieronymus sic exponit: iustificari gratis, est sine vlla operum actione, per baptismum, iustum fieri: per quod scilicet omnibus, non merentibus, sed gratis peccata donantur. Ambrosius hoc modo interpretatur: iustificantur, inquit, gratis, quia nihil operantes, neque vicem reddentes, sola fide iustificati sunt, dono Dei. Dixit Ambrosius, nihil operari hominem ad iustificationem, tanquam condignum videlicet meritum eius, propter quod, tanquam debita ei secundum iustitiam, reddatur iustificatio. Cùm enim ait, sola fide hominem iustificari, excludit opera præcedentia fidem, quæ est donum Dei; quæ quidem opera hominis nihil directè conferunt ad iustificationem: non autem excludit opera hominis sequentia fidem & præparatoria ad iustificationem, vt sunt actus timoris, doloris, spei ac dilectionis.

S. Hieronymus. *S. Ambros.* *Ad Ephes. 2.*

58. Quomodo autem Augustinus, optimus interpres Pauli, intellexerit quod hîc dicitur à Paulo, hominem iustificari gratis, declarat ipse in libro de spiritu & littera, capite nono, his verbis: iustificati gratis, id est, non per legem, nec propriam voluntatem, sed per Dei gratiam. Non quod sine voluntate nostra id fiat; sed quia voluntas ostenditur infirma per legem, vt sanet gratia voluntatem, & sanata voluntas impleat legem, non constituta sub lege, nec indigens lege. Idem quoque in libro de gratia, & libero arbitrio capite decimo tertio, & lib. 4. contra Iulianum capite tertio docet, hominem iustificari gratis, quia nec ex lege, nec ex natura, sed per misericordiam Dei iustificatur. Et sicut Paulus ad Galatas scribens argumentatur: *Si ex lege est iustitia, ergo gratis Christus mortuus est*, itidem argumentari licet, inquit Augustinus: si ex natura est iustitia hominis, vt dicunt Pelagiani, ergo Christus gratis mortuus est. Sed Christus non est gratis mortuus, id est, sine ratione, & causa necessaria; ergo iustificatio hominis sicut non ex lege, ita neque ex natura potest homini accidere. Atque hæc est sententia, & doctrina B. Augu-

S. Augustinus. *Ad Gal. 2.*

B. Augustini. Quam paucis verbis comprehensam tradiderunt Patres concilij Tridentini in sessione sexta, & in capite octauo, decreti de iustificatione in hæc verba: Gratis ideo iustificari dicimur, quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationem promeretur. Si enim gratia est, non igitur ex operibus nostris est, alioquin, vt argumentatur Paulus, gratia iam non esset gratia.

Concilium Tridentinum.

59. Quocirca inscitè ac peruersè abutuntur Hæretici hac Pauli sententia, ad ostendendum, nulla esse opus homini præparatione ad iustificationem. Verùm diceret quispiam: Si gratis iustificamur, & non ex operibus legis, quomodo suprà Paulus dixit: Factores legis, iustificatum iri apud DEVM. Sed hanc difficultatem fusè nos super eo loco explicauimus: nunc satis sit dicere, hîc agi de prima iustificatione, per quam ex iniusto fit homo iustus, quæ non fit merito bonorum operum hominis: illic verò verbum iustificandi significat iustum haberi, & declarari in iudicio DEI, cùm reddet vnicuique secundum opera eius, & pronunciari dignum præmio vitæ æternæ, quæ est merces bonorum operum per obseruantiam diuinæ legis factorum. Illud quoque posset obiici: si gratis iustificamur, & non ex operibus, ergo non sunt necessaria homini opera præparatoria ad comparandam iustificationem. Ad hoc respondet Augustinus, ideo dici gratis, & per fidem iustificari, quia primò datur fides, quam subsequuntur opera præparatoria, & per quam fidem impetratur ipsa iustitia. Nomen autem gratiæ, cum hîc dicitur, *Iustificati gratis per gratiam ipsius*, licet possit significare supernaturalem, & diuinam illam qualitatem à DEO infusam animæ hominis, & in ea inhærentem, qua est iustus & gratus DEO: videtur potius tamen hoc loco significare gratuitam DEI bonitatem & benignitatem erga hominem. Opponit enim Paulus operibus hominis gratiam DEI, significans non meritis hominum, quasi debitam reddi iustitiam, sed nullis præcedentibus hominum bonis meritis, immo plurimis malis meritis, propter infinitam tamen DEI benignitatem ac misericordiam gratuito dari iustitiam homini.

Ad Roman. 1.

Ad Roman. 2.

Vene-

60. Beda. S. Augustinus.

Venerabilis Beda putauit bene ad huius ſententiæ Pauli expoſitionem quadrare, quod in libro de natura & gratia B.Auguſtinus ita ſcripſit: *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius.* Hæc eſt gratia, ſine qua nec infantes, nec ætate grandes ſalui fieri poſſunt, quæ non meritis redditur, ſed gratis donatur, propter quod gratia nominatur. Vnde ij, qui non per illam liberantur, ſiue quia audire nondum potuerunt, ſiue quia obedire noluerunt, ſiue etiam cum per ætatem audire non poſſent, lauacrum regenerationis quod accipere poſſent, & per quod ſalui fierent, non acceperunt, iuſte vtique damnantur: quia ſine peccato non ſunt, vel quod originaliter traxerunt, vel quod malis moribus addiderunt. Omnes enim peccauerunt, ſiue in Adam, ſiue in ſemetipſis, & egent gloria. Vniuerſa igitur maſſa humani generis, pœnas debet, ac ſi omnibus debitum damnationis ſupplicium redderetur, non iniuſte proculdubio redderetur. Qui ergo inde per gratiam liberantur, non vaſa meritorum ſuorum, ſed vaſa miſericordiæ nominantur. Sed cuius miſericordiæ? illius vtique, qui CHRISTVM miſit in hunc mũdum, peccatores ſaluos facere. Quos præſciuit, & prædeſtinauit, & vocauit, & iuſtificauit, & glorificauit. Quis igitur vſque adeo dementer inſaniat, vt non agat ineffabiles gratias miſericordiæ; quos voluerit liberantis? Qui recte nullo modo poſſet culpare iuſtitiam vniuerſos omnino damnantis. Sic Beda ex Auguſtino.

Rom. 9. 1. Tim. 1. Ad Rom. 8.

DECIMAQVARTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Verſu 24.

Per redemptionem quę eſt in CHRISTO IESV.

61. Hieronymus.

PRIMA verba huius ſententiæ ſic interpretatur Hieronymus: *Per redemptionem quæ eſt in CHRISTO*, id eſt, qua nos CHRISTVS liberauit ſanguine

guine suo de morte, cui per peccatum venditi fueramus, sicut dixit Isaias; *Peccatis vestris venundati estis.* Quam mortem CHRISTVS vicit, quia non peccauit, & pro peccatis nostris mortem subiuit. Omnes quippe rei mortis eramus, cui se ille indebite tradidit, vt nos suo sanguine redimeret. Vnde Propheta prædixerat: *Gratis venundati estis, & sine pecunia redimemini.* Hoc est, nihil pro vobis accepistis, & CHRISTI estis sanguine redimendi. Simulque illud hic notandum est, quod CHRISTVS nos redemit, nō autem emit: quia ante peccatum per naturam, quam nobis dederat, serui eramus ipsius, licet postea simus nostris ab eo alienati delictis. Tunc porrò fructuosa erit redemptio nostra, si peccare cessemus, & Redemptori nostro dignè seruiamus. Sic ille. Illud, *In CHRISTO IESV*, phrasi hebræa dictum est pro, per CHRISTVM IESVM, quo denotatur redemptionis auctor. Vel secundum Caietanum, ita dictum est, ad indicandum, huius redemptionis humanæ pretium, non fuisse pecuniam, aut quodlibet aliud, sed ipsummet CHRISTVM IESVM, hoc est, carnem & sanguinem, & animam eius, Testante Paulo 1. ad Timotheum 2. *Mediator DEI & hominum homo CHRISTVS IESVS, qui dedit redemptionem semetipsum pro nobis.* Et vt Petrus dixit: *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati IESV CHRISTI & incontaminati.* Pro latino vocabulo redemptionis, græca vox ἀπολύτρωσις, propriè significat redemptionem captiui, persoluto, pro eius capite, pretio. Significat itaque Paulus, licet gratis iustificati simus, id est, nullo nostro merito; non tamen omnino gratis, nec nullo simpliciter merito, quia non sine satisfactione, & meritis CHRISTI: Magno nempe constitit CHRISTO iustificatio nostra, pretio videlicet sanguinis sui. Verum dicet aliquis; si pretio & meritis CHRISTI sumus iustificati, ergo non gratis? Gratis sanè respectu nostri; non tamen gratis respectu CHRISTI. Quamuis enim DEVS iustam pro peccatis nostris satisfactionem exegerit, eamque CHRISTVS

Isa. 52.

Caietanus.

1. Petri. 1.

Cur Christus dicatur redemptor hominum.

Quomodo & gratis & non gratis iustificati sumus.

cumulatiſsimam præſtiterit: DEVS tamen gratis hunc redemptorem & ſatisfactorem nobis miſit, eiuſque redemptionis,& ſatisfactionis merita nobis applicari voluit. Ergo ad iuſtificationem hominis concurrunt gratia DEI, & iuſtitia DEI. Concurreret autem ſola gratia, ſi DEVS remitteret hominibus peccata,ſine vlla à quoquam facta ſatisfactione: Verùm id non fecit DEVS, ſed gratiæ ſuæ adiunxit iuſtitiam, CHRISTO perfectè pro peccatis noſtris iuſtitiæ DEI ſatisfaciente. Vt ad hoc referri queat illud Dauidis: *Miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi: iuſtitia, & pax oſculatæ ſunt.* Scriptura igitur docet nos iuſtificari hominem per gratiam, & per iuſtitiam; ſed vtramque DEI,& neutram hominis.

Pſalm. 80.

62\. Rectè autem ſatisfactio CHRISTI pro peccatis hominum, dicitur redemptio hominum, ſecundum illud Dauidis: *Apud Dominum miſericordia, & copioſa apud eum redemptio. & ipſe redimet Iſraël ex omnibus iniquitatibus eius.* Nam vt dixit Dominus. *Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.* Qua ſeruitute redimitur homo, ſi pro peccato ſuo ſatisfaciat DEO, vel alius pro ipſo. Quemadmodum ſi quis ob aliquam culpam obnoxius eſſet Principi ad ſoluendam pecuniam, is diceretur eum redimere à noxa, qui pro eo pecuniam Principi perſolueret. Non erat autem noxa vnius, vel paucorum hominum, ſed vniuerſum genus humanum obſtringebat: Omnes enim, propter peccatum Adæ, obnoxij erant DEO, ideoque nullus hominum pro vniuerſo genere hominum ſatisfacere DEO poterat. Adiice quod peccatum, contra infinitam DEI Maieſtatem factum, infinitam quandam continet DEI offenſam & iniuriam, & idcirco perfecta pro eo ſatisfactio infinitam quoque vim, & pretium habere debet. Nec profectò ſatisfactio fieri poteſt creditori, niſi ex his, quæ propria ſunt debitoris, & ipſi creditori indebita: quicquid autem homo boni habet, totum eſt DEI donum, eique pluribus debitum nominibus. Solus igitur CHRISTVS, qui & purus erat ab omni peccato, & caput erat hominum, maximè verò, quia propter infinitatem perſonę diuinæ infinitam

Pſalm. 119.
Ioan. 8.
Solus Chriſtus potuit eſſe redemptor hominum ſecundum perfectiam iuſtitiæ rationem.

habebat

habebat vim & merendi, & satisfaciendi; perfectissime DEO pro vniuersis hominum peccatis ad æqualitatem, & vt dicunt, secundum rigorem iustitiæ, satisfacere potuit; qua etiam de causa verissimus fuit & perfectissimus humani generis redemptor.

63. *Discutitur opinio Hæreticorũ contra opera satisfactoria pro peccatis.*

Hinc porrò argumentantur Hæretici, superstitiosam esse, Pauloque contrariam Ecclesiæ catholicæ doctrinam de operibus satisfactoriis, quæ facere homines debent ad expiationem peccatorum, etiam post remissam ipsis culpam, & reatum æternæ mortis. Nam si CHRISTVS, inquiunt, redemit nos à peccatis omnibus suo sanguine, hoc autem est, immenso pretio; quid opus est præterea, nostra opera satisfactoria ad expiationem peccatorum adiungere? quasi verò CHRISTI redemptio satis magnam per se vim non haberet ad perfectam omnium scelerum nostrorum expiationem. Hoc ipsum pluribus & Pauli & aliorum testimoniis confirmant: quale est illud Pauli ad Galatas: *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris.* Et paulò pòst: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Et item: *Empti estis pretio magno.* Et illud Ioannis: *Sanguinis IESV CHRISTI emundat vos ab omni peccato.* Idemque in primo capite Apocalypsis: *Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Atque hisce testimoniis isti putant concludi & confici, ad expiationem nostrorum peccatorum nihil esse opus satisfactoriis nostris operibus. Sed enim vel ignorant isti, vel scire se simulant, aliter fieri expiationem peccatorum per Baptismum, & aliter post Baptismum per Sacramentum Pœnitentiæ. Hic etenim gratis, & sine vlla hominis satisfactione omnia condonantur peccata, & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam omnem: hic verò, gratis quidem & culpa, & æterna pœna remittitur ex merito sanguinis CHRISTI: exigitur tamen ab homine satisfactio ad persoluendam pœnam temporalem, quæ reliqua sit luenda etiam post remissam culpam, & pœnam æternam. Nec verò huiusmodi satisfactio ita est propria hominis, vt non multò magis pendeat, & vim su-

Ad Galatas 1. & 2.

1. Pet. 1.

1 Ioan. 1.

am, & efficacitatem accipiat ex redemptione & satisfactione Christi.

64. Hæc ipsa quæ diximus de operibus satisfactoriis, distincte, ac dilucide traduntur in capite octauo sessionis decimæ quartæ Concilij Tridentini. Et inter alia, quæ nunc referre, breuitatis causa supersedeo, quot, & quanti ex huiusmodi satisfactione proueniant fructus, pulchrè his verbis exponitur. Diuinam clementiam decet, ne ita nobis absque vlla satisfactione, peccata per Sacramentum Pœnitentiæ dimittantur; ne occasione inde accepta, peccata leuiora putantes, velut iniurij, & contumeliosi Spiritui sancto, in grauiora labamur thesaurizantes nobis iram in die iræ. Proculdubio enim valde à peccato reuocant, & quasi fræno coërcent huiusmodi satisfactoriæ pœnę cautionesque & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt: medentur quoque peccatorum reliquiis: & vitiosos habitus malè viuendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque verò securior vlla via in Ecclesia Dei vnquam existimata fuit ad amouendam imminentem à Deo pœnam, quàm vt hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc, quod dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Iesv, qui pro peccatis nostris satisfecit, & ex quo omnis nostræ satisfactionis sufficientia est, conformes efficimur; certissimam quoque inde arrham habentes, quod si cõpatimur, & conglorificabimur. Sic est ibi. Ergo satisfactio pro peccatis admissis, & ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem facit, & ad nouæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, virtutumque profectum, & in Dei seruitio perseuerantiam apprime conducit.

Concil Tridentinum

Ad Rom. 2.

65. Huiusmodi porrò satisfactionis clarissimum habemus in Scriptura exemplum, simulque argumentum. Cùm enim rex Dauid de crimine adulterij, & homicidij à Propheta Nathan, Dei nomine, grauissimis verbis reprehensus, vehemẽter pœnitenti, ac dolenti animo dixisset: *Peccaui Domino.* protinus adiecit Nathan: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum,*

Supradicta satisfactionis exemplum in Dauide, & similitudo in Absalone.

Lege 2. Reg. 12 & 14.

tuum, non morieris. Quo declarauit remissam fuisse ei culpam. Nihilominus tamen loco pœnæ temporariæ, aliquid ei acerbum, & asperum esse perferendum significans, subiunxit: *Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur.* quæ pœna quàm fuerit Dauidi grauis, satis ipse ostendit, cùm ad eam pœnam deprecandam, & auertendam, per septem dies ieiunauerit, & iacens super terram, Deo pro salute filij instanter supplicauerit. Nec solùm huiusmodi satisfactio reperitur inter DEVM, & hominem, sed etiam inter ipsos homines, & in rebus humanis non rarò inuenitur: cum sæpè vsuueniat, vt qui grauiter ab alio quopiam offensus, & læsus est, quanquam ei principalem offensam & noxam remittat, nonnihil tamen, quasi pœnæ loco ab eo exigat, vel perferendum, vel sibi præstandum: vt videre licet in rege Dauid, & filio eius Absalone; quem propter cædem fratris sui Ammon, triennali exilio afflictatum, cùm Dauid iam placatus, & offensa ei remissa reuocasset exilio, noluit tamen in conspectum suum venire: vt ea re non paruam admissi sceleris pœnam lueret. Hæc sunt enim verba Dauidis: *Dixit autem rex: Reuertatur in domum suam, & faciem meam non videat.* Id verò quàm molestum, & acerbum fuerit Absaloni, declarauit ipse, cùm loquens Ioab, dixit: *Quare veni de Gessur? melius mihi erat ibi esse: obsecro vt videam faciem regis: quod si memor est iniquitatis meæ, interficiat me.* Cùm itaque satisfactio hominis, de qua nunc agimus, maximè conueniens ac decens sit clementiæ simul & iustitiæ, maximeque conducens spiritali hominis saluti, palam est hallucinari Hæreticos dicentes, ea obscurari, & minui dignitatem, ac virtutem satisfactionis CHRISTI: cùm eam maiorem in modum commendet ac magnificet atque illustret: omnem enim vim suam, omneque pretium habeat à CHRISTI redemptione. Quod etiam Patres Concilij Tridentini supradicto loco his verbis confirmant: Neque verò ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exoluimus, vt non sit etiam per

2. Reg. 13.

Concilium Tridentinum.

per CHRISTVM IESVM. Nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante qui nos confortat, omnia possumus. Itaque non habet homo vnde glorietur, sed omnis gloria nostra in CHRISTO est, in quo viuimus, in quo mouemur, in quo satisfacimus; facientes fructus dignos pœnitentię, qui ex illo vim habent, & ab illo offeruntur PATRI, & per illum accipiuntur à PATRE.

Ad Philip. 4.

DECIMAQVINTA DISPVTATIO.

Cur B. Paulus dixerit, CHRISTVM esse propitiatorem propter remißionem præcedentium delictorum; & non potius dixit, propter remißionem omnium delictorum.

SVPER ILLIS VERBIS:

Versu 25.

QVEM proposuit DEVS propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, propter remissionem præcedentium delictorum.

66. SIMILEM quoque sententiam habet Paulus in capite nono epistolæ ad Hebræos illis verbis: *Et ideo noui Testamenti mediator est, vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori Testamento, repromißionem accipiant qui vocati sunt, æternæ hæreditatis.* Sed.n.cùm CHRISTVS fuerit propitiator, & propitiatio omnium peccatorũ, & quæ fuerunt ante ipsum, & quæ post ipsum in finẽ vsque mundi futura erant: cur Paulus propitiationẽ CHRISTI restrinxit ad remissionẽ præcedentium peccatorũ, quasi ea valuerit tantùm in præteritũ ad expiationẽ præteritorũ peccatorum, nõ autem in futurũ,

ad

ad purgationem eorum peccatorum, quæ post mortem eius futura erant. Ego quinque apud Auctores reperio horum Pauli verborum expositiones, per quas proposita quæstio & difficultas exolui possit. Prima expositio est Ambrosij, qui hunc locum ita legit: *Propter propositum remissionis præcedentium delictorum.* Quam lectionem sic exponit: Sciens DEVS propositum benignitatis suæ, quo decreuit peccatoribus subuenire; tam iis, qui sunt apud superos, id est, in terris viuunt; quàm iis, qui detinebantur in inferno: vtrosque diutissimè expectauit, euacuans sententiam, qua iustum videbatur omnes damnari; & ostenderet nobis, quod olim decreuerat liberare genus humanum per CHRISTVM. Sicut promiserat per Hieremiam prophetam, dicens: *Propitius ero iniquitatibus eorum, & delictorum eorum non memorabor.* Et ne hoc donum solis Iudæis promissum à se videretur, per Isaiam dixit: *Domus mea domus orationis vocabitur omnibus Gentibus.* Quamuis enim propriè Iudæis DEI promissio est data: præscius tamen DEVS, quod donum eius reprobaturi essent impij Iudæi, Gentes ad percipiendam gratiam suam admissurum se promisit, quorum æmulatione, in iram incensi cruciarentur Iudæi. Sic Ambrosius. Augustinus etiam in libro de spiritu & littera capite 13. ita citat hunc locum: *Propter propositum præcedentium delictorum.* Vbi haud dubiè suppleri debet genitiuus ille (remissionis) sicut habet lectio Ambrosij, hunc in modum: *Propter propositum remissionis præcedentium delictorum.*

Quinque expositiones.

Prima expositio Ambrosij.

Hierem. 31.

Isaiæ 56.

S. Augustinus.

67. Altera expositio est Chrysostomi, Theophylacti, & Oecumenij, qui vocem illam, *remissionem*, non accipiunt pro condonatione atq; ignoscentia, sed pro relaxatione, & resolutione, & debilitatione, & quadam corruptione, quemadmodum dicitur membrum aliquod humani corporis esse remissum, & relaxatum, & dissolutum, suoque destitutum naturali robore, & quasi paralyticum. Significat itaque vox ista spiritalem animæ tabem, qua interior mentis velut harmonia dissoluta, & sanitas animæ corrupta, & robur est debilita-

Secunda expositio Chrysostomi, Oecumen. Theophylacti.

bilitatum. Vt sit hic istorum Pauli verborum sensus: Cùm videret Devs mundum, & humanum genus peccatis tabefactum, & quasi paralyticum, exhibuit Christvm propitiatorem, qui eiusmodi tabem peccatorum sanaret. Nec verò cuipiam eò accidat noua & improbabilis hæc verborum interpretatio; quòd vocabulum remissionis ferè accipiatur in scriptura pro condonatione & ignoscentia: non enim hoc loco pro latina voce (remissionem) græcè est ἄφεσιν, qua voce vtitur ferè scriptura, cùm nominat remissionem, vel dimissionem peccatorum: sed græcè est πάρεσιν, quæ vox secundum Budæum in commentariis linguæ græcæ, significat corporis defectionem, & languorem, & extenuationem, non solùm autem condonationem, vel relaxationem: & secundum hanc expositionem vel nihil est difficultatis in supradicta Pauli sententia, vel perparum, aut propè nihil.

68. *Tertia expositio Anselmi, et Catharini.* Tertia expositio est Catharini, quam ego propriis eius verbis hîc referam. Sic enim scribit: vocat Paulus præcedentia delicta, quæ præcedunt fidẽ, & Dei iustitiam, quæ donatur nobis, & præcedunt propitiationem, & primam hominis cum Deo conciliationem. Nam peccata, quæ hanc iustificationem sequuntur, non eodem modo purgantur: Semel enim habemus crucifixum Christvm ad delendum penitus cuncta delicta: postmodum verò, id est, pro delictis deinde factis post acceptam iustificationem, habemus eundem illum quidem aduocatum apud Patrem, vt remittantur illa nobis; non tamen sine aliquo supplicio nostro. *Ad Heb. 10.* Non enim voluntariè peccantibus relinquitur vlterius talis hostia pro peccato, sicut à principio. Sic ille. Cuius expositionem videtur attigisse multò antè Anselmus ita scribens: *Anselmus.* Omnes peccauerunt, sed per ostensionem suæ iustitiæ placuit Deo vt remitteret hominibus, tam Iudæis, quàm Gentilibus præcedentes culpas, & iustificaret eos, vt deinceps iustè viuerent. Ob id autem Paulus nominauit præcedentia delicta, ne quis putaret loqui se de remissione peccatorum, quæ post acceptam gratiam committuntur. Ergo secundum hanc

expo-

expoſitionem Anſelmi,& Catharini præcedentia delicta vocantur ea, quæ præcedunt primam iuſtificationem hominis: ad hæc enim delicta delenda virtus & efficacia redemptionis & ſatisfactionis CHRISTI perfectè applicatur per baptiſmũ facta peccatorum plena remiſſione & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam.

69. *Quarta expoſitio.*

Quarta expoſitio ab eodem Catharino traditur his verbis: Et aduerte, quod poteſt hæc ſententia Pauli etiam intelligi de delictis præcedentibus aduentum CHRISTI. Ac ne quis turbaretur, quærens quomodo CHRISTVS fuit propitiatio pro iis, qui præceſſerunt aduentum eius, cùm videantur mortui eſſe in peccatis ſuis, nec potuiſſe participare pretium ſanguinis CHRISTI nondum effuſi, reſpondet Paulus, ſubiungens: *In ſuſtentatione DEI, vt oſtenderet iuſtitiam ſuam in hoc tempore.* Et eſt ſenſus, quod DEVS ſuſtentauit priora delicta, & propitiationis CHRISTI effectum præcedentia, in hoc, quod illa in iudicium non adduxit: ſuſtentauit autem illa, donec venit plenitudo temporis, & fieret propitiatio extendens ſe ad anteriora quoque tempora. CHRISTI enim merita à DEO prædeſtinata, & præuiſa, quadam vt ita dicam retro actione antiquiorib profuerunt: propterea enim ſcriptum eſt, quod, *Agnus patitur ab origine mundi.* Ita Catharinus. *Apoc. 13.*

70. *Secunda expoſitio S. Thomæ.*

Quinta expoſitio eſt B. Thomæ, qui ſuper hoc ipſo loco putat, ideo Paulum nominaſſe præcedentia delicta CHRISTI aduentum, vt oſtenderet neceſſitatem iuſtitiæ DEI per fidem CHRISTI ad delenda peccata; nec ad id efficacem fuiſſe legem Moſis, nec propriam hominis voluntatem. Si enim propitiatio CHRISTI neceſſaria fuit ad delenda præcedentia peccata, & in lege Moyſis, & ante legem facta: ergo neque lex, nec natura, nec propria hominis voluntas, ac liberum arbitrium vim habuerunt delendi peccata. Verba B. Thomæ ſunt huiuſmodi: In hoc quod præcedentia delicta remiſit DEVS, quæ lex remittere non poterat, nec homines propria virtute ab eis ſe liberare poterant, oſtendit quod ne-

necessaria est hominibus iustitia, qua iustificantur à DEO, per CHRISTVM. Solùm autem per sanguinem CHRISTI potuerunt remitti peccata non tantùm præsentia, sed præterita, quia virtus sanguinis CHRISTI operatur per fidem hominis, quam quidem fidem habuerunt illi, qui præcesserunt passionem CHRISTI, sicut & nos habemus, secundum illud Pauli 2. ad Corint. 4. *Habentes eundem spiritum fidei, credimus.* Hæc S. Thomas.

Sexta expositio Adami.

Sexta est Adami Sasbout expositio, ita locum hunc interpretantis, Nominauit præcipuè Apostolus remissionem præcedentium delictorum, vt significaret deinceps non esse viuendum peccatis, sed iustitiæ, quasi diceret: Hactenus in mundo regnauerunt peccata, & vt ea deleret, mortuus est CHRISTVS: at mortuo iam CHRISTO, nequaquam vltra peccandum est. nimis enim ingratus est, & duræ mentis, qui post tale exemplum humanitatis & charitatis exhibitum sibi à CHRISTO, id est, post sanguinem eius pro salute nostra effusum, mortemque crucis tanta pro nobis charitate susceptam, non seipsum reprimit & abstinet à peccando.

71.
Septima expositio quæ est Auctoris.

Septima expositio est huiusmodi. Duas ob causas B. Paulus præcipuè dixit, redemptionē & propitiationem CHRISTI fuisse causam remissionis præcedentium delictorum. Primùm enim ita locutus est, quia id esse videtur non facilè intellectu, neque creditu: cùm enim redemptio CHRISTI non esset facta, non videtur efficere potuisse remissionē præcedentium peccatorū, quę tot annorum millibus ante ipsam ab exordio vsque mundi patrata fuerant. Causa etenim efficiens prior secundum existentiam esse debet, quàm effectus, certè posteriorem esse suo effectu, videtur impossibile: non igitur effectus remissionis præcedentium peccatorū existere potuit, priusquam eius causa, id est, redemptio CHRISTI, per cuius passionem & mortem existeret. Hoc itaque quoniam nec facilem intellectum, nec promptam habebat fidem, erat tamen verissimum, credituq; vtilissimū; ideo Paulus voluit hoc præcipere dicere, ac docere. Nimirum ostendere voluit,

quantæ

quantæ apud DEVM esset dignitatis, quantiq; pretij, & efficaciæ redemptio, & satisfactio CHRISTI per mortem ipsius, vtpote quę non solùm præsens, vel iam facta vim habet delendi subsequentia omnia peccata, verum etiãnum futura, & plurimis post sæculis peragēda, nihilominus foret efficax ad purganda omnia peccata præcedētia etiam ab initio mundi. Virtus porrò futuræ redemptionis operabatur in antiquis illis remissionem peccatorum applicata ipsis per fidem, qua credebant in CHRISTVM venturum, & futurum humani generis redemptorē; sicut nobis applicatur virtus passionis CHRISTI per fidem, qua credimus eum iam venisse, & pro humani generis redemptione mortem obiuisse.

72. *Locus Apocalypsis cap. 13.*

Multi putarũt, & ita vulgo fertur, ad id quod diximus probandum valere, quod scriptum est in Apoc. cap. 13. Agnum CHRISTVM occisum fuisse ab origine mundi. Dicitur autem cædes Agni fuisse ab origine mundi, nō solùm, vt ita loquar, præfiguratiuè, quòd ab initio mundi statim ipsa CHRISTI mors præfigurata est in Abel; sed præcipuè virtualiter, quia per virtutē futuræ mortis CHRISTI remissa sunt omnia peccata, quæ remissa fuerunt ab initio vsq; mundi. Verba S. Ioannis, quæ sunt in eo loco Apocalypsis, sunt huiusmodi: *Et adorauerunt bestiam omnes qui inhabitant terram, quorũ non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni, qui occisus est ab origine mundi.* Sed enim longè diuersa est istorum verborum sententia; & recta eorum verborum intelligentia, & interpretatio est, vt illud, *Ab origine mundi*, construatur, non cum illo, *Agni qui occisus est*, sed cum illo, *quorũ non sunt scripta nomina in libro vitæ.* Per Hyperbaton enim ait Areta, verba hæc legenda, & intelligēda sunt; vt sit hæc eorum recta lectio, germanusq; sensus: Quorum non sunt scripta nomina ab origine mundi in libro vitæ Agni, qui occisus est: siquidem quorum scripta sunt nomina, ab origine vtiq; mundi scripta sunt: neq; enim ab origine mundi facta est Agni occisio. Nec solùm ita legendum, & intelligendum hunc locum censuit Aretas, sed etiam complures aliorum expositorum. Id verò liquidò patet ex eâdem

Genes. 4.

Areta.

ſententia, quæ ponitur in eiuſdem lib. cap. 17. his verbis: *Et mirabuntur inhabitantes terram, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ Agni à conſtitutione mundi.* Vbi illud: *A conſtitutione mundi*, idem nempe ſignificans, quod, *ab origine mundi*, perſpicuè refertur ad nomina ſcripta in libro vitæ. Cùm autem per nomina ſcripta in libro vitæ ſignificentur prædeſtinati, quorum prædeſtinatio eſt ab æterno, putare conuenit, illud *ab origine, vel à conſtitutione mundi*, ideo ſcriptum, vt æternitatem aliquo modo nobis adumbret, atque notificet, quam ſcriptura interdum ſignificat per antiquitatem originis mũdi. Vnde Matthæus capite 25. ſcribit, Dominum noſtrum in die iudicij dicturum electis ſuis: *Poſsidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* id eſt, ab æterno.

73. Altera cauſa, propter quam Paulus præcipuè dixit, redemptionem, & propitiationem CHRISTI fuiſſe cauſam redemptionis præcedentium delictorum, ita ſe habet. Licet ante paſſionem CHRISTI facta ſit remiſſio præcedentium delictorum, non tamen plena remiſſio, & omnibus numeris abſoluta, vnquam facta eſt. Remittebantur quidem peccata quantum ad culpam, & pœnam æternæ damnationis; non tamen quantum ad illam generalem pœnam, cui vniuerſum genus hominum erat obnoxium, quod decedentibus ex hac vita hominibus, etiam iuſtiſſimis, & ſanctiſſimis, clauſus erat aditus, & introitus in regnum cœlorum; & interea illi detinebantur in limbo, quoad adueniens CHRISTVS per mortem ſuam, generis humani redemptionem perficeret, & ita perfectam peccatorum remiſſionem donaret, aperiendo omnibus iuſtis aditum & ingreſſum ad vitam æternam. Cùm itaque plena & perfecta remiſſio præcedentium delictorum non ſit facta niſi poſt à CHRISTO peractam redemptionem & propitiationem; appoſitè, congrueq; S. Apoſtolus hoc loco dixit, CHRISTVM fuiſſe redemptorem, & propitiatorem propter remiſſionem præcedentium delictorum.

DECI-

DECIMASEXTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis.

Versu. 28.

ABVTVNTVR quidam hac Pauli sententia (ait Hieronymus in commentario huius loci) ad destructionem operum iustitiæ, solam fidem posse sufficere affirmantes: cum tamen alibi dicat Apostolus: *Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem non habeam, nihil mihi prodest.* In qua charitate, alio loco asserit, plenitudinem legis contineri dicens: *Plenitudo legis est charitas.* Neque verò hæc inter se contraria sunt: negat enim iustificari hominem ex operibus legis Mosaicæ; non tamen negat iustificari ex operibus iustitiæ, de quibus Iacobus dixit: *Fides sine operibus mortua est*: Verùm hoc loco Paulus loquitur de eo, qui primùm veniens ad CHRISTVM cum sola fide, ab eo saluatur. Sic ille. Sed B. Augustinus in lib. 83. quæst. in tractatu quæstionis 76. diligenter hunc ipsum Pauli locum pertractans, ad hunc modum scribit: Prædicans Paulus iustificari hominem per fidem sine operibus, non benè intellectus est ab eis, qui sic acceperunt dictum Apostoli, vt putarent, cum semel in CHRISTVM credidissent, etiamsi deinde male operarentur, se tamen saluos esse posse per fidem. Sed Paulus affirmans hominem iustificari per fidem sine operibus, noluit dicere, si quis iam crediderit, non pertinere ad eum bene operari: Verùm ad id potius sententiam illam pronuntiauit, vt nemo meritis priorum bonorum operum suorum arbitraretur se peruenisse ad donum iustificationis, quæ est per fidem. Ob hoc enim maxime Gentibus in CHRISTVM credentibus se Iudæi præferri cupiebant; quod

74. *S. Hieronymus.* *1. ad Cor. 13.* *Ad Roman. 13.* *Iacobi 2.* *S. Augustinus.*

dicerent se meritis bonorum operum, quæ in lege sunt, ad Euangelicam gratiã peruenisse: ideoq; scandalizabantur multi eorum iam credentes in CHRISTVM, quòd incircũcisis Gentibus CHRISTI gratia traderetur. Vnde Paulus dixit hominẽ sine operibus, præcedentibus iustificari per fidẽ: nam iustificatus iam per fidem, debet iustè deinceps operari, licet nihil iuste operatus nec merito suorum operũ, sed gratia DEI ad fidei iustificationẽ peruenerit. Vnde manifestũ est, ꝙ Paulus dixit, hominem iustificari per fidem sine operibus, non ita esse intelligendum, vt accepta fide, si vixerit, dicamus eum iustum, etiam si malè vixerit. Nam si cum credidit, mox de hac vita decedat, iustificatio fidei manet cum illo sine vllis bonis operibus; nec præcedentibus, quia non illorum merito, sed DEI gratia peruenit ad iustificationem: nec consequentibus bonis operibus, quia in hac vita esse non sinitur. Paulus itaq; ad confirmandam sententiam suam, vsus est exemplo Abrahæ, qui sine operibus legis, quam non acceperat, per fidem iustificatus est: & Iacobus quia fidem Abrahæ opera bona consecuta esse demonstrat, satis ostendit, quomodo intelligendum sit, quod Paulus dixit, hominem iustificari sine operibus. Nam qui putant sententias istas Pauli, & Iacobi pugnare inter se: possunt etiam arbitrari, Paulum ipsum sibi esse contrarium: quippe qui alio loco dicit: *Non auditores legis, sed factores iustificabuntur apud DEVM.* Et alio loco ait: *In CHRISTO IESV neq; circumcisio aliquid valet, neq; præputium, sed fides quæ per charitatem operatur.* Non igitur contraria docent Paulus & Iacobus; cùm ille dicit, iustificari hominem per fidem sine operibus; & hic dicit, inanem esse fidem sine operibus: quoniam ille loquitur de operibus quæ fidem præcedunt; hic autem de operibus quæ fidem sequuntur; quo etiam modo ipse Paulus multis locis loquitur. Hactenus ex Augustino. Ex cuius disputatione, sicut etiam Hieronymi, licet intelligere, quænam opera Paulus excludat à iustificatione, & quænam opera iustificatis esse necessaria doceat. Illud quoque liquet, huiusmodi sententias Pauli de iustificatione

Ad Roman. 4.

Iacobi 2.

Ad Roman. 2.

Ad Gal. 5.

per

per fidem sine operibus, sicut nunc malè intelliguntur, prauéque vsurpantur ab Hæreticis nostri temporis, ita fuisse olim ab antiquis Hæreticis peruersè intellectas & in perniciem ipsorum atque aliorum impiè detortas.

75. Sed nos supradictæ Pauli sententiæ verba accuratè pensitemus. *Arbitramur*, inquit, *iustificari hominem per fidem sine operibus legis*. Pro verbo illo, *Arbitramur*, græcum verbum λογιζόμεθα quod propriè significat, ex aliis colligere, & concludere aliquid ratiocinando, & pro illo *enim* græcè est, οὖν, id autem est latinè igitur, vel ergo. Vt sententia verborum Pauli sit huiusmodi: ex disputatione igitur superiori, & argumentis suprapositis colligimus & concludimus, omnem hominem iustificari per fidem sine operibus legis. Ambrosius verbum, *Arbitramur*, exponit, certò habemus: Hieronymus verò certi sumus, vel iudicamus, *Iustificari*. Potest hoc verbum duplicem habere intellectum: vel enim accipi potest pro eo quod est, iustum fieri per iustitiam in ipso homine productã à DEO, & in animo eius inhærentem: vel pro eo quod est, tendere ad iustitiam, siue peruenire ad iustitiam, siue obtinere, & apprehendere iustitiam, & hoc modo iustificatio significat motum animi tendentis ad comparandam iustitiam, priori autem modo iustificari significat terminum illius motus, id est, productionem, siue infusionem iustitię in animum hominis, quæ donat homini remissionem peccatorum, & rectitudinem animi: Quemadmodum apud Philosophos, vocabulum generationis, plerumque sumitur pro ipsa productione formę substantialis in materia: nec rarò etiam vsurpatur pro alteratione & præparatione materiæ, quæ proximè antecedit productionem formę substantialis, quę productio est terminus illius alterationis. Vtro autem modo verbum *iustificari*, accipiendum sit hoc loco, declarabitur in proximè sequenti Disputatione; sicut etiam illud, *per fidem*, intelligendumné sit de fide informi, & dissociata à charitate, an de formata, & viua, & sociata charitati.

S. Ambrosius

Hieronymus.

Sine operibus legis. Licet Paulus nominatim excludat opera le-

ra legis; sicut etiam in cap. 2. & 3. epist. ad Galatas, quòd Iudæi maxime confidebant obseruantiis, & operibus legis, per ea se iustos esse, & gratos DEO putantes: reuera tamen mens Pauli fuit, excludere omnia opera humana, siue moralia, siue legalia, siue quocumque alio modo per naturalem liberi arbitrij potestatem facta. Quocirca pluribus aliis locis simpliciter dixit Paulus hominem non iustificari per opera sua: Vt ad Ephesios 2. *Gratia*, inquit, *estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, DEI enim donum est. Non ex operibus, vt ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, creati in CHRISTO IESV, in operibus bonis, quæ præparauit DEVS vt in illis ambulemus.* Vbi nota, euidenter à Paulo distingui opera præcedentia iustificationem, quorum merito negat iustitiam accidere, ab operibus subsequentibus iustificationem, in quibus ait, DEVM præparasse, vt in illis ambulent qui iustificati sunt. Præterea in 1. cap. posterioris epistolæ ad Timotheum, *DEVS*, inqut, *nos liberauit, & vocauit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam suam, quæ data est nobis in CHRISTO IESV ante tempora sæcularia.* Dixit, *ante tempora secularia*, pro eo quod est ante constitutionem mundi, sicut ipse dixit in 1. cap. epist. ad Ephesios: *Elegit nos in CHRISTO ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate.* Per vtrumq; porrò significare videtur idem, quod (ab æterno) vtroq; enim in loco agit de gratia electionis & prædestinationis sanctorum, quæ est æterna. Ad hæc in cap. 3. epist. ad Titum, ita scribit: *Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis SPIRITVS sancti, quem effudit in nos abunde per IESVM CHRISTVM saluatorem nostrum: vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus, secundum spem, vitæ æternæ.*

77. Quemadmodum verò intelligi oporteat quod dixit Paulus, hominem iustificari non ex operibus, verissimè declarauerunt Patres Concilij Tridentini in cap. 8. Decreti de iustificatione, dicentes: Iustificari gratis, vel sine operibus, nil aliud

liud significare, quàm nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera ipsa, gratiam iustificationis promereri. Quia si gratia daretur propter opera hominis, iam non esset gratia, vt argumentatur Paulus cap. 11. epist. ad Romanos. Huic doctrinæ consona tradit aliis in locis sacra Scriptura. Huc enim videtur pertinere illud Dauidis: *Pro nihilo saluos facies illos*, quod interpretans B Hieronymus in 2. libro contra Pelagianos: Non est, inquit, dubium, quin Dauid per ista verba iustos intelligat, quos ait pro nihilo saluari, quia non proprio merito, sed DEI saluantur clementia. Quibus verbis docet Hieronymus, idem valere, pro nihilo saluari, atque non ex propriis meritis saluari. Et Gregorius 1. Reg. cap. 7. super illis verbis: *Liberabit vos de manu Philisthiim*. O quàm magni muneris, inquit, est ista promissio. nam ille solus liber à manu Philisthiim fuit, qui peccatum nō fecit: ab ea autem manu omnes præter meritum nostrum liberamur. Vnde Paulus dixit: *Iustificati gratis, per gratiam ipsius*. Eodem spectat illud Isaiæ pulchrè declarantis hoc ipsum per quandam similitudinem, illis verbis: *Omnes sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum; properate, emite, & comedite. Venite, emite, absq; argento, & absq; vlla commutatione vinum, & lac.* Isaiam Ioannes imitatus in Apocalypsi; sic ait in capite vltimo: *Qui sitit, veniat; & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.*

Concilium Tridentinum.

Locus Psal. 55.

S. Hieronymus.

S. Gregorius.

Isa. 55.

78\. Hæc etiam est ipsissima B. Augustini doctrina, quam is plurimis in locis tractat, & magnificat, & prædicat, tanquam omnino euangelicam, & Apostolicam doctrinam; eaque Pelagianos hæreticos vehementer vrget, ac premit, atque profligat. Dicebant autem Pelagiani, hominem audito euangelio, propria suæ voluntatis, & liberi arbitrij virtute concipere & parere fidem posse, qua DEI gratiam, & iustitiam deinde promererentur. Sic enim argumentabantur illi: Cur DEVS vni dat gratiam, & non dat alij? nisi quia vnus est dignus, & meretur eam accipere, alter verò est indignus, & non meretur gratiam DEI: alioquin esset apud DEVM acceptio personarum. Hanc porrò non modo falsam: sed impiam quoq;

S. Augustinus.

Quatuor sententiæ Pauli ad confutandum Pelagianissimum validissima.

atque execrandam doctrinam, Augustinus omnibus ingenij,& doctrinæ suæ opibus, viribusque conatus est euertere; præcipuè cùm quatuor Pauli sententias, quas vbicumque in Pelagianos pugnat, validè in eos contorquet. Prima Pauli sententia est, quam in hoc tertio capite tradit, hominem gratis iustificari per gratiam DEI: & item hominem iustificari per fidem sine operibus. Altera sententia est illa ad Ephes. 2. *Gratia DEI saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis, fides enim donum DEI est, vt ne quis glorietur.* Tertia sententia est apud Paulum in capite vndecimo huius epistolæ: *Gratia,* inquit, *non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia.* Quarta sententia eiusdem, est in quarto capite huius epistolæ, his ab eo verbis pronuntiata: *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei verò, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secundum propositum gratiæ DEI.* Ex hac Pauli vltima sententia satis liquet, idem significare apud Paulum gratiam non dari ex operibus, atque, non dari gratiam homini ex meritis eius. Argumentatur enim, si operanti daretur gratia, eam non fore gratiam, sed mercedem operis; opus autem, cui redditur merces, est meritum, nam merces est meriti merces, & meritum est mercedis meritum.

79. *Duæ celebres Augustini sententiæ contra meritum hominis præcedens gratiam.*

Ac licet plures Augustini sententias ad id probandum afferre possem, duas tamen nunc & breues, & percelebres apud Theologos hîc adscribam. Prior sententia, est in libro 1. quæstionum ad Simplicianum, vbi respondet ad secundam eius quæstionem. Sic autem ait: Vocantis est gratia; percipientis verò gratiam, postea sunt opera bona; non quæ gratiam pariant, sed quæ à gratia pariantur: Non enim vt ferueat, calefacit ignis; sed quia feruet, ideò calefacit: nec ideo benè rota currit, vt sit rotunda, sed quia rotunda est, benè currit. Similiter nemo propterea bene operatur, vt accipiat gratiam; sed quia iam accepit gratiam, per eam potest bene operari. Quomodo enim potest iustè viuere, qui non fuerit iustificatus: aut omnino viuere, qui non fuerit viuificatus? Paulus

lus certe ait: *Cum essetis mortui peccatis vestris, CHRISTVS vos conuiuificauit.* Et Dauid ait: *Secundum misericordiam tuam viuifica me, & custodiam testimonia tua.* Altera eiusdem Augustini sententia, est in epistola centesima quinta: Nulla ne, inquit, sunt merita iustorum? sunt planè, quia iusti: sed vt iusti fierent, nulla eorum merita fuerunt. Iusti enim sunt, quia iustificati sunt, sed vt Paulus ait, gratis per gratiam ipsius. Et subdit ibi Augustinus, ipsum Pelagium esse coactum in Concilio Palæstino anathematizare eos, qui dicebant gratiam DEI dari homini secundum eius merita: aliter enim, inquit, non inde compunctus exisset. Omnino, vbicumq; Augustinus dimicat cum Pelagianis dicentibus, gratiam DEI dari hominibus propter eorum merita, hanc potissimum in eos, tanquam validissimum telum, vibrat Pauli sententiam, quod homo iustificatur gratis, & non ex operibus: & hac vna existimat eos vinci, & se de illis, tanquam parta victoria triumphare.

Ad Ephes. 2.

Psal. 118.

80. Tres autem ob causas necesse est primam gratiam, & iustitiam hominis, dari ei gratis, non autem propter eius præcedentia merita. Primum enim notio, & ratio gratiæ, vt est prima gratia, necessario excludit omnem rationem meriti ac debiti. Alioquin, vt bene argumentatur Paulus in hac epistola capite quarto, & vndecimo, Gratia non est gratia, sed esset merces operibus & meritis debita. Deinde, homo, ante gratiam, habet & naturam, & peccata: propter peccata, tantum abest vt mereatur gratiam DEI, vt iram & vindictam DEI, æternaque supplicia mereatur. Natura verò non potest esse principium merendi gratiam: cum enim gratia sit donum DEI supernaturale, naturalem omnem hominis virtutem prorsus excedit. Postremò, sicut opera, quæ præcedunt gratiam, non possunt eam mereri, ita nec opera quæ subsequuntur primã gratiam, possunt esse merita, quibus ipsa prius acquireretur: quia merces, est terminus operis; gratia autem est in homine principium cuiuslibet boni operis, & meriti. Prima igitur gratia, nulla ratione cadit sub meritum propriè di-

Tres rationes quod prima gratia non cadat sub meritum.

ctum, & quod vocant, de condigno, ſed gratis datur. Nec valet argumentatio illa Pelagianorum: Niſi DEVS daret gratiam dignis, & merentibus, & non daret indignis & immerentibus, fore acceptionem perſonarum apud DEVM: hoc, inquam, nihil valet: acceptio enim perſonarum, non habet locum in iis, quæ omnino gratis & liberaliter donantur, quale donum DEI eſt prima gratia & iuſtitia: Sed in iis tantum habet locum, quæ ſecundum rationem iuſtitiæ diſtributiuæ, pro meritorum proportione, tanquam debita redduntur. Dicitur porrò DEVS non dare gratiam niſi dignis, non quia illi prius digni erant, ſed quia ipſe dando gratiam ſuam, dignos fecit eos ſicut ſolus ipſe poteſt facere, vt ait Iob, mundum de immundo conceptum ſemine. Vel digni dicuntur accipere gratiam, non tanquam condignè merentes eam accipere, ſed quia per gratiam DEI præuenientem atque promouentem liberum arbitrium, facti ſunt idonei & habiles, & ritè præparati ad percipiendam gratiam: quæ præparatio licet procedat ex libero hominis arbitrio, principaliter tamen prouenit ex ſpeciali & gratuito DEI auxilio.

Iob. 14.

DECIMASEPTIMA DISPVTATIO.

An B. Paulus dicens: Hominem iuſtificari ſine operibus, excluſerit etiam opera præparatoria hominis ad iuſtificationem, & ſpeciali auxilio DEI facta.

81.

Seſſ. 6. Cap. 6. Decreti de iuſtificatione. Ad Heb. 11. Sextuplex præparatio hominis ad iuſtifica-[illegible]

EA, per quæ hominis animus præparatur ad iuſtificationem, ſex commemorantur in Concilio Tridentino, Ante omnia præparatur animus hominis ad iuſtificationem per fidem: *Accedentem enim ad DEVM, oportet credere quia eſt, & quod inquirentibus ſe remu-*

remunerator sit. Atque huc spectat quod Paulus toties & in hac epistola, & in ea, quæ scripta est ad Galatas, inculcat, hominem iustificari per fidem. Altera præparatio fit per timorem Dei. namque scriptum est: *Timor Domini expellit peccatū*, Et: *Qui sine timore est, non poterit iustificari.* Tertia præparatio fit per spem consequendæ veniæ. nam scriptum est, *Spe salui facti sumus.* Et Dominus dixit paralytico: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Vt enim scribit Basilius super Psalmum 32. Timor mœrore absorberet animum, nisi eum spes veniæ erigeret, ac sustentaret. Ideo scriptum est: *Qui timetis Dominum, sperate in illum, & cum oblectatione veniet vobis misericordia.* Quarta præparatio fit per dilectionem DEI; non eam quæ prouenit ex habitu charitatis, & SPIRITV sancto animum hominis iam inhabitante, quæ nisi in iustis hominibus esse non potest, sed imperfectam, & ceu inchoationē quandam futuræ charitatis. De hoc nempe scriptum est: *Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra.* Enimuerò ita naturâ comparatum est, vt spes amorem pariat, atque eos naturali quadam propensione animi diligamus, quos erga nos fore benignos confidimus. Quintam præparationem facit propositum nouæ vitæ, & obseruandi mandata DEI. Vnde Dominus noster iussit Apostolos prædicare Euangelium, & baptizare, & docere seruare mandata ipsius: Et mulieri adulteræ dixit: *Vade, & iam amplius noli peccare*, non dixit ei, *Non amplius pecces*, sed, *Noli amplius peccare.* exigens ab ea, videlicet deliberatam voluntatem, firmumq; propositum non peccandi. Sexta & vltima præparatio fit per pœnitentiam, quæ cōtinet, vt ita dicam, peccatorum admissorum displicentiam, & detestationem, & dolorem animi. Etenim scriptum est: *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas dicentes: Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus DEI.* Et B. Petrus Iudæis, concione eius vehementer commotis atq; compunctis, & de eo quærentibus quid ipsos facere oporteret, respōdit: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisq; vestrûm in remis-*

Eccl. 1. Ad Roman. 8. Matth. 9. S. Basilius. Eccl. 2. Eccl. 2. Luca 24. Ioan. 8. Act. 2. & 3.

ſionem peccatorum. Et iterum: *Pœnitemini,*inquit, *& conuertimini, vt deleantur peccata veſtra.*

82. Quoniam autem huiuſmodi opera quæ vocantur præparatoria hominis ad iuſtificationem, fiunt & ab homine per liberum ſuum arbitrium, & à DEO per ſingularem quendam concurſum, & auxilium ſuum, idcirco diuina ſcriptura quibuſdam in locis ea opera tribuit ſolùm homini; & aliis in locis, ſoli DEO; & alicubi tribuit vtrique. Soli homini tribuuntur, cùm dicitur: *Præparate corda veſtra Domino, & ſeruite illi ſoli.* Et, *Conuertimini ad me in toto corde veſtro in ieiunio, & fletu, & planctu: & ſcindite corda veſtra, &c.* Et alio loco: *Laua à malitia cor tuum Hieruſalem, vt ſalua fias.* Huc pertinet illud: *Appropinquate DEO, & appropinquabit vobis.* Quibus ſcripturæ ſententiis liquidò declaratur, hominem proprio libero arbitrio cooperari Deo ad capeſſendam iuſtificationem: non enim tanquam inſtrumentum quoddam irrationale, & inanimum DEVS hominem mouet ad iuſtificationem, ſed conuenienter naturę hominis, qui eſt agens voluntarium, & liberũ, & per deliberationem, atq; electionem operans. Itaque tangente DEO cor hominis per SPIRITVS ſancti illuminationẽ, nec homo ipſe nihil omnino agit, inſpirationem illam recipiens, quippe qui illã & abiicere poteſt: neq; tamen ſine gratia DEI mouere ſe ad iuſtitiã coram illo libera ſua voluntate poteſt. Vnde in ſacris litteris cùm dicitur nobis: *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos,* libertatis noſtræ admonemur. Cùm autem nos reſpondemus DEO: *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.* DEI nos gratia præueniri confitemur. Atq; hæc ipſa, quæ hîc poſuimus, verba ſunt Patrum in Concilio Tridentino.

Præparationẽ hominis ad iuſtificationem, & homini tribui & Deo, ſimulq; vtriq;.
1. Reg. 7.
Ioel. 2.
Ierem. 4.
Iacobi 4.
Zachar. 1.

Aliis porrò in locis huiuſmodi præparationes hominis ad iuſtificationem ſolùm aſſignat DEO ſcriptura, ſicut apud Dauidem: *Miſericordia eius præueniet me.* Et apud Hieremiam: *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur.* Et apud eundem: *Poſtquam conuertiſti me, egi pœnitentiam.* Et

Pſalm 58.
Hierem. 31. & Thren. 5.

item

item illud Pauli: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex DEO est.* Et illud Domini: *Nemo potest venire ad me, nisi PATER, qui misit me, traxerit eum.* Et item illud: *Omnis qui audiuit à PATRE & didicit, venit ad me.* Nonnullibi quoque scriptura hæc opera tribuit simul DEO & homini. Scriptum enim est: *Cor hominis disponit viam suam; sed Domini est dirigere gressus eius.* Et alio loco: *Ecce sto ad ostium & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Et item alibi: *Vocabis me, & ego respondebo tibi: Operi manuum tuarum porriges dexteram.* Supradictis igitur scripturæ sententiis liquet, præparationem hominis ad capessendam iustitiam DEI, & à DEO proficisci, & ab homine: vt scitè dictum sit ab Augustino: Qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te. Sed enim eiusmodi præparationis ad iustificationem principes partes sunt DEI, quippe qui primus est præueniendo, & vocando hominem; & hominem diuinæ vocationi consentientem consequenter iuuat, & promouet, quoad perducat ad iustificationis gratiam.

2. ad Cor. 3. *Ioan. 6.* *Ibidem.* *Prou. 16.* *Apoc. 3.* *Locus Iob. 14.* *August. serm. 16. de verbis Apostoli.*

83. His itaque ad iustificationem operibus cursim prænarratis, disquirendum est, quod proposuimus in titulo huius disputationis, An beatus Paulus dicens, hominem iustificari sine operibus, excluserit etiam supradicta opera præparatoria ad iustificationem. Equidem arbitror non fuisse à Paulo exclusa. Namque & in hoc loco, & in epistola ad Galatas ait, hominem iustificari sine operibus legis: Excludit igitur opera legis Mosaicæ: at præparatoria opera ad iustificationem, cùm sint coniuncta cum fide, & cum speciali quodam, & supernaturali auxilio DEI, non ad legem Mosaicam, sed ad nouam & Euangelicam reducenda sunt. Et licet alibi Paulus præcisè atque in vniuersum dicat, nos iustificari non ex nobis, nec secundum opera nostra, vel opera iustitiæ nostræ, intelligit eiusmodi

modi opera ea ratione, vt nostra sunt, & ex libero nostro arbitrio profecta, sine speciali aliquo Dei concursu & auxilio; qualia sunt opera præparatoria ad iustificationem, cum à Deo potissimum proueniant. Deinde, Paulus non excludit fidem, immo nominatim includit, dicens: hominem iustificari per fidem sine operibus: fides autem primum locum tenet in præparatione hominis ad iustificationem; & nisi consociata sit cum aliis quinq; præparatoriis operibus suprà commemoratis, planè inefficax atque infructuosa est. Ad hæc, si iustificari, significat hoc loco pertendere, & peruenire ad iustitiam, de quo paulò pòst disputaturi sumus; cùm per supradicta præparatoria opera animus hominis à Deo promoueatur & dirigatur, ac denique perducatur ad gratiam iustificationis percipiendam, manifestum profecto est, non fuisse à Paulo eiusmodi opera exclusa & reiecta à iustificatione.

84. *Explicatur locus Concilij Tridentini.*

Verùm huic sententię videtur aduersari sententia Patrum Concilij Tridentini, quam suprà retulimus, affirmantium, cum Paulus ait, neminem iustificari sine operibus, docere eũ voluisse, neque fidem, neque alia opera, quæ præcedunt iustificationem, promereri gratiam iustificationis. Sed facile hoc diluitur. Non enim Patres excludere voluerunt à iustificatione opera præparatoria quasi ea nō essent vtilia, vel etiam necessaria, cùm hoc ipsi disertissimis verbis docuerint in eiusdem Decreti de iustificatione capite sexto. Sed excluserunt istiusmodi opera, sicut & ipsam fidem, tanquam non merita ipsius iustificationis: hoc enim significant illa eorum verba: (Nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, iustificationis gratiam promeretur: quia si gratia daretur propter opera, iam non esset gratia) quibus verbis ostendere voluerunt, gratiam iustificationis dari gratis, nec propter merita præcedentium operum.

85. *An fides, alia-*

Cæterùm admonendus hoc loco est lector, quod Patres Concilij Tridentini dixerunt, neq; fidem, neque alia opera

mereri

que præparantia ad iustificationẽ, aliquo modo mereantur iustificationem.

mereri iustificationis gratiam, id esse intelligendum de merito propriè dicto, quod nunc inter Theologos vocatur meritum de condigno. Nam si loquamur de merito amplè sumpto, & vt nunc appellatur meritum de congruo, non videtur esse negandum, per fidem & alia opera præparatoria, promereri aliquo modo iustificationis gratiam. Hoc etenim frequenter reperire licet apud Patres, dicere solitos, peccatorem, per lacrymas, & gemitus, & opera pœnitentiæ, vel per humilem orationem, & confessionem peccatorum suorum, vel per eleemosynas, cæteraque opera misericordiæ promereri veniam & remissionem suorum peccatorum. Quinetiam B. Augustinus, qui omnium maximè, ab omni merito præcedenti iustificationem abhorruisse videtur, apertissimis verbis adstruit meritum fidei ad obtinendam remissionem peccatorum, & gratiam benè operandi. Celebris est apud Theologos super hac re B. Augustini sententia in epistola centesima quinta. Cùm enim dixisset, percipiendæ iustificationis gratiæ merita nulla præire, ne ob id quidquam de fidei dignitate putaretur detrahi, subdit hæc: Sed neque ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat. Neque enim nullum est meritum fidei, qua fide ille Publicanus dicebat: *DEVS propitius esto mihi peccatori.* & descendit ille iustificatus merito fidei humiliatus; quia *qui se exaltat, humiliabitur.* Restat igitur, vt ipsam fidem, vnde omnis iustitia sumit initium, non humano tribuamus arbitrio, neque vllis præcedentibus meritis, quoniam ab ea incipiunt omnia quæcumque sunt merita: sed gratuitum DEI donum esse fateamur, sicut manifestè docet Paulus, dicens: *Gratia saluati estis per fidem, & hoc non ex vobis, ne quis glorietur, DEI enim donum est.* Et post hæc subdit Augustinus: Quærimus meritum ante gratiam, nec inuenimus: quia nullum est, ne gratia tollatur, si non gratis datur, sed meritis redditur. Si enim dixerimus, fidẽ præcessisse, in qua esset meritum gratiæ; quid meriti habebat homo ante fidem, vt acciperet fidem? *Quid enim habes* (inquit Paulus) *quod non accepisti? Si autem accepisti,*

S. Augustinus.

Lucæ 18.

Ad Ephes. 2.

1. ad Cor. 4.

quid gloriaris quasi non acceperis? Sic eo loco Augustinus. Eiusdem est, & ad idem pertinens, altera illa sententia in epistola centesima sexta, his verbis exposita: Si quis dixerit, quod gratiam benè operandi fides mereatur, negare non possumus, immo verò gratissimè confitemur. Hanc enim fidem volumus habeant, qua impetrent charitatem, quæ sola verè benè operatur, &c. Non me præterit, quemadmodum Dominicus Sotus in libro tertio suo de natura, & gratia cap. 4. supradictas Augustini sententias à vero & proprio earum intellectu, minimè aptis & conuenientibus interpretationib. detorqueat aliorsum: Sed verborum Augustini sententia per se manifesta est, & interpretationem Soti satis alienam esse atq; improbabilem considerate legenti non est obscurum. Verùm quia longioris esset dissertationis, nostroque instituto alienæ, ista, vt oportet, hîc tractare, sciens hoc loco, volensque prætereo.

DECIMAOCTAVA DISPVTATIO.

An Fides, per quam iustificari hominem dixit hoc loco B. Paulus, sit fides informis, expersq; caritatis; an verò sit fides viua, & per charitatem formata.

86. SI verbum, *iustificari*, significaret hoc loco fieri hominem iustum per iustitiā in ipso diuinitus productam atque inhærentem; proculdubio fides ita iustificans hominem, non posset esse informis & dissociata charitati; sed esset fides formata & viua, charitatique sociata; de qua nempe dixit Paulus: *In CHRISTO IESV neque circumcisio aliquid valet, neque præputium; sed fides, quæ per charitatem operatur,* [a] Verùm huiusmodi interpretatio aliena

[a] Gal. 5.

liena videtur proposito B. Pauli, nec sententiæ verborum eius satis conueniens. Paulus etenim cùm ait, per fidem iustificari hominem, non aliud significat, quàm, per fidem peruenire ad iustitiam, & ipsam apprehendere, vt ex verbis eius, quæ sunt in capite nono huius epistolæ, non obscurè potest intelligi. Ait enim, Gentes, quæ non sectabantur iustitiam legis Mosaicæ, per fidem apprehendisse iustitiam DEI. Iudæos autem sectando iustitiam legis, quia non eam quæsierunt ex fide, & per fidem, non ad eam peruenisse. Cùm igitur iustitia, qua homo fit, & est iustus, nihil aliud sit, quàm ipsa charitas, vel gratia, quæ vnà cum charitate infunditur in ipsa iustificatione hominis; si cùm Paulus ait, per fidem iustificari hominem, loqueretur de fide iam formata per charitatem, verba eius hanc vtique redderent sententiam, per fidem charitate formatam, perueniri ad ipsam charitatem, vel apprehendi charitatem: quæ sententia, & interpretatio verborum Pauli, perspicuè absurda est.

Illud igitur Pauli dictum, per fidem iustificari hominem, non denotat, fidem esse causam iustificationis, vel efficientem vel formalẽ, vel propriè meritoriam: sed significat, fidem nondum caritate formatam, talem tamen, vt per eam, ceu sufficientem præparationem diuinitus in animo factam impetretur SPIRITVS iustificans per caritatis infusionem. Hoc indicauit B. Ioannes dicens: *Potestatem dedit filios DEI fieri his qui credunt in nomine eius.* Et Paulus ad Gal. 5. *Nos*, inquit, *spiritu ex fide spẽ iustitiæ expectamus.* Hoc aũt est; Per fidem expectamus speratam iustitiã consequi. Ergo iustificari hoc loco, non illam significat iustitiæ infusionem in animũ, quæ temporis puncto & momento fit; sed significat præcedentẽ præparationẽ, & vt ita loquar, tendentiã ad iustitiam. Quemadmodum apud Aristot. nomẽ generationis non semper significat productionem formæ substantialis in natura; sed nonnunquam id nominis etiam tribuitur proximè antecedenti alterationi, quæ materiam afficit, & præparat eatenus, quoad idonea sit, vt ex ea forma substantialis educatur.

Ioan. 1

87. Ad hunc porrò modum intellexisse hanc B. Pauli sententiam, B. Augustinum multis in locis ipse declarat. In libro etenim de Prædestinatione sanctorum capite septimo: Fide, inquit, ideo Paulus dicit iustificari hominem, quia fides prima datur, qua impetrentur cætera. Et in epistola centesima & quadragesima quarta sic habet: Lex adducit ad fidem: fides impetrat Spiritum largiorẽ. Diffundit Spiritus charitatem: implet charitas legem: Et in epistola 105. & 106. disertis verbis docet per fidem iustificari hominem, quia fides impetrat, & quodammodo meretur iustitiam. Sed memorabilis est ad hoc pertinens illa eius sententia in epistola 105. Iustificatur, inquit, homo non solùm remissione peccatorũ, sed prius inspiratione fidei, & timoris Dei, impartito salubriter orationis affectu, & effectu. Dominus etiam noster, & Apostoli eius ab iis, quibus prædicabant gratiam Euangelicam; id ante omnia requirebant, tanquam medium quoddam & necessariam præparationem ad consequendam iustitiam. Huc nimirum spectat illud: *Pœnitemini & credite Euangelio.* Et, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*: Et Paulus dixit custodi carceris: *Si credideris in Dominum Iesum, saluus eris.*

S. Augustinus. *Act. 2.* *Marc. Vlt.* *Act. 16.*

Hanc præterea sentẽtiam confirmare licet auctoritate Patrum Concil. Tridentini, qui cap. 8. Decreti de iustificatione declarant, semper Ecclesiam intellexisse, ideo Paulum dixisse, hominem iustificari per fidem, quia fides est humanæ salutis initium, & fundamentum, & radix omnis iustificationis; sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum Dei consortium peruenire. Quæ Patrum sententia ex verbis Augustini in sermone trigesimo septimo de tempore videtur sumpta. Sunt autem hæc ibi verba Augustini: Ad veram beatitudinem peruenire volentibus, prima omnium fides necessaria est, sicut Apostolica docet auctoritas dicens: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Constat verò, neminem peruenire posse ad beatitudinẽ, nisi Deo placeat; & Deo neminẽ posse placere, nisi per fidem. Fides namq; est bono-

Concil. Tridentinum. *Ad Hebr. 11.* *S. Augustinus.*

bonorum omnium fundamentum. Fides est humanæ salutis initium: nec sine ea potest quisquam ad filiorum DEI consortium peruenire: quia sine fide nec in hoc seculo quisquã iustificationis assequitur gratiam; nec in futuro vitam possidebit æternam.

11. Rectè autem fides appellatur initium, & fundamentum, & radix iustificationis. Est quippe initium, cum ab ea incipiat motus omnis ad iustificationem, quod Paulus indicat scribens ad Hebræos. *Accedentem ad DEVM credere oportere quia est, & quod inquirentibus se, remunerator sit.* Dicitur etiam fundamentum, quod scilicet Paulus dixit: se tanquam sapientem architectum supposuisse, super quod ædificanda sunt cetera: & ad Colossenses scribens. *Si tamen,* inquit, *permanetis in fide, fundati, & stabiles.* Est demum radix: nimirum ex ea pullulant cetera DEI dona, nisi quis mala suæ voluntatis libertate, & prauitate eius virtuti obsistat. Cùm enim fides immensam DEI bonitatem demonstrat, in DEI amorem incendit hominem. Cùm ostendit DEVM esse placabilem, & præstabilem super malitia nostra, ad spem veniæ impetrandæ peccatores erigit, & adducit. Cùm declarat grauitatem, & turpitudinem peccatorum, & quæ illis parata sunt magnitudinem & æternitatem suppliciorum, ad timorem DEI, & pœnitentiam homines trahit. Cùm aperit obligationem hominis ad seruanda DEI præcepta, atque obseruantiæ eorum incomparabilem fructum, ad obedientiam legis DEI vehementer incitat. Paulus fidem esse fundamentum intellexit, cum eam definiuit substantiam rerum sperandarum, id est, subsistentiam, & vt græce est, hypostasim, id verò est, fundamentum. Sed obiiciet fortasse quispiam, B. Paulum in cap. 3. epist. ad Ephes. charitatem facere fundamentum & radicem, cum ait, *Habitare CHRISTVM per fidem in cordibus vestris, in caritate radicati & fundati.* Respondeo, fidem quidem esse simpliciter & absolute totius esse, & ædificij spiritualis fundamentum & radicem; charitatem esse fundamentum, non absolutè, sed secundum esse perfectum, & DEO acceptum,

Ad Hebr. 11.

1. Cor. 3.

Ad Colos. 1.

Ioel. 2.

Ad Heb. 11.

& meritorium vitæ æternæ. Charitas enim est, quæ format, & viuificat, & perficit cæteras omnes virtutes, prorsus adeò, vt sine ea vel non sint virtutes, vt sentit B. Thomas, vel certè in ordine ad DEVM & vitam æternam, sint imperfectæ, informes, & quasi mortuæ.

89. *Encomia fidei ducentis ad iustitiam. Emisenus.*

Ad hanc etiam fidei significationem, & vsurpationem pertinent magnifica fidei encomia, quæ in Patrum scriptis leguntur; cuiusmodi est illud Eusebij, vt fertur, Emiseni in 2. homilia de symbolo: Fides, inquit, religionis catholicæ, lumen est animæ, ostium vitæ, fundamentum salutis æternæ, qui, hac derelicta, procedit ad alia, similiter facit, ac si sine fundamento ædificet domum; aut si, prætermisso ostio velit intrare per tectum; vel si nocte, sine lumine inferens gressum, totum se, oculis clausis, vrgeat in profundum. Hanc nobis fidem, veluti lampadem magnam, CHRISTVS aduenienes, errantibus viam monstraturus exhibuit: per quam possit DEVS ignotus quæri, quæsitus credi, creditus inueniri. Sic ille.

S. Chrysostomus.

Chrysostomus item in sermone de fide, spe, & charitate: Fides, inquit, est origo iustitiæ, sanctitatis caput, deuotionis principium, religionis fundamentum: Nullus vnquam sine hac Dominum promeruit: nullus sine illa fastigium sublimitatis ascendit: hæc excludit dubia, tenet certa, promissa consignat.

90. Ceterùm si quis ex me quæreret, si fides non est per quam homo propriè, &, vt vocant, formaliter fit iustus, quænam igitur alia sit virtus, per quam homo verè fit, & est iustus? equidem responderem, virtutem, qua homo fit, & est iustus, secundum Augustinum, non esse aliam nisi charitatem: hæc nempe, secundum Salomonem, & B. Petrum, vniuersa delicta operit, ac delet: hæc secundum Ioannem, transfert hominem de tenebris ad lucem, & de morte ad vitam, & per hanc homo manet in DEO, & DEVS in homine. Hæc, secundum Paulum, est legis plenitudo, & præcepti finis, & sine qua cetera omnia bona, licet cumulatissima sint in homine, nihil ei prosunt: & secundum eundem Apostolum, per hanc homo

S. Augustinus. Prouerb. 10. 1. Pet. 4. 1. Ioan. 2. 3. et 4. Ad Roman. 13. 1. Tim. 1.

mo

mo sit notus, & probatus DEO. *Qui enim diligit DEVM (ait ipse) hic cognitus est ab eo.* Cognitione scilicet approbationis, & dilectionis: & secundum Theophylactum, notitia domestica cuiusdam familiaritatis & amicitiæ, sicut DEVS dixit Mosi: *Noui te de nomine:* Vel secundum Theodoretum, cognitione singularis cuiusdam gubernationis, protectionis, & directionis. Quod autem, secundum Augustinum, charitas sit vera iustitia, qua homo iustus est, ex iis, quæ scripta ab eo sunt in libro de natura & gratia cap. 63. & cap. vltimo, manifestum est. Sic enim ait: Charitas vera iustitia est, qua vna iusti sunt quicumque iusti sunt. Inchoata charitas, inchoata iustitia est: prouecta charitas, prouecta iustitia est: magna charitas, magna iustitia est.

Locus 1. ad Corinth. 8.

Theophylactus

Exod. 33.

Theodoretus.

S. Augustinus.

DECIMANONA DISPVTATIO.

In Hæreticos huius temporis malè interpretantes, ac definientes eam fidem, per quam dixit Apostolus iustificari hominem.

HVIVS nostri temporis hæretici fidem, quæ secundum Apostolum, iustificat hominem, his verbis definiunt, firmam, certamque fiduciam diuinis promissionibus subnixam, qua homo discussa ex animo omni dubitatione, ac trepidatione, certò persuasum habet remissa sibi esse peccata sua propter CHRISTVM, & se factum esse amicum, & filium DEI, & hæredem vitæ æternæ. Vsque adeò autem id persuasum esse oportere volunt ei qui iustificandus est, vt si vel parum dubitet, aut trepidet, ne fortè non sit iustificatus, cum dicant non ad DEVM, sed ad Diabolum pertinere. Ac licet hæreticorum huius

91.

ius temporis variæ admodum ſint ſectæ, & diuerſarum ſectarum diuerſa ſint & diſcrepantia dogmata; hoc tamen dogma de huiuſmodi fiducia, per quam iuſtificatur homo, commune eſt eorum omnium, omnibuſq; placitum atque probatum.

92. *Tria dicta hæreticorum circa fidem iuſtificantem diſcutiuntur.*

Tribus itaq; rebus, quod ad rem præſentem attinet, hæretici diſcordant à Catholicis; Primùm illi confundunt fidem cum fiducia; nam fidem, per quam dixit Apoſtolus iuſtificari hominem, aiunt eſſe fiduciam; iſti verò diſtinguunt fiduciam à fide; & licet non negent, fidei oportere adiunctam eſſe fiduciam, ſicut etiam pœnitentiam, quò perueniri queat ad iuſtificationem; negant tamen, hominem propriè iuſtificari per fiduciam. Deinde illi dicunt, fidem, quæ iuſtificat, eſſe, qua creditur remiſſa ſibi eſſe peccata: id verò negant Catholici, docentes, in diuina Scriptura aliter definiri fidem, quæ iuſtificat. Poſtremò, illi cenſent, vt quis iuſtificetur, certò ei perſuaſum eſſe debere, remiſſa ſibi eſſe peccata: Catholici autem contrà, demonſtrant, id nec eſſe ad iuſtificationem neceſſarium & eſſe prorſus impoſſibile. Nam licet quiſque certus eſſe debeat de promiſſionibus diuinis generaliter acceptis, verbi gratia, quod omni homini verè pœnitenti, & ritè conuerſo ad DEVM remittantur peccata; de applicatione tamen illarum generalium promiſſionum ad hunc vel illum hominem, vt quod mihi, vel illi homini ſint omnino remiſſa peccata, & non temere dubitari, & piè timeri poteſt. Nuſquam enim diuina Scriptura abſolutè promittit huic, vel illi remiſſionem peccatorum, ſed adiuncta ſemper ea conditione, ſi dignam egerit pœnitentiam, vel ſeriò, & ex animo conuerſus ſit ad DEVM. Nemo autem abſque ſpeciali reuelatione DEI, certò, & vt ita dicam, infallibiliter cognitum habere poteſt, ſe talem habuiſſe pœnitentiam, & conuerſionem animi ad DEVM, quali opus eſt ad conſequendam peccatorum remiſsionem. Quocirca, cum fide iuſtificante, & cum fiducia generalium DEI promiſsionum, benè poteſt cohærere religioſus quidam metus, & dubitatio, non quidem ex incre-

incredulitate, & diffidentia nascens DEI promittentis, sed ex conscientia humanæ imbecillitatis & ignorantiæ: vnde fieri potuit, vt non fuerimus, ita vt oportet, ad DEVM conuersi, & ad iustitiam eius accipiendam idoneè præparati. Salutare nimirum est illud sapientis documentum: *De propitiato peccato noli esse sine metu.*

Eccles. 5.

93.

Verùm age, tria ista hæreticorum dicta, & dogmata, quibus diximus eos dissidere à Catholicis, sigillatim discutiamus. Principio, fidem, quæ iustificat, aiunt esse fiduciam: Sed B. Paulo aliud esse fidem, & aliud fiduciam, pensitanti quasdam eius sententias perspicuum est. Is enim in 3. cap. epist. ad Ephes. ita scribit: *In CHRISTO habemus fiduciam, & accessum in confidentiam per fidem eius.* Hîc videre licet, apertè B. Paulum distinguere fidem à fiducia, & confidentia: quam distinctionem expresius etiam declarant verba græca: nam pro fiducia est illic græcè παῤῥησία; pro confidentia est πεποίθησις; pro fide autem πίστις. Si Paulus vult nos habere fiduciam per fidem, ergo fiducia diuersa est à fide, & ex fide nascitur. Deinde, prioris epistolæ ad Timotheum cap. 3. sic ait: *Qui bene ministrauerint, bonum gradum sibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ est in CHRISTO IESV.* Hic locus Pauli non solùm ostendit fiduciam esse diuersum quid à fide, atque eius velut quandam esse sobolem, sed etiam gigni fiduciam ex benefactis, & propter bona opera, hominem animo concipere fiduciam: quo fit, vt fiducia non iustificet hominem, sed ea potius, bona opera hominis iam iustificati consequatur. Beatus item Ioannes ad eandem sententiam ita scribit: *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad DEVM.* Et cap. 4. eiusdem epistolæ: *In hoc perfecta est charitas DEI nobiscum, vt fiduciam habeamus in die iudicij.* Ecce tibi, secundum Ioannem, fiducia oritur ex bona conscientia, & ex charitate. Nec sanè Paulus, & Ioannes absolutè docuerunt, fiduciam prodesse homini, sed ea ratione, si bona opera fecerit, si charitatem DEI habuerit, si cor non reprehenderit eum, bonam scilicet habentem conscientiam. Audiat lector

Aliud fides, & aliud fiducia.

1. Ioan. 3.

S. Basil.

S.Basilij sententiam, isti hæreticorum fidei prorsus contrariam. In regulis breuioribus ponit huiusmodi interrogationem; quæ inter alias numeratur ducentesima nonagesima sexta: Qua ratione quispiam possit persuadere sibi quod à peccatis sit liberatus & mundus? cui Basilius ita respondet: Si quis ita se affectum animo esse senserit, vt affectus erat Dauid, cùm dixit: *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum.* Si quis seruauerit illud Apostoli præceptũ: *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, auaritiam, &c.* Si quis possit verè dicere id, quod dicebat Dauid: *Non adhæsit mihi cor prauum; declinantem ad me malignum non cognoscebam.* Si quis tali zelo flagret aduersus præuaricatores, diuinæ legis, quali ardebat Dauid, dicens: *Vidi prauaricantes & tabescebam. Defectio tenuit me pro derelinquentibus legem tuam.* Si quis habeat talia viscera misericordiæ & compassionis erga alios, qualia B. Paulus habuit, qui de se dixit: *Quis infirmatur: & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* Quandocumq; igitur quis vel in suis, vel in alienis peccatis, eo quo diximus modo, affectum esse animum suum senserit, tunc sine dubio credat se liberum esse à peccato. Hactenus fuerunt Basilij verba. Ex quibus palam fit, quàm longè absit eius sententia ab opinione hæreticorum affirmantium, eo ipso quemq; liberum esse à peccatis quòd certò credat peccata sibi esse remissa.

Preclara Basilij sententia.

Psal. 118.

Ad Coloss. 3.

Psal. 100.

Psalm. 118.

Ibidem.

1. Ad Cor. 11.

94. Alterum dictum & placitum hæreticorum, est, fidem, per quam homo iustificatur, esse fiduciam, qua certo creditur remissa sibi esse peccata. Hoc esse falsum, ac diuinæ Scripturæ contrarium, facilè probatur. Illa est fides iustificans hominem, quam Apostoli prædicabant, & ab iis exigebant, qui per CHRISTVM iustificari, & saluari cupiebant. Illam porrò fidem fuisse longè diuersam ab istiusmodi fiducia hæreticorum, ex eo quod narratur in Actis Apostolorum capite 8. & 16. perspicuè intelligitur: Eunucho enim petenti Baptismum, dixit Philippus. *Si credis ex toto corde, licet te baptizari.* Cui respondit Eunuchus: *Credo filium DEI esse IESVM*

Fidem quæ iustificat hominem, non esse fiduciam remissionis peccatorum sibi factæ.

CHRI-

CHRISTVM. Et hanc fidem habens baptizatus, & iustificatus est. Custodi etiam carceris sciscitanti ex Paulo & Sila: *Domini, quid me oportet facere vt saluus fiam?* Responderunt illi: *Crede in Dominum IESVM, & saluus eris.* Non autem dixerunt, crede sine dubitatione vlla tibi esse remissa peccata, & saluus eris. Paulus item ait: *Si confitearis in ore tuo Dominum IESVM, & in corde tuo credideris quòd DEVS illum suscitauit à mortuis, saluus eris.* Idem alio loco ait, fidemq́ Abrahæ fuisse reputatam ei ad iustitiam. At quænam fuit illa salus Abrahæ? An quod sibi essent remissa peccata? minimè, sed quia (vt Scriptura docet) credidit DEO promittenti numerosissimam posteritatem, & possessionem terræ Chanaam, & in primis, quod in semine eius (id est, in CHRISTO) benedicendæ forent omnes gentes. Et subdit eo loco Paulus, hoc non solum esse scriptum propter Abraham, sed etiam propter nos, quibus fides reputabitur ad iustitiam, credentibus in eum, qui suscitauit IESVM à mortuis Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Fides quoque B. Petri, quam Dominus adeò beatificauit, vt eam firmissimum Ecclesiæ fundamentum constituerit, non fuit, quod ipsi essent remissa peccata, sed quod CHRISTVS esset filius DEI viui. Quid plura? Paulus in cap. II. epist. ad Hebræos satis longam de fide pertexens disputationem, nihil prorsus dicit, quod istam hæreticorum fidem siue fiduciam oleat aut resipiat. Primò definit fidem, substantiam rerum sperandarum, & argumentum non apparentium. Tum subdit, quod accedentem ad DEVM oportet credere quia est, & inquirentibus se remunerator sit. Deinde, multa commemorat egregia facinora illustrium virorum à fide profecta. De ista verò fiducia remissionis suorum peccatorum, qua sola iactant hæretici iustificari hominem, nullum verbum facit, nullamque istius fidei significationem. Nec sanè in reliqua scriptura, nec apud sanctos Patres reperire est mentionem aliquam istius fidei. Quam tamen, si quidem per eam solam remitterentur homini peccata, maximè consentane-

Act. 16.

Ad Rom. 10.

Ad Rom. 4.

Gen. 15.

Matth. 16.

um erat apertè tradi in ſacris litteris, & ab Apoſtolis prædicari, & à Patribus doceri, commendari, & animis hominum, vt ita loquar intimari.

95. Reſtat vt confutemus tertiam illam hæreticorum ſententiam, neminem iuſtificari poſſe, niſi certò is habeat perſuaſum, remiſſa ſibi eſſe peccata ſua. Ad quam refellendam, valent tres B. Iob ſententiæ: vna eſt: *Si venerit ad me, non videbo eum: Si abierit, non intelligam.* Loquitur autem de aduentu DEI per gratiam ad hominem. Altera ſententia eſt: *Etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea, & tædebit me vitæ meæ.* Tertia ſententia eſt: *Verebar omnia opera mea, ſciens quod non parceres delinquenti.* Quis non videt, has B. Iob ſententias omnino pugnare cum iſtiuſmodi certitudine & fiducia hæreticorum? Quare eas B. Gregorius explanans: Quia, inquit, nos ipſi omnino neſcimus, aut ſi ſubtili nos diſcuſsione requirimus; plerumque inter vitia virtuteſque caligamus; idcirco rectè dictum eſt à B. Iob: *Etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea.* Deinde iſtos manifeſtè redarguit Dauid, dicens: *Delicta quis intelligit? Et, Ab occultis munda me Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo.* Illud autem, *Quis*, ſicut exponit Hilarius, ſuper Pſalmum 88. alicubi ſignificat, *nullus*, alibi verò rarus. Cùm igitur quod libet delictum mortale impediat iuſtificationem, nemini autem certum eſſe queat, ab omni ſe delicto purum eſſe: neceſſariò efficitur, neminem quoque certum eſſe poſſe, ſe iuſtificatum eſſe. Patrem ſuum ſecutus Salomon ait: *Quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?* Quaſi dicat, nemo. Adhæc, in libro Eccleſiaſtici ſcriptum eſt: *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu.* Et item illud: *Beatus homo, qui ſemper eſt pauidus.* Contrà verò hæretici volunt, hominem omnino certum, & ſecurum eſſe debere de remiſsione ſuorum peccatorum: eſſe autem dubium, & trepidum, inſtar magni criminis ducunt. Eodem ſpectat illud Pauli: *Non me ipſum iudico, nihil enim mihi conſcius ſum, ſed non in hoc iuſtificatus ſum: qui autem iudicat me Dominus eſt.* Quibus verbis docet Apoſtolus, neminem poſſe certò iudicare, vtrum

Locus Iob 9. Nemini omnino certum eſſe poſſe remiſſa ſibi eſſe peccata.

S. Gregorius.

Pſal. 18. Ibidem.

B. Hilarius.

Prou. 20.

Eccleſ 5. & 28.

1. Ad Cor. 4.

trum alius sit fidelis, & iustus, an non: quinimò nec ipsummet de se certum posse facere iudicium: nam quamuis nullius sibi conscius sit peccati, non propterea tamen potest certò iudicare, ac persuasum habere, se iustum esse.

96. *Praclara B. Gregorij sententia.*

Ad hoc ipsum confirmandum afferri potest præclara quædam B. Gregorij sententia, quam in libro 6. epistolarum epistola 22. tradit hìs verbis: Ais importunam te mihi fore, quoad vsque ad te scribam, mihi esse reuelatum, quod peccata tua tibi dimissa sunt: Rem profectò & difficilem, & inutilem postulasti. Difficilem quidem, quia ego indignus sum, cui reuelatio fieri debeat: inutilem verò, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cùm iam in die vltimo vitæ tuæ plangere ea minimè valebis. Quæ dies, quousque veniat, semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lauare. Certè B. Paulus, ad tertium cœlum ascenderat, & in Paradisum ductus fuerat, & audierat arcana verba, quæ non licet homini loqui: & tamen adhuc trepidans dicebat: *Castigo corpus meũ, & seruituti subiicio, ne fortè aliis prædicans, ipse reprobus efficiar.* Adhuc timet, qui iam ad cœlum ductus fuerat; & iam timere non vult, qui adhuc in terra conuersatur? Perpende, quod mater negligentiæ solet esse securitas; habere igitur in hac vita non debes securitatem, per quam negligens reddaris. Scriptum est enim: *Beatus vir qui semper est pauidus.* Et alio loco: *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* In pauco igitur huius vitæ tempore necesse est vt mẽtem vestram tremor teneat, quatenus per securitatis gaudium sine fine postmodum exultet. Omnipotens DEVS, sancti SPIRITVS sui gratia mentem vestram repleat: & post fletus, quos quotidie in oratione funditis, ad gaudia vos æterna perducat. Hæc Gregorius. Considera, quæso, lector, quàm sit diuersa, immò contraria B. Gregorij, atque nostratium hæreticorum sententia. Ille ait, vtile esse homini non esse certum, & securum de remissione suorum peccatorum; esse autem ea de re pauidum, & trepidum, ei plurimum conducere. Hi verò contra

2. ad Corint. 12. *1. Corinth. 9.* *Prouerb. 27.* *Psalm. 2.*

tra dictitant, necessarium esse, vt quis iustitiam & salutem sibi comparet, cum de remissione suorum peccatorum certum & securum esse oportere: de eo autem vel tantillum dubitare, censent exitiale crimen.

97. Istam porrò certitudinem & fiduciã remissionis suorum peccatorum haud quaquam subsistere: sed rem esse commentitiam, & planè nihili, ex eo dilucescit, quod omnis certitudo cognitionis, aut est humana, aut diuina; & ad neutram earum referri certitudo ista hæreticorum potest. Humana quippe certitudo triplex est. aut enim per sensum acquiritur, est enim vnusquisque sensus circa suum obiectum (si nihil modò desit eorum, quæ ad incorruptè sentiendum adesse oportet) certus. Aut est per intellectum circa primorum principiorum, quæ per se manifesta sunt, assensum. Aut demùm certitudo cognitionis comparatur per scientiam eorum, quæ ex principiis euidenti, necessariaque ratione concluduntur. Ad vllam harum trium certitudinum, ista certitudo hæreticorum cùm referri non queat, patet, eam non esse certitudinem humanam. Certitudo porrò diuina in hac vita, non aliter in homine, nisi per fidem esse potest: idq; dupliciter, vel per fidẽ Catholicam & vniuersalem, circa ea, quæ omnib. proposita sunt credenda, vel etiã circa ea, quæ ex istis euidenter ac necessariò ducuntur: vel per specialem quampiã fidem, id aũt est per specialem aliquam Dei reuelationẽ alicuius rei factam alicui. Cùm igitur certitudo ista hæreticorum nec sit per fidem Catholicam, alioqui omnibus fidelibus id certum esse oporteret, nõ solùm de se, verùm etiam de aliis: nec per specialem Dei reuelationem ea constet; nõ enim adeò sunt impudentes, & perfrictæ frontis, vt eos dicere non pudeat, cuiq; ipsorum de certitudine remissionis suorũ peccatorum reuelationẽ à Deo esse factam. Ex his liquet nullam esse istiusmodi certitudinem, sed esse purum putum figmentum. Si dicant, certitudinem suam elici ex promissionibus Dei datis credentibus in Christvm, quarum promissionum non minima est de remissione peccatorum: id profectò

fectò responsum inualidum atq; inane ac futile est. Promissa etenim DEI de remissione peccatorum sunt in vniuersum data, & non huic vel illi homini; nec data sunt absoluta, sed adiuncta conditione, si quis, vt oportet, crediderit, si dignā egerit pœnitentiam, & seriò ad DEVM sese conuerterit. Nemo est autem mortalium, cui certum esse queat certitudine fidei, & infallibili, se ita hæc, vt opus est, egisse.

Iam verò eo potissimum consilio, & ob eam maximè causam hæretici certam istiusmodi fiduciam remissionis suorum peccatorum confinxerunt; & in animos hominum inducere studuerunt, vt omnem ex illis diuinæ iustitiæ, peccatorum vindicis atque vltricis, metum atque terrorem decuterent. Aiunt enim, timendum esse DEVM, non vt iudicem, aut vltorem scelerum, sed vt patrem benignum: quin etiam non sunt veriti dicere, fidem; recordatione diuini iudicij, ac vindictæ lacerari. Quasi verò laceretur fides cogitando, DEVM talem esse, qualis reuera est, iustum videlicet iudicem, & seuerissimum vindicem peccatorum. Ipse enim in primo suæ legis præcepto posuit hoc, dicens: *Ego sum Dominus DEVS tuus fortis & Zelotes, vindicans iniquitatem patrum in filios vsque in tertiam & quartam generationem.* Dauid sanè sanctus erat; & de primariis electorum ac prædestinatorum; is tamen vehementer se iudicium DEI timuisse declarauit illis verbis: *Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui.* Et Dominus dixit: *Timete eum, qui potest corpus & animam perdere in gehennam.* Paulus ipse, qui de se dicebat: *Certus sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neq; virtutes, neq; instantia, neq; futura, neque fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate DEI, quæ est in CHRISTO IESV Domino nostro.* Idem tamen alio loco se non sine ingenti timore fuisse, satis indicauit illis verbis: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo ne fortè cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Salomon etiam beatum prædicat virū, qui semper est pauidus.

92.

Psalm. 118.
Matth. 10.
Ad Rom. 8.
Prouerb. 28.
1. ad Cor. 9.

Hæretici

Hæretici iſtiuſmodi virum, etiam infidelem atque impium eſſe affirmant. Iubent ipſi hominem auertere animum à recordatione ſuorum peccatorum, & contemplatione iræ ac vindictæ DEI: Contra Dauid dicebat: *Cogitabo pro peccato meo: Iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper.* Et quoniam ipſe non auertebat faciem ſuam à peccatis ſuis, idcirco frequenter rogitabat DEVM dicens: *Auerte faciem tuam à peccatis meis.* Quæ verba explanans S. Auguſtinus: Benè, inquit, rogas vt DEVS auertat faciem à peccatis tuis, ſi tu inde non auertis faciem tuam. Si verò tu peccatum tuum in dorſo ponis, DEVS ibi faciem ſuam ponit. Tu peccatum tuum ante faciem tuam conuerte, ſi vis vt inde faciem ſuam auertat, & inde DEVS faciem ſuam auertet: & ita ſecurus DEVM rogabis, & ipſe exaudiet te.

Pſal. 37. & 50.

S. Auguſtinus.

99. *Perpulchra Bernardi ſententia.*

Bernardus etiam in ſermone de Magdalena oſculante pedes Domini: Pedes, inquit, iſti ſunt miſericordia & iudicium; quoniam alterum ſine altero oſculari vel temeraria ſecuritas eſt, vel deſperatio fugienda. Quis enim DEI miſericordiam tantùm attendens, non ſtatim tepidioris vitæ quietem exoptet? Cùm enim recogitat vniuerſitatis Dominum, forma ſerui pro ſeruis accepta, per triginta tres annos operatum eſſe ſalutem in medio terræ; eumque capi, ligari, lanceari, crucifigi, & hoc totum pati pro filiis hominum voluiſſe; ſtatim deceptoria ſpe ſibi blanditur & alludit; gaudet in miſericordia, & miſerationibus DEI, iudicium neſcit, ignorat iuſtitiam, & punienda æſtimat non puniri. Fallitur qui ſic oſculatur miſericordiæ pedem, vt pedem iudicij non attendat. Qui totum de miſericordiæ pede præſumit, hoc ſolùm ad ſalutem ſufficere credens, quod credit. Vtrumque igitur iungat pedem animæ pœnitentis affectus. Et nunc miſericordiam amplectens, nunc iudicium deoſculans, contribulati cordis offerat holocauſtum. Vide Mariam iudicij pedem fortiter attendentem, dum nobilis & laſciua mulier, conuiuantium faciem nõ attendit, ſed extenſo corpore prouoluitur pedibus maieſtatis, doloris plena, timoris impatiens,

Pſalm. 73.

Pſalm. 50.

Luca 7.

tiens, compunctionis iaculo vulnerata, sed misericordiæ pedem labiis impressioribus osculatur, in cuius spe, firmiter inhæret vestigiis redemptoris, donec audiat: *Remittuntur tibi peccata tua.* Hæc Bernardus; sanè quàm dissimilia, immò planè contraria isti hæreticorum certæ fiduciæ remissionis suorum peccatorum.

Confirmari hæc ipsa quæ diximus, possunt auctoritate Patrum Concilij Tridentini: quorum in vanissimam istam hæreticorum fiduciam hæc sunt verba: Non est, inquiunt, asserendum, oportere eos, qui verè iustificati sunt, absque vlla omninò dubitatione apud semetipsos statuere, se esse iustificatos: neminemq; à peccatis absolui, ac iustificari, nisi eũ, qui certò credat, se absolutum, ac iustificatum esse, atq; hac sola fide absolutionem & iustificationem perfici: quasi qui hoc non credit, de promissis DEI, & de meritis mortis, & resurrectionis CHRISTI efficacia dubitet: quod multò secus est: nam sicut nemo pius de misericordia DEI, & merito CHRISTI, & Sacramentorum virtute, atque efficacia dubitare debet: ita quisque dum seipsum suamque propriam infirmitatem, & indispositionem respicit, de sua gratia formidare, & timere potest: cùm nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam DEI esse consecutum. Et in anathematismis ponitur decimus quartus anathematismus in fiduciam istam certam remissionis suorum peccatorum, suæque iustificationis.

In cap. 9. Dec. de iustificatione.

100. At enim opponunt nobis hæretici sententiam illam B. Pauli: *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno.* Ecce, inquiunt, apertè docet Paulus his verbis, misericordiam, & gratiam DEI per fiduciam à nobis apprehendi. Verùm hæc Pauli sententia nihil adiuuat istorum causam. Primùm enim non inficiantur Catholici; habere hominem oportere fiduciam impetrandæ veniæ suorum peccatorum à DEO: sed negant istam fiduciam esse, quæ iu-

Obiectio hæreticorum.
Locus epistolæ ad Hebr. cap. 4.

ſtificat hominem, vel eam eſſe de remiſſione peccatorum ſibi facta. Deinde, Paulus præciſè fiduciam illic nominat, non autem talem fiduciam, qualem finxerunt hæretici, ſecuram videlicet ac certam remiſſionis peccatorum. Græcus etiam textus non fauet hæreticis: nam pro latina voce, fiduciam, græcè non eſt πεποίθησις, ſignificans latinè fiduciam, ſed eſt παῤῥησία, ſignificans audaciam, & libertatē quandam præcipuè loquendi, quam à fiducia diſtinctam eſſe conſtat. Sicut etiam in illis verbis Domini: *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Et alibi: *Confide filia, fides tua te ſaluam fecit.* Pro illo verbo; Confide, græcè eſt θάρσει, ſignificans, eſto audax, & vt latinè dicitur propriè, confidens; quod minimè pertinet ad fidem. Apparet igitur, ſententiam Pauli ab hæreticis inſcitè detorqueri ad ſuæ opinionis confirmationem: ſimulque elucet ex hac noſtra diſputatione, fidem, quæ ſecundum Paulum iuſtificat hominem, diuerſum quid eſſe à fiducia, quæ, propriè accepta, non eſt fides, ſed fidem ipſam conſequens. B. Thomas arbitratur, fiduciam eſſe modum quendam ſpei: Eſt, inquit, fiducia roborata ſpes, ex aliqua firma perſuaſione proueniens.

Locus Matthæi 9. & 15.

S. Thom 2. 2. q. 129 art 6.

VIGESIMA DISPVTATIO.

An in verbis illis Pauli, Arbitramur iuſtificari hominem per fidem, *illud (iuſtificari) ſignificet fieri iuſtum intrinſecè, per iuſtitiam à* DEO *productam in homine, atque in ipſo inhærentem, vt ſentiunt Catholici: An verò ſignificet, vt aiunt hæretici,*

fieri

fieri iustum extrinsecè tantùm per externã denominationem à iustitia CHRISTI imputata homini.

INTER alios hæreticorum huius temporis errores, ille non minimus censeri debet, quo putant hominem non iustificari per iustitiam à DEO productam in ipso, & intrinsecè in eius animo inhærentem; sed extrinsecè tantùm per iustitiam CHRISTI, quam DEVS credentibus in CHRISTVM perinde imputat, quasi propria ipsorum esset. Et per hanc imputationem DEVS homini placatus, non imputat ei peccata quæ habet, ad damnationem; sed adoptat sibi eum in filium, & participem gloriæ CHRISTI. Iustificatur itaque homo, secundum istos, per iustitiam CHRISTI, non vt ea est in ipso CHRISTO, sed vt credẽtibus in CHRISTVM imputatur à DEO ad remissionem peccatorum, & acceptationem ad vitam æternam. Atque hæc isti declarant exemplo, & similitudine Iacob, qui indutus, & occultatus alienis vestibus fratris sui Esau, suauissimo odore fragrantibus, quod per se obtinere non potuisset, sub aliena persona obtinuit, primogenituræ benedictionem à patre accipiens. Consimili ratione nos sub pretiosi CHRISTI primogeniti fratris nostri iustitia, & innocentia delitescentes, & bono eius odore fragrantes, atque eius perfectione vitia nostra contegentes, insinuamus nos DEO PATRI, & benedictionem iustitiæ ab eo accipimus.

101. *Opinio hæreticorum.*

Huic porrò sententiæ, pluribus isti diuinæ Scripturæ testimoniis fidem astruunt. Primùm enim iustitiam, qua iustificamur, appellat scriptura iustitiam DEI, & iustitiam CHRISTI; & ipse CHRISTVS dicitur factus iustitia nostra, sicut Paulus ait: *Quia factus est nobis sapientia à DEO, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio.* Quò spectat illud Bernardi: Iustum, inquit, me dixerim, sed illius iustitia de quo scriptum est: *Finis legis, CHRISTVS, ad iustitiam omni credenti.* Et alibi: *Qui factus est nobis iustitia à DEO PATRE.* Quæ ergo mihi iustitia facta est, mea est. Si mea traducta culpa, cur non

102. *Argumẽta hæreticorum.*

1. ad Corint. 1.

S. Bern. epist. 190.

Ad Rom. 10.

1. Cor. 1.

&mea, indulta iustitia? Sic Bernardus. Et alio loco Paulus ait: *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia* DEI *in ipso.* Iustitiam porrò, quæ in nobis est, Paulus abiicit, & abiudicat tanquam nihili. Sic enim ait quodam in loco: *Vt inueniar in illo non habens meam iustitiam, sed illam quæ ex* DEO *est, iustitiam.* Et alicubi: *Ignorantes*, inquit, DEI *iustitiam, & suam volentes constituere, iustitiæ* DEI *non sunt subiecti.* Deinde, verbum, imputandi, quo vtuntur isti, dicentes, imputari nobis iustitiam CHRISTI & non imputari nobis peccata nostra ad damnationem, in hac ipsa significatione, & vsurpatione reperiuntur sæpè in sacra Scriptura. Nam de Abraham scriptum est: *Credidit Abraham* DEO, *& reputatum est ei ad iustitiam.* Ecce, credenti in DEVM imputatur iustitia. Dauid etiam dixit: *Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum.* Quinetiam Paulus ipse in capite quarto epistolæ ad Romanos compluries vsurpauit verbum imputandi, docens, iustificari hominem, & à peccatis liberari, propter imputationem DEI, & alio in loco scribit: DEVS *erat in* CHRISTO *mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum.* Ad hæc iustitia hominis, cùm sit imperfectissima, & vt dixit Isaias, similis panno menstruatæ, non potest facere hominem verè iustum, & coram DEO: ait enim Dauid: *Non intres in iudicium cum seruo tuo, Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Non igitur efficimur iusti per iustitiam, quæ est in nobis, sed per iustitiam CHRISTI nobis imputatam. His accedit, quod hæc doctrina de iustitia CHRISTI nobis imputata, magis commendat, & illustrat, atque extollit gratiam, & gloriam CHRISTI, magisque deprimit humanam superbiam, facitque vt nobis ipsi omnino diffidentes, omne spei, ac fiduciæ nostræ præsidium in CHRISTO positum habeamus. Quapropter hæc sententia, magis pia est, quàm contraria, propensiorique ob id assensu complectenda. Atque hæc fermè sunt, quæ ad confirmationem istius sententiæ afferunt hæretici.

1. ad Corint. 5. — *Ad Philipp. 3.* — *Ad Rom. 10.* — *Genes. 15.* — *Psalm. 31.* — *2. ad Cor. 5.* — *Isaia 64.* — *Psalm. 142.*

Verùm

Verùm quàm sit hæc sententia non solùm falsa, sed impia etiam, atque execranda, vel ex eo vno licet existimare, quod eam plura consequuntur, eorundem hæreticorum pestilentissima dogmata, quæ ab ipsis ex hoc lethali fonte, tanquam exitiales riui deriuantur. Principio, ex ista sententia deriuant hæretici illud suum dogma. In qualibet iustificatione hominis perfectam peccatorum fieri remissionem & quantum ad culpam, & quantum ad omnem pœnam; prorsus adeò, vt nulla sit opus satisfactione hominis ad eluendas peccatorum reliquias, vel debitum aliquod persoluendum. Nam iustitia CHRISTI, quantum per se, & vt est in ipso CHRISTO, est sufficiens, & efficax ad perfectam peccatorum remissionem; tantum volunt eam sufficientem esse, & efficacem in vno quolibet hominum, ipsam apprehendente per fidem. Quam tamen opinionem esse falsam, & contrariam diuinæ Scripturæ, suprà docuimus in Disputatione 14. cùm super operibus satisfactoriis disputaremus. Deinde, hinc quasi facto gradu, procedunt ad ostendendum, omnes, qui iustificantur, æqualiter fieri iustos, æqualemque esse omnium coram DEO iustitiam, & sanctitatem. Volunt enim, iustificari omnes per vnam CHRISTI iustitiam, quæ cuiuis credenti æqualiter imputatur. At enim, inæquales esse iustos inter se secundum iustitiam, & sanctitatem, ostendit similitudo membrorum vnius corporis, & stellarum in cœlo, qua Paulus est vsus ad declarandam inæqualitatem sanctorum, secundum gratiam & gloriam; & similitudo palmitum in vite, qua vsus est Dominus. Sicut enim membra corporis vitam à corde sensumque ac motum à capite, dispari tamen ratione accipiunt: nec omnes stellæ lumen æqualiter mutuantur à sole, nec à vite permanat æqualiter ad omnes palmites virtus fructificandi: Sic etiam non omnes à DEO per CHRISTVM æqualiter iustificantur atque sanctificantur.

103. *Confutatur sententia hæreticorum.*

Ad Rom. 12. *1. Ad Cor. 15.* *Ioan. 15.*

104. Iam verò si æqualis est omnium iustitia, ex eo sequitur, iustos nunquam proficere, neque crescere in iustitia: contra id quod scriptum est: *Qui iustus est, iustificetur adhuc. Et sanctus,* *Apoc. 22.*

Ad Ephes. 4. *sanctificetur adhuc.* Et Paulus scribens ad Ephesios, vult hos crescere in CHRISTO per omnia. Et in ca. 9. posterioris epist. ad Corinth. *Potens est*, inquit, *DEVS omnem gratiam abundare facere in vobis.* Et paulò pòst: *Ipse multiplicabit semen iustum & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ. Vt in omnibus locupletati abundetis*, &c. Hoc ipsum aperte demonstrat parabola illa Domini de talentis, quorum aliis plura, aliis pauciora sunt data: & alij per bonum vsum eorum plus, minusúe ea multiplicarunt, vel etiam nihil auxerunt. Postremò, posita istiusmodi iustitia imputatiua, inde necessariò concluditur, per iustificationem non auferri homini peccata, sed eadem manere in homine post iustificationem, quæ fuerunt ante. Si enim homo non iustificetur intrinsecè per iustitiam in ipso inhærentem, sed extrinsecus tantùm per externam denominationem à CHRISTI iustitia, quæ imputatur ipsi: ergo nihil per iustificationem infunditur in hominis animum, quod in eo manens remoueat ab ipso peccata. Sed enim contrà docet sanctus Dauid dicens Domino: *Dele iniquitatem meam: Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Lauabis me, & super niuem dealbabor. Cor mundum crea in me DEVS, & spiritum rectum innoua in visceribus meis.* Verba hæc, deleri peccata, lauari & mundari à peccatis, & super niuem dealbari: creari cor mundum in homine, & in eo spiritum rectum innouari, aperte significant remotionem peccatorum ab homine: non autem, vt isti dicunt, solam non imputationem eorum ad damnationem, & pœnam. Hoc ipsum confirmant illæ Pauli sententiæ. *Fuistis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino.* Et scribens ad Corinthios, commemoratis ante pluribus peccatis, quæ hominem excludunt ab ingressu in regnum DEI subdit: *Et hæc quidem aliquando fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri IESV CHRISTI & in SPIRITV DEI nostri.* Quid plura? Dominus dixit: *Regnum DEI intra vos est.* Quid autem sit regnum DEI, declarat Paulus illis verbis: *Non est regnum DEI esca, & potus; sed iustitia, & gaudium in SPIRITV sancto.*

Matth. 25.

Locus Psal. 50.

Ad Ephes. 5. Locus 1. ad Corinth 6.

Locus Pauli ad Romanos 14.

Ergo

Ergo iustitia est intra hominem. Idem Paulus ait, charitatem DEI diffusam esse in cordibus nostris: & Ioannes scribit, DEVM manere in homine per charitatem. Tandem Dominus ipse dixit: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & PATER meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Si charitas & vera iustitia diffusa est in cordibus nostris, & per eam DEVS ad nos venit, & in nobis manet: ergo charitas siue iustitia, quæ sanctificat hominem, intrinsecè est in ipso homine.

Ad Rom. 5. *Ioan. 1.* *Ioan. 14.*

105. *Soluuntur argumenta hæreticorum.* *Quo sensu iustitia, qua iustificamur, dicatur iustitia DEI vel Christi.*

Cùm autem iustitia qua iusti efficimur, & sumus, appellatur in Scriptura, præsertim verò apud Paulum, iustitia DEI vel iustitia CHRISTI; non aliud significatur, nisi eam iustitiam non esse à nobis profectam, nec meritis nostris comparatam; sed à DEO gratis esse nobis immerentibus donatam. Est igitur iustitia DEI, non qua ipse iustus est, sed qua induit, & donat hominem, cum eum facit ex iniusto iustum. Ad quam sententiam B. Augustinus explanans versiculum illum Psalmi septuagesimi. *In tua iustitia erue me, & exime me.* Sic enim ipse legit eum locum. Non, inquit, in mea iustitia, sed in tua. Si enim in mea, ero ex illis, de quibus Paulus dixit: *Ignorantes DEI iustitiam, & suam volentes constituere; iustitiæ DEI non sunt subiecti.* Ergo in tua iustitia, & non in mea: Et cum ero iustus; in tua iustitia iustus ero: quia iustitia mihi abs te data iustus ero: & sic erit mea iustitia, vt tua quoque sit, id est, abs te mihi data. In eum enim credo, qui iustificat impium, vt deputetur mihi fides eius ad iustitiam. Erit ergo, sicut dixi, iustitia mea, non tamen tanquam propria mea, non tamen tanquam à me ipso mihi data, sicut putabant qui per literam gloriabantur, & gratiam respuebant. Sic ibi Augustinus: sed apertius in libro de spiritu & litera idipsum tradit his verbis: Sicut fides, qua credimus in CHRISTVM, appellatur fides CHRISTI, non qua CHRISTVS credit, sed qua nos facit credentes in ipsum: Sic & iustitia DEI vocatur, non qua DEVS iustus est, sed qua iustum facit hominem, quem iustificat Et in cap. 11. Ideo, inquit, iustitia DEI dicitur, quod impertiendo

S. Augustinus. *Ad Romanos* *Ad Rom. 4.*

endo eam, DEVS iustos facit: Sicut dicitur salus DEI, quia per eam saluos facit. Et in cap. 32. Caritas, inquit, DEI, secundum Paulum, diffunditur in cordibus nostris: quæ dicta est DEI, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores sui: sicut vocatur Iustitia DEI, qua nos iusti, munere eius, efficimur: & Domini salus, qua nos saluos facit: & fides CHRISTI qua nos fideles facit. Sic Augustinus. Dicitur autem à Paulo CHRISTVS iustitia nostra, non imputatiuè, vt interpretantur hæretici, sed effectiuè; quia eam ipse facit, & producit in nobis: & meritoriè, quòd eam nobis sua morte promeruit; & exemplariter, quia per iustificationem similes ei efficimur; & finaliter, quia finis iustitiæ nostræ CHRISTVS est, vt per eam dignè seruiamus ipsi, & per bona opera gloriæ ipsius efficiamur cohæredes. Similiter dicitur esse DEVS pax nostra, & Moses dixit populo hebræo: *DEVS est vita tua, & longitudo dierum tuorum.* Et Dauid dixit DEO: *Spes mea tu es.* Et, *Tu es patientia mea.* Et Dominus noster dixit: *Ego sum resurrectio, & vita.* Nimirum frequens est & in sacris literis, & in vulgari sermone prædicatio identica pro causali, quò scilicet vehementius exprimatur atq; excitetur affectus. S. verò Bernardus in verbis eius suprà memoratis (vt patet ex antecedentibus & consequentibus) non aliud significare voluit, nisi quod iustitia nostra non sit nobis innata, vel à nobis profecta. Sicut enim (inquit) à primo Adam manauit delictum, quo peccatores facti sunt omnes: ita à secundo Adam, id est, à CHRISTO, gratia diffunditur, qua iusti efficiantur omnes. Cuius simile est illud Augustini in Epist. 89. Quemadmodum, inquit, Adam vitiauit posteritatem suam, ita CHRISTVS iustitia sua saluauit hæreditatem suam: ille traiiciendo carnis immunditiam, hic donando SPIRITVS gratiam. Bernardus certè in sermone 22. in Cantica apertè declarauit, quemadmodum intellexerit ipse CHRISTVM esse nobis factum iustitiam. Factus, inquit, est nobis CHRISTVS sapientia, in prædicatione: iustitia, in peccatorum absolutione: sanctificatio, in conuersatione: redemptio, in passione, & morte. Omnino,

Ad Rom. 5.

Christus dicitur iustitia nostra quatuor modis.

Deut. 3.
Psal 90. & 141.
Psal. 70.
Ioan. 11.

Sentētia Bernardi germanus intellectus.
Ad Rom. 5.

S. Augustinus.

S. Bernardus.
1. Ad Cor. 1.

nino, ſicut Paulus, dixit CHRISTVM eſſe factum nobis iuſtitiam, itidem dixit, CHRISTVM factum eſſe nobis ſapientiam, ergo ſicut CHRISTVS non eſt nobis ſapientia, per quam nos formaliter, vel imputatiuè ſapientes ſumus, non enim ſapimus per ſapientiam quæ eſt in CHRISTO, ſed per ſapientiam, quæ nobis à CHRISTO donata eſt: ita iuſti ſumus per iuſtitiam CHRISTI, non qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua nos iuſtos facit, eam animis noſtris infundendo.

106. Nec verò imputatiuam iſtorum iuſtitiam adiuuat firmatué imputandi verbum, quo ſæpe vſus eſt B. Paulus: non enim aliud ſignificat Apoſtolus dicens, iuſtitiam imputare DEVM credenti in CHRISTVM, quàm gratis ei dare, nulloque eius merito, ſed gratuito dono ſuo largiri. Quod enim imputare, ſignificet dare, & tribuere, liquido intelligitur ex illis verbis Pauli: *Ei qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum.* *Ad Rom. 4.* Vbi verbum illud (imputatur) ſignificat idem quod datur, & tribuitur: eſt enim hic eorum verborum ſenſus: Operanti, & per opus ſuum merenti, non datur merces ex liberalitatis gratia, ſed ex debito iuſtitiæ. Vel imputare DEVM iuſtitiam credenti in CHRISTVM, ſignificat; quamuis ille nullum habeat meritum accipiendi iuſtitiam, DEVS tamen fidem eius quaſi pro merito accipiens, dat illi iuſtitiam. Vel imputare iuſtitiam dignè credenti, eſt, DEVM habere, iudicare, cenſere, illum iuſtum: nam qui iuſtus eſt coram DEO, & DEI iudicio, & ſententia, is profectò verè iuſtus eſt. Sic autem loquitur Scriptura, vt oſtendat, quantum interſit inter reputari iuſtum à DEO, & cenſeri, & reputari iuſtum ab hominibus: ille etenim verè iuſtus eſt, qui à DEO reputatur iuſtus: hic verò ſæpe vſu venit, vt cùm verè iuſtus non ſit, exiſtimatione tamen, & iudicio hominum iuſtus habeatur.

107. *Ad Tertium.* Ad id autem, quod aiunt, iuſtitiam quæ eſt in homine, eſſe imperfectam, & ideo, per eam fieri hominem iuſtum haudquaquam poſſe; ſi per iuſtitiam hominis, intelligant iuſtitiam propriam eius, & proprio ipſius ſtudio, & diligentia

comparatam, vltro aſſentimur ipſis: ſin autem intelligant iuſtitiam, de qua nos hoc loco agimus, gratis à DEO homini datam, & animo eius infuſam; eis diſſentimus, atque contradicimus. Huiuſmodi quippe iuſtitia, poteſt per ſe dici & imperfecta, & perfecta: imperfecta quidem reſpectu & comparatione iuſtitiæ vel DEI, vel CHRISTI hominis, vel etiam beatorum, quæ iam eſt conſummata iuſtitia, omnem prorſus culpam excludens. Perfecta verò dici poteſt ea ratione, quod quantumuis ea ſit parua, vim tamen & efficaciam habet delendi omnia peccata mortalia, & faciendi hominem verè iuſtum, & gratum DEO, & potentem faciendi bona opera, quibus mereri queat vitam æternam.

Iuſtitia qua homo fit iuſtus, & imperfecta, & perfecta dici poteſt.

108. *Ad quartum*

Illa demùm magnificatio gloriæ CHRISTI & depreſſio & abiectio ſuperbiæ hominis, quam iſti iactant, per iuſtitiam imputatiuam, magis quàm per iuſtitiam inhærentem in homine, declarari, & commendari; non placet DEO, nec prodeſt nobis, quia non eſt cum veritate coniuncta. *Numquid DEVS* (inquit Iob) *indiget veſtro mendacio, vt pro eo falſa loquamini*? Equidem puto maiorem dari occaſionem homini inſoleſcendi, ſibique confidendi, ſi perſuaſum habeat, vniuerſam CHRISTI iuſtitiam, quanta in ipſo eſt, imputari ſibi tantùm credenti, & confidenti per iſtiuſmodi iuſtitiæ imputationem, ſe proculdubio filium eſſe DEI, & hęredem vitę æternæ. Contra verò, quàm iſti nugãtur, res habet; nã eo magis DEI bonitas, & ſapientia, & poteſtas elucet, quod rebus à ſe creatis, naturales formas & virtutes indiderit, per quas, & ipſæ reuera tales ſint, & ſimiles alias res poſſint generare. Similiter etiam magis commendatur DEI bonitas, & benignitas, & poteſtas in homines, magiſq; declaratur virtus & efficacitas iuſtitiæ CHRISTI, quod non ſolùm nobis non imputauerit peccata, verùm etiam penitus abſtulerit, & deleuerit: nec ſolùm nos tanquam iuſtos reputet, ſed iuſtitiam ſuam etiam nobis infundat, qua verè iuſti ſimus, & ita verè filij DEI & nominemur, & ſimus.

Iob 13.

DISPVTA-

VIGESIMA PRIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Legem ergo destruimus per fidem? Absit: sed legem statuimus.

Versu vlt.

109.

HOc ipsum perfidiosi, & cæci Iudæi, sæuè, criminoseque ac violentè iactabant in Dominum nostrum, & in beatum Stephanum, & in Apostolum Paulum; appellando eos legis Mosis hostes atq; euersores, vt multifariam & Euangelica, & Apostolica narrat historia. Quam eorum calumniam depellens à se Dominus dixit: *Nolite putare, quoniã veni soluere legem, aut Prophetas; nõ veni soluere, sed adimplere.* Et Paulus hoc loco ait, se, cùm docet hominem iustificari non per legem, sed per fidẽ CHRISTI non destruere legem, sed magis eam statuere. Significat autem verbum (statuere) facere aliquid stare, siue erigendo ipsum, si iaceat; siue, ne cadat, fulciendo, atq; firmando. Verum non caret difficultate, quemadmodum per fidem, & doctrinam Euangelicam lex Mosis statuatur, & confirmetur. Certum enim est, omnia præcepta, quæ erant propria legis Moysis, cuiusmodi sunt, quæ vocantur ceremonialia, fuisse sublata & abolita per aduentum CHRISTI, & promulgationem legis Euangelicæ. Quin etiam Paulus ipse videtur secum dissentire: hic enim scribit per fidem CHRISTI non destrui legem: in Epistola verò ad Hebræos capite 7. docet sacerdotium Aaronicum sublatum esse per sacerdotium CHRISTI secundum ordinem Melchisedech, & legem veterem esse translatam in legem nouam: *Translato enim sacerdotio* (inquit Paulus) *necesse est vt & legis translatio fiat.* Et interpositis quibusdam, subdit: *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius, & inutilitatem: nihil enim*

Matthæi 5.

Locus Pauli ad Hebræos cap. 7. & 8.

ad perfectum adduxit lex. Et in eiusdem Epistolæ cap. 8. cùm memorasset præclarum illud Hieremiæ vaticinium de promissione noui Testamenti, multò melioris & præstantioris, subiungit hæc verba: *Dicendo autem nouum, veterauit prius. Quod autem antiquatur, & senescit, propè interitum est.*

110.

Sex expositiones. Prima expositio Origenis, et Theodoreti.

Ad huiusmodi explicandam, tollendamque difficultatem, varias supradictæ illius sententiæ Pauli expositiones à doctis & claris Auctoribus allatas & traditas reperio. Prima expositio est Origenis & Theodoreti. Lex, inquiunt, Mosis scripsit de CHRISTO, & iussit credere ei Iudæos, vt proditum est in cap. 18. Deuteronomij illis verbis: *Prophetam suscitabo eis, de medio fratrum suorum similem tui: & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi: qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor ero.* Et paulò antè dixerat Moses: *PROPHETAM de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus DEVS tuus: ipsum audies*, &c. Hunc Prophetam non alium fore nisi CHRISTVM, asseueranter dixit B. Petrus, & Dominus dixit Iudæis: *Si crederetis Moysi, & mihi crederetis, de me enim ille scripsit.* Per fidem igitur non destruitur lex, sed confirmatur: quia CHRISTVS quem lex & Prophetæ prænuntiarunt venturum, fides prædicat, iam venisse. Est autem confirmatio legis, & Prophetiæ, cum ab illis prædicta, esse iam monstratur expleta.

Act 3.

Ioan 5.

111.

Secunda expositio Chrysostomi, Augustini & B. Thomæ.

Secunda expositio est Chrysostomi hoc in loco, & Theophylacti, & Occumenij, & in libro de spiritu, & litera cap. 20. ipsius Augustini: Finis legis, cuius gratia data fuerat hominibus, is erat, vt homines iussa eius exequentes, præceptaque seruantes, boni & iusti forent. Verùm hoc ipsa lex per se facere non quiuit, id autem præstat fides: ergo fides statuit legem, quia scopum eius attingit, & ad finem eius perducit hominem. Tria porrò, inquit Chrysostomus, in sua disputatione Paulus adhuc probauit: primum est, posse hominem iustificari, etiam eum, qui non habeat legem Mosis. Alterum est, legem Mosis nemini posse iustitiam præstare. Tertium est, fidem

dem CHRISTI, per quam gratis iustificatur homo sine operibus legis, non esse legi contrariam, immo esse legis adiutricem, atque confirmatricem. Lubet hîc adscribere verba in hanc sententiam B. Augustini. Sunt autem huiusmodi: Sicut lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam non euacuatur, sed statuitur. Neque enim lex impletur, nisi libero arbitrio. Sed per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum; per gratiam sanatio animæ à vitio peccati; per animæ sanitatem libertas arbitrij; per liberum arbitrium iustitiæ dilectio; per iustitiæ dilectionem, legis operatio. Ac per hoc, sicut lex non euacuatur, sed statuitur per fidem, quia fides impetrat gratiam, qua lex impleatur: ita liberum arbitrium non euacuatur per gratiam, sed statuitur, quia gratia sanat voluntatem, qua iustitia liberè diligatur. Sic Augustinus. Huius interpretationis affinis est B. Thomæ, quam hoc loco tradit, expositio. Ait enim, propterea verè dictum esse à Paulo, legem statui per fidem, quia per CHRISTI fidem & gratiam lex impletur, & perficitur tam secundũ præcepta cæremonialia; nam cùm essent figuratiua CHRISTI, veritas, quæ per ea præsignabatur, in fide CHRISTI exhibetur: quàm secundum moralia præcepta, ad quæ, sicut oportet, exhibenda, & explenda, fides auxilium gratiæ impetrat. Quin etiam fides, & doctrina CHRISTI tradit præterea & commendat quædam consilia, per quæ præceptorum moralium obseruatio facilius, & expeditius, & perseuerantius exerceri queat.

S. Augustinus.

S. Thomas.

112\. *Tertia expositio Anselmi, & Hieronymi.*

Tertia expositio est Anselmi: Apostoli, inquit, & in primis Paulus prædicabant circumcisionem cordis in spiritu, & nouum Testamentum longè præstare veteri Testamento docebant: & legem CHRISTI, quæ est lex fidei, & gratiæ, anteponebant legi Mosis secundum litteram, & carnaliter à Iudæis intellectę. Atque hæc ipsa prædicando non destruebant, sed statuebant legem: quia lex hæc ipsa futura olim prædixerat. Moses enim in Deuteronomio prædixit fore vt aliquando DEVS circumcideret cor Iudæorum, & vt corde, & spiritu

Deut. 30.

circumcisi diligerent DEVM toto corde, & vt præcepta eius custodirent. Quod autem DEVS esset daturus nouum aliud testamentum, nouamque legem, non in tabulis lapideis, sed in cordibus scriptam; ideoque multò quàm esset lex Mosis præstantiorem, disertis verbis per Hieremiam DEVS prædixit, atque promisit, dicens: *Ecce dies veniunt, & feriam domui Israël, & domui Iuda fœdus nouum, non secundum pactum quod pepigi patribus vestris. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israël: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam: Et ero eis in DEVM, & ipsi erunt mihi in populum. Omnes cognoscent me à minimo vsque ad maximum: quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.* Hieronymus quoque itidem hæc verba Pauli exponit. Non, inquit, lex destruitur, sed statuitur, cum probatur verum esse quod illa dixit, legem scilicet legi, testamentum testamento, circumcisionem circumcisioni aliquando successuram; spiritualia videlicet carnalibus.

113. *Quarta expositio quæ est Caietani.*

Quarta expositio est Caietani: Fides, inquit, CHRISTI semper ab initio vsque mundi necessaria fuit omni homini ad consequendam remissionem peccatorum, & iustitiam coram DEO. Ex eo, igitur, quod laudatur & magnificatur virtus fidei perducendi hominem ad iustificationem, non destruitur, neque aboletur lex Mosis; aliôqui nunquam potuisset lex Mosis locum habere apud fideles, & iustificatos homines: Sed declaratur, nec in lege, nec in vllis eius operibus vim esse remittendi peccata. Cùm autem Paulus adiungit, per fidem statui legem, non ita est intelligendum, quasi lex Mosis non iam cessauerit, aut quod per legem CHRISTI non antiquata, sed potius confirmata fuerit: id enim falsum esse, etiam ipsemet Paulus docuit in epistola ad Hebræos capite septimo, sed ita est dictum illud Pauli accipiendum, quod commendatio & magnificatio fidei redundat in ipsius legis approbationem, atque confirmationem. Si enim fides non fulciret ac sustentaret legem, sine dubio ea vacillaret, ac labasceret in mentibus hominum, existimantium eam non esse, vt

se, vt

se, vt verè est, DEI donum, sed humanum quoddam inuentum atque institutum; non secus videlicet, quàm Lycurgi, & Solonis leges: cuius rei non dubium est argumentũ, quod de lege Mosis ita existimatur ab Ethnicis, vt videre est apud Diodorum Siculum in libro secundo.

114. *Quinta expositio Catharini*

Quintam eorundem Pauli verborum expositionem habet Catharinus hoc loco, sanè quam prolixè ab eo explicatã: verùm disputationis & sententiæ eius hæc est summa. Lex Mosis per fidem CHRISTI statuitur: nam quæ lex obscurè, & opertè tradebat, ea sunt in Euangelio clarè, explicateq; tradita. Illic DEVS edicta & mandata sua per famulos annuntiabat: hîc per FILIVM suum intima sua consilia & arcana nos edocuit. Illic mandata dabat vni duntaxat populo: hîc vniuerso hominum generi. Illic data est in lapideis tabulis scripta, non præbens auxilium homini, per quod ipsa seruari, & perfici posset: hîc data est lex gratiæ, scripta in cordibus, non solùm docens, & iubens quod agendum est, sed adiuuans etiam, vt id agi & perfici possit. Lex illa vel timore pœnæ, vel terrenorum bonorum amore quadamtenus seruabatur: Lex noua & amore iustitiæ, & desiderio bonorum cœlestium, incitat hominem ad benè agendum, sanctèque viuendum. In lege illa, multa, & imperfecta, & mala permittebantur atque tolerabantur: in hac verò lege nihil est eiusmodi. Est enim lex immaculata, conuertens animas; & est sicut aurum igne examinatum, & probatum, purgatumq; septuplum. Ergo fides, & lex CHRISTI statuit legem Mosis, dum quæ ad perfectionem dilectionis conferunt, introduxit: dum quæ erant seruilis timoris, sustulit: dum quæ libertati spiritus cõueniebant, & conducebant, restituit: dum quæ promissa erant, exhibuit: quæ prædicta erant, compleuit: quæ pluribus erant præsignata figuris, præsente veritate, adimpleuit: quæ inuolutè, ac velatè dicta & tradita fuerant, enudauit, explicauit, in apertum protulit, & in clarissima luce collocauit. Conueniẽs itaque fuit, maximeq; decens, vt famulus cederet Domino, terrarum angulus toti mundo: Impotentia potentiæ, timor amori,

1. Corint. 3. *Ibidem.* *Psalm. 18.* *Psalm. 11.*

amori, seruitus libertati; imperfectum perfecto, temporarium æterno; terrenum cœlesti, figura veritati, vmbra corpori.

115.
Sexta expositio Adami Sasbout.

Expositionis sextæ auctor est Adamus Sasbout; qui commentarios scripsit in expistolas Pauli, succinctos illos quidē, pressosque; sed eruditos, meritoque probatos & laudatos ab omnibus. Is supradicta Pauli verba sic exponit: *Legem ergo destruimus per fidem?* id est, irritam facimus, seu abolemus per doctrinam quam prædicamus, neminem ex operibus legis, sed per fidem CHRISTI iustificari? *Absit*, id est, Non destruimus: neque abolemus legem, sed *statuimus*, id est, stabilimus & firmamus efficientes prædicatione nostra, vt lex stet, & retineat robur suum & auctoritatem, dum proprium legis officium, & munus ostendimus, & à fidei officio separamus; docentes, per legem esse tantùm cognitionem peccati; per fidem autem, peccati remissionem, & iustificationem hominis impetrari. sic ille. Harum sex, quæ breuiter commemoratæ sunt, Expositionum, equidem anteponerem secundam aliis omnibus, præter vltimam, quæ mihi, præter cæteras probatur: non solùm quod sit vera, id enim commune est omnium, sed quod omnium maximè apta & congrua videtur, ei disputationi, quam Paulus tam accuratè hoc loco tractauit, disputans & docens, non per legem, sed per fidem CHRISTI hominem iustificari posse.

IN

IN CAPVT QVARTVM
DISPVTATIONES DECEM.

Non iustificari hominem ex operibus, sed per fidem, quod præcedenti Capite docuit, id nunc exemplo Abrahæ confirmat.

CAPVT IV.

QVID ergo dicemus, inuenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem? *Versu 1.* ★Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud DEVM. 2. ★Quid enim dicit scriptura? Credidit Abraham DEO & reputatum est illi ad iustitiam. 3. ★Ei autem qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. 4. ★Ei autem qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam, secundum propositum gratiæ DEI. 5. ★Sicut & Dauid dicit beatitudinem hominis, cui DEVS accepto fert iustitiam sine operibus. 6. ★Beati quorum remissæ sunt iniqui- 7.

8. tates, & quorum tecta sunt peccata. * Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum. 9. * Beatitudo ergo hæc in circumcisione tantùm manet, an etiam in præputio? Dicimus enim, quia reputata est Abrahæ fides ad iustitiam. 10. * Quomodo ergo reputata est? in circumcisione, an in præputio? Non in circumcisione, sed in præputio. 11. * Et signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei, quæ est in præputio: vt sit pater omnium credentium per præputium, vt reputetur & illis ad iustitiam: 12. * & sit pater circumcisionis, non iis tantùm, qui sunt ex circumcisione, sed & iis, qui sectantur vestigia fidei, quæ est in præputio patris nostri Abrahæ. 13. * Non enim per legem promissio Abrahæ, aut semini eius, vt hæres esset mundi, sed per iustitiam fidei. 14. * Si enim qui ex lege hæredes sunt: exinanita est fides, abolita est promissio. 15. * Lex enim iram operatur. Vbi autem non est lex: nec præuaricatio. 16. * Ideo ex fide, vt secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solùm, sed ei qui ex fide est Abrahæ, qui pater est omnium nostrum. 17. (* Sicut scriptum est. Quia patrem multarum gentium posui te) ante DEVM, cui credidit, qui viui-

Genes. 17. (v. 11)

Genes. 17. (v. 17)

viuificat mortuos; & vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt: * Qui contra ſpem in ſpem credidit: vt fieret pater multarum gentium ſecundum quod dictum eſt ei: * Sic erit ſemen tuum. * Nec infirmatus eſt fide, nec conſiderauit corpus ſuum emortuum, cùm iam ferè centum eſſet annorum, & emortuam vuluam Saræ. * In repromiſſione etiam DEI non hæſitauit diffidentia, ſed confortatus eſt fide, dans gloriam DEO: pleniſſimè ſciens, quia quæcumque promiſit, potens eſt & facere. * Ideo & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. * Non eſt autem ſcriptum tantùm propter ipſum, quia reputatum eſt illi ad iuſtitiam: * ſed & propter nos, quibus reputabitur credentibus in eum, qui ſuſcitauit IESVM CHRISTVM à mortuis; * qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.

18. 19. Geneſ. 17. 20. 21. 22. 23. 24. 25.

PRIMA DISPVTATIO.

Quem ad finem Apostolus afferat hoc loco, & tam accurate tractet exemplum Abrahæ, & an in eo sententia eius pugnet cum B. Iacobi sententia.

I. SENTENTIAM & doctrinam suam de iustificatione hominis dudum traditam, illam dico, iustificari hominem per fidem sine operibus, Paulus hoc quarto capite etiam magis confirmat, & illustrat exemplo Abrahæ principis & parentis gentis Hebrææ: quem Iudæi virum fuisse iustissimum, & acceptissimum, atque carissimum DEO, omninò persuasum & certum habebant. Proponit autem Apostolus iustificationem Abrahæ, quasi typum & exemplar quoddam iustificationis hominũ. Si enim ostensum foret, ne ipsum quidem Abraham, tot tantisque virtutum insignibus decoratum, & admirandum virum, aut propter opera sua, aut propter circumcisionẽ, quam à DEO accepit, sed solùm ob fidem, & gratiam DEI esse iustificatum; nullus profectò Iudæorum sperare poterat, aliter se iustificari posse. Hoc autem esse Pauli consilium, & hoc ei potissimùm esse in hoc quarto capite propositum, pluribus verbis declarat Augustinus in Præfatione super Psalmo trigesimo quarto. Duplicem porrò argumentationem videtur Paulus in priori parte huius capitis contexere. Primùm enim ita Paulus argumentatur: Si Abraham ex operibus iustificatus est, habet quidem gloriam, sed non apud DEVM: at habuisse eum gloriam apud DEVM, palam testatur diuina Scriptura, dicens: *Credidit Abraham DEO, & reputatum est illi ad iustitiam.* Ergo Abraham non fuit iustificatus apud DEVM ex suis operibus. Hinc deinde argumentatur Paulus, iustificatum

Genes. 17.

S. Augustinus.

catum

ficatum fuiſſe Abraham ex fide,tum quia non eſt iuſtificatus ex operibus, vt oſtenſum eſt, tum præcipuè quia id ſupradictis verbis Scriptura nos docuit, aſſignans iuſtitiam fidei Abrahæ.

2. *Iacobi 2.*

Nec verò hæc ſententia Pauli, aientis non eſſe iuſtificatum Abraham ex operibus, ſed ex fide, pugnat cum ſententia B. Iacobi affirmantis, iuſtificatum eſſe Abraham ex operibus, & non ex fide tantùm. Nam ſi Paulus pugnaret cum Iacobo, ſecum etiam ipſe pugnaret: quippe qui ſuprà dixit: *Non auditores legis iuſti ſunt apud* DEVM; *ſed factores legis iuſtificabuntur.* Et alio in loco ait, *Neque præputium, neque circumciſionem valere apud* DEVM, *ſed fidem, quæ per charitatem operatur*, & obſeruationem mandatorum DEI. B. Auguſtinus in libro 83. quæſtionum in tractatu quæſtionis 76. copiosè, accurateque hunc locum Pauli, & alterum illum Iacobi examinans & penſitans, oſtendit nullam eſſe inter iſtos Apoſtolos ſententiarum diſcrepantiam. Iacobus etenim loquitur de operibus ex fide factis, ab homine iam iuſtificato: Paulus verò de operibus, quæ ante fidem, & ſine fide ab homine ante iuſtificationem facta ſunt; quæ nec merita eſſe potuerunt aſſequendi iuſtificationem, nec ſanè fuerunt bona, & grata DEO. Hanc verò diſtinctionem operum, quæ ante ac poſt iuſtificationem fiunt, plurimum valere docet Auguſtinus ad euitandos duos errores, qui circa iuſtificationem hominis contingere poſſunt, & multis contigerunt. Alter eſt error Pelagianorum arbitrantium, hominem merito ſuorum bonorum operum, quæ facit naturali poteſtate rationis & voluntatis, promereri gratiam iuſtificationis. Quem errorem Paulus potiſſimùm ex animis hominum euellere contendit, & in hac epiſtola ad Romanos, & in ea, quæ eſt ad Galatas. Alter eſt error, quem & olim ſecuti ſunt multi, hodieque ſequuntur in noſtra memoria hæretici, reiicientes omnem virtutem, & iuſtitiam bonorum operum, nullamque eis vim tribuentes, vel augendi iuſtitiam hominis, vel promerendi vitam æternam: ſed fidem ſolam ſufficere, totumque id præ-

Ad Rom. 2. *Ad Gal. 5.* *S. Auguſtinus.*

ſtare, quod ſiue ad iuſtificationem, ſiue ad glorificationem hominis, ex parte ipſius neceſſarium eſt. Duplicem itaque hunc errorem excludit ſupradicta diſtinctio operum ab Auguſtino tradita: quam ipſe cupit bene cognitam nobis eſſe, atque in animo, & memoria noſtra perpetuò hærere. Sic enim fermè ſcribit in præfatione ſuper Pſalmo trigeſimo primo: Intendite ergo vos, & attendite verba Pauli, quemadmodum ea intelligi oporteat: alioqui malè intelligendo, proiicietis vos in illam profundiſſimam malorum voraginem, licentiam dico, & impunitatem peccandi: libenter enim multi verba Pauli malè intellexerunt, ne bona opera ſequerentur. Nolite, fratres, eſſe vos de numero talium, quales fuerunt, de quibus ſcriptum eſt: *Noluit intelligere vt bene ageret.* Non dixit: *Non potuit intelligere*, ſed dixit: *Noluit intelligere.* Vos ergo debetis velle intelligere, vt bene agatis. Intellectus porrò verborum Pauli, manifeſtus erit vobis: eſt autem hic: nemo iactet bona opera ante fidem: nemo ſit piger in bonis operibus poſt acceptam fidem. Atque hæc eſt Auguſtini ſententia.

Pſal. 31.

3. Quoniam igitur id negotij fuit Paulo in hac epiſtola, vt demonſtraret, nec Gentes, nec Iudæos per opera ſua vel moralia, vel legalia eſſe iuſtos, nec veram iuſtitiam mereri poſſe; ſed vnicam eſſe viam & rationem comparandi iuſtitiam, fidem CHRISTI, ideo totus ad eius fidei commendationem, & prædicationem incumbit, oſtendens, ſine ea fide, nullum opus eſſe verè bonum & gratum DEO: & quæcumque ſanctorum virorum facta DEO placuerunt, & in Scriptura laudantur, ex fide profecta eſſe. Propterea verò tantoperè inculcat laudes fidei, quod ea ſit tanquam fundamentum & radix omnium bonorum, & quod ab ea maximè abhorrebant Iudæi & Gentes, fiducia ſapientiæ, ac prudentiæ ſuæ bonorumque operum vel moralium, vel legalium iuſtitiam ſibi arrogantes, & gloriam apud DEVM promittentes. Sed quia multi hanc Pauli doctrinam id temporis perperam intelligentes, ac peruerſe interpretantes, in poſteriorem

rem errorem de contemptu bonorum operum homines pertrahebant, dicentes solam fidem sufficere homini ad iustitiam & æternam salutem: idcirco aduersus istos B. Petrus & Iacobus, & Ioannes epistolas suas scripserunt; in quibus charitatem, & bona opera mirificè commendant, & docent, sine his fidem nullius esse virtutis, nec pretij, neq; vtilitatis.

4. Nec sanè Apostolus Paulus fidem, à qua impensè laudat Abraham, putauit esse otiosam, & languidam, sed actuosam, & viuidam, & fertilem bonorum operum. Nempe in epistola quam scripsit ad Hebræos capite 11. ait; fide diuinis iussis obedientem Abraham, deseruisse patriam suam, & in terram longinquam, sibique ignotam esse profectum: atque inibi, ceu aduenam & peregrinum, vnà cum Isaac & Iacob esse commoratum: fide quoque sacrificare voluisse filium suum Isaac, vitam vnigeniti, à quo vno promissio DEI de propagatione suæ posteritatis pendebat, diuinis præceptis postponentem. Beato autem Iacobo, in scribendo epistolam suam, id præcipuè fuit propositum, docere ac probare, fidem expertem bonorum operum, ex ipsa fide atq; charitate, prouenientium, esse prorsus inanem atque infructuosam; & quod fides Abrahæ in sacra Scriptura tantoperè laudata, fuerit operosa fides, & fœcunda bonorum operum. Quocirca cum de Abrahæ sacrificio, & obedientia dixisset, adiecit Iacobus illa verba: *Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius?* Cooperabatur sanè; ob id enim tam promptè atque indubitanter, atq; alacriter filium suum immolare volebat Abraham, quod firma crederet fide, per immensam DEI potentiam, cuius parebat imperio, posse eum reuiuiscere. Et verò, cuicumque bene operanti, fides cooperatur, & docens, quid agendum sit, & incitans ad agendum, & moderans in agendo, & dirigens actionem in eum finem, ad quem referri res oportet, & fulciens atque sustentans agentem, ne deficiat, & ab agendo desistat. Deinde subdit Iacobus: *Ex operibus fides eius consummata est.* Rectè profectò fidem dixit ex operibus consummari: fides enim referenda est ad opera, tanquam ad finem

Genes. 12.

finem & perfectionem ipsius: non secus quàm fundamentum refertur ad ædificium extruendum, & radix ad prouentum fructuum. Deniq; ait Iacobus: *Suppleta est Scriptura, dicens: Credidit Abraham* D E O, *& reputatum est illi ad iustitiam.* Quid est illud: *Suppleta est Scriptura*? Hanc videlicet habet sententiam: Scriptura dicens, Abraham credidisse D E O, & ideo reputatum esse illi ad iustitiam, & deinde narrans egregias virtutes, & præclara facta ipsius Abrahæ, impleta est; id est, ostendit, completam, & confirmatam fuisse Abrahæ fidem, non autem imperfectam atque inanem; complementum enim fidei est, cùm ea per dilectionem operatur.

Gen. 15.

SECVNDA DISPVTATIO.

An exemplum iustificationis Abrahæ, quo beatus Paulus hoc in loco argumentatur iustificari hominem per fidem, non autem ex operibus, ad id probandum, sit accommodatum & validum.

5. TRIA cernere licet in isto exemplo Abrahæ, quæ consilio, & proposito Apostoli & sententię, quam hîc probare vult, planè aliena, & prorsus incongrua videntur. Primùm enim Paulus hoc loco disputat de prima iustificatione hominis, per quam is ex iniusto fit iustus; in hanc quippe verè competunt, quæ Paulus hic docuit, iustificationem fieri gratis, & non ex antegressis operibus hominis. Id ipsum declarant verba illa Pauli, quæ sunt in hoc capite: *Ei qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, fides eius reputatur ad iustitiam.* Agit itaque Paulus in hoc loco de iustificatione impij, quæ est prima iustificatio.

catio. Ad hanc porrò iustificationem nihil facit exemplum iustificationis Abrahæ: quippe qui iam iustus, & sanctus erat, cùm dictum de eo est Genesis 15. *Credidit Abraham* D E O, *& reputatum est illi ad iustitiam*. Non igitur fuit illa, prima iustificatio hominis impij, sed secunda iustificatio hominis iam iusti, & in ea, quam habebat iustitia iam proficientis, & crescentis. Quare exemplum Abrahæ non videtur Apostoli causam adiuuare. Equidem sine cunctatione, ac lubenter concesserim vtrumque; & Paulum agere hîc de prima iustificatione, & iustificationem illam Abrahæ non fuisse primam, sed secundam. Verùm nihilominus affirmo, Paulum exemplo Abrahæ ad id, quod docere, ac probare volebat, perappositè vsum esse. Argumentatur enim Paulus ad hunc modum: Si Abrahæ, licet is esset iam iustus & sanctus, propter fidem tamen, non autem propter opera, iustitia dicitur esse imputata: quanto magis qui peccator est, non per opera sua, sed per fidem ad iustitiam peruenire poterit? Et hæc ratio argumentandi vocatur in scholis à minori ad maius, vel à maiori ad minus, nam vtrouis modo argumentatio hæc tractari potest. Et verò, vtriusque iustificationis, id est, tam primæ, quàm secundæ, quasi radix, & origo est fides: in prima quidem iustificatione fides est initium eius motus, quo peccatoris animus tendit paulatim in D E V M, & quo impetrat ab eo remissionem peccatorum, & iustitiam: Secunda verò iustificatio etiam si merito fiat bonorum operum, prouenit tamen ex fide, docente iustificatum, à bonis operibus torpere non debere, sed, vt qui iustus est, iustificetur magis; & ad id incitante, tum diuinis præceptis atq; documentis, tum sanctorum virorum exemplis; & ne in bene operando deerremus, & deficiamus, dirigente ac fulciente. Paulus itaque citans illam Scripturæ sententiam: *Credidit Abraham* D E O, *& reputatum est illi ad iustitiam*. Illud præcipuè vrget; quod cùm Abraham esset vir iam iustus, & plenus bonorum operum, Scriptura tamen iustitiam eius non bonis eius operibus, sed fidei assignat: vt proinde nemini mirandum accideret, si do-

ceret ipſe, iuſtificationem hominis impij non operibus eius, ſed fidei aſſignari oportere.

Deinde illud quoque in iſto exemplo Abrahæ videtur minimè aptum & congruum propoſito Apoſtoli, quod ipſe diſputat hoc loco, hominem iuſtificari gratis, & non ob merita operum eius. At illa iuſtificatio Abrahæ, non eſt gratis facta, ſed merito bonorum operum eius. Sic enim fit ſecunda iuſtificatio, qualis erat illa Abrahæ. Adiice; quod illud credere Abrahæ, de quo dictum eſt: *Credidit Abraham DEO, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam*, fuit illi planè meritorium: ſiquidem actus ille credendi, cum eſſet gratia, & charitate informatus, erat namque actus fidei per charitatem operantis, ſine dubio meritorius fuit illius iuſtitiæ, quæ tributa ei fuiſſe dicitur. Hanc ego difficultatem ita exoluo. Etiam ipſum iuſtitiæ incrementum eſſe gratuitum, ſi reſpiciamus primam cauſam, & quaſi radicem, vnde prouenit. Licet enim ſit debitum, & ſecundum iuſtitiam redditum, reſpectu operationis hominis, ſedulò nauiterque cooperantis diuinæ gratiæ: ipſa tamen bona opera principalem vim promerendi ampliorem iuſtitiam, habent ex gratia, quam initio gratis accipit homo, & non ob merita ſua. Nec mirum, ſi iuſtitiæ auctus dicatur gratuitus, & aſſignetur gratiæ; cum vel ipſam æternam vitam, quæ millies in Scriptura vocatur merces bonorum operum, Paulus non dubitauerit appellare gratiam, dicens: *Stipendium peccati mors; gratia autem DEI vita æterna.* Proptereà autem vitam æternam eſſe dictam à Paulo gratiam, interpretatur Auguſtinus, quod etſi ea datur propter merita, gratis tamen data eſt iuſtitia, quæ eſt principium bonorum meritorum. Cùm igitur Paulus pugnaret in eos, qui omnem iuſtitiæ rationem, & vim, ſiue prima eſſet iuſtitia, ſiue ſecunda, ſuis operibus atque meritis tribuebant: ideo vtramque demonſtrare voluit eſſe gratuitam, vel immediatè, vel mediatè: Secunda etenim gratia datur gratis mediatè, quia datur ob merita primæ gratiæ, quæ gratis data eſt.

Ad Rom. 6.

S. Auguſtinus.

7\. Illud præterea deuium, & remotum videtur propoſito Apoſto-

Apostoli: is enim disputat hoc loco & probat, neminem iustificari nisi ob fidem in CHRISTVM, at fides, per quam dicitur iustificatus Abraham, non fuit de CHRISTO, tanquam de obiecto, sed de promissa sibi à DEO multiplicatione seminis sui instar stellarum. Sic enim legimus Genesis 15. *Eduxit eum foras, & ait illi: suspice cœlum, & numera stellas, si potes. Sic erit semen tuum. Credidit Abraham DEO, & reputatum est illi ad iustitiam.* Non igitur exemplum fidei, & iustificationis Abrahæ videtur idoneum & validum ad firmandam caussam, quam hîc agit Paulus. Sed hoc dupliciter potest dilui. Primùm enim dicere licet fidem Abrahæ, quam in illo Genesis loco laudat Scriptura, non solùm fuisse de carnali multiplicatione seminis: verùm fuisse eam præcipuè de vno illo semine ipsius Abrahæ, in quo benedicendæ erant omnes gentes: id autem semen erat CHRISTVS, vt interpretatur Paulus in epistola ad Galatas; atque itidem sentiebant veteres Hebræi, vnicum illud semen Abrahæ, per quod benedicendæ erant omnes gentes, non aliud fore, quàm MESSIAM, intelligentes atque interpretantes, Abraham porrò explicatam atq; expressam habuisse fidem CHRISTI Domini nostri, dubitare nos minimè sinunt verba illa Domini nostri: *Abraham exultauit vt videret diem meum: vidit, & gauisus est.* Si quispiam fortasse putet, nondum Abraham habuisse fidem expressam CHRISTI, cùm de eo dictum est: *Credidit Abraham DEO, & reputatum est illi ad iustitiam.* Sciat, multò antè habuisse eum promissionem illius seminis, per quod erant benedicendæ omnes gentes. Nam in capite duodecimo libri Genesis, vbi primùm narratur, DEVM promisisse Abrahæ multiplicationem sui seminis, quam deinde promissionem in capite decimo quinto confirmauit: adiicitur illud: *Benedicentur in te omnes familiæ terræ.* Quid est, *in te,* nisi, vt expresse dicitur in capite vigesimo secundo, *in semine tuo.* Id autem est, in CHRISTO. Quare videtur fides Abrahæ de multiplicatione sui seminis quæ memoratur Genesis 15. complicatam habuisse fidem ipsius CHRISTI: & ipsum Abraham

Ad Gal. 3.

Locus Ioann. 8.

intellexisse tam ampla & magnifica promissa sibi à DEO propter MESSIAM ex ipso nasciturũ, prçcipuè data esse: & idcirco in clarissimis ac nobilissimis eius factis viguisse potissimum CHRISTI fidem: & hac maximè fultam & nixam fuisse, quam ille semper habuit, DEI erga se benignitatis & misericordiæ fiduciam. Illud quoque posset responderi. Cùm iustificatio illa Abrahæ non fuerit prima, sed secunda, quæ est prioris iustitiæ amplificatio; hæc autem per quemlibet actum meritorium fiat; cumque DEO quodlibet dicenti & promittenti credere per fidem charitate informatam, meritum habeat amplioris iustitiæ: hinc manifestum fit, Abraham, credentem DEO numerosam sibi posteritatem promittenti, verè dici, esse iustificatum. Paulus verò loquitur hoc loco de prima iustificatione, & post publicatum mundo Euangelium: antea enim fides CHRISTI expressa, non erat omnibus necessaria ad iustificationem & salutem æternam. Exemplum igitur Abrahæ non omni ex parte aptandum, & accommodandum est sententiæ Pauli, sed ea tantum ratione, quod licet Abraham esset vir iustus & sanctus, Scriptura tamen iustitiam eius non operibus ipsius, sed fidei attribuit. Vnde satis elucet, multò magis in iustificatione hominis impij, iustitiam, quæ datur ei à DEO, non dari propter eius opera, sed propter fidem.

TERTIA DISPVTATIO.

In hæreticos huius temporis aientes per iustificationem hominis peccata ei non auferri, sed tantùm non imputari ad pœnam, & quodammodo operiri & contegi.

SVPER

SVPER ILLIS VERBIS DAVIDIS, quæ Paulus hoc loco citat:

Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum, Psalm. 31.

8\.

SENTENTIA est hæreticorum huius temporis, in iustificatione hominis, peccata ei non auferri, sed quæ ante iustificationem erant, post iustificationem eadem quoq; remanere: hoc boni tamen conferre iustificato homini, quod licet eadem maneant peccata, post iustificationem tamen ea non imputantur ipsi ad damnationem & pœnam, sicut ante iustificationem imputabantur. Iustificatio itaque, secundum iustos, sicut non facit hominem iustum intrinsecè, sed extrinsecè, atque imputatiuè: ita non facit hominem intrinsecè non peccatorem, auferens turpitudinem & maculam peccati, & vitiositatem atque prauitatem animi; sed tantùm imputatiuè, auferens scilicet reatum æternæ damnationis & pœnæ. Videntur suffragari huic sententiæ verba Dauidis in titulo huius disputationis proposita: tum quia dicitur, Beatum esse virum, cui DEVS non imputauit peccatum; & non dixit: Cui DEVS abstulit peccatum: tum etiam quia dicens: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*, non obscurè indicauit, non esse aliud remittere peccata, quàm tegere ea, ne scilicet videantur ad damnationem, & punitionem: quod aũt tegitur, non aufertur, sed operitur, ne videatur.

9\. *Calumnia Pelagianorum in Catholicos.*

Hunc ipsum errorem, vel certè persimilem, Pelagiani olim affingebant Catholicis; quasi dicerent illi, per baptismũ non auferri omninò peccata, sed quasi capillos radi, remanentibus eorum radicibus, vnde iterum renascantur. B. Augustinus contra duas epistolas Pelagianorum, in libro primo capite decimo tertio facit quendam Pelagianum hæc dicere de Catholicis: Dicunt etiam, inquit, Baptisma non dare

S. Augustinus.

omnem indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, sed radere; vt omnium peccatorum radices in mala carne teneantur. Quis hoc aduersus Pelagianos (ait Augustinus) nisi infidelis affirmat? Dicimus enim baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere: nec vt omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, vnde crescant, iterum resecanda. Sic Augustinus. Eodem spectare videtur, quod B. Gregorius libro 9. epistolarum in epistola trigesima nona scribit his verbis: Si qui sunt, qui dicunt, peccata in baptismate superficie tenus dimitti; qd est hac prædicatione infidelius, in qua ipsum fidei Sacramentum festinat soluere? in quo principaliter ad cœlestis munditiæ mysterium anima ligatur, vt absoluta radicitus à peccatis omnibus, soli illi inhæreat, de quo dixit Dauid: *Mihi adhærere Deo bonum est.* Certè maris rubri transitus, figura sancti Baptismatis fuit, in quo hostes à tergo sunt mortui, sed alij contra faciem in eremo sunt incensi. Sic quippe omnes qui sancto Baptismate tinguntur, eorum peccata præterita omnia laxantur, quia eis velut Ægyptij hostes à tergo moriuntur. Qui ergo dicit, peccata in baptismate funditus non dimitti; dicat, in mari rubro Ægyptios non esse veraciter mortuos. Si autem fatetur Ægyptios veraciter mortuos, fateatur necesse est peccata in baptismate funditus mori: quia nimirum plus valet in absolutione nostra veritas, quàm vmbra veritatis. Dominus etiam dixit: *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus.* Si peccata non funditus dimittuntur in baptismate, quomodo is qui lotus est, mundus est totus? totus enim mundus dici non potest, cui de peccato aliquid remansit. Nihil ergo de peccati sui contagione remanet ei, quem totum fatetur mundum esse, ipse qui eum redemit. Hæc sanctus Gregorius.

S. Gregorius. *Psalm. 72.* *Item Ioan. 13.*

10. Sed redeo ad nostros hæreticos, qui putant isto Dauidis testimonio dicentis, in remissione peccatorum tegi peccata, sententiam suam de remansione peccatorum etiam in

iusti-

iustificatis vehementer valideque firmari. Verùm locutionem illam Dauidis, in remissione peccatorum tegi peccata, & figuratam esse, & quẽadmodum intelligenda sit, docet Augustinus super Psalmo trigesimoprimo hæc ipsa Dauidis verba explanans. Sic enim ait: Non dixit Dauid: *Beati*, quorum non sunt inuenta peccata, sed, *quorum tecta sunt peccata*: tecta autem sunt, quoniam abolita sunt. Si texit peccata DEVS, noluit aduertere: si noluit aduertere, noluit animaduertere: si noluit animaduertere, noluit punire. Nec sic intelligatis, quod dixit Propheta, quod tecta sint peccata, quasi ibi sint & viuant. Tecta ergo peccata dixit, vt non viderentur; quid autem erat, DEVM videre peccata, nisi punire peccata? Vnde ipsemet dixit alio loco: *Auerte faciem tuam à peccatis meis.* Hæc Augustinus.

S. Augustinus.

Psalm. 50.

II. Sed vt planius intelligatur, cur figuratè scriptura dicat, peccata, cùm remittuntur, operiri ac tegi, scire conuenit quatuor esse in peccato mortifero diligenter animaduertenda, & distinguenda. Primum est offensa DEI: propter hanc dicitur DEVS remittere homini peccatum, sicut homo homini remittere dicitur offensam & iniuriam sibi ab eo factam. Alterum est inordinatus peccati actus; qui semel factus, non potest non esse factus, is tamen dicitur tegi & operiri, quod DEVS eum non videat ad puniẽdum: qua etiam ratione, & Salomon, & S. Petrus dixerunt, vniuersa delicta operiri, à charitate. Tertium est, reatus æternæ damnationis, & pœnæ: ob peccatum enim mortale admissum, est homo æternis pœnis obnoxius: & quia cũ DEVS aufert homini peccatum, non amplius destinat & addicit eum pœnæ æternæ; idcirco dicitur non imputare ei peccatum. Quartum, est turpitudo & macula, & fœditas animæ, in ipsa inhærens, etiam transacto peccati actu, per quem sublato nitore gratiæ, animus fœdatur, & inquinatur. Et quia hæc fœditas tollitur, cùm homo iustificatur, idcirco dicitur homo lauari, mundari, & abstergi à peccatis. Hinc apparet, ob diuersa, quæ in peccato insunt, dici peccatum vel remitti, vel tegi, vel

Vide Lector S. Thomã in commentario huius loci.

Prouerb. 10.
1. Petri 4.

vel non imputari, vel mundari,& deleri,Peccata itaque tecta esse,non aliud significat, nisi ea non videri à DEO ad vindictam,& pœnam. Sicut enim in scriptura dicitur DEVS cognoscere aliquid, quia ipsum approbat, vt: *Nouit Dominus viam iustorum*. Et, *Vias, quæ à dextris sunt, nouit Dominus*. Contrà verò nescire dicitur DEVS, quod improbat atque repudiat, & abiicit, vt in illis verbis: *Nescio vos*. Et, *Non noui vos*. Similiter etiam videre dicitur DEVS peccata, quæ statuit punire: quocirca Dauid deprecabatur aspectum DEI à peccatis suis, dicens: *Auerte faciem tuam à peccatis meis*. Et alio loco: *Vultus Domini super facientes mala, vt disperdat de terra, memoriam eorum*.

Psalm. 1. Prouerb. 4. Matth. 7. et 25. Psal. 50. & 33.

12. Omninò, idem planè valet, peccata esse tecta, atq; esse sublata,& nulla prorsus relicta. Nam si tecta sunt DEO, ergo non videtur à DEO: si nõ videtur à DEO, nulla igitur sunt. Nã neq; potest esse quicquam in rebus, quod à DEO non videatur: nec possunt videri à DEO peccata quantũ ad culpam, & nõ videri quantum ad pœnam. Si enim mortifera peccata essent in homine, haberet DEVS odio ea peccata, & hominem eiusmodi præditum peccatis abominaretur, testante id scriptura, cùm ait: *Odio sunt DEO impius, & impietas eius*; Et Dauide affirmante: *Odisti omnes operantes iniquitatem*. Cumque DEVS sit iustissimus, non potest peccata, si verè sunt in homine, non odisse,& debitis pœnis destinare. Nimirum, non minus est alienum à DEI iustitia, flagitia, & peccata hominum impunita dimittere; quàm bonorum hominum virtutes, & benefacta,& merita irremunerata relinquere. Ergo, si peccata teguntur, hinc necessariò concluditur, ea nullo modo esse in homine iustificato.

Sap. 14. Psalm. 5.

13. Satis equidem miror improbum animum atque ingenium istorum hominum: vnum enim hũc Dauidis locum mirificè prædicant,& magnificant, & iactitant, tanquam inexpugnabile quodpiam sententiæ suæ propugnaculum; cum eam tamen (vt ostensum est) nec protegat, neque quidquã adiuuet: tot verò alios tamque illustres tamque ad eam sen-

tentiam

tentiam demoliendum, & funditus euertendum validos scripturæ locos vafrè malitioseque dissimulent. Scriptura etenim, vt liquidò ostendat, peccata homini auferri à DEO, vtitur iis ferè verbis omnibus, quibus in communi sermone solent homines demonstrare, aliquid remoueri ab alio, atque ei prorsus auferri: huiusmodi autem sunt, lauare siue mundare, delere, radere, destruere, exhaurire, longe facere, in profundum proiicere, exuere, interficere, siue mori. Audi lector super hac re clarissimas aliquot diuinæ scripturæ sententias. *Laua me ab iniquitate mea*, Et, *à peccato meo munda me*, Et, *Omnes iniquitates meas dele*. *Deleui vt nubem, iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua*. Paulus scribit, CHRISTVM deleuisse chirographum nostræ damnationis; & eum fuisse oblatum in cruce ad exhaurienda peccata hominum. Idem affirmat, nos per baptismum exuisse veterem hominem, & mortuos esse peccatis, & destructum esse corpus peccati. Et scribens ad Corinthios, ait, eos post iustificationem non esse tales, quales fuerant ante; nam commemoratis superioribus vitiis, subdit: *Et hæc quidem aliquando fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis*. Cuius simile est illud eiusdem: *Fuistis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino*. Et Michæas ait: *Reuertetur Dominus, & miserebitur nostri, & deponet iniquitates nostras, & proiiciet in profundum maris omnia peccata nostra*. Quin etiam scriptura vsurpat verbum ipsum tollendi, & auferendi peccata. *Ecce*, inquit Baptista, *Agnus DEI, ecce qui tollit peccata mundi*. Et apud Oseam: *Conuertimini ad Dominum & dicite ei: Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum nostrorum*. Paulus quoque tanquam maximè absurdum infert, hominem post iustificationem, in eisdem manere peccatis: *Si mortui*, inquit, *non resurgunt, ergo adhuc estis in peccatis vestris*? Quid plura? Sententia ista omninò contraria est nouo Testamento, & nouæ legi, quam DEVS daturum se promisit per Hieremiam & Ezechielem cap. 36. his verbis: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris: &*

Psalm. 50. Isaiæ 44. Ad Coloss. 2. & ad Hebræos 9. Ad Rom. 6. 1. ad Cor. 6. Ad Ephes. 5. Michææ 7. Ioan. 1. Oseæ 14. 1. ad Cor. 15. Capite 30.

dabo vobis cor nouum, & SPIRITVM meum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis & operemini. Duas res promisit DEVS his verbis, quas hæretici omninò repudiant, & abiiciunt: ait enim mundatum iri homines ab omnibus peccatis suis, & intrinsecè, atque in visceribus suis mutatum iri in alios viros. Ait etiam facturum se, vt præcepta sua illi custodiant & operentur; quæ negant hæretici posse custodiri.

14\. *Calumnia hæreticorum ex hoc loco Dauidis in Catholicos detorta.*

Illa porrò Dauidis verba: *Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum.* Hæretici detorquent in calumniam Catholicorum aientium, in iustificatione remitti peccatum quantum ad culpam, sed non omninò quantum ad pœnam: ideoque post remissionem peccati, opus esse satisfactione quapiam laboriosa, & vt ita loquar, pœnali, ad omne peccati malum prorsus exhauriendum. Hoc dicunt isti esse contrarium supradictis verbis Dauidis. Si enim, inquiunt, remittere peccatum homini, non est aliud secundum Dauidem, nisi DEVM nō imputare homini peccatū: ergo DEVS in remissione peccati, nullā ab homine pœnam, vel satisfactionē exigit: nam à quo DEVS pœnā exposcit, adhuc ei peccatū imputat, quia imputat illud ei ad pœnam. Deinde, si ad peccatū prorsus abolendum necessaria est satisfactio hominis: ergo falsum esset quod dixit Dauid, DEVM nō imputare homini peccatum: id enim non aliud significat, quàm gratuitò, nec propter vllum eius opus condonare ei peccatum. Verùm istam calumniam à Catholicis depellere, nullius fuerit negocij. Interpretamur enim sententiam Dauidis, & Pauli de non imputando peccatum homini, quantum ad culpam, quæ facit hominem inimicum DEI, & auersum à DEO; & quantum ad reatum æterni supplicij, cui obnoxius est homo propter peccatum: non autem de non imputando peccatum quantum ad pœnam quampiam temporariam. Et hoc quidem intelligi volumus de remissione peccati, quæ fit per Sacramentum pœnitentiæ: nam in baptismo plenissima fit peccati remissio, sine vlla satisfactione; de qua remissione sa-

ne facilè crediderim loqui Ambrosium, cùm in huius loci commentario ait, ad impetrandam peccatorum remissionem, nulla requiri à peccatoribus pœnitentiæ opera, nisi vt credant.

13.
Cauillum hæreticorum diluitur.

Sed cauillantur tamen hæretici, Catholicos dicere, DEVM homini dare dimidiatam tantùm remissionem, & veniam peccatorum, quia dicunt, DEVM remittere peccata quantum ad culpam, sed non quantum ad pœnam, quam ab homine etiam iustificato exigit. Est profectò cauillus iste non solùm inscitus, sed etiam insulsus, & ridiculus. Non facimus nos dimidiatam peccatorum remissionem, sed plenam & perfectam eorum omnium, quæ per se ac simpliciter, & vt ita loquar, secundum substantiam, in peccato insunt: Hæc autem sunt culpa & reatus æternæ pœnæ; & quantum ad culpam dicimus non vnum & alterum peccatum, sed omnia, quotquot fuerint in homine, peccata remitti: & item relaxari omnem pœnam æternam propriè respondentem & debitam culpæ peccati mortalis. Satisfactio autem, quæ ob remissionem peccatorum homini ad tempus obeunda, explendaque est, extra substantiam peccati est, & velut quippiam annexum & adiunctum peccato; de cuius satisfactionis necessitate atque vtilitate pluribus verbis suprà disseruimus. Sanè quàm apposite B. Augustinus distinguens condonationem culpæ, quæ fit in iustificatione, ab exactione alicuius pœnæ, quæ post iustificationem persoluenda est, in libro quinquaginta Homiliarum, in Homilia vigesima prima, hunc in modum scribit: Iustus est DEVS, & odit peccata. Si iustus est, vindicat in peccata: non poteris auferre à Domino DEO iustitiam eius. Implora misericordiam, sed attende iustitiam. Misericordia est, vt ignoscat peccanti: iustitia est, vt puniat peccatum. Quid ergo, quærens misericordiam, peccatum impunitum fore putas? Non, Domine, non erit impunitũ peccatum meũ: noui iustitiã eius, cuius quæro misericordiã. Nõ erit impunitum peccatum meum; sed ideo nolo vt tu me

S. Augustini obseruanda sententia.

punias, quia ego peccatum meum punio. Ideo peto vt tu ignoſcas, quia ego peccatum meum agnoſco. Delictum enim meum contra me eſt ſemper. Hæc Auguſtinus tractans hiſtoriam illam Nathan reprehendentis Dauidem; & Dauidis, propter humilem confeſſionem peccati ſui, atque intimum dolorem confeſtim à DEO veniam impetrantis, ſed obnoxij tamen pœnæ temporali propter ſcelus admiſſum: quod exemplum Dauidis, & ſententiam hæreticorum apertè redarguit; & veritatem doctrinæ Catholicæ euidenter oſtendit, valideque confirmat.

2. Reg. 12.

QVARTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Et ſignum accepit (Abraham) circumciſionis, ſignaculum iuſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio.

Verſu 11.

16. SCIAT lector, pro duabus illis vocibus latinis (*Signum & ſignaculum*) duas item eſſe græcas voces in hoc loco græci codicis: Vna eſt σημεῖον, latinè ſignificans ſignum, quo aliud quippiam indicatur & declaratur: vnde eſt verbum σημαίνω, quod latinus interpres vertere ſolet, ſignifico. Altera vox græca reſpondens latinæ illi (*Signaculum*) σφραγὶς, ſignificans notam impreſſam alicui rei, vt cum impreſſo ſigillo aliquid ſignamus: vel quo ſit ad tempus aliquod ſepoſitum & reconditum, atque in tempore expromendum; vel quò magis eo ſigno teſtatum id, & certum, firmumque faciamus. Hinc natum eſt verbum σφραγίζειν, quod latinus interpres reddere ſolet latinè, ſignare, vel conſignare: quo ſpectant illa, ſignare ſermones,

nes, signare Prophetiam, liber signatus, & signare seruos DEI in frontibus eorum. Potest autem esse aliquid signum, quod non sit signaculum, vt est pictura, & statua: Sed non contrà: symbolum annuli affixum syngraphæ, & signum est & signaculum.

Isa. 29. Apoc. 5. & 7. Dan. 12.

17. Verùm expendamus Pauli verba. *Accepit signum circumcisionis.* Ita dictum est pro eo quod est, accepit circumcisionem, quæ data est, vt esset signum. Paulus enim indubiè spectauit in his verbis id quod scriptum est Genes. 17. *Circumcidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis inter me, & vos.* Circumcisio autem quinque modis fuit signum: Primò enim fuit signum memoratiuum fœderis inter DEVM & Abraham atq; eius posteros: illud verò fœdus tres continebat DEI promissiones datas Abrahæ: vnam de multiplicatione seminis eius instar stellarum, alteram de possessione terræ Chanaan, posteris eius tradenda: Tertiam de MESSIA ex stirpe eius generando, cum ei dictum est. *In te, siue, in semine tuo benedicentur omnes gentes.* Deinde fuit circumcisio signum repræsentatiuum excellentis ac perfectæ fidei Abrahæ, quod vocat Paulus hoc loco signaculum iustitiæ fidei eius. Fuit præterea signum distinctiuum gentis Hebræorum ab aliis gentibus: nam & aliæ gentes Hebræos, nomine circumcisorum appellabant, & Iudæi alias gentes nominabant incircumcisos. Adhæc, fuit signum demonstratiuum, & aliquo modo curatiuum peccati originalis, quod ex Adam per carnalem propagationem in omnes transfunditur. Postremò circumcisio fuit signum præfiguratiuum baptismi Christiani, & circumcisionis spiritualis.

Gen. 12. & 22.

18. Ceterùm quomodo circumcisio fuerit signaculum iustitiæ fidei Abrahæ, id est, fidei, propter quam reputatus est iustus Abraham, exponendum est. Origenes super hoc Pauli loco, attendens vsum sigilli, qui est claudere, seu velare ea, quibus apponitur; propterea existimauit dictam esse à Paulo circumcisionem, signaculum fidei, quòd circumcisio obsignaret, & clauderet, vsq; ad tempus aliquod iustitiam fidei,

Origenes.

quæ ſuo tempore, aduenicnte ſcilicet CHRISTO, retegenda, & reuelanda erat. Theophylactus verò conſiderans munus & vim ſignaculi, quo auctoritas & fides additur, iis rebus, quæ ſignantur; idcirco putauit circumciſionem eſſe dictam ſignaculum fidei, quod DEVS circumciſione vſus ſit tanquam ſigillo, vt iuſtitiam Abrahæ obſignaret, & vt certiſſimam atque veriſſimam, ſibique acceptiſſimam teſtificaretur. Illud, *Iuſtia fidei*, idem ſonat, ac, iuſtitiæ per fidem comparatæ; vel quam fides inſigniter declarauit. Illud, *in præputio*, ſignificat, cum adhuc Abraham eſſet præputiatus, & nondum legem circumciſionis accepiſſet. Et quamuis Abraham ſuæ fidei excellentiam declarauit & cum à DEO euocatus eſt ex Patria, atque ire iuſſus in terram Chanaam: & item cum filium ſuum vnigenitum immolare voluit, vt DEI iuſſis pareret: Quibus in rebus fidei excellentiam Abrahæ, maiorem in modum commendat atque prædicat Paulus in cap. 11. epiſt. ad Heb. Veruntamen hoc loco Paulus præcipuè ſpectauit fidem illam Abrahæ, qua credidit DEO promittenti multiplicationem ſui ſeminis inſtar ſtellarum. Cui fidei præclarum ſanè teſtimonium & præconium Moſes perhibuit Geneſ. 15. dicens: *Credidit Abraham DEO, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam*. Et hoc indicant illa Pauli verba: quæ hîc ſunt paulò infrà: *Qui contra ſpem in ſpem credidit, vt fieret pater multarum gentium: ſecundum quod dictum eſt ei: ſic erit ſemen tuum ſicut ſtellæ cæli, & arena maris*. Verùm quiſpiam fortaſſe dicat, cum DEVS dando legem circumciſionis Abrahæ dixerit (vt narrat Moſes in lib. Geneſ. cap. 17.) eam ſe dare, vt ſignum eſſet fœderis inter ſe atque ipſum Abraham & poſteros eius: quomodo Paulus hoc loco ſcribat, circumciſionem fuiſſe datam Abrahæ, vt foret ſignaculum iuſtitiæ fidei eius? Reſpondeo, iſta eodem recidere, & ad eandem ſententiam pertinere. DEVS enim fœdus illud fecit cum Abraham & poſteris eius, propter excellentem fidem eius, ob quam mirificè iuſtificatus eſt apud DEVM: Abraham quoque fœdus illud DEI, magna fidei deuotione accepit. Eundem ergo intellectum,

Theophylactus.

Gen. 12. 22.

Gen. 17.

ctum, atq; eandem vim habent,& esse signum fœderis DEI, & esse signaculum iustitiæ fidei Abrahæ.

19. *S. Thomas.*

B. Thomas in Commentario huius loci, quod Paulus dixit circumcisionem fuisse signaculum iustitiæ fidei Abrahæ, ita exponit: Signaculum dicitur dupliciter: vno modo significat expressum signum, habens similitudinem rei signatæ, secundum illud Ezechielis 28. *Tu signaculum similitudinis DEI.* Habet autem circumcisio expressam similitudinem cum fide Abrahę: primò quidem quantum ad rem creditam: nam quia credidit DEO promittenti multiplcationem seminis, ideo congruè accepit signum in membro generationis. Deinde quantum ad effectum huius fidei, qui est remotio culpæ, quæ signatur per remotionem superfluæ pelliculæ, quę fit per circumcisionem. Altero modo signaculum dicitur signum aliquid occultans & conuelans, quod tamen in tempore reuelandum est amicis, vt patet de sigillo: secundum quam significationem dicitur Apocalypsis quinto: *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere librum, & aperire signacula eius.* Claudebatur autem sub signaculo circumcisionis secretum incarnationis CHRISTI, qui ex semine Abrahæ secundum carnem generandus erat.

Locus Apocalypsis cap. 5.

20. *An Paulus dicens circumcisionem fuisse signaculum iustitia fidei, denotauerit quemadmodum in circumcisione daretur gratia iustificans hominem.*

Multi porrò putarunt, Paulum, cum dixit, circumcisionem esse signaculum iustitiæ fidei, exposuisse his verbis rationem & vim Sacramentalem circumcisionis. Neque enim circumcisio tribuebat homini iustitiam, non solum tanquam principale efficiens sed neq; tanquam instrumentum; quomodo baptismus verè dicitur causa efficiens gratiæ baptismalis: Sed tantùm erat signum iustitiæ, quę in circumcisione dabatur ob fidem in circumcisione signatam, & à circumcisis opertè testatam. Ad hanc sententiam S. Thomas in tertia parte quæstione septuagesima, articulo quarto ita scribit: In circumcisione, inquit, conferebatur gratia non ex virtute circumcisionis, sed ex virtute fidei passionis CHRISTI, cuius signum erat circumcisio, ita vt homo accipiens circumcisionem, profiteretur se suscipere talem fidem vel adultus

S. Thomas.

dultus pro se, vel alius pro paruulis. Vnde & Apostolus dixit, quod Abraham accepit circumcisionis signum, signaculum iustitiæ fidei: quia scilicet iustitia erat ex fide significata, non ex circumcisione significante. Quoniam autem baptismus operatur instrumentaliter in virtute passionis CHRISTI, non autem sic operabatur circumcisio, ideo baptismus imprimit characterem incorporantem hominem CHRISTO; & copiosiorem gratiam confert, quàm circumcisio; maior enim est effectus rei iam præsentis, quàm futuræ. Hæc B. Thomas. Vera profectò est hęc sententia: sed ad eius confirmationem minimè quadrare videntur supradicta Pauli verba. Cum enim Paulus dixit, circumcisionem fuisse signaculum iustitiæ fidei, noluit significare, istis verbis, circumcisionem fuisse signum præsentis iustitiæ, quæ ritè circumcisis ob fidem tribuebatur: sed illud potius docere voluit, circumcisionem fuisse datam Abrahæ, vt esset signaculum iustitiæ, non quæ data est ei, cum est circumcisus, sed eius iustitiæ, à qua multis annis ante mirificè laudatus fuerat propter excellentiam fidei, qua credidit DEO numerosissimam sibi posteritatem promittenti: de qua scilicet fide scriptum est Genesis 15. *Credidit Abraham DEO, & reputatum est illi ad iustitiam.* Atque hoc, quod dixi, satis manifestum erit, si quis obseruatè consideret contextum verborum, & sententiarum Pauli, & disputationis Pauli in hoc loco processum.

21. *In hæreticos malè sentientes de virtute ac dignitate Sacramentorum nouæ legis.*

Arbitrantur Caluinistæ, quod Paulus dixit de circumcisione, fuisse eam signaculum iustitiæ fidei, id in omnia Sacramenta tam veteris, quàm nouæ legis dici oportere: In eo namque omnem rationem, & vim, & effectum, & vsum, & dignitatem esse cuiusq; Sacramenti, vt sit signaculum iustitiæ fidei: id est, vt obsignet, & certo quasi apposito sigillo confirmet veritatem eius gratiæ, aut doni, quæ vel antea per fidem habita est, vel in externo Sacramenti signo repræsentatur. Nihil itaque verius vel exactius, vel magnificentius de Sacramento posse dici putant, quàm quod est signaculum iustitiæ fidei: quod quidem commune fuit Sacramentorum

tam

tam veteris quàm nouæ legis. Non enim Sacramenta nouæ legis, neque potestate, neque virtute, nec ratione, quæ Sacramenti propria est, veteribus illis Sacramentis diuersa vel prestantiora censeri volunt. Huc profectò spectat, Sacramenti in vniuersum definitio, quam tradidit Caluinus his verbis: Sacramentum, est externum symbolum, quo beneuolentiæ erga nos suæ promissiones conscientiis nostris dominus obsignat ad sustinendam fidei nostræ imbecillitatem: & quo nos etiam vicissim pietatem erga DEVM nostram testamur. Et subdit, Apostolum manifestè hoc in loco docere, Abrahamo circumcisionem fuisse obsignationem eius pacti diuini, cuius fide fuerat ante iustificatus. Hæc isti sanè quàm inscitè, atque impiè, atq; Pauli sententiæ & doctrinæ valdè repugnanter.

22. *Confutatio hæreticorum.*

Principio, Sacramenta dicunt esse sigilla, quibus diuinæ promissiones, nobis confirmantur, sicut diplomata regia appenso sigillo confirmantur. At enim, diuinæ promissiones DEI verbo expressæ, & diuinis literis consignatæ, non possunt certitudinem in animis nostris accipere, à Sacramentis, sicut diplomata regia certitudinem accipiunt à sigillo illis appenso: quippe cum diuinæ promissiones per se certissimam habeant fidem, quin etiam iuuent & firment auctoritatem, & fidem Sacramentorum. Sicut Sacramentum baptismi ex eo fidem capit, quod DEVS dixit: *Quicumque crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit.* Et ex illo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & SPIRITV sancto, non potest introire in regnum DEI.* Deinde, si Sacramentum non est aliud, secundum istos, nisi signaculum iustitiæ antea per fidem apprehensæ, cum per fidem certissimè apprehendatur iustitia, eaq; omnino certum faciat hominem de sua iustitia, & quod sit amicus DEI, & hæres vitæ æternæ, vt ipsi arbitrantur, nihil profectò opus erit, ad istius rei certitudinem, istiusmodi obsignatione Sacramentorum, cum talem obsignationem, & certitudinem fides, quæ, secundum istos, sola iustificat, perfectè in animis hominum faciat. Sicut etiam docuit Caluinus ita defini-

Marci 16.

ens fidem: Fides est certa notitia, & persuasio beneuolentię DEI erga nos, per SPIRITVM sanctum in cordibus nostris obsignata. Si SPIRITVS sanctus per fidem obsignat in cordibus nostris certam notitiam & persuasionem DEI beneuolentiæ erga nos, quid præterea opus erat ad id confirmandum, Sacramentis, si ea non aliam vim habent, nisi obsignãdi & firmandi in cordibus nostris beneuolentiam & promissiones DEI? An obsignatio quæ fit per Sacramenta firmior & certior quàm quæ fit per SPIRITVM sanctum censebitur? Illud plane ineruditum, immo etiam ridiculum est, quod isti dicunt, Sacramenta conferre, per eam, quam diximus, obsignationem, ad fulciendam, & sustentandam fidei nostræ imbecillitatem. Nam qualis obsecro ista fides est, quæ titubat, & vacillat, & alieno eget firmamento? cum secundum istos, fides quæ iustificat hominem, certissimum reddat hominem de sua iustificatione, omnemq; ab eius animo arceat non solùm dubitationem, & vacillationem, sed etiam metum atque trepidationem? Quid quod, magis ipsa fides firmat Sacramenta, quàm ea firment & sustentent fidem diuinarum promissionum? Quod enim Sacramenta Christiana non putentur esse, sicut aliarum gentium cæremoniæ quędam, humana ratione ac prudentia solerter adiuuentæ, atque vtiliter institutę, id facit fides, docens esse à CHRISTO instituta, & habere spiritualem virtutem atque vsum ab ipso CHRISTO demonstratum, & in Euangelica doctrina traditum. Iam verò quis tam lentus sit & patiens, vt istorum ferre impietatem queat; nec virtute, nec effectu, nec dignitate Sacramenta Christiana distinguentium à Iudaicis? Si enim & Sacerdotium CHRISTI longè diuersum fuit, multoq; pręstantius, quàm sacerdotium & sacrificia Iudaica, vt longa disputatione ostendit B. Paulus in epistola ad Hebręos, primum quidem ab officio & fine eius, ca. 5. deinde ab æternitate, cap. 6. tum ab excellentia, & perfectione hostiæ cap. 9. ac demùm à fructu eius effectuq; amplissimo, ca. 10. Cum, inquam, sacerdotium & sacrificium Christianum maximè diuersum

uersum

uersum sit à Iudaico, multoque præstantissimum, quomodo Sacramenta, quæ necessaria quadam consequentia, sacerdotium, & sacrificium consequuntur, non itidem erunt diuersa? Non igitur Sacramenta nouę legis sunt signacula iustitiæ fidei, ita vt interpretantur hæretici, sed etiam sunt quodammodo causę efficientes eius iustitiæ quam per externum & sensibile signum repræsentant.

QVINTA DISPVTATIO.

An in circumcisione Iudaica daretur peccatorum remissio, & gratia hominem verè iustificans.

Exponitur sententia veterum id negantium.

23.

PLERAQVE Patrum antiquitas atq; omnes fermè tam Gręci quàm Latini, vetustiores Augustino, censuerunt, nullam ex illa circumcisione spiritualem animis vtilitatem accidisse; sed in eum finem fuisse datam, vt signaculum esset excellentis fidei, & iustitiæ Abrahæ, quam imitarentur posteri eius, sicut carnalem eius circumcisionem imitabantur: simulque, vt tali signo corporali, & aspectabili, liquidò constaret, qui essent posteri Abrahæ, ad quos diuinæ promissiones datæ ipsi Abrahæ pertinerent: nec non vt talis notæ discerniculo gens Iudaica discerneretur ab aliis gentibus. Quod autem illa circumcisio nihil contulerit ad iustificationem animæ, permulti veterum senserunt, & prodiderunt, quos ego hîc, appositis eorum verbis, percensebo. Sanctus Iustinus Martyr in eo colloquio vel sermone, quem habuit cum Triphone Iudæo, literisq; mandauit, ita scribit: Abraham cum nondum esset circumcisus, propter fidem qua DEO credidit, iustificatus est,

Auctores ul- dixerunt illi- lum fleisio- ne cȝnalem nium. cpme mar.

& benedictionem à DEO accepit: circumcisionem verò non accepit ad iustificationem, sed tantummodo in signum. Quod vel ex eo licet intelligere: cum fœmininum genus carnalem circumcisionem assumere non queat, satis ex eo apparet, eam esse datam in signum, non autem in iustitiam: quicquid enim ad iustitiam, & virtutem pertinet, etiam fœminis DEVS dedit, vt ex æquo seruare possent. Nunc videmus masculini corporis formam differre à fœmineo; verùm non propter hoc fœminæ, & mares censentur iusti, aut iniusti, sed propter pietatem ac iustitiam.

Irenæus. Irenæus aduersus hæreses, in capite trigesimo libri quarti Quod, inquit, circumcisionem, non quasi consummationem iustitiæ, sed in signum eam dedit DEVS, vt cognoscibile foret genus Abrahæ, ex ipsa Scriptuta discimus. DEVS enim Abrahæ dixit: *Circumcidetur omne masculinum vestrum, & erit in signum testamenti inter me, & vos.* Quod etiam dixit de sabbato per Ezechielem: *Sabbata*, inquit, *mea dedi eis, vt sint in signa inter me, & ipsos.* In signa ergo data sunt hæc: nec sanè otiosa, & inania erant signa, sed suum habebant symbolum & argumentum, vt pote à sapiente artifice data. Carnalis enim circumcisio præsignabat spiritualem, de qua Paulus dixit: *Nos circumcisi sumus circumcisione non manu facta.* Et Propheta quidem ait: *Circumcidite duritiam cordis vestri.* Quod autem non per hæc iustificabatur homo, sed in signa data sunt populo, ostendit quod ipse Abraham sine circumcisione placuit DEO, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus DEI appellatus est. Tertullianus in libro quem scripsit aduersus Iudæos, hæc scribit: Sed Abraham, inquiunt, circumcisus est. At enim, is iam ante placuerat DEO, quàm circumcideretur. Accepit quidem circumcisionem, sed quæ esset in signum temporis illius, non in salutis prærogatiuam. Sed & filius, inquiunt, Mosis ab Angelo præfocatus fuisset, si non Sephora mater eius calculo præputium infantis circumcidisset. Vnde liquet circumcisionis maximum esse periculum, si præputium carnis quis non circumciderit. Sed enim, si cir-

Ezechielis 20.

Ad Colossen. 2.

1. Machab. 2.

Tertullianus.

Exodi 4.

cumcisio

cumcisio salutem attulisset, etiam ipse Moses in filio suo non intermisisset, quo minus octauo die circumcideret eum, quando constat Sephoram coactam ab Angelo id fecisse in itinere. Consideremus itaque quod non potuerit vnius infantis coacta circumcisio, omni populo præscribere, & quasi legem huius præcepti condere in salutem. Nam prouidens DEVS, quod hãc circumcisionẽ in signum, non in salutem esset daturus populo Israël, Idcirco filium Mosis, ducis futuri, instigat circumcidi, vt cùm cœpisset per eum populo dari præceptum circumcisionis, non aspernaretur populus, videns exemplum istud in iudicis filio iam celebratum.

Epiphanius disputans in hæresim trigesimam: Prima, inquit, illa circumcisio, non fuit perfecta, sed signi tantùm gratia est data, & ad cõmonitionem ipsorum: & vt figura esset magnæ circumcisionis. Etenim si circumcisio illa data esset sanctificationis gratia, & vt participes faceret cœlestis hæreditatis, ergo priuata est Sara tanto bono sanctificationis, & cœlestis hæreditatis, & item Rebecca, & Lia, & Rachel, & omnes sanctæ mulieres, cùm nõ potuerint circumcisionem Abrahæ habere. Si verò illæ non sunt priuatæ regno cœlorum, quanquam non fuerint participes circumcisionis; non igitur illa conducebat homini ad comparandam salutem, & vitam æternam. *Epiphanius.*

Ambrosius in commentario illorum verborum Pauli: *Signum accepit circumcisionis, signum iustitiæ fidei.* Accepit, inquit, Abraham circumcisionem signum iustitiæ fidei, credẽs enim se filium habiturum, huius rei quam credidit, signũ accepit, vt quod credens iustificatus sit, cerneretur. Non ergo circumcisio aliquid habet dignitatis, sed signum est tantùm. Quod signum ideo accipiebant filij Abrahæ, vt scirentur esse filij eius, qui credens DEO, hoc signum acceperat, vt ipsi quoque essent æmuli paternæ fidei, & crederent in IESVM qui promissus est Abrahæ, & in cuius figuram natus est Isaac. *Ambrosius.*

Chrysostomus in homilia trigesima nona in Genesim su- *Chrysostomus.*

per illis verbis capitis decimiſeptimi: *Circumcidetur in vobis omne maſculinum.* ſic habet: Et vt euidenter diſcatis, quod circumſio nihil ad animæ virtutem conducebat, hinc manifeſtum eſſe poteſt. Iuſſus eſt circumcidi infans octo dierum duas ob cauſas: tum vt in illa ætate immatura, circumciſionis dolorem ferre poſſet; tum etiam vt in ipſa diſceremus, circumciſionem nihil animæ conducere: ſed ſigni tantùm gratia eſſe datam, ſicut docuit Apoſtolus dicens: *Signum accepit circumciſionis ſignaculum iuſtitiæ fidei in præputio.* Ne putetis igitur, imprudẽtes Iudæi, quod circumciſio aliquid cõferret ad iuſtitiam. Abraham enim ante circumciſionem iuſtus erat ob egregiam eius fidem: Et circumciſionem quidem non in acquiſitionem iuſtitiæ, ſed in ſignum iuſtitiæ iam acquiſitæ accepit. Sic ibi: quorum ſimilia tradit in homilia ſexta in epiſtolã ad Romanos ſuper illis verbis capitis ſecundi: *Circumciſio quidem prodeſt ſi legem obſerues.* Quæ quidem verba explanans Theodoretus in eandem ſententiam conceſſit, hunc in modum ſcribens: Oſtendit Paulus his verbis, circumciſionem carnalem inutilem eſſe, ſi non adſit ſpiritualis circumciſio: corporalis enim circumciſio ſolius locum obtinet ſignaculi. Sicubi autem habemus aurum & argentum, & lapides, aut veſtes pretioſas, illic ſolemus ſignacula imponere: ſed quando nihil horum eſt intus repoſitum, tunc ſuperuacuum eſt imponere ſigillum. Et ſuper illis verbis quarti capitis, quæ nunc tractamus, quibus Paulus vocat circumciſionem, ſignum, & ſignaculum iuſtitiæ fidei: Audis, inquit Theodoretus, quod Paulus ait, circumciſionem non eſſe iuſtitiam, ſed teſtimonium iuſtitiæ, & ſignum fidei, quam ante circumciſionem acceperat. Super quo loco Pauli eadem eſt Theophylacti, & Oecumenij ſententia.

Theodoretus.

Theophylactus. Oecumenius.

Damaſcenus.

Iam verò Damaſcenus per totum caput vigeſimum ſextum libri quarti, de circumciſione diſſerens, & quis eius finis, quæue vtilitas exponens, corporalem tantùm facit eius vſum, nec de remiſſione peccatorum, quæ in ea daretur, verbum

bum vllum facit: quem tamen fructum, si circumcisio illa tulisset, non id latuisset Damascenum, virum apprimè doctum, & doctrinæ Græcorum patrum obseruantissimum atque peritissimum. Nec veteres solùm censuerunt, nullum fuisse illius circumcisionis Iudaicæ spiritualem vsum, fructumque; sed id etiam senserunt, & litteris consignatum, memoriæ tradiderunt, duo in ætate nostra nec obscuri, & valde pij scriptores, Adamus Sasbout in commentario huius loci ad Romanos, & Thomas Stapletonius in Antidotis suis Apostolicis contra hæreticos huius temporis in epistolam ad Romanos, tractans hęc ipsa verba Pauli, in quibus hęc versatur disputatio: *Accepit circumcisionis signum, signaculum iustitiæ fidei in præputio.*

Adamus Sasb.
Thomas Stapletonius.

24.
Supradictæ opinionis firmamenta.

Nec verò hæc sententia, auctoritatib. solùm tot tantorũque virorum nixa est, & à bonis rationibus improtecta est, & destituta: sed multis & validis argumentis præfulta, firmataq; est. Principio, quæ conducunt ad remissionem peccatorum, & gratiam iustificationis hominum, ea indifferenter viris & fœminis debent esse communia: non enim in his, quæ ad salutem animæ pertinent, vlla est distinctio, masculini sexus atque fœminini: quocirca videmus Sacramenta, quæ apud nos necessaria sunt ad cõsequendam remissionem peccatorum, vt est Sacramentum Baptismi, ac Pœnitentiæ, ea fœminis æquè atque viris esse communia. Cùm igitur Sacramentum circumcisionis non fuerit datum fœminis, sed tantùm viris, ex eo satis liquet, id nihil ad salutem animæ contulisse. Atque hac quidem ratione ad idem probandum, vsi sunt duo magni Patres, Iustinus Martyr, & Epiphanius, vt verba eorum paulò antè commemorata, indicant. Deinde, cùm DEVS instituit circũcisionem, sicut narratur in lib. Genesis capite decimo septimo, simul etiam aperuit & vsum eius, & finem in quem instituebatur, vt esset videlicet signum fœderis & pacti inter DEVM & Abraham, atque posteros eius: Pactum autem illud continebat duas promissiones DEI datas Abrahæ, alteram de numerosissima semi-

Prima Ratio.
Secunda Ratio.

per illis verbis capitis decimiseptimi: *Circumcidetur in vobis omne masculinum.* sic habet: Et vt euidenter discatis, quod circumsio nihil ad animæ virtutem conducebat, hinc manifestum esse potest. Iussus est circumcidi infans octo dierum duas ob causas: tum vt in illa ætate immatura, circumcisionis dolorem ferre posset; tum etiam vt in ipsa disceremus, circumcisionem nihil animæ conducere: sed signi tantùm gratia esse datam, sicut docuit Apostolus dicens: *Signum accepit circumcisionis signaculum iustitiæ fidei in præputio.* Ne putetis igitur, imprudẽtes Iudæi, quod circumcisio aliquid cõferret ad iustitiam. Abraham enim ante circumcisionem iustus erat ob egregiam eius fidem: Et circumcisionem quidem non in acquisitionem iustitiæ, sed in signum iustitiæ iam acquisitæ accepit. Sic ibi: quorum similia tradit in homilia sexta in epistolã ad Romanos super illis verbis capitis secundi: *Circumcisio quidem prodest si legem obserues.* Quæ quidem verba explanans Theodoretus in eandem sententiam concessit, hunc in modum scribens: Ostendit Paulus his verbis, circumcisionem carnalem inutilem esse, si non adsit spiritualis circumcisio: corporalis enim circumcisio solius locum obtinet signaculi. Sicubi autem habemus aurum & argentum, & lapides, aut vestes pretiosas, illic solemus signacula imponere: sed quando nihil horum est intus repositum, tunc superuacuum est imponere sigillum. Et super illis verbis quarti capitis, quæ nunc tractamus, quibus Paulus vocat circumcisionem, signum, & signaculum iustitiæ fidei: Audis, inquit Theodoretus, quod Paulus ait, circumcisionem non esse iustitiam, sed testimonium iustitiæ, & signum fidei, quam ante circumcisionem acceperat. Super quo loco Pauli eadem est Theophylacti, & Occumenij sententia.

Theodoretus. *Theophylactus.* *Occumenius.*

Iam verò Damascenus per totum caput vigesimum sextum libri quarti, de circumcisione differens, & quis eius finis, quæue vtilitas exponens, corporalem tantùm facit eius vsum, nec de remissione peccatorum, quæ in ea daretur, verbum

Damascenus.

bum vllum facit: quem tamen fructum, si circumcisio illa tulisset, non id latuisset Damascenum, virum apprimè doctum, & doctrinæ Græcorum patrum obseruantissimum atque peritissimum. Nec veteres solùm censuerunt, nullum fuisse illius circumcisionis Iudaicæ spiritualem vsum, fructumque; sed id etiam senserunt, & litteris consignatum, memoriæ tradiderunt, duo in ætate nostra nec obscuri, & valde pij scriptores, Adamus Sasbout in commentario huius loci ad Romanos, & Thomas Stapletonius in Antidotis suis Apostolicis contra hæreticos huius temporis in epistolam ad Romanos, tractans hęc ipsa verba Pauli, in quibus hęc versatur disputatio: *Accepit circumcisionis signum, signaculum iustitiæ fidei in præputio.*

Adamus Sasb. Thomas Stapletonius.

24. Nec verò hæc sententia, auctoritatib. solùm tot tantorũque virorum nixa est, & à bonis rationibus improtecta est, & destituta: sed multis & validis argumentis præfulta, firmataq; est. Principio, quæ conducunt ad remissionem peccatorum, & gratiam iustificationis hominum, ea indifferenter viris & fœminis debent esse communia: non enim in his, quæ ad salutem animæ pertinent, vlla est distinctio, masculini sexus atque fœminini: quocirca videmus Sacramenta, quæ apud nos necessaria sunt ad cõsequendam remissionem peccatorum, vt est Sacramentum Baptismi, ac Pœnitentiæ, ea fœminis æquè atque viris esse communia. Cùm igitur Sacramentum circumcisionis non fuerit datum fœminis, sed tantùm viris, ex eo satis liquet, id nihil ad salutem animæ contulisse. Atque hac quidem ratione ad idem probandum, vsi sunt duo magni Patres, Iustinus Martyr, & Epiphanius, vt verba eorum paulò antè commemorata, indicant. Deinde, cùm DEVS instituit circũcisionem, sicut narratur in lib. Genesis capite decimo septimo, simul etiam aperuit & vsum eius, & finem in quem instituebatur, vt esset videlicet signum fœderis & pacti inter DEVM & Abraham, atque posteros eius: Pactum autem illud continebat duas promissiones DEI datas Abrahæ, alteram de numerosissima semi-

Supradictæ opinionis firmamenta.

Prima Ratio.

Secunda Ratio.

ſeminis eius multiplicatione; alteram de poſſeſſione terræ Chanaan, quam daturus erat poſteris eius. Quod autem circumciſio daretur ad purgationem peccati originalis, nec eo loco, neque vſquam alibi mentio vlla fit in ſcriptura. Si autem circumciſio talem, tantumque fructum ferret, cùm is proculdubio eſſet principalis, maximeq; neceſſarius hominibus, apprimè declarari, & commendari debuit. Præterea, ſi circumciſio tollebat peccatũ originale, qu . modo DEVS, vel etiam Moſes paſſus eſſet, Hebræos per quadraginta annos, quibus peregrinati ſunt in deſerto, nõ vti eo Sacramento: Nam neque expediebat, tot annis, tantam hominum multitudinem manere in peccato originali, quo non ſublato, non poterant eſſe iuſti, nec accepti DEO: & maximum erat periculum, ac notabile detrimentum, tamdiu omitti vſum circumciſionis, cùm interea plurimi mori poſſent, atq; adeo mortui fuerint ſine circumciſione.

...a Ratio.

25. Adhæc, idem argumentari licet ex variis B. Pauli ſententiis id ipſum confirmantibus: qualis eſt illa: *Circumciſio quidem prodeſt, ſi legem obſerues.* Atqui ſi ea infantibus auferebat peccatum originale, multum vtique proderat, etiam ſine legis obſeruatione: & in hoc loco docet, circumciſionem fuiſſe datam Abrahę non propter iuſtitiam, ſed in id tantùm, vt ſignaculum eſſet iuſtitiæ. Et alio loco, circumciſionem illam vocat carnalem, atque ei opponit alteram circumciſionem, quam ſpiritualem appellat. Sic enim ſcribit Coloſſenſibus: *Circumciſi eſtis circumciſione non manu facta, in expoliationem corporis carnis; ſed circumciſione* CHRISTI, *&c.* Cur obſecro circumciſio illa vocatur à Paulo carnalis, ſiue corporalis, ſi per eam peccatum tollebatur, & dabatur gratia? an quia fiebat in carne; ſed ob eam cauſam, etiam Chriſtianus baptiſmus dici poſſet Sacramentum carnale, quia conſtat ablutione carnis. Vocatur itaque carnalis circumciſio, quia præter illud ſignum corporale impreſſum carni ad repræſentandam fidem Abrahæ, & diſcernendum populum illum ab aliis populis, nullum habebat ſpiritualem effectum, atque fructum.

Quarta Ratio.
Ad Rom. 2.
Ad Rom. 4.
Locus Pauli ad Coloſſ. 2.

fructum. Paulus item in epiſtola ad Galatas ſic argumentatur: *Si per legem iuſtitia, ergo* CHRISTVS *gratis mortuus eſt.* Conſimiliter argumentari liceret hoc modo: Si remiſſio peccatorum fieret in circumciſione, & gratia daretur hominibus, ergo gratis mortuus eſt Chriſtus, id eſt, Non fuit hominibus omninò neceſſarius ad ſalutem aduentus eius in hunc mundum. Adiice, quod ſi circumciſio habuiſſet iſtum tam nobilem & optabilem effectum, & fructum, id profectò compertum, & notum fuiſſet Iudæis; ſicut huiuſmodi effectum habere Chriſtianum baptiſmum, notum eſt Chriſtianis. At enim, eius rei apud Iudæos nulla eſt commemoratio, nulla mentio: non id Rabbini prodiderunt: nuſquam id ſignificauit Ioſephus, Iudaicarum rerum ſcrutator curioſiſſimus, ſcriptorque doctiſſimus. Quin etiam Philo, qui breui quodam libello, de multiplici vſu, atque vtilitate circumciſionis diſſeruit, cùm omnes eius vtilitates percenſuiſſet, de iſta quæ erat omnium maxima, verbum nullum fecit.

Ad Gal. cap 2.

Quinta Ratio.

Ioſephus.

Philo.

26.

Sexta Ratio.

Poſtremò, ſi circumciſio valeret ad remiſſionem peccati, & iuſtificationem hominis, ergo hac in re non differebat à noſtro baptiſmo, & verè dici poterat Sacramentum gratiæ, & iuſtitiæ: at verò Sacramenta veteris legis non contuliſſe gratiam, declaratum eſt in Concilio Florentino his verbis: Nouæ legis Sacramenta multum differunt à Sacramentis antiquæ legis. Hæc enim non cauſabant gratiam, ſed ſolùm per paſſionem CHRISTI dandam figurabant: noſtra verò Sacramenta, & continent gratiam, & dignè ſuſcipientibus eam conferunt. Idemque decernitur in Concilio Tridentino in ſeſſione ſeptima, quæ eſt de Sacramentis. Quod etiam quodam in loco ſignificare viſus eſt Auguſtinus, dicens, Sacramenta nouæ legis dare ſalutem; veteris autem legis Sacramenta tantùm promiſiſſe SALVATOREM. Atque hæc ad huius ſententiæ confirmationem, & declarationem dicta ſint. Quam ſententiam clariſſimis tot Patrum auctoritatibus comprobatam, validiſque munitam argumentis, credo

Concilium Florentinum & Tridentinum.

S. Auguſtinus.

equidem secuturos fuisse permultos, nisi veriti essent opponere se non solùm duobus clarissimis latinæ Ecclesiæ viris Augustino, & Gregorio: sed etiam vniuersæ scholasticorum Theologorum cohorti eam sententiam planè repudiantium, & abiicientium; contrariam verò, vt maximè consentaneam doctrinæ Catholicæ, acriter, constanterque defendentium. De qua sententia deinceps nobis dicendum est.

SEXTA DISPVTATIO.

Explicatur altera sententia, eorum, qui arbitrantur, in circumcisione Iudaica datam esse remißionem peccati originalis, & gratiam iustificationis.

27. HVIVS sententiæ princeps auctor fuit Augustinus, qui eam pluribus locis, & docet, & confirmat, vt libro 16. de ciuitate DEI cap. 27. & libro 2. de peccato originali, cap. 30. & lib. 2. de baptismo contra Donatistas, libro 4. cap. 23. & 24. & lib. 2. de Nuptiis & concupiscentia, cap. 11. cuius vnius duntaxat loci verba hìc adscribam: Sunt autē eiusmodi: Ex quo instituta est circumcisio in populo DEI, quod erat tūc signaculum iustitiæ fidei, ad significationem purgationis valebat, & paruulis originalis, veterisq; peccati: sicut & baptismus ex illo valere cœpit ad innouationem hominis, ex quo est institutus. Non quod ante circumcisionem iustitia fidei, nulla erat: nam cùm adhuc Abraham esset in præputio, ex fide iustificatus est: sed superioribus temporibus omni modo latuit Sacramentum iustificationis ex fide; eadem tamen fides mediatoris CHRI-

S. Augustinus.

STI saluos faciebat iustos omnes, tã pusillos, quàm magnos. Hæc ibi Augustinus. Qui dicens circumcisionem valuisse ad significationem purgationis, & renouationis, non sensit, in circumcisione solam fuisse significationem, non autem exhibitionem iustitiæ, id enim & hoc, & aliis locis apertè negat: Sed id voluit tantùm indicare, circumcisionem, eius gratiæ, quæ in ipsa dabatur, non fuisse effectricem, sed tantùm significatricem, quia erat signum iustitiæ fidei, quæ in ea dabatur, vel potius erat signum iustitiæ, quæ propter fidem in circumcisione testatam dabatur circumcisis. Simile huius est, quod idem Augustinus dicit in præfatione in Psalmum septuagesimum quintum, Patres veteris Testamẽti, & circumcisionem carnis habuisse, propter signaculum fidei: & circumcisionem cordis habuisse propter ipsam fidem. Hanc B. Augustini sententiam comprobauit etiam B. Gregorius libro quarto in Iob, super illis verbis, quæ sunt in capite tertio eius libri: *Quare non in vulua mortuus sum?* &c. ita scribens: Quod apud nos valet gratia baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro iis, qui ex Abrahæ stirpe prodierunt, mysterium circumcisionis. Eandem quoque sententiam pluribus verbis disertè explicatam tradit Beda super caput 2. Lucæ.

S. Gregorius.

Beda.

28. Cui etiam plurimum fidei, & auctoritatis accessit, quòd eam omnis fermè Theologorũ schola, magno assensu & approbatione complexa est. Censent autem, in circumcisione datam fuisse gratiam ad omnes effectus gratiæ tam positiuos, quàm priuatiuos: sed aliter quàm detur in baptismo. Etenim in baptismo datur gratia, etiam virtute ipsius baptismi, qua is pollet, vt instrumentum est passionis CHRISTI iam exhibitæ: In circumcisione autem conferebatur gratia non virtute circumcisionis, sed fidei passionis CHRISTI cuius signum erat circumcisio: quicumque enim circumcidebantur, opertè illo corporali signo profitebantur illam

ſe fidem ſuſcipere, & tenere, tam adultus pro ſe, quàm pro paruulo, qui circumcidebatur. Ex hac differentià circumciſionis, & baptiſmi, exiſtit altera illa, quod baptiſmus imprimit charactere͂ ſpiritualem, per que͂ incorporatur CHRISTO, qui baptizatus eſt: Circumciſio verò minimè, ſed ipſa quidam erat velut corporalis character profitentium CHRISTI fidem. Nec dubium eſt, quin per circumciſionem minor gratia olim daretur, quàm datur nunc per baptiſmum.

29. *Reſponſa ad rationes cõtrarias ſupra expoſitas. Ad primum.*

Sed quia præcipua huius ſententiæ difficultas in eo maximè eſt, quòd ea contrariæ ſententiæ rationibus ſupra poſitis vehementer vrgeri, ac valide premi videtur; ad eas (quoad fieri poſſit) vt appoſitè, commodeq́ue reſpondeamus, enitendum nobis eſt. Ad primam: Quoniam peccatum originale non per fœminas, ſed per viros transfundebatur in poſteros, Sacramentum, quod in eius remedium dabatur, voluit DEVS eſſe peculiare virorum: fœminarum autem, tollendo peccato originali, alia ratione conſultum fuerat. Deinde, voluit DEVS ſtatuere monumentum quoddam, & ſignum notabile, & apud poſteros Abrahæ manſurum, eius pacti, quod fecerat DEVS cum Abraham: id autem fuerat de numeroſa multiplicatione prolis eius. Huiuſmodi autem multiplicatio, ſicut etiam generatio prolis, principaliter fit per virum, quippe qui in generatione præſtat vim cauſæ efficientis, ſicut fœmina materiæ. Et verò, apud Hebræos in pleriſq; rebus nulla fœminarum ratio ducebatur ſed tantùm virorum.

30. *Ad ſecundum.*

Ad ſecundam. B. Auguſtinus in iis locis, quæ paulò ſuprà commemorauimus, probat, peccatum originale ſublatum fuiſſe per circumciſionem, indicari à Scriptura illis verbis cap. 10. lib. 7. Geneſ. *Maſculus cuius, præputij caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo: quia pactum meum irritum fecit.* Quid eſt (inquit Auguſtinus) deleri animam infantis de populo ſuo, niſi excludi à conſortio Sanctorum, propter peccatum, in quo manet, niſi per circumciſionem tollatur? Non enim putandum eſt, his verbis minari DEVM corpo-

corporalem mortem: cùm legamus de nonnullis viris sanctis Scripturam dixisse, tunc, cùm mortui sunt corporaliter, eos fuisse appositos, seu aggregatos populo suo: hoc enim in libro Genesis cap. 25. proditum est de Abraham, & de Isaac cap. 35. de Iacob cap. 49. de Mose, & Aaron Deuteronomij 32. Præterea, inquit Augustinus, quomodo infans incircumcisus dicitur irritum fecisse pactum DEI? non enim id potest intelligi de pacto circumcisionis, cuius infans in ea ætate prçuaricator esse non potuit: quare intelligere id oportet de illo pacto & præcepto quod DEVS Adamo dedit in Paradiso, quod Adam violauit, & in ipso violante, violarunt etiam omnes posteri eius, sicut eo peccante, omnes in eo peccauerunt. Quoniam igitur infans reus erat peccati originalis, in cuius remedium dabatur à DEO tunc Sacramentum circumcisionis, idcirco dictũ est, animam infantis incircumcisi perituram propter peccatum originale, quod traxit ex Adamo. Atq; hac ratione Augustinus ex illo loco Genesis argumentatur, in circumcisione datam esse remissionem peccati originalis. Sed enim in hac S. Augustini argumentatione, tria essent diligẽter examinanda: Primò quidem an in illis verbis Scripturæ, quæ citat Augustinus, agatur de circumcisione infantium, vt putat ipse, an potius de circumcisione adultorum, vt similius vero multis visum est. Deinde, an illud, deleri animam de populo suo, significet, vt interpretatur Augustinus, arceri, propter peccatum, à consortio, & societate sanctorum: An potius significet, corporali morte puniri. Postremò, an pactum illud, cuius præuaricator dicitur, qui non est circumcisus, fuerit pactum illud factum cum Adamo, an verò pactum circumcisionis, quod DEVS fecit tunc cum Abrahamo. Verùm quia nos copiosè, super hisce rebus disputauimus in tertio tomo commentariorum nostrorum in Genesim super 17. cap. lib. Genesis, ad numerum marginalem 53. & per totam fermè sextam Disputationem, idcirco de his nunc agere, superuacaneum, & alienum duximus.

Genes. 2. & 3.

31. Ad tertium Respondert potest, per illos quadraginta an-

nos peregrinationis in deserto, non periisse nisi homines improbos, DEoque contumaces, ac rebelles: bonos verò non solùm ab interitu, sed ab omni etiam morbo seruatos esse, testante quodam in Psalmo Dauide: *Et non erat in tribubus eorum infirmus.* Quanquam hoc de omnibus in vniuersum dictum videtur, & solùm in tempore egressionis eorum ex Ægypto. Sed esto, perierint nonnulli etiam de bonis & piis viris: istos seruatos esse dicemus, & purgatos ab originali peccato, eo modo, quo ante præceptum circumcisionis in lege naturæ liberabantur à peccato homines; & sicut infantes Iudæorum, qui ante octauum diem, quo die fieri tantùm circumcisio poterat, moriebantur. Ad quartum, illud Pauli dictum: *Circumcisio prodest, si legem obserues*, dupliciter licet exponere: vel vt Paulus eo loco loquatur tantùm de adultis, non autem de infantibus, vt vult B. Thomas: adultis porrò sine legis obseruatione circumcisio satis non erat, neq; ad seruandam iustitiam quam in circumcisione acceperant, neque ad consequendam vitam æternam. Vel ista Pauli verba, si etiam ad infantes pertineant, sic erunt intelligenda, infantes in circumcisione, in persona suorum maiorum, professos esse obseruationem legis; eo enim, quod quis circumcidebatur, debitor erat obseruandi legem: vt scribit Paulus. Itaque cum ad vsum vsque rationis adoleuissent infantes, si tunc legem non obseruabant, circumcisionis fructum amittebant. Ad id autem, quod dicebatur, Paulum circumcisionem illam vocare carnalem, & paruipendere eam; Respondendum est, Paulum loqui de circumsione corporali, in comparatione spiritualis, & considerata per se, & separata à fide CHRISTI: quo videlicet modo eam accipiebant Iudæi, & de illa gloriabantur, nec fidem, circumcisione significatam, nec spiritualem cordis circumcisionem curantes. Et hac ratione certùm est, circumcisionem nullius fuisse virtutis, & pretij, atq; honoris apud DEVM. Nec illud valet, si per circumcisionem dabatur iustitia, ergo CHRISTVS gratis mortuus est: Valeret quidem, si iustitia data esset virtute circumcisionis, & seclusa

Psal. 104.

Ad quartum.

B. Thomas.

Ad Gal. 5.

clusa fide CHRISTI: Sed quia dabatur per fidem futuræ CHRISTI passionis, idcirco argumentatio illa est prorsus inefficax.

32. Ad quintum, mirum videri non debet, nec Iosephum, nec Philonem, de circumcisionis vtilitatibus disserentes, de remotione peccati originalis, qui erat omnium maximus circumcisionis fructus, nihil prodidisse: scribebant enim illi, quæ legi volebant non solùm à suis gentilibus, & Iudæis, sed præcipuè à Græcis, & à Romanis, quibus & gentis Iudaicæ, & rerum Iudaicarum antiquitatem, & dignitatem, & sapientiam notificare & commendare cupiebant: istiusmodi autem hominibus, intutum atq; indecens putarunt, arcanum hoc, magnumq; mysterium de peccato originali, cui alia plura annexa erant, declarari; ne fortè illi, qui nihil nisi carnaliter sentiebant, & sapiebant, contemnerent atque irriderent, quod non satis intelligebant. Ad sextum, propterea dicuntur in concilio Florentino Sacramenta veteris legis non contulisse gratiam, quòd ea non haberent hanc vim ea ratione, vt erant Sacramenta: alioquin omnia illa Sacramenta gratiam contulissent, cum tamen id de sola dicatur circumcisione: quæ gratiam conferebat, non vt Sacramentum veteris legis, cum quadringentis annis ante legem instituta fuerit, sed singulari quadam eius & propria ratione. Nouæ autem legis Sacramenta conferunt gratiam ea ratione vt Sacramenta sunt à CHRISTO instituta, ob idque vis ista efficax gratiæ, communis est omnium. S. Thomas respondet, gratiam esse datam in circumcisione, sed diuersa ratione, & ignobiliori modo, minoriq; mensura quàm datur in Sacramento baptismi: In illa erat tantùm significatio fidei, per quam dabatur gratia; in baptismo, & aliis nouæ legis Sacramentis est non tantum significatio eius gratiæ quæ datur, sed etiam effectio.

B. Thomas.

SEPTI-

SEPTIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Versu 17.

Qui viuificat mortuos, & vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.

33.
Quid ſit hoc loco, DEVM viuificare mortuos.

AMBROSIVS in Commentario huius loci, ſic eum exponit: Hæc dicens Apoſtolus, ad fidem Abrahæ gentes inuitat: quia cum eſſet in præputio, credens DEO, cuius nunc fides prædicatur in CHRISTO, viuificatus eſt cum ſua coniuge: Cum eſſent enim obſoleta ætate ſeniores, reuiruerunt ita, vt non diffideret habiturum ſe ex Sara filium, quam ſterilem ſciebat, & in qua iam fluxus muliebris naturæ defecerat, vt per hæc prompti ſint circa fidem, ſecuri, quia credunt ei, qui viuificat mortuos; atq; eum ſolum eſſe, qui hanc habeat poteſtatem; & cum voluerit eſſe quæ non ſunt, ſtatim eius voluntate ſubſiſtāt. Ideo Abraham cum Pater adhuc non eſſet, vocatus eſt pater multarum gentium: ꝙ & credidit certus & ſecurus DEI potentiæ. Vt autem pater CHRISTI idē eſſe DEVS crederetur, cui credidit Abraham; tale ſignū datum eſt in Zacharia, & Eliſabeth, cum iam pręſtanda mundo foret DEI promiſſio, imminēte CHRISTO, quale datum fuerat in Abraham, & Sara; quando primum ſignata eſt promiſſio: Vt ſimili genere emortua corpora in ſenectute generarent S. Ioannem, ſicut natus fuerat & Iſaac. Sic ille. Ambroſius itaque, quod Paulus dixit, DEVM viuificare mortuos, interpretatur non de reſurrectione corporali mortuorum, ſed de viuificatione hominum ſterilium ad generandum, qui perinde erant impotentes generandi, quaſi eſſent mortui. Quam expoſitionem comprobant illa mox ſequentia Pauli verba: *Nec*, inquit, *conſiderauit corpus ſuum emortuum, cum iam eſſet ferè centum annorum; & emortuam vuluam*

Lucæ 1.

Lucæ 1.

nam Sara. Hieronymus itidem explanans hunc locum super illis verbis, *Qui viuificat mortuos*, sic ait: Hic mortuos vocat Paulus non simpliciter, sed ad generandum: id enim præsenti causæ, & proposito eius conuenit. Subdit autem: *Et vocat ea, quæ non sunt*, quamuis autem in principio vocauerit quæ non erant, & statim esse cœperunt: *Dixit enim, & facta sunt*, hic tamen desperatam filij generationem significat, quod iam præterissent tempora generandi. Quo circa rectè adiungit Paulus quod Abraham in spe contra spem credidit; nam contra spem naturæ est, vt homo centum annorum ex muliere æquè iam fessa, & quæ in iuuentute etiam sterilis fuerat, semen suum sicut stellas cœli crederet esse futurum.

S. Hieronymus

Psal 148. Genes. 1.

Alij viuificationem mortuorum, dictam à Paulo putant hoc loco viuificationem peccatorum: nempe Paulo familiare est, & peccatores vocare mortuos: & iustificatos appellare viuificatos. hæc porrò iustificatio hominum, præsertim electorum, & prędestinatorum, vnum est de maximis diuinę omnipotentiæ operibus: sicut in quadam collecta dicit sancta Ecclesia: *DEVS qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miserando manifestas*, &c. Est profectò iustificatio hominis prædestinati maius quoddam opus, quàm ipsa mundi creatio. Illa enim terminatur ad bonum æternum diuinæ participationis: hæc verò ad bonum naturæ mutabilis. Quin etiam iustificatio maius quippiam est, quàm glorificatio hominis: non quidem absolutè, sic enim maior est glorificatio, quia donum gloriæ maius est quàm donum gratiæ: sed est tamen maior iustificatio secundum quandam proportionem; plus enim donum gratiæ excedit dignitatem hominis impij, qui dignus erat pœna; quàm donum gloriæ excedat dignitatem hominis iusti, quippe qui eo ipso quod iustificatus est, dignus est gloria. Possum hæc ipsa illustrare, simulque confirmare celebri quadam apud Theologos B. Augustini sententia. Is enim loquens de iustificatione hominum, præsertim autem prædestinatorum, de ea hæc scribit. Prorsus maius hoc esse dixerim, quàm est cœlum, & terra, & quęcumq; cer-

34 An iustificatio sit maximum DEI opus.

August. tract. 72. in Ioan.

Matth. 24. nuntur in cœlo, & in terra; cœlum enim & terra transibunt, prædestinatorum autem salus & iustificatio permanebunt: in illis tantùm opera DEI, in his etiam est imago DEI. Sed in cœlis & Angeli, & Archangeli, & principatus, & potestates opera sunt CHRISTI: numquid etiam his operibus maiora facit, qui operante in se CHRISTO, cooperatur iustificationem suam, & salutem æternam? Non hîc audeo præcipitare sententiam: intelligat qui potest, iudicet qui potest, vtrum maius sit iustos creare, quàm impios iustificare. Certè si æqualis est vtrumque potentiæ, hoc maioris est misericordiæ: hoc enim est magnum illud pietatis Sacramentum, quod prædicat Apostolus manifestatum in carne, iustificatum in spiritu, quod apparuit ANGELIS, & prædicatum est gentibus, & creditum est in mundo, & assumptum est in gloria. Hactenus ex Augustino. Mihi prior expositio, conuenientior esse proposito Apostoli, & sententiæ verborum eius magis inhærere videtur.

1 Ad Timotheum 3.

35. Sequitur illud: *Et vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Græcè sic est, καλοῦντος τὰ μὴ ὄντα, ὡς ὄντα. quod latinè sonat ad verbum: *Vocat non existentia, tanquam existentia.* Et quia illa participia dupliciter resolui possunt, inde orta est duplex loci huius lectio. Altera lectio est, quam habet latinus interpres: *Vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Eamque lectionem citat Augustinus in libro de natura boni, aduersus Manichæos cap. 26. & in Enchiridio cap. 29. eiq; suffragantur Origenes & Ambrosius in commentario huius loci. Altera lectio est huiusmodi: *Vocat ea quæ non sunt, tanquam sint,* quam lectionem refert Augustinus super Psalmum 104. inter has verò duas lectiones hoc interest, quod per priorem, significatur diuinæ potestati æquè subesse quæ non sunt, quàm ea quæ sunt: per posteriorem autem lectionem significatur, ea quæ non sunt, ita DEI parere imperio, vt si iam ipsa existerent actu. Deinde in priori lectione, quæ non sunt, comparantur cum aliis rebus quæ sunt: in posteriori verò, quæ non sunt, comparantur cum seipsis, cum iam actu sunt. B. Hieronymus

Origenes.

Ambrosius.

nymus libro primo commentariorum in Hieremiam, tertiam quandam memorat huius loci lectionem, ita eum citans: *Qui vocauit ea quæ non erant, quasi ea quæ essent*, quæ verba vtriq; lectioni superiori aptari possunt.

S. Hieronymus

36.

Vocare, & Vocatio quinque modis in Scriptura vsurpantur.

Verbum illud, vocandi, præter significationem vulgò notam, habet in Scriptura quatuor alias vel quinque vsurpationes. Primùm, alicubi significat primam DEI motionem, qua peccatorem excitat atque incitat ad iustificationem. Sic Paulus dixit. *Quos prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit.* Et per Salomonem atque Isaiam queritur DEVS de peccatoribus, quod cum eos vocauerit, audire eum noluerint. *Pro eo*, inquit, *quod vocaui, & non respondistis mihi: locutus sum, & non audistis.* Contra verò Iob dicebat: *Vocabis me, & ego respondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dextram.* Deinde vocatio, quod nomen à verbo, vocare, declinatum est, significat professionem, præsertim disciplinæ Christianæ: Secundum quem intellectum, frequens eius verbi vsus est apud Paulum: huiusmodi est illud: *Obsecro vos vt dignè ambuletis vocatione qua vocati estis.* Ad hæc, significat propriè vocationem cum prædestinatione, & electione coniunctam; quo spectat illud Pauli: *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei: Quia maior seruiet minori*: Et item illud, quod paulò antè idem dixerat: *Scimus quoniam diligentibus DEVM, omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Præterea verbum vocandi plerumque idem significat ac iubere, & imperare, & facere vt aliquid fit quod non erat: ad quem sensum, in libro quarto Regum capite octauo, & in Psalmo centesimo quarto, scriptum est, *DEVM vocasse famem super terram*, id autem est, iussisse DEVM, fecisseque vt fames eueniret. Affine huius est, & dicere, & verbum, vt ait Scriptura: *Dixit, & facta sunt*. Et, *Verbo Domini cœli firmati sunt*. Et, *Portans omnia verbo virtutis suæ*. Denique, verbum hoc vocandi, interdum significat distinctam, & expressam, & exactam DEI cognitionem rerum: ad quem sensum pertinet illud quod est in Psal. centesimo quadragesimo

Ad Rom. 8.
Prou. 1.
Isa. 65.
Locus Iob 14.
Ad Ephes. 4.
Ad Rom. 9.
Genes. 25.
Ad Rom. 8.
Psal. 148.
Psal. 32.
Ad Hebræos 1.
Locus Psalmi 146.

sexto: *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Simile illud est, quod dixit Baruch: Stellæ lumen dederunt in custodiis suis: vocatæ sunt, & dixerunt: Adsumus. eodem pertinere videtur, quod dixit Mosi DEVS: *Noui te ex nomine.* Hoc itaque loco cum dicitur: *Vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Verbum vocandi positum est secundum quartam eius verbi significationem.

Baruch 3.

Exodi 33.

37. Consimiliter illud: *Ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt,* non vnam habet significationem, nam, *non esse,* præterquam quod significat non esse in rerum natura, vel actu, vel etiam potentia naturali: interdum etiam significat abiectum, & vile, & nullius meriti, & pretij, & honoris. Contrà verò, *esse,* vel, *ea quæ sunt,* significat aliquid nobile, honoratum, magnique meriti ac pretij. Ad hunc intellectum leguntur in sacris litteris illa: *Si charitatem non habuero nihil sum.* Et item: *Elegit DEVS ea, quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret.* Illud quoque: *Qui videbantur aliquid esse,* (vel vt græcè legitur) *qui videbantur esse, nihil mihi contulerunt.* Totius igitur sententiæ huius Pauli quadruplex esse potest intellectus. Vnus, DEVM æqualem habere potestatem in ea quæ non sunt, atque in ea quæ sunt: alter, DEVM gentes quæ erant coram ipso viles & abiectæ ac nihili, adduxisse ad gratiam Euangelij, non secus quàm Iudæos: Tertius, DEVM, antequam essent homines, immo ante mundi constitutionem, atque adeo ab æterno, elegisse & prædestinasse ad vitam æternam, perinde quasi actu iam essent: Quartus, DEVM ita clarè ac distinctè videre quæ non sunt, sed longe post futura sunt, vt ea quæ iam actu sunt, secundum illud: *Domino DEO nostro antequam crearentur, omnia sunt agnita, sicut & post perfectum respicit omnia.*

Quid sit in Scriptura, Nō esse.

1. Ad Corinth. 13. & 1.

Ad Galatas. 2.

Ecclesi. 23.

OCTAVA

OCTAVA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Nec considerauit corpus suum emortuum, cùm iam ferè centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ.

Vers. 19.

38. NON est dubium quin Paulus his verbis dicere (cum quadam tamen exaggeratione) voluerit idem ipsum quod Moses in libro Genesis cap. 18. dixit illis verbis: *Erant ambo senes prouectæq; ætatis, & desierant Saræ fieri muliebria.* Vocat igitur Paulus corpus Abrahæ mortuum, & mortuam vuluam Saræ, non quidem simpliciter, non enim fuissent corpora viuorum, sed, vt inquit Augustinus, cadauera mortuorum; sed quantum ad impotentiam generandi: erant enim perinde impotentes, quasi essent mortui. Verum autem est, quod dicit Paulus, cùm Abraham accepit à DEO promissionem generandi prolem ex Sara, fuisse tunc eum ferè centum annorum: erat enim tunc nonaginta nouem annorum, vt scriptum est Genes. 17. & vno anno post generato Isaac, impleuit annum centesimum, vt proditum est Genes. 21. Sed enim verba Pauli duplicem habent difficultatem: tum quod impotentiam generandi Abrahæ, assignat ætati eius centenariæ, tanquam in ea ætate non posset generari proles: tum quod ait corpus Abrahæ fuisse mortuum, id est, naturali facultate generandi omninò priuatum: hæc enim nec vera, nec diuinæ scripturæ consentanea videntur. Ætas certè centum annorũ in illo tempore, respectu annorum totius vitæ, quæ ad annos propè ducentos extendebatur, non erat infœcunda, & respondebat ætati hominũ huius temporis quinquaginta annorũ, in qua ætate & olim, hodieque generari posse prolẽ, quotidianis ex-

S. Augustinus.

 peri-

perimentis notū est. Quin etiā ipsemet Abraham, post id tēporis, annis plus septē & triginta, complures filios genuit ex Cetura vxore, quā post obitū Saræ duxit, vt legitur Genes. 25. Ex quo liquidò apparet, cùm Abraham accepit promissionē generandi prolem, non habuisse corpus mortuum, vt vocat Apostolus, id est, prorsus impotens generandi. Cumque Plinius tradiderit memoriæ, post annum ætatis octogesimū & Catonem Censorium, & Massinissam regem generasse liberos, quo modo putabitur, ætas centum annorum impedimentum fuisse Abrahæ, quo minus generare posset, cùm ætas eius, plus mille septingentis annis, ætatem illorum antecesserit?

Plin, lib. 7.

39. *Quæstionis duplex solutio. S. Augustinus.*

Harum difficultatum duplicem tradit solutionem B. Augustinus in libro decimo sexto de ciuitate DEI, cap. 28. & in libro quæstionum in Genesim quæst. 35. Prior solutio est huiusmodi. Abraham in illa ætate centum annorum, non erat simpliciter impotens generandi ex quacumque fœmina, sed tantùm ex Sara, quæ omni modo infœcunda erat, ob naturalem sterilitatem, defectumque menstruorum, quæ est materia corporando fœtui necessaria. ex alia verò fœmina, quæ iuuencula esset, ac naturaliter fœcunda, quantum in ipso erat, potuisset Abraham in ea ætate generare filios, sicut postea numerosam prolem ex Cetura procreauit. Erat igitur Abraham tunc impotens generandi, non ex quacumque fœmina, sed ex Sara; ideoque quod ex ea generauerit, proculdubio miraculum diuinæ potentiæ fuit. Posterior solutio eiusdem quæstionis ab eodem Augustino tradita, sic est: Abraham simpliciter fuisse inhabilem ad generandam prolem ex quacumque muliere: verùm accepta diuinitus virtute generandi, donoque fœcunditatis, potuisse eum generare non solùm tunc centenarium, sed multis etiam post annis: nec solùm ex Sara, sed etiam ex aliis mulieribus.

Genes. 25.

40. *Vtra solutio sit probabilior. S. Augustinus.*

At enim scire quispiam fortasse cuperet, harum duarum solutionum vtra sit probabilior. Sanctus Augustinus priorem anteponit ita scribens: Sed propterea mihi videtur illa, quā secuti sumus, huius quæstionis solutio præferenda, quia cente-

centenarius quidem ſenex, ſed temporis noſtri, de nulla poteſt fœmina gignere; non tamen tunc, quando tamdiu viuebant homines, vt centum anni, nondum facerent homines decrepitæ ſenectutis. Sic Auguſt. Contra verò B. Thomas poſteriorem ſolutionē anteſert primæ. Explanās enim hunc locum Apoſtoli: Videtur, inquit, quod non fuit tunc Abrahæ corpus emortuum quantum ad vim generatiuam: quia etiam poſt mortem Sarę, duxit Ceturam vxorem, quę genuit ei filios, vt dicitur Geneſ. 25. Dicunt ergo quidā, quod mortua in eo erat vis generatiua, quantum ad generādum ex muliere ſene, non quantum ad generandum ex iuuencula. Solent enim ſenes ex iuuenculis mulierculis prolem gignere, non autem ex ſenibus, quæ ſunt minus aptæ ad concipiendū. Sed melius dicendum videtur, quod Abrahæ miraculoſè data fuit vis generandi, & quantum ad Saram, & quantum ad omnes mulieres. Ita B. Thomas. Equidem aſſentior potius B. Auguſtino, cui videlicet Paulus ipſe ſuffragari videtur, apertè ſcribens, virtutē generandi, non vtrique, ſed Saræ tantùm à DEO eſſe datam. hæc enim ſunt eius verba: *Fide & ipſa Sara ſterilis, virtutem in conceptione ſeminis accepit, etiam præter tempus ætatis*, ſi beneficium illud, vtrique eſſet tributum, de vtroque, ac non de Sara tantùm memoraſſet, ac prædicaſſet Apoſtolus.

S. Thomas.

Auctoris ſententia.

Locus ad Hebraeos 11.

NONA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Et non infirmatus eſt in fide: in repromiſſione etiam DEI non hæſitauit diffidentia; ſed confortatus eſt fide, dans gloriam DEO pleniſ-

Verſ. 19.

plenissimè sciens, quia quæcumque promisit, potens est & facere.

41. PAVLVS his verbis affirmat, sanctum Patriarcham Abraham, DEO prolem sibi ex Sara pollicenti, firmissimè ac sine vlla dubitatione credidisse. At enim verba illa, quæ dixisse Abraham, statim vt istam DEI promissionem audiuit, in libro Genesis narrat Moses, titubasse eum, & vacillasse circa fidem illius diuinæ promissionis, non obscurè indicare videntur. Sunt autem hæc Abrahæ verba: *Cecidit Abraham in faciem suam, & risit in corde suo dicens: Putásne centenario nascetur filius? & Sara nonagenaria pariet? Dixitq; ad DEVM: Vtinam Ismael viuat coram te.* Illud, *risit in corde suo*, significare videtur, visum ipsi fuisse dictum illud DEI ioculare potius quàm credibile. Illud etiam: *Putásne centenario nascetur filius?* nonne satis indicat, visum ei fuisse impossibile, id ætatis, generare filium ex Sara nonagenaria? Illud demùm: *Vtinam Ismael viuat coram te*, illud ipsum demonstrat: Perinde enim est, ac si dixisset; satis superque factum votis meis fuerit, si Ismaelem, quem dedisti mihi, sospites atque fortunes: nam ex Sara prolem, quam sperare non possum, minimè peto.

Genes. 17.

42. Tres super hac difficultate reperio Auctorum sententias. Prima est Chrysostomi in sexta homilia de Pœnitentia, & Hieronymi in tertio libro aduersus Pelagianos, qui ex supradictis verbis scripturæ argumentantur, tunc Abraham peccasse incredulitatis peccato. Addit præterea Chrysostomus, ob istud peccatum, posteros Abrahæ per quadringentos annos laboriosa peregrinatione, duraque seruitute esse mulctatos. Sed Chrysostomus in hac sententia non perstitit: is enim homilia quadragesima in Genesim, verba illa Abrahæ tractans, apertè docet, in diuinæ illius promissionis fide nec defecisse, nec vacillasse Abraham; risumque Abrahæ, & significationem dubitationis, quæ in verbis eius esse videtur, ad rectam intelligentiam accommodat.

Tres expositiones. Prima expositio Chrysostomi & Hieronymi.

modat. Certè ſanctum Abraham in fide illius promiſſionis nihil dubitaſſe, apertè B. Paulus oſtendit hoc loco, dicens, eum non eſſe infirmatum in fide, nec hæſitaſſe circa promiſſionem DEI de filio generando ſibi ex Sara: ſed confortatum fide dediſſe gloriam DEO, quia pleniſſimè ſciebat, DEVM quæcumque promiſit, poſſe facere. Nec probabilis eſt ſententia Ioannis Arborei, qui in ſua Theoſophia in voce *(Abraham)* ait, ipſum cùm primum audiuit eam DEI promiſſionem, initio ſubdubitaſſe, & in credendo aliquantiſper hęſitaſſe, quia DEI promiſſum humana ratione æſtimauit, & penſitauit: mox tamen ſubiunctis DEI verbis erectus, & confirmatus, diſcuſſa ex animo omni dubitatione, firmiſſimam diuinæ promiſſioni fidem habuit. Verùm iſte Auctor non omninò vindicat Abraham à peccato infidelitatis, ſed à perſeuerantia ſolùm in eo peccato. At Paulus ſimpliciter, ac ſine vlla exceptione, aut diſtinctione temporum affirmat, eum non eſſe infirmatum fide, nec hæſitaſſe diffidentia.

In Arboreum animaduerſio.

43. *Secunda expoſitio Ambroſij, Auguſtini, Ruperti.*

Altera eſt opinio, nihil tunc Abraham peccaſſe per incredulitatem, & riſum eius non fuiſſe tanquam hominis propter impoſſibilitatem diuini promiſſi, ſecum ridentis, ſed propter diuini beneficij magnitudinem, exuperanti gaudio exultantis. Illud quoque, *Putáſne centenario naſcetur filius?* non eſſe diffidentis promiſſioni diuinæ, ſed demirantis omnipotentiam DEI, tantamque erga ſe munificentiam: ſimulque noſſe cupientis, quemadmodum id perficiendum eſſet, quod erat vltra humanam fidem, & vim naturæ omnem excedebat. Denique illud: *Vtinam Iſmaël viuat coram te.* Petiit Abraham à DEO, quaſi corollarium quoddam illius principalis muneris & beneficij diuini. Hæc eſt ſententia B. Ambroſij lib. 1. de Abraham capite quarto, & Auguſtini libro 16. de ciuitate DEI, capite 26. & Ruperti in libro quinto cōmentariorum in Geneſim, capite vigeſimo quinto. Quam ego ſententiam, vt admodum probabilem laudo, & approbo, & amplector.

44. *Tertia expoſitio Caietani.*

Tertia ſententia eſt Caietani & in commentariis ſuis in

Genesim super illis verbis Abrahæ suprà positis, & in commentario huius epistolæ ad Romanos, super hoc ipso loco. Is putat, supradictis Abrahæ verbis nonnullam significari dubitationem; non tamen vitiosam, sed quæ ei, integra atque illibata fide, non temerè acciderit. Non enim dubitauit Abrahā de veritate promissionis diuinæ, nec de potestate promittentis DEI: sed inscius & dubius erat, num promissio illa, propriè, & vt verba ipsa sonabant, intelligenda esset: an potius figuratè, & secundum aliquod mysterium, operta significatione, verbis illis demonstratum. Huc enim spectare videtur, quod ad excutiendam ex eius animo istiusmodi dubitationem, respondit ei DEVS: *Verè*, inquit, *Sara pariet tibi filium*, quasi diceret, Quod dixi de Sara paritura tibi filium, id non figuratè, neque mysticè, sed propriè ac verè, vt verba ipsa significant, locutus sum, itidemque intelligi à te volo. Ita Caietanus. Cuius minimè displicet mihi quidem sententia: Videtur enim in illis verbis Abrahæ nonnihil fuisse dubitationis, circa sensum videlicet diuinorum verborum in illa promissione; vtrum esset historicus & litteralis, talis nimirum, qualem verba ipsa referunt, an verò parabolicus & mysticus. Id enim & formula ipsa verborum Abrahæ non obscurè indicat, & apertè declarat illud DEI responsum: *Sara pariet tibi filium*, quod hebraicè significantius & expressius, hoc modo est: *Verè*, vel, *Profectò*, vel vt legit Hieronymus, *etiam Sara pariet tibi filium*. Quo responso declarauit DEVS, se non opertè, nec parabolicè, nec mysticè, sed propriè locutum esse. Atque hæc ad præsens carptim, cursimq; diximus, quantum scilicet explicādæ difficultati, quæ ex verbis Pauli existebat, satis fore duximus. Verùm hæc ipsa copiosius & accuratius tractauimus in tertio Tomo commentariorum nostrorum in Genesim super caput decimum septimum, in disputatione septima.

DECI-

DECIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.

Verſ. vlt.

45.

HOC aptè cohæret cum verbis proximè antecedentibus, quibus Paulus oſtenderat, fidem, qua DEO crediderat Abraham, fuiſſe ei, vt docet ſcriptura, reputatam ad iuſtitiam. Quod non propter ipſum tantùm dixit ſcriptura, ſed & propter nos, quibus reputabitur ad iuſtitiam, credentibus in DEVM qui ſuſcitauit CHRISTVM à mortuis: quippe, *qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.* Sed obſcurum eſt, quemadmodum Paulus paſſioni & morti CHRISTI, id enim ſignificat illud: *Qui traditus eſt*, attribuat remiſſionem peccatorum; reſurrectioni verò eius, iuſtificationem hominis. Primùm enim, ipſa peccatorum remiſſio, pars eſt iuſtificationis, immò nec aliter quàm per infuſionem iuſtitiæ fit remiſſio peccati: quare cui attribuitur remiſſio peccati, eidem quoq; attribui debet iuſtificatio. Deinde, CHRISTVS paſſione ſua omnia nobis bona promeruit, nec tantùm remiſſionem peccatorum, ſed omnia iuſtificationis bona, atque adeò ipſam gloriam: per reſurrectionem autem non potuit nobis mereri iuſtificationem, quia iam tunc non erat in ſtatu merendi.

Difficultas ſententiæ Pauli.

46.

Ego ad explicandum, atque illuſtrandum hunc Pauli locum, tres ab Authoribus traditas expoſitiones ſuccinctè hîc referam. Prima eſt B. Thomæ in commentario huius loci aientis, mortem & reſurrectionem CHRISTI poſſe con-

Tres expoſitiones.

Prima expoſitio B. Thomæ.

ſiderari vel ſecundum rationem cauſæ meritoriæ, vel efficientis. Priori modo, ſola CHRISTI paſſio cauſa fuit & remiſſionis peccatorum, & iuſtificationis noſtræ; nam reſurrectio eius, cùm iam eſſet ipſe extra merendi ſtatum, non potuit meritoria eſſe vllius rei. Poſteriori autem modo, id eſt, ſecundum rationem cauſæ efficientis, tam paſſio CHRISTI quàm reſurrectio, virtute diuini VERBI, cuius erant operationes, cauſæ fuerunt efficientes & remiſſionis peccatorum, & iuſtificationis, omniumque bonorum hominis. Sed quia effectus aliquo modo ſimilitudinem habet ſuæ cauſæ, & remiſſio peccatorum, per quam morimur peccatis, ſimilitudinem quandam habet cum morte CHRISTI; iuſtificatio autem, per quam à peccatis reſurgimus ad nouitatem vitæ, ſimilitudinem habet cum reſurrectione CHRISTI; idcirco Apoſtolus remiſſionem peccatorum præcipuè voluit attribuere morti CHRISTI, iuſtificationem verò reſurrectioni eius. Hæc ſumma eſt ſententiæ B. Thomæ. Sed lubet hîc verba eius apponere. Quod, inquit, propter delicta noſtra CHRISTVS ſit traditus in mortem, manifeſtum ex eo videtur, quòd ſua morte meruit nobis deletionem peccatorum: reſurgendo autem non meruit, quia in ſtatu reſurrectionis non fuit vllo modo viator, ſed omninò comprehenſor. Quare dicendum eſt, mortem CHRISTI fuiſſe nobis ſalutarem, non modò per modum meriti, ſed etiam per modum cuiuſdam efficientiæ. Cùm enim humanitas CHRISTI eſſet quodammodo inſtrumentum DIVINITATIS eius, vt Damaſcenus dicit, omnes paſſiones & actiones illius humanitatis, fuerunt nobis ſalutiferæ, vtpotè ex virtute DIVINITATIS prouenientes. Sed quia effectus habet aliqualiter ſimilitudinem cauſæ, mortem CHRISTI, per quam in eo extincta eſt mortalis vita, dicit Paulus eſſe cauſam remiſſionis peccatorum noſtrorum: reſurrectionem autem eius, quâ inducit nouam vitam gloriæ, dicit eſſe cauſam iuſtificationis, per quam redimus ad nouitatem iuſtitiæ. Hæc S. Thomas. Apud quem ſimilia reperies in tertia parte, quæſt. quinquageſima art. 6.

Altera expoſitio eſt huiuſmodi. Cum dicitur: *Qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram*, illa propoſitio, *propter*, non ſignificat hîc cauſam meritoriam, vel efficientem, ſed cauſam tantùm exemplarem. Vt hic ſit illorum verborum ſenſus: CHRISTVS in morte ſua exemplum dedit, vt nos etiam moriamur peccatis: in ſua verò reſurrectione exemplum præbuit ſpiritualis noſtræ reſurrectionis, vt mortui ſcilicet peccatis, ad nouam vitam iuſtè, ſanctèque agendam reſurgamus: atque ita ſpiritualiter conformemur ei, quod in CHRISTO geſtum eſt corporaliter. Hanc porrò conformationem noſtram ad exemplum mortis, & reſurrectionis CHRISTI, pluribus verbis, grauibuſque ſententiis tractat Paulus infrà capite ſexto. Non ſolùm autem mors, & reſurrectio CHRISTI, ſed alia quæ in eo geſta corporaliter ſunt, ſignificationem, & exemplum continent eorum, quæ ſpiritualiter in nobis geri oportet. Audiat lector Auguſtinum: Quicquid, inquit, geſtum eſt in CHRISTI cruce, in ſepultura, in reſurrectione, in aſcenſione in cœlum, in ſeſſione ad dexteram PATRIS: ita geſtum eſt; vt his rebus conſignaretur vita Chriſtiana, quæ in terris agitur. nam propter CHRISTI crucem dictum eſt: *Qui ſunt CHRISTI, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis*. Propter ſepulturam: *Conſepulti ſumus cum CHRISTO per baptiſmum, in mortem.* Propter reſurrectionem: *Vt quemadmodum CHRISTVS reſurrexit à mortuis per gloriam PATRIS, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Propter aſcenſionem in cœlum, ſeſſionemque ad dexteram PATRIS: *Si conſurrexiſtis cum CHRISTO quæ ſurſum ſunt quærite, vbi CHRISTVS eſt, ad dexteram DEI ſedens, &c.* Sic Auguſtinus.

47. *Secunda expoſitio Auguſtini, Anſelmi, & S. Thomæ.*

Auguſt. in Enchrid. cap. 53.

Ad Gal. 5.

Ad Rom. 6.

Ibidem.

Ad Coloſſ. 3.

Hanc expoſitionem tradunt in hoc loco Origenes, & Anſelmus, & Auguſtinus, ſuper Pſalmum centeſimum ſecundum, & in feria ſecunda Paſchæ ſermone ſecundo, vnde pauca quædam eius verba lubet hîc adſcribere, quæ ſunt hęc. CHRISTVS eſt crucifixus, vt oſtenderet veteris hominis

48. *S. Auguſtinus.*

nostri occasum: & resurrexit, vt in vita sua ostenderet nostræ vitæ nouitatem. Sic enim docuit Apostolus: *Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Sicut morte ipsius seminamur, sic in resurrectione ipsius germinamus. Mors eius significat interitum veteris vitæ nostræ: resurrectio eius demonstrat nouitatem vitæ nostræ. Non autem dixit Paulus: *Qui traditus est propter iustificationem nostram, & resurrexit propter delicta nostra.* Quia in eius traditione delictum sonat: in eius resurrectione iustitia sonat. Ergo moriatur delictum, & iustitia resurgat. Ad hanc quoque illustrandam expositionem valet, quod scriptum reliquit B. Thomas in tertia parte, quæstione quinquagesima sexta, articulo secundo: vbi disputans, resurrectionem CHRISTI causam esse resurrectionis nostræ, non modo corporum, sed etiam animarum, sic ait: Resurrectio CHRISTI habet instrumentaliter virtutem effectiuam, non modo respectu resurrectionis corporum, sed etiam animarum. Habet prętereá rationem exemplaritatis respectu resurrectionis animarum: quia CHRISTO resurgenti debemus etiam secundum animam conformari: vt sicut CHRISTVS surrexit à mortuis, per gloriam PATRIS, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus: & sicut ille resurgens ex mortuis, iam non moritur, ita & nos existimemus nos mortuos esse peccato, vt semper viuamus in illo. Et in responsione ad quartum: Duo, inquit, concurrunt ad iustificationem animarum, remissio culpæ, & nouitas vitæ per gratiam. Et quantum attinet ad efficientiam, quæ est per virtutem Diuinitatis, tam passio CHRISTI, quàm resurrectio est causa quoad vtrumque; quantum verò ad exemplaritatem, propriè mors & passio CHRISTI est causa remissionis culpæ, per quam morimur peccato: resurrectio autem est causa nouitatis vitæ, quæ fit per gratiam, siue iustitiam. Vnde Apostolus dixit, quod CHRISTVS est traditus, scilicet in mortem, propter delicta nostra, scilicet tollenda: & resurrexit propter iustificationem nostram. Quanquam passio CHRISTI præter rationem causæ efficientis, habet quoque

S. Thomas.

quoque rationem causæ meritoriæ, quam non habet resurrectio eius. Hactenus ex B. Thoma.

Tertia expositio est Caietani, & Adami, sanè quàm acutè cogitata, & inuenta, nec non aptè ad sententiam verborum Pauli accommodata. Volunt isti, horum Pauli verborum hunc esse germanum intellectum, CHRISTVM morte sua cumulatissimum dedisse pretium ad redimendos omnes homines à seruitute peccati: hoc autem pretium CHRISTI, applicatur nobis per iustificationem; sed perducti sumus ad iustificationem per fidem resurrectionis. Nam licet CHRISTVS mortuus esset, & pretium nostræ redemptionis persoluisset, nisi tamen resurrexisset à mortuis, non credidissemus, eum fuisse filium DEI, & saluatorem mundi. Propterea verò amplectimur eius fidem, & per eam iustificamur, quia credimus eum resurrexisse: ergo illud Pauli dictum: *Resurrexit propter iustificationem nostram.* Significat, CHRISTVM resurrexisse, vt per eius resurrectionem adduceremur ad fidem, per fidem ad iustificationem. Simile huius est, quod scripsit B. Petrus in capite primo, prioris epistolæ suæ, illis verbis: *Qui* (DEVS PATER) *secundum misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem viuam, per resurrectionem IESV CHRISTI ex mortuis.* Sicut igitur resurrectio CHRISTI generat in animis hominum spem viuam æternæ hæreditatis; ita quoque adducit homines ad fidem, & per hanc ad iustificationem animi. Ad hanc expositionem potest applicari, quod in commentario huius loci dixit Hieronymus, CHRISTVM resurrexisse, vt iustitiam credentium confirmaret: & quod item dixit Theodoretus, CHRISTVM resurrexisse, vt nos iustificationis bona percipere possemus. Placet mihi hęc expositio non minus quàm secunda.

49. *Tertia expositio Caietani, et Adami, & aliorum quæ minime displicet Auctori.*

Hieronymus.

Theodoretus.

Auctor commentariorum in epistolas Pauli, nomine Ambrosij prænotatus, & isto nomine ante quadringentos annos à Theologis citatus, & à nobis itidem vsque adhuc commemoratus, in commentario huius loci ait: Quicumq; ante passionem CHRISTI baptizati sunt, solam remissionem peccatorum accepisse; atque eorum zelo, diabolum

Ambrosius.

neccm

necem CHRISTI molitum esse. Per resurrectionem verò, tam illi qui prius, quàm qui post baptizati sunt, esse omnes verè iustificatos, per datam formam fidei TRINITATIS: acceptoq; SPIRITV sancto, qui signum est credentium, quod sint filij DEI. Sic ille. Quæ sententia non modo falsa, sed perabsurda est: vt vel vnus hic locus, satis clarum faciat indicium, istos commentarios non esse in Ambrosij officina confectos. nisi fortè Auctor iste non sit locutus de iustificatione simpliciter, sed de notabili iustificatione hominum, post diem Pentecostes fieri solitam, quæ cum sensibilibus accepti SPIRITVS sancti signis, & effectibus fiebat.

In hæreticos huius temporis.

Hæc deniq; Pauli sententia manifestæ falsitatis atq; erroris arguit & conuincit hæreticos nostri temporis, qui omnem vim iustificationis nostræ ponunt in sola remissione peccatorum: donationem verò iustitiæ, per quam fit rectitudo mentis, & renouatio vitæ, abiudicant, & abiiciunt. at Paulus hoc loco remissionem peccatorũ, distinguit à iustificatione, dicens, CHRISTVM esse mortuum propter delicta nostra, & resurrexisse propter iustificationem nostram: apertè indicans, nec in sola remissione peccatorũ consistere iustificationem; & principalẽ iustificationis partẽ esse renouationẽ vitę, ac rectitudinẽ mentis, cuius exemplũ fuit resurrectio CHRISTI. Nec solùm hoc loco, sed alibi hoc idẽ docet Apostolus, dicens: *Dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate*, quod pertinet ad remissionẽ peccatorũ. Et adiungit: *& mundaret sibi populũ acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Hoc pertinet ad alterã partem iustificationis. Et alio itẽ loco: *Consepulti sumus ei per baptismum in mortem; vt quo modo CHRISTVS resurrexit à mortuis per gloriam PATRIS, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.* Cuius sententiæ Pauli euidentia coactus est Caluinus in commentario eius loci, confiteri, hoc ipsum, licet alicubi contrariam sententiam acriter mordicusq; defenderit. Hæc est, inquit, ille, huius loci doctrina, quod mors CHRISTI efficax est ad nequitiam carnis nostræ expugnandam & profligandam; resurrectio autem ad suscitandam melioris naturæ nouitatem. Sic iste.

Ad Titum 2.

Ad Rom. 6.

CAPVT

IN CAPVT QVINTVM DISPVTATIONES DECEM ET OCTO.

CAPVT V.

IVSTIFICATI ergo ex fide, pacem habeamus ad DEVM per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM: * per quem & habemus accessum in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum DEI. * Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus: Scientes quod tribulatio patientiam operatur: * patientia autem probationem; probatio verò spem, * spes autem non confundit; quia charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per SPIRITVM sanctum, qui datus est nobis. * Vt quid enim CHRISTVS cnm adhuc mortui essemus secundum tempus pro impiis mortuus est? * Vix enim pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori. * Commendat autem charitatem suam DEVS in nobis: quoniam cum adhuc pecca-

Versu 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

9. tores essemus secundum tempus, * CHRISTVS pro nobis mortuus est: multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum. 10. * Si enim cum inimici essemus, reconciliati sumus DEO, per mortem FILII eius: multo magis reconciliati salui erimus in vita ipsius. 11. * Non solùm autem, sed & gloriamur in DEO, per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, per quem nunc reconciliationem accepimus. 12. * Propterea sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt. 13. * Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset. 14. * Sed regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ, qui est forma futuri. 15. * Sed non sicut delictum, ita & donum. Si enim vnius delicto multi mortui sunt: multo magis gratia DEI & donum in gratia vnius hominis IESV CHRISTI in plures abundauit. 16. * Et non sicut per vnum hominem, ita & donum, nam iudicium quidem ex vno in condemnationem: gratia autem ex multis de-

lictis in iustificationẽ. * Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum: multò magis abundantiam gratiæ & donationis, & iustitiæ accipientes, in vita regnabunt per vnum IESVM CHRISTVM. * Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: Sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. * Sicut enim per inobedientiam vnius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita & per vnius obeditionem, iusti constituentur multi. * Lex autem subintrauit, vt abundaret delictum. Vbi autem abundauit delictum, superabundauit & gratia: * Vt sicut regnauit peccatum in mortem: ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam, per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum.

17. 18. 19. 20. 21.

PRIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

IVSTIFICATI ergo ex fide, pacem habeamus ad DEVM per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, per quem accessum habemus per fidem in gratiam istam, in

Vers. 1. 2. 3 et 4

qua ſtamus & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum DEI. Non ſolùm autem, ſed & gloriamur in tribulationibus, ſcientes quod tribulatio patientiam operatur; patientia autem probationem, probatio verò ſpem.

1. HACTENVS oſtendit, & probauit B. Paulus, hominem non iuſtificari ex operibus, ſed gratis per fidem CHRISTI, & DEI: deinceps tranſit ad enarranda commoda, & bona, quæ conſequuntur iuſtificationem, quorum aliquot exponit in priori parte huius capitis. In poſteriori verò parte capitis pulchra quadam inter Adamum, & CHRISTVM antitheſi luculente tractata demonſtrat, ſicut Adam fuit origo peccati, & condemnationis omnium hominum; ita ex aduerſo, CHRISTVM eſſe originem & cauſam iuſtitiæ ac ſalutis omnium hominum, pluſque profuiſſe gratiam CHRISTI, quàm nocuit peccatum Adæ.

Quid ſit habere pacem ad DEVM.

Iuſtificati ergo ex fide, pacem habeamus ad DEVM. Ambroſius legit, *habemus*, quam ſolam lectionem libentiſsime ſequuntur hæretici huius temporis. Plerique tamen legunt, *habeamus*, vt videre licet in commentario Origenis, Chryſoſtomi, Theodoreti, & Theophylacti, & ita citat Proſper lib. 2. de vocat. Gentium, capite quinto. Certe latinorum codicum concors eſt lectio, *habeamus*, quanquam vtraq; lectio veram reddat ſententiam. Si legatur, *habeamus*, verborum Pauli hic erit ſenſus: Oſtendi hactenus, omnes homines, fidem CHRISTI non habentes eſſe peccato ſubiectos, DEIque obnoxios vindictæ: ab his autem malis liberari iuſtificatos: quare iuſtificationis gratiam conſecuti, pacem habeamus; id eſt, pacato, & tranquillo animo ſimus, nullam poſthac metuentes DEI vindictam, & condemnationem. Simili locutione vſus eſt Dominus Ioan. 16. *Hæc, inquit, locutus ſum, vt in me pacem habeatis.* Et Actorum 9. *Eccleſia per totam Iudæam*

am

am pacem habebat. Quo etiam ſpectat illud Pſalmi 147. *Qui poſuit fines tuos pacem.* Paulus itaque, ſecundum hanc interpretationem vocabuli pacis, hortatur nos ad quietem ac trãquillitatem animi, & conſcientiæ, natam ex ſpe, & fiducia diuinæ beneuolentię erga iuſtificatos, ſibique reconciliatos, & ex conſcientia bona vitæ, bonorumque operum. Chryſoſtomus verò & Theodoretus, & Theophylactus pacem interpretantur amicitiam cum DEO, ad hunc ſenſum: Iuſtificati per fidẽ, ne amplius peccemus, verùm pacem cum DEO conſeruemus, permanentes in iuſtitia ſemel accepta. Quo pertinet illud Lucæ 7. quod Dominus dixit peccatrici: *Fides tua te ſaluam fecit, vade in pace.*

Ambroſius porrò, qui legit (habemus) ſic exponit: Iuſtificati iam per fidem, habemus DEVM nobis pacatum & reconciliatum, quem antea propter peccata habebamus infenſum, & auerſum à nobis. Concorditer hæretici huius temporis legentes, *habemus*, & per pacem interpretantes conſcientiam omninò intrepidam, & ſecuram, valde vrgent hunc locum ad probandum illud ſuum dogma de fide ſpeciali. Aiunt enim, oportere cuique credenti in CHRISTVM certò, atque indubitanter eſſe perſuaſum, remiſſa ſibi eſſe peccata, & DEVM planè reconciliatum: atque ea fiducia placare, & tranquillare conſcientiam ſuam, omni genere terroris & trepidationis, & dubitationis ex animo penitus diſcuſſo. At enim ex certitudine diuinarum promiſſionum, ſimulque ex fiducia aut vitæ benè actæ, aut certè contriti iam cordis, riteque pœnitentis, & firmi propoſiti in poſterum cauendi peccata, legemque DEI diligenter & perſeueranter ſeruandi naſcitur in animis noſtris vera pax, & tranquillitas, veraq; conſolatio, & ſecuritas conſcientiæ, etiamſi, dum in carne viuitur, non poſſit eſſe hominum infallibilis certitudo de præſentia iuſtitiæ in nobis, ne dũ de manſione eius vſque in finẽ.

Vnde naſcatur vera pax, & quies animi.

2. *Quæ ſit pax iuſtorum.*

Quænam igitur eſt pax iuſtorum? Ea nimirum, qua eorum animus in CHRISTO acquieſcit, confidens, DEVM PATREM in quem credit, & cuius voluntati, & præceptis obſe-

quitur, perpetuò sibi fore propitium, & protectorem, cùm antea nihil reperiret, in quo posset animo conquiescere, sed omnia vndique eum terrerent ac pauefacerent, mors, infernus, DEI iudicium, conscientia, scelerum quæ fecerat, testis & accusatrix. Hæc pax incognita fuit Philosophis, nec eam mundus dare potest: est autem nota Christianis, quibus per CHRISTVM remissæ sunt iniquitates, & tecta sunt peccata. Verùm aliter eam pacem sentiunt recens conuersi ad DEVM, & aliter qui longo tempore, magno studio, ingentique cura virtutes excoluerunt, & in diuinorum præceptorum obseruantia, effectioneque bonorum operum vitam exercuerunt. Illi etenim obscurè, ac tenuiter, exigueque pacem hanc sentiunt: hic verò clarè admodum & insigni voluptatis spiritualis sensu, gustuq; in seipsis experiuntur; in quos videlicet dictum est à Paulo: *Ipse SPIRITVS testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filij DEI.* Enimuerò, pax hæc diuina, augetur indies, & perficitur in iustorum animis, per obedientiam diuinæ voluntatis, & obseruationem legis DEI, perpetuumque studium, & cultum virtutum, secundum illud Isaiæ: *Et erit opus iustitiæ, pax, & cultus iustitiæ silentium, & securitas sempiterna.* Quibus verbis significatur: Si quis præstiterit opera iustitiæ, eum, insignem quandam pacem, & singularem animi tranquillitatem, & sempiternam securitatem consecuturum. Quæ tamen securitas in hac vita nunquam tanta est, vt reddat hominem ab omni prorsus metu vacuum. Beatus etenim Hilarion, post annos propè septuaginta vitæ, admirabili sanctimonia, exactæ, cùm proximus tamen esset morti, sollicitudine & metu, eius animus agitabatur & angebatur. Vult autem Paulus nos pacem habere per CHRISTVM, vel quia CHRISTVS auctor fuit reconciliationis & pacificationis hominum cum DEO: vel quia pax animi nostri & quies conscientiæ, potissimũ nititur atque fulcitur CHRISTI meritis & promissis.

Ad Rom. 8.

Locus Isaiæ 23.

S. Hilarion.

8. Sequitur: *Per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum DEI.* Quidam

dam latini codices non habent illam coniunctionem *(&)* habent autem græci omnes, in quibus pro illo, *habemus & stamus*, est in præterito, *habuimus & stetimus*, & item pro *accessu*, græcè est προσαγωγή, significans aditum, & introductionem. Nec sanè vacat illa coniunctio *(&)* habet enim vim quandam similitudinis, significans, sicut per CHRISTVM adepti sumus gratiam iustificationis, cùm inimici essemus DEI; ita per eundem multò magis sperare nos debere, cùm iam reconciliati DEO simus, factique eius filij, condemnationem, & vindictam euasuros. Nec est profectò legendum oscitanter, quod Paulus ait, habere nos per fidem accessum ad gratiam DEI: ostendit enim, gratiam & iustitiam qua fit homo iustus, & gratus DEO, non esse ipsam fidem; sed fidem esse quasi medium quoddam, per quod apprehenditur iustitia, & tanquam organum, per quod virtus sanguinis & mortis CHRISTI ad nos deriuatur. *In qua stamus*, id est, constanter perseueramus, nec vllis ab ea rebus aduersis dimouemur. *Et gloriamur in spe gloriæ filiorum* DEI. Dixit, *in spe*, vel pro, *de spe*, vel, *propter spem*, quam habemus consequendi gloriam DEI, quæ filios eius manet. Licet enim Genitiuum illum, *filiorum*, non habent græca, nec eius meminit Chrysostomus, nec Ambrosius; nihil tamen officit sententiæ, quin etiam dilucidiorem eam reddit.

4. *Quid sit stare in gratia.*

Obseruandum est, quod hoc loco ait Paulus, eos, qui iustificati sunt, stare in gratia: nam qui in peccatis est, iacet: qui iustificatur, surgit & erigitur, secundum illud: *Nos autem surreximus, & erecti sumus.* (*Psalm. 19.*) At qui iam diu perseuerat in iustitia, rectè stare dicitur: *Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini: Qui statis in domo Domini.* (*Psalm. 133.*) Nimirum, stare denotat rectum corporis habitum; & hominem excitatum, erectumque ad aspectum, & contemplationem rerum cœlestium; firmum ad resistendum; paratum ad pugnandum; promptũ ad ambulandum; & quasi accinctum ad operandum. Circa quod verbum considerandæ sunt illæ Pauli sententiæ: *Si quis se existimat stare, videat ne cadat.* (*1. ad Corin. 10.*) *Tu autem fide stas.* (*Ad Rom. 11.*) *Domino suo*

stat,

Infra 14. *ſtat, aut cadit. ſtabit autem.* Et aliæ hoc genus cõplures. Quanquam phraſi hebraica, & in ſacris litteris frequenti (ſtare) plerumque ſignificat idem quod eſſe, vel manere, vel verſari. Vt illud: *Medius veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis.* Perplacet mihi adnotamentum Chryſoſtomi in hoc loco admonentis, Paulum ſapienter dixiſſe, nos ſtare in gratia Dei; quia verè homo per gratiam ſtat, & permanet, ſicut alibi dicit: *Bonum eſt gratia ſtabilire cor.* Gratia quippe per ſe non interit, ſed permanet, & augetur, atque roboratur indies; nec eam tempus conſumit, nec res aduerſæ labefactant, nec furatur Diabolus, nec auferre poſſunt homines, nec mors extinguit, immò poſt mortem perfectior exiſtit & æterna. Non ſunt autem huiuſmodi, mundana, vel humana bona temporalia, quæ, etiam, dum ſunt, nunquam in eodem ſtatu permanent, nec in illis hominem ſtare dici verè poteſt; *Tranſit enim mundus,* inquit Paulus, *& concupiſcentia eius.* Et alio loco: *Qui habent, tanquam non habentes ſint: & qui poſſident, tanquam non poſſidentes: præterit enim figura huius mundi.*

Ioan 1. *Chryſoſtomus.* *Ad Hebr. Vlt.* *1. ad Cor. 7.*

5\. Perpendamus illud: *Sed & gloriamur in tribulationibus.* Magna profectò virtus ſpei Chriſtianæ, & incomparabilis Chriſtiani animi magnitudo, qui non ſolùm lætatur, & gloriatur ſpe cœleſtium bonorum, æternæque hæreditatis, quam promiſſam ſibi à Deo expectat, omnia, quæ ipſi accidunt aduerſa, infracto corde perferens; ſed ipſis etiam tribulationibus, multis licet, multumque acerbis, lætatur, atque gloriatur. Quod itaque de Romanis quidam non inſcitè dixit, id ſanè de Chriſtianis multò verius dici poteſt: *Et facere, & pati fortia, Chriſtianum eſt.* Iuſti porrò lætantur, & gloriantur in tribulationibus, quòd per eas, mirum in modum, vegetetur, atque roboretur ſpes, quam habent æternæ hæreditatis: Id verò probat hoc loco Paulus ea figura orationis, quæ dicitur à Græcis Climax, à latinis gradatio, de qua figura diſſerit Auguſtinus in libro quarto de doctrina Chriſtiana, capite ſeptimo. *Tribulatio,* inquit, *patientiam operatur.* Non quod tribulatio ſit efficiens cauſa patientiæ; ſed quod exercendæ patientiæ

Scæuola apud Liuium 1. Decadu lib. 2.

tientiæ occaſio, & materia ſit; ſicut alio in loco Paulus ait: *In tribulatione patientes. Patientia probationē.* Voluntaria enim tribulationum, & malorum tolerantia, reddit eum, qui talia perfert, probatum, & exploratum, atque cognitum, tam ſibi, quàm aliis, quanti DEVM faciat, quantique cœleſtia bona æſtimet. Patientia, inquit Caietanus, operatur probationem, ſicut cauſa effectum, ſiue probatio ſumatur pro eo, quod eſt experimentum facere, ſiue pro eius termino, qui eſt laudatio, & commendatio: patientia quippe vtrumque efficit, nam & experimentum facit animi patientis, & commendabilem atque laudabilem facit animum ita ſufferentem. Verùm huic ſententiæ contraria videtur illa B. Iacobi dicentis: *Probatio fidei veſtræ patientiam operatur.* Sed probatio dupliciter accipi poteſt, vel pro ipſa re, quæ probat, ea verò eſt ipſa tribulatio; vt ſit idem dicere; Probatio operatur patientiam, atque, tribulatio probat patientiam, & ſic locutus eſt Iacobus. Vel probatio ſumitur pro eo, quod eſt, exploratum, & probatum eſſe; qua ratione Pauli dictum eſt intelligendum: nam propterea quis dicitur effici iam probatus, quòd patienter multas, & graues tribulationes pertulit.

Ad Rom 12.

Caietanus.

Locus Iacobi capite 1.

6. *Probatio verò ſpem.* Spes quidem ſimpliciter accepta, præcedit etiam patientiam, & probationem: Sed hic ſpem dixit Apoſtolus pro ipſius ſpei robore ac vigore: qui enim longa experientia didicit, & ſenſit, quod nullis rebus aduerſis à diuinæ legis obſeruantia & ſtudio, cultuque virtutum deduci queat, vehementer erigitur in ſpem vitæ cœleſtis, & magna de eo ſpes haberi poteſt, tam ab ipſomet, quàm ab aliis, quod ad æternam DEI hæreditatem admittendus ſit, ſecundum illud Sapientiæ: *Probauit illos DEVS, & inuenit eos dignos ſe. Spes autem non confundit.* Spes nimirum per tribulationes diu multumque vegetata, & probata non poteſt confundere. Confundere autem dixit Latinus interpres pro eo, quod eſt pudore afficere, quaſi quæ ſperantem fruſtretur ac fallat. Hinc palam fit, quātum boni pariat tribulationum volunta-

Sap. 3.

Iacobi 1. ria propter CHRISTVM perpeſſio. Quocirca verè dixit Iacobus: *Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis.* Et item: *Ibidem.* *Beatus vir, qui ſuffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit DEVS diligentibus ſe.* Et Dominus aperiens, quanta ſit perſecutionum remuneratio, diſcipulis ſuis dixit: *Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Annotandus eſt hic locus contra hæreticos huius temporis, qui aiunt, ſpem noſtram, ſiue fiduciam, ſolis niti ac ſuſtentari DEI promiſſionibus: docet enim apertè Paulus hoc in loco, ſpem noſtram maximè roborari & vegetari teſtimonio bonæ conſcientiæ, & probatione patientiæ, & per longam tribulationum tolerantiam. *Chryſoſtomus.* Nihil eſt, ait Chryſoſtomus, quod adeò nos ad bonorum ſpem erigat & confirmet, quàm bona conſcientia: nullus enim eorum, qui vitam iuſtè ac ſanctè exegit, de futuris bonis diffidit. Contra verò pleroſque videas, qui ſcelerum ſuorum conſcientia ſtimulantur, atque fodiuntur, quibus nec futura improborum condemnatio, nec bonorum remuneratio credibilis fiat. Quod autem ſpes non confundat, vt probet ac perſuadeat Paulus, pro certo, euidentique argumento ſubiungit illa verba: *Quia charitas DEI diffuſa eſt in cordibus noſtris per SPIRITVM ſanctum, qui datus eſt nobis.*

SECVNDA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Verſu 5. Charitas DEI diffuſa eſt in cordibus noſtris per SPIRITVM ſanctum, qui datus eſt nobis.

HANC

7.

HANC Pauli sententiam, à Theologis, præsertim B. Augustino frequenter vsurpatam, & celebratã, appositè, doctèque S. Thomas in commentario huius loci explanat his verbis: Charitas DEI dupliciter potest accipi: vno modo pro charitate, qua nos diligit DEVS; de qua dixit ipse per Hieremiam: *Charitate perpetua dilexi te*. Altero modo pro charitate, qua nos DEVM diligimus, de qua Paulus dixit infrà capite octauo: *Certus sum, quia neque mors, neque vita separabit nos à charitate DEI.* Vtraque autem charitas DEI diffunditur per SPIRITVM sanctum: SPIRITVM enim sanctum, qui est AMOR PATRIS & FILII, nobis dari, non est aliud, quàm adduci nos ad participationem AMORIS, qui est SPIRITVS sanctus; per quam participationẽ efficimur DEI amatores. Et quod nos ipsum amamus, signum est quod ipse nos amet, sicut ipse dixit: *Ego diligentes me diligo.* Et item: *Non quasi nos prius dilexerimus eum. Sed quia ipse prior dilexit nos.* Dicitur autem charitas, qua nos DEVS diligit, diffusa in cordibus nostris: quia est in cordibus nostris patenter ostensa per donum S. SPIRITVS nobis impressum. Quocirca B. Ioannes dixit: *In hoc scimus quoniam manet in nobis, de SPIRITV suo quem dedit nobis.* Charitas verò, qua nos DEVM diligimus, dicitur in cordibus nostris diffusa, quia ad omnes motus, & actus animæ perficiendos se extendit, secundum illud Pauli: *Charitas patiens est, benigna est, &c.* Ex vtraq; porrò supradicta istorum Pauli verborum interpretatione benè concluditur, quod spes non confundit. Si enim accipiatur charitas DEI, qua nos diligit DEVS, manifestum est, quod iis, quos diligit, se ipsum non negabit, secundum illud Deuteronomij 33. *Dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt.* Sin autem charitas DEI intelligitur, qua nos DEVM diligimus, manifestum est, quod se diligentibus æterna bona præparauit. *Si quis diligit me*, ait Dominus, *diligetur à PATRE meo, & ego diligam eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Hactenus ex B. Thoma.

S. Thomas. Hierem. 31. Prouerb. 8. 1. Ioan. 4. 1. Ioan. 3. 1. ad Cor. 13. Ioan. 14.

8. *De vtra charitate Dei loquatur Paulus, de eane qua nos diligit Deus, an qua nos Deum diligimus.* Duplex itaque eſt interpretatio huius loci, charitatem DEI, vel de ea quam DEVS erga nos habet, vel de ea, qnam nos habemus erga DEVM, intelligendo, & exponendo. Priori modo interpretatur Chryſoſtomus, Theophylactus, Occumenius, Ambroſius, Hieronymus, & Caietanus. Nec obſtat huic interpretationi illud: *Diffuſa in cordibus noſtris.* Quibus verbis denotari videtur charitas nobis data, & in nobis inhærens: nam ſiue legamus, diffuſa, ſiue, vt græcè eſt, effuſa, non aliud ea voce ſignificatur, niſi quod charitas DEI apertè ac euidenter declarata eſt per multa & varia dona SPIRITVS ſancti, quæ in nos effudit, id eſt, largè, copiosè, abundanter contulit. Ex hoc autem ſignificatur, fieri non poſſe, vt ſpes noſtra confundat, & fruſtretur nos; propterea quod DEVS nos habet chariſſimos, & hanc ſuam erga nos charitatem declarauit dãdo nobis SPIRITVM ſanctum, tanquam pignus hæreditatis noſtræ, certos nos faciens ſe nobis benè velle, & omninò præſtaturum, quod promiſit nobis. Hanc interpretationem valde adiuuat id quod poſt hæc verba ſubiungit Paulus: *Commendat*, inquit, *charitatem ſuam DEVS in nobis: quoniam ſi cùm adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus CHRISTVS pro nobis mortuus eſt: multò igitur magis nunc iuſtificati in ſanguine ipſius, ſalui erimus ab ira per ipſum.* *Hæretici.* Hæretici huius temporis, qui cauſam ſpei noſtræ vegetandæ ac roborandæ, nolunt eſſe vlla hominis opera, nec vllum in eo bonum inhærens, ſed ſolam DEI erga hominem beneuolentiam, ampliſſimis ſuis promiſſionibus teſtatam, firmatamque; ſolam hanc priorem loci huius interpretationem approbant.

9. Altera horum verborum Pauli expoſitio eſt eorum, qui charitatem DEI interpretantur, quam DEVS nobis donauit, & infudit voluntati noſtræ, qua diligimus ipſum ſuper omnia. Hanc expoſitionem ſolam ſequitur Auguſtinus mille *S. Auguſtinus.* locis, in quibus hanc Pauli ſententiam commemorat, & tractat; præcipuè verò in capite trigeſimo ſecundo libri de ſpiritu, & littera ad hunc modum ſcribens: Non eſſet in nobis

bis DEI charitas, nisi, quemadmodum Apostolus ait, diffunderetur in cordibus nostris, per SPIRITVM sanctum, qui datus est nobis. Charitas quippe DEI dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos DEVS diligit, sed qua nos facit dilectores suos: sicut iustitia DEI vocatur, qua iusti, eius munere, efficimur; & Domini salus, qua nos saluos facit. Hæc est iustitia DEI, quam non solùm docet per legis præceptum, verùm etiam dat per SPIRITVS donum. Sic ibi Augustinus. Eandem expositionem secuti sunt Patres Concilij Tridentini in sess. 6. & in cap. 7. Decreti de iustificatione: eademque recepta, & probata est Theologis, ac fermè omnibus latinis auctoribus, qui post Augustinum fuerunt. Secundum quam expositionem hic est verborum Pauli sensus: Spes non confundit, id est, non frustratur, nec fallit nos, quia per SPIRITVM sanctum infusa est nobis charitas, qua DEVM diligentes, atque promerentes, ita nobis eum deuinciamus, vt non possit non præstare quod promisit nobis. Origenes in commentario huius loci, vtramque supradictam expositionem commemorat, & approbat, atque amplectitur. Et verò, vtraque, siue Pauli hoc in loco consilium & propositum spectes, siue contextum orationis, & verborum tam præcedentium hanc sententiam, quàm subsequentium consideres, est admodum probabilis: vel vnus itaq; hic locus (sunt verò etiam alij complures) satis ostendit, vnius loci Scripturæ, litterales, vt vocant, sensus, & expositiones, plures esse posse. Equidem putauerim, quod dixerat Paulus: *Spes non confundit*; probare deinceps voluisse, ex charitate DEI: primùm quidē ex ea charitate, qua nos facit amatores sui, illis verbis: *Quia charitas DEI diffusa est in cordibus nostris, &c.* Deinde ex ea charitate qua DEVS dilexit nos, etiam cum peccatores, atque eius inimici essemus, illis verbis: *Commendat autem charitatem suam DEVS in nobis: quoniam si cum adhuc peccatores essemus, &c.* Vtraque enim charitas confirmat spem nostram, & prohibet nos timere, ne confundamur, & frustremur.

Origenes.

Vnius loci Scripturæ plures sensus litterales esse posse.

10. Hæc porrò DEI charitas, donata nobis & diffusa in cor-

 dibus

Charitatem esse eã ipsam iustitiam qua iusti efficimur, et sumus ex sententia B. Augustini.

dibus nostris, est, secundum Augustinum, ea ipsa iustitia qua verè ac propriè, & vt in scholis loquimur, formaliter iustificamur coram DEO, id est, efficimur, & sumus iusti, & sancti, & amici, & filij DEI, & hæredes vitæ æternæ. Audiat lector Augustini tres super hac re memorabiles sententias in vno eodemque libro, qui inscribitur de natura & gratia contra Pelagianos, in cap. 42. & 63. & 70. ab eo scriptas. Quarum prima est hęc: Charitas DEI, ipsa est verissima, plenissima, perfectissimaque iustitia. Charitas enim DEI quantam plenissimè natura nostra sana atque purgata capere potest, diffunditur in cordibus nostris per SPIRITVM sanctum, qui datus est nobis. Altera sententia est huiusmodi. Ex fide CHRISTI, etiam ante passionem eius, homines iustos vixisse non dubium est: ipse enim præstat SPIRITVM sanctum, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris, qua vna iusti sunt, quicumq; iusti sunt. Tertia sententia sic habet: Charitas inchoata, inchoata iustitia est: charitas prouecta, prouecta iustitia est: charitas magna, magna iustitia est: charitas perfecta, perfecta iustitia est: sed charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta: quæ tunc maxima est in hac vita, quando pro illa, & ipsa contemnitur vita: quæ non diffunditur in cordibus nostris vel naturæ, vel voluntatis opibus, quę sunt in nobis; sed per SPIRITVM sanctum, qui datus est nobis, qui & infirmitati nostræ opitulatur, & sanitati nostræ cooperatur: ipsa enim est gratia DEI per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum. Sic Augustinus.

S. Augustinus. *1. Timot.*

II. *Charitatem esse donum DEI omnium donorum eius maximum. S. Augustinus.*

Quantum verò donum DEI sit charitas, quantumq; ceteris donis eius tum dignitate, tum vtilitate antecellat, luculentè docet idem Augustinus in cap. 18. lib. 15. de TRINITATE, nam loquens de dono charitatis: Nullum est, inquit, isto DEI dono excellentius. Solum hoc est, quod diuidit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ. Dantur & alia per SPIRITVM sanctum munera, sed sine charitate nihil prosunt. Nisi ergo SPIRITVS sanctus hominem faciat DEI, & proximi amatorem, à sinistra non transfertur ad dextram.

xtram. Nec SPIRITVS propriè dicitur donum, nisi propter charitatem: quam qui non habuerit, etiamsi linguis hominum loquatur, & ANGELORVM, sonans æramentum est, & cymbalum tinniens. Et si habuerit Prophetiam, & scierit omnia Sacramenta, & omnem scientiam tenuerit, & habuerit omnem fidem, ita vt montes transferat, & distribuerit omnem substantiam pauperibus, & tradiderit corpus suum ita vt ardeat, nihil ei proderit. Quantum ergo bonum est, sine quo ad æternam vitam bona tanta non perducunt? Et quantum bonum est, quod habentem ipsum, etiamsi ceteris careat supradictis, ad regnum perducit? sola charitas est, quæ fidem facit vtilem: sine charitate quippe potest quidem esse fides, sed prodesse non potest. Sicut Apostolus etiam dixit, quod: *In CHRISTO IESV neque circumcisio, neq; præputium aliquid valet, sed fides, quæ per dilectionem operatur.* Sic eam discernens ab ea fide, qua, *& dæmones credunt, & contremiscunt.* Dilectio igitur, quæ ex DEO est, & DEVS est, propriè SPIRITVS sanctus est, per quem diffunditur in cordibus nostris DEI charitas, per quam nos tota inhabitat TRINITAS. Quocirca rectissimè SPIRITVS sanctus, cum sit DEVS, vocatur etiam donum DEI: quod donum propriè quid, nisi charitas, intelligenda est, quę perducit ad DEVM, & sine quo quodlibet aliud donum, non perducit ad DEVM? Sic eo loco Augustinus. Quod autem sola charitas est, quæ distinguit filios regni à filiis perditionis, pluribus declarat Augustinus in Tractatu 5. in 1. epist. B. Ioannis hunc in modum scribens: Sola dilectio discernit inter filios DEI, & filios diaboli. Signent se omnes signo crucis CHRISTI, respondeant omnes in ecclesia, Amen: cantent omnes, Alleluia: baptizentur omnes, frequentent ecclesias, audiant verbum DEI, faciant parietes basilicarum: non discernuntur filij DEI, & filij diaboli, nisi charitate. Qui habent charitatem, nati sunt ex DEO; qui non, non sunt nati ex DEO. Quicquid vis, habe: hoc solum non habeas, nihil tibi prodest: alia si non habes, hoc habe; & implesti legem. *Qui enim diligit alterum*, ait Apostolo-

1. Ad Cor. 13.

Ad Gal. 5.

Iacobi 2.

S. Augustinus

Ad Rom. 13. *Ibidem.* *Matth. 13.*

postolus, *legem impleuit*, Et, *plenitudo legis est dilectio.* Puto istam esse illam margaritam euangelicam, quam prudens negotiator, venditis omnibus suis, emit sibi eam. hæc margarita pretiosa est charitas sine qua nihil tibi prodest quodcumq; habueris: quam si solam habeas, sufficit tibi. Hactenus Augustinus.

12. *Secundum Augustini doctrinam, charitatem re non distingui à gratia gratum faciente.*

Ex supradictis verò sententiis Augustini apparet, secundum eius doctrinam, & sententiam, charitatem non esse rem diuersam, nec donum DEI re distinctum à gratia gratum faciente: multa enim in verbis supra memoratis dixit, quæ vera esse non videntur, si gratia gratum faciens ponatur res quædam distincta à charitate, prius naturâ sanctificans, & gratum faciens hominem, dansque ei supernaturale quoddam, & quasi diuinum esse, secundum quod per virtutes infusas, possit facere opera supernaturalia, quibus supernaturalem felicitatem promereatur: vt gratia gratum faciens habeat se ad charitatem, & alias virtutes infusas, sicut habet se anima ad potentias ex ea naturaliter prouenientes. Si hæc, inquam, dicantur de charitate, & gratia gratum faciente, quæ sanè dicunt Thomistæ, equidem non dubitanter dixerim, multas de supradictis Augustini sententiis veras esse non posse. Primò enim ait, charitatem esse, qua vna iusti sunt, quicunq; iusti sunt. At si gratia gratum faciens re distinguitur à charitate, cum ea prius naturâ dicatur sanctificare, & iustificare hominem, quomodo verum esse potest, per vnam, siue per solam charitatem iustificari hominem; cum prius naturâ, & principalius per ipsam gratiam sanctificetur & iustificetur?

13. Secundo, Augustinus dixit, quod charitas est ipsa gratia DEI, loquitur autem de gratia gratum faciente, quæ simpliciter appellatur gratia, non posset autem verè dici, quod charitas est gratia, si essent res diuersæ. Tertiò, affirmat Augustinus, charitatem esse ipsam iustitiam, qua iusti, & sancti sunt quicunque iusti, & sancti sunt, nihilq; ab ea differre; sed pariter atque ipsam augeri, & perfici. At iustitia, qua iusti, & sancti efficimur coram DEO, non est aliud, nisi gratia gratum faciens.

faciens. Quartò, Augustinus ait, quod sola charitas est, quæ distinguit filios DEI à filiis diaboli: quod profectò verum non esset, si gratia gratum faciens ponatur re diuersa à charitate, & prior natura quàm ipsa: ea namque primò, & principaliter discernit filios DEI à filiis diaboli. Quintò Augustinus dixit, charitatem esse maximum, & præstantissimum omnium donorum DEI, & hoc solùm ad salutem, & vitam æternam sufficere: sed hoc verum non esset, si esset gratia res diuersa à charitate: illa enim esset excellentissimum omnium donorum DEI, nec sine illa, charitas aut esse posset, aut sufficeret. Sextò, Augustinus ait, solam esse charitatem, quę fidem, & alias virtutes viuificat, & vtiles facit; at hoc prius natura, & principalius faceret gratia, si res diuersa foret à charitate, tantum abest, vt id sola charitas faceret, sicut dixit Augustinus.

14. Plura super hac re, afferri possent: sed plura dici, nostri ratio instituti non patitur. Qui copiosiorem huius quæstionis tractatum desiderat, duos pernobiles huius ætatis, legat Auctores, Andream Vegam in caput septimum decreti Tridentini de iustificatione, hoc est, in capite vigesimo quinto libri sui septimi; & Cardinalem Bellarminum in tertio tomo, in primo libro de gratia, & libero arbitrio, in capite sexto. Atq; hæc non eo consilio, & animo disputauimus, vt damnaremus sententiam B Thomæ, quam bonis rationibus fundatam esse, firmatamque non negamus, quin etiam in scholis nostris publicè docemus ac tuemur; sed, vt quid nobis probabilius videretur, secundum doctrinam B. Augustini, indicaremus lectori.

Andreas. Vega Illustriss. Card. Bellarminus.

TERTIA DISPVTATIO.

Quid significent illa verba, quæ de charitate dixit hoc loco Apostolus:

Diffusa est in cordibus nostris.

Versu 5.

15.

ILLVD: *in cordibus nostris*, duas indicat, & confirmat sentẽtias catholicas: quarum vna est, charitatem & gratiam esse rem quampiam à DEO creatam, & inhærentem in animis nostris: altera est, nomine charitatis non tantum intelligi debere actum ipsum dilectionis, sed habitum manentem in homine iusto, etiam cum non facit actus dilectionis. De priori sententia, etiam priori loco nos breuiter dicamus. Licet Thomas Waldensis in titulo primo de Sacramentis capite primo dixerit: Si Pelagius solùm negauit gratiam, quæ est qualitas in anima hominis creata, non eum propter hoc fuisse hæreticum, nec repugnasse doctrinæ Catholicæ: attamen semper in ecclesia Catholica pro certo & indubitato fuit, gratiam, & charitatem esse quippiam productum à DEO, & inhærens in hominis anima: nec esse, vt hæretici aiunt, externum quendam DEI fauorem, & beneuolentiam erga hominem, cui bene vult, & fauet, & habet eum pro amico, & filio, & admittit ad participationem hæreditatis suæ in cœlis: istam enim hæreticorum sententiam supra confutauimus, cum disputaremus, hominem iustificari formaliter per iustitiam sibi datam & inhærentem, non autem per iustitiam CHRISTI sibi imputatam. atque hoc ipsum pluribus, & grauissimis verbis constitutum est & decretum à Patribus Concilij Tridentini in capite septimo decreti de iustificatione; & in Canone 11. anathematizantur, qui gratiam & charitatem qua iustificamur,

Charitatem esse aliquid inhærens in animo nostro.
Thomas Vualdensis.

Concil. Trid.

ſtificamur, negant eſſe aliquid donatum, & inhærens nobis. Hoc certè declarat euidenter, quod dixit hoc loco Paulus de caritate, *diffuſam eſſe in cordibus noſtris*, illud enim, *diffuſam eſſe*, demonſtrat eſſe aliquid à DEO productum. Et illud: *in cordibus noſtris*, eſſe aliquid nobis donatum à DEO, & in nobis ipſis inhærens. Quod ſi gratia, & charitas non eſſet aliquid productum, & inhærens in animis noſtris, quomodo verum eſſet, quod vſq; ab initio vniuerſa ſenſit eccleſia Catholica, Sacramenta nouæ legis gratiam continere, & conferre, & efficere? non enim gratia, & charitas quæ eſt in DEO, nec iuſtitia, quæ eſt in CHRISTO, à Sacramentis contineri, & conferri, & effici poteſt.

16. *Eſſe in homine iuſto habitum charitatis, ceſſante actu, manentem.*

Altera ſententia, quod nomine charitatis intelligi debeat non ſolùm actus dilectionis, ſed habitus etiam, ceſſante actu dilectionis, manens in homine, tanquam principium promptè, ac delectabiliter, perfecteque faciendi actus ipſos dilectionis, manifeſtè probatur ex diuina Scriptura. Nam & hoc denotat illud: *Diffuſa in cordibus noſtris*, vocabulũ enim, *diffuſa*, vel, *infuſa*, ſignificat non actum ipſum charitatis, ſed habitum, ceſſante actu, manentem in nobis Vnde apud Theologos appellati ſunt habitus infuſi, & virtutes infuſæ. Actus enim dilectionis, cum ſit à voluntate ipſa factus, non poteſt (ſi propriè loquamur) appellari infuſus: infuſa quippe dicuntur, quæ non à nobis, ſed à DEO producta, nobiſq; donata ſunt. Deinde Apoſtolus Ioannes ait: *Omnis qui natus eſt ex DEO, peccatum non facit, quia ſemen ipſius in eo manet.* In hac ſententia & vocabulum ſeminis, quo ſignificatur DEI gratia, & charitas: & verbum, *manet*, apertè indicant aliquid in nobis inhærens & permanens. Idem ipſum comprobat illa Domini noſtri ſententia: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & PATER meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Hîc diſtinguitur, *veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Sicut diſtinguitur motus, & actus charitatis, per quem DEVS ad nos venit, & habitus charitatis, per quem, etiam ceſſante actu, permanet in nobis.

1. Ioan. 3.

1. Ioan. 4. Huc etiam ſpectat illud Ioannis in ipſa eius epiſtola: *In hoc,* inquit, *cognoſcimus quod iam in eo manemus, & ipſe in nobis, quoniam de SPIRITV ſuo dedit nobis.* Et illud item: *Qui manet in charitate, in DEO manet, & DEVS in eo.* Hæc profectò, atque harum ſimiles aliæ diuinæ Scripturæ ſententiæ, quibus dicitur DEVS manere, & habitare in animis noſtris, liquidò oſtendunt, gratiam & charitatem, per quam DEVS in nobis eſt, eſſe quid permanens in nobis. Cum enim DEVS in omnibus rebus ſit generali modo, per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, non videtur benè intelligi poſſe, quemadmodum ſpeciali quadam ratione habitet & maneat in viris iuſtis, niſi per habitum charitatis, & virtutum, quibus eos diuinitus informat, & decorat, & ornat. Huc nempe, etiam illud pertinet, quod ſcripſit Paulus ad Corinthios: *DEVS,* inquit, *ſignauit nos, & dedit pignus SPIRITVS in cordibus noſtris;* Et illud ad Epheſios: *Signati eſtis SPIRITV promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ.*

Ibidem.

2. Ad Cor. 1.

Ad Epheſ. 1.

17. Et verò, ſi charitas non eſſet quiddam permanens in homine, ſequeretur inde, ſeruos DEI, cum deſinunt operari, aut cum dormiunt, non eſſe formaliter iuſtos, nec DEO gratos; immò eſſent in eo ſtatu, in quo non placent DEO. Si enim vt dixit Paulus, *ſine fide impoſſibile eſt placere DEO,* in dormiente autem non poteſt eſſe fides ſecundum actum, ſi non eſſet ſecundum habitum, nulla eſſet in eo fides: non igitur placeret DEO. Si etiam qui charitatem non habet, vt idem ait Paulus, nihil eſt coram DEO; iuſtus verò dormiens, charitatis actum habere non poteſt; nihil eſt igitur coram DEO. Certum præterea eſt, ſemperq; fuit in eccleſia catholica, infantibus baptizatis non ſolùm condonari peccatum originale, ſed etiam gratiam, & virtutes ſupernaturales infundi. Cum igitur virtutum actus, id ætatis, habere non queant, rationis videlicet, atque voluntatis vſu carentes; neceſſum eſt in ipſis eſſe habitus virtutum: nec ſanè Sacramentum baptiſmi cauſans in illis gratiam, & virtutes ſupernaturales, aliter cauſare poteſt quàm ſecundum habitum.

Ad Hebræos cap. 11.

1. Ad Cor. 13.

Non

18. *An sint necessarij habitus infusi.*

Non sum nescius, & Scotum dist.26. & Gabrielem in primo distinct.27.& Caietanum in suis commentariis super Secunda Secundæ quæst.171. art. 2. censuisse, nullam suppetere nobis rationem, qua demonstrare possimus ponendos esse in nobis eiusmodi habitus; cùm possit DEVS quidquid per istos habitus operatur, facere etiam sine illis, per speciale suum auxilium,& motum. Sed istis ego non assentior: sed contra censeo, maximè congruens esse rationi, maximeq; conueniens & condecens sapientissimæ, ac suauissimæ DEI prouidentiæ, disponentis, atque regentis omnia fortiter, & suauiter, eiusmodi habitus infundere iis, qui ab ipso iustificantur, & sanctificantur. Si enim cuilibet agenti naturali dedit formam,& facultatem naturalem in eo inhærentem, atque permanentem, per quam commodè ac perfectè actiones suas efficere queat: nonne consentaneum est putare, id non denegasse DEVM iis, quos sibi amicos fecit, & in filios adoptauit; & quos vult ac iubet facere opera diuina & supernaturalia? præsertim verò cùm multa sint, quæ impediunt ac retardant hominem ab huiusmodi operum effectione, partim quidem propter naturæ corruptæ plures ad malum propensiones; partim ob habitus prauos, flagitiosè viuendo comparatos,& inueteratos. Ergo, si DEI perfecta sunt opera, cùm doceat philosophia, idemque comprobet experientia, non esse actum vel operationem aliquam perfectè bonam, nec promptè ac delectabiliter fieri, nisi procedat ex habitu; non est profectò dubitandum, quin etiam DEVS eiusmodi habitus largiatur iustificatis à se hominibus, per quos illi, quotiescumque voluerint, promptè, ac iucundè, perfectèque, quod iustos decet, operari queant.

Scotus. *Caietanus.* *Sap. 8.* *Deut. 32.*

19. *An B. Augustinus agnouerit habitus charitatis.*

Sed quispiam fortasse nobis obiiciet definitionem charitatis traditam à B. Augustino in capite decimo libri tertij de doctrina Christiana illis verbis: Charitatem voco, motum animi ad fruendum DEO propter ipsum,& se atque proximo propter DEVM. Si Augustinus sensisset, charitatem esse habitum in nobis manentem, non vtique definiuisset

eam per actum seu motũ, sed per habitum; quia talis motus & actus; est effectus ipsius habitus, ob idque posterior ipso; & est aliquid transiens; habitus verò est permanens. Sed respondeo, Augustinum eo loco noluisse definire virtutem ipsam charitatis, quæ est habitus, sed actum ipsum charitatis, quæ est dilectio: quoniam hæc, est notior homini, quàm ipse habitus, & est finis ipsius: Nam vt ipsemet Augustinus scribit in libro decimo quinto de TRINITATE, capite decimo octauo, sæpenumerò tam in scriptura, quàm in communi loquendi vsu, duo hæc nomina, charitatis, & dilectionis, pro eodem vsurpantur. Quod autem Augustinus præter motum, & actum charitatis, agnouerit habitum eius, multis ex locis scriptorum eius ostendi & probari posset. In libro quippe de moribus Ecclesiæ, capite 11. vocat charitatem virtutem animi nostri; & in lib. de Natura & Gratia cap. 63. ait, charitatem esse iustitiam, qua iusti sumus: Iustitiam autem, qua iusti sumus, super Psalmum 118. concione 26. appellat virtutem animi, quam DEVS in nobis efficit: nomen autem virtutis de habitu tantùm dicitur, non autem de actu.

QVARTA DISPVTATIO.

QVID SIGNIFICARE VOLVERIT Apostolus illis verbis:

Per SPIRITVM sanctum qui datus est nobis.

20. INDVBIE beatus Paulus istis verbis ostendit, causam efficientem charitatis nec esse naturam, nec humanam voluntatem, nec vllam rem creatam: sed eius effectorem solum esse DEVM TRI-

TRINVM & VNVM, per quandam tamen, vt vocant appropriationem, auctorem eius dici SPIRITVM sanctum. Est quidem in cunctis hominibus naturalis ad diligendum DEVM propensio; verum enim est, quod in libris de diuinis nominibus in capite quarto partis secundæ dixit B. Dionysius, omnibus esse diligibile, & amabile bonum diuinum: sed ea tamen naturalis dilectio & charitas hominis erga DEVM, fertur in eum tanquam in vltimum finem, & summum bonum naturale hominis, & obiectum naturalis beatitudinis humanæ: charitas verò, de qua hîc loquitur Apostolus, fertur in DEVM vt in supernaturalem finem hominis, & obiectum supernaturalis beatitudinis. Efficientem igitur charitatis causam necessum est esse supernaturalē. Est quippe charitas amicitia quædam hominis cum DEO, fundata in communicatione diuinorum bonorum, potissimum verò æternæ beatitudinis. Talis porrò communicatio, non est secundum bona naturalia, vel humana, sed est secundum diuina bona gratuita, secundum illud Pauli: *Gratia DEI, vita æterna.* Charitas igitur omnem excedit naturæ facultatem: quare nō potest esse vel à natura nobis data, vel per vires nostras naturales acquisita: nullus enim effectus transcendit causam suam: producitur ergo charitas à DEO, & datur nobis per infusionem SPIRITVS sancti, qui est amor PATRIS & FILII: cuius participatio in nobis, est ipsa charitas producta.

S. Dionysius.

Ad Rom. 6.

21. Quoniam verò Apostolus dicens, charitatem esse in nobis diffusam per SPIRITVM sanctum, apertè distinguit charitatem, quæ in nobis est, à SPIRITV sancto, per quem ea infunditur nobis; supra verò docuimus, nomine charitatis, præcipuè intelligi hoc loco habitum charitatis; satis hinc apparet, secundum Apostoli doctrinā SPIRITVM S. non immediatè, sed medio charitatis habitu inhabitare animā nostrā; nec immediatè mouere voluntatem nostram ad actum dilectionis, sed medio charitatis habitu. Quocirca hic ipse Pauli locus etiam conuincit, falsam esse opinionem Magistri sententiarum, qui in decima septima distinctione primi libri tradit,

Discutitur opinio Magistri negantis habitū charitatis.

tradit, etiam si SPIRITVS sanctus inhabitans animam hominis, moueat intellectum eius ad credendum, non immediatè, sed medio habitu fidei; & item moueat voluntatem eius ad sperandum, non immediatè, sed per habitum spei: ad actum tamen dilectionis, qui fit ex charitate, moueri ab eo voluntatem hominis, non medio aliquo habitu, sed immediatè per semetipsum, ita vt ipse sit, per quem DEVM diligimus. In quam ille sententiam adductus est, tum ob excellentiam charitatis, super omnia laudatam in sacris litteris, & celebratam à Patribus, quæ visa ei est maius quidpiam omni qualitate, & dono creato: tum etiam permotus est nonnullis Augustini sententiis, quæ sunt in libro de moribus Ecclesiæ, capite 11. & in 8. libro de TRINITATE capite 7. & 8. & in tractatib. eius super primã Ioannis epistolam. Quibus in locis Augustinus ait, nihil esse melius charitate: quo significatur ipsam charitatem esse DEVM; quippe qui solus est, quo nihil melius est. Affirmat etiam Augustinus, charitatem, siue dilectionem, qua diligimus DEVM, & proximum, esse ipsum DEVM & SPIRITVM sanctum. Dicitur quidem DEVS in scriptura esse spes, & salus, & patientia, non quidem essentialiter, sed effectiuè: idcirco non ita nominatur simpliciter, sed cum illa adiunctione, mea, vel, nostra: At DEVS simpliciter, & præcisè dicitur charitas, & non cum illa adiunctione, mea, vel nostra. Non itaque putauit Magister, SPIRITVM sanctum, esse id, quo formaliter diligimus, aut esse ipsum actum dilectionis: id enim in hominem sanæ mentis, nedum prudentem, & doctum cadere non potest: sed existimauit SPIRITVM sanctum sine medio habitu charitatis per semetipsum mouere volũtatem ad producendum actum dilectionis: vt tantùm ille negauerit habitum charitatis productum à DEO, & in voluntate inhærentem.

22. *S. Thomas.* Hæc sententia refellitur ab omnibus, & ad eam refellendam valet plurimum ea ratio, qua vsus est B. Thomas in Secunda Secundæ, quæstione 23. art. 2. quæ est huiusmodi: Aut voluntas liberè mouet seipsam ad efficiendum actum dilectionis,

ctionis, aut tantùm mouetur à SPIRITV sancto: si hoc dixeris, non erit vtique liber actus dilectionis, & ideo nec meritorius esse poterit; cùm tamen tota merendi radix sit in charitate. Dixi, non futurum sic liberum actum voluntatis, quia non esset sic in potestate voluntatis eligere actum diligendi, cùm non esset in potestate eius moueri à SPIRITV S. ad diligendum: Motio enim superioris causæ, non est in potestate inferioris. Sin autem dixeris, voluntatem liberè producere actum diligendi, etiam fatearis necesse est, produci eum actum à voluntate charitatis habitu informata. Nam cum actus charitatis omnem excedat naturam potentiæ voluntatis; nisi aliqua forma supernaturalis superadderetur naturali potentiæ voluntatis, per quam ipsa inclinaretur ad actum dilectionis, esset profectò actus ille imperfectior omnibus aliarum virtutum actibus: nec esset facilis, & delectabilis; cùm tamen nulla virtus tantam habeat ad actum suum propēsionem, quantam habet charitas, nec tanta cum delectatione operetur. Et verè cùm in omni agente principium operationis eius sit aliqua forma in eo manens, & vir iustus faciat opera meritoria vitæ æternæ; necessarium itidem est, in eo formam esse aliquam, quæ sit principium faciendi opus meritorium: Id porrò nec naturalis potentia, nec humana quæpiam facultas esse potest, id enim esset Pelagianum; nec fides, aut spes, quia ea possunt esse in peccatore: nec gratia, si ea distinguatur re à charitate. Secundum enim istam opinionem, Gratia non est immediatum principium vllius operationis. Relinquitur ergo, formam illam, quæ in iusto est principium, & radix merendi, esse habitum charitatis in voluntate inhærentem atque manentem.

23. *Quomodo intelligendus sit Augustin dicens, nos diligere per dilectionem qua est Deus.*

Nec mouere quemquam debent Augustini dicta, quæ suprà indicauimus: Augustinus enim sicut dixit, nos diligere charitate, quæ est DEVS, ita dixit, nos esse sapientes sapientia DEI, & bonos bonitate DEI, & cognoscere verum veritate incommutabili, quæ est DEVS; nihil aliud profectò istiusmodi verbis significare volens, quàm quod bonitas, qua

ſumus formaliter boni, eſt participatio quædam diuinæ bonitatis: & charitas, qua diligimus DEVM, & proximum, eſt participatio, & tanquam imago quædam diuinæ charitatis. Hic enim dicendi modus vſitatiſſimus eſt apud Platonicos, quorum maximè doctrinis imbutus fuerat Auguſtinus, & in quorum ſcriptis diu multumque verſatus fuerat: quod quidam non aduertentes, ait S. Thomas, ex verbis Auguſtini errandi ſumpſerunt occaſionem.

QVINTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Verſu 7.

Vix enim pro iuſto quis moritur: nam pro bono forſitan, quis audeat mori.

VALET hoc ad exaggerandum incomparabilem CHRISTI erga nos charitatem: nam cùm inter homines vix reperiatur vllus, qui etiam pro iuſto, & bono, & amico mori ſuſtineat; CHRISTVS tamen pro peccatoribus, & impiis, atque inimicis mortem, ſumma voluntate, charitateque oppetiuit. Sed duæ res obſcurum faciunt hunc locum: tum quod non eſt manifeſtum, quid per iuſtum & bonum intelligere oporteat hoc loco: tum etiam quod non ſatis liquet, an duo illa vocabula iuſti, & boni, vnam atque eandem rem ſiue perſonam ſignificent, an diuerſas.

24.
Nouem expoſitiones.
Prima expoſitio.

S. Hieronymus in epiſtola centeſima quinquageſima prima, quam ſcripſit ad Algaſiam, in reſponſione ad ſeptimam eius quæſtionem, ſuper explanatione huius loci diſputans, quinque refert eius expoſitiones; quarum prima eſt Marcionis hæretici: hic duos faciens Deos, vnum veteris Teſtamenti, & Prophetarum, alterum noui Teſtamenti, & Apoſtolorũ: dixit

dixit, illum appellarit hoc loco iustum, pro quo vel nulli, vel paucissimi mortem subierunt: hunc autem vocari bonum, id est, CHRISTVM, pro quo innumerabiles martyres extiterunt. Verùm hæc expositio aduersatur Paulo dicenti, pro bono forsitan aliquem mori ausurum; significanti vtique, tales fore paucissimos: at pro DEO Euangelij, siue CHRISTO, ipsemet ait innumeros subiisse martyrium. Secunda expositio est Arrij, sectæ Arrianorum auctoris: qui iustum refert ad CHRISTVM, quia ipse de se dixit: *PATER non iudicat quemquam, quia omne iudicium dedit FILIO:* Bonum verò refert ad PATREM, de quo ipse FILIVS confitetur; quod, *Nemo bonus nisi solus DEVS.* Sed etiam expositio hæc aduersatur Apostoli verbis: Si enim per iustum intelligendus est CHRISTVS, vt Arrius inquit, quomodo verum erit, quod ait Apostolus: *Vix pro iusto quis moritur?* Cùm pro CHRISTO tot hominum myriades mortem vltrò adierint? Tertia expositio est, vt per iustum intelligatur lex vetus, in qua iustitia exigebatur, & vix pauci inuenti sunt, qui pro ea sanguinem funderent: in nouo autem Testamento, in quo bonitas est atque clementia, innumeri extiterunt Martyres. At enim, hoc ipsum contradicit Paulo dicenti, pro bono forsitan aliquem mori ausurum; qui modus loquendi magnam significat paucitatem, & raritatem. Quarta expositio: nonnulli sic interpretantur hunc locum: Si CHRISTVS pro nobis impiis mortuus est: quanto magis nos sine dubitatione vlla, pro iusto & bono CHRISTO debemus occumbere. Sed enim Paulus hoc loco non hortatur Christianos ad mortem pro CHRISTO obeundam, sicut ille pro nobis eā subiuit: sed confirmare eorum spem & fiduciā voluit, exposita inęstimabili charitate CHRISTI. Si enim, inquit, cùm adhuc essemus impij, & inimici, ille pro nobis mortuus est: quanto magis nūc reconciliati, & amici facti, salui erimus ab ira DEI per ipsum? Quinta expositio est, quam præ cæteris probat Hieronymus: Iustum, inquit, & bonum non putemus hoc loco esse diuersa, nec aliquam propriā signifi-

Secunda expositio.
Ioan 5.
Matth. 19.
Tertia expositio.
Quarta expositio.
Quinta expositio ipsius Hieronymi.

care personam; sed absolutè iustam rem & bonam, pro qua difficulter quidem, sed interdum tamen aliquis inueniri potest, qui suum sanguinem fundat. Sensus igitur horum Pauli verborum est huiusmodi: Incredibilis esse bonitatis, & clementiæ inauditæ, mori pro impiis, & inimicis: vix enim pro iusto & bono aliquem mori, metu mortis cuncta terrente: Inueniri tamen interdum potest, vt aliquis pro re iusta, & bona mori audeat. Charitas ergo DEI, quam habuit erga nos, hinc maximè comprobatur, quod CHRISTVS pro nobis peccatoribus & impiis mortuus est, vt nos pios & iustos faceret. Hactenus ex Hieronymo.

25. *S. Thomas. Sexta expositio.*

S. Thomas in commentario huius loci duas præterea memorat eius expositiones, ita scribens: Vix, inquit, reperitur, qui mori velit pro homine iusto liberando: Immò queritur capite 56. Isaias dicens: *Iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo.* Dixit *(vix)* quia fieri potest, vt rarus aliquis ex zelo virtutis audeat mori pro bono homine; rarum autem est, quia maximum charitatis opus est, secundum illud Domini: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat pro amicis suis.* Illud autem quod CHRISTVS fecit, vt quis moriatur pro impiis, & inimicis, nunquam inuenitur: & ideo maximè admirandum est, quare CHRISTVS hoc fecerit. Possunt etiam exponi aliter hæc verba, vt per iustum intelligamus hominem in virtute exercitatum; per bonum verò, hominem simplicem, atque innocentem. Et licet secundum hoc, iustus sit præstantior bono; tamen pro iusto vix aliquis moritur, pro bono autem interdum. Huius ratio est, quia innocens, qui per bonum intelligitur, magis videtur miserandus propter defectum ætatis, vel alicuius huiusmodi: iustus autem, quia perfectus, & absque defectu est, non ita mouet ad commiserationem. Quod igitur aliquis moriatur pro bono, id est, pro innocente, potest ex compassione misericordiæ prouenire: sed quod aliquis moriatur pro iusto, prouenit ex zelo virtutis, qui in paucioribus reperitur, quàm misericordia, & compassio. Hæc B. Thomas. Cuius poste-

Ioan. 15.

Septima expositio.

posterior expositio est Ambrosij super hoc loco, iisdem penè verbis tradita.

26. *Octaua expositio Caietani.*

Octaua expositio est Caietani, qui per iustum intelligit quemlibet hominem virtute præditum; per bonum verò, intelligit virum supererogationis bonis eminentem, pro quo fortasse reperiri aliquis possit, qui mortem libenter subiret. Monet autem, hanc Pauli sententiam esse intelligendam de iis, qui per se eligunt mori; ad differentiam videlicet præliantium, qui per se non eligunt mori, sed repugnant vt vincant, & vellent, si possent, mortem euadere. Nec solùm vt per se eligant mori, sed etiam vt eligant mori pro altero homine.

Nona expositio.

Nona expositio est Catharini, qui per iustum intelligit hominem virtute præditum; per bonum verò hominem liberalem & benignum, & beneficum, pro quo facilius est reperire, qui mortem adeat, quàm pro iusto. Magnum enim, & multiplex, acceptum ab aliquo beneficium, vehementius nos ei deuincit, & obligat, quàm spectata in alio iustitia. Ego libentius sequor quintam expositionem, quæ est B. Hieronymi, à qua parum differt sexta, absque eo tamen, quod puto per iustum, & bonum intelligi debere non rem siue causam iustam, & bonam, vt dixit Hieronymus, sed personam, & hominem iustum, atque bonum: hoc enim apertè deposcit contextus verborum, & ratio disputationis Pauli, qui eo maximè charitatem CHRISTI extollit, quod non mortuus est pro iustis, & bonis amicis, pro quo genere hominum fortasse aliquis, tametsi rarus, mori audeat: Sed pro peccatoribus impiis, & inimicis mortuus est. Extat in antiquis litterarum monumentis, nonnullos, pro defensione ac salute populi sui vltro se morti obiecisse, vt apud Hebræos Samsonem, apud Athenienses Codrum, apud Lacedæmonios Leonidam, apud Romanos etiam, Decios.

SEXTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Versu 12.

Propterea, ſicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit.

27.

HOc loco B. Paulus pulcherrima quadam antitheſi, inter Adamum, & CHRISTVM luculenter expoſita, oſtendit, vtrumque fuiſſe originem, & fontem eorum, quæ ad vniuerſos homines permanarunt, ſed contrario in genere. Adamus enim, ſua inobedientia, auctor fuit conceptionis, & condemnationis vniuerſi generis humani; contra verò CHRISTVS, ſua obedientia, omnium hominum iuſtificationis & ſalutis cauſa fuit. Hoc itaque loco Paulus de originali peccato omnium hominum, quod ad eos ex primo homine deriuatum eſt, diſſerit. Qui locus præcipuus totius Scripturæ eſt, quo maximè nititur, & firmatur doctrina, quam de peccato originali tradunt Theologi, & vniuerſa tenet eccleſia Catholica. Vnde autem Paulus ad hanc de peccato originis diſputationem deſcenderit, & quemadmodũ hæc diſputatio cohæreat cum iis, quæ proxime ante docuerat, S. Auguſtinus in libro 4. contra duas epiſt. Pelag. ca. 4. diligenter explicans, docet, exordium huius diſputationis ſumptũ eſſe ab illis verbis paulò antè præcedentibus: *Si enim cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus* DEO, *per mortem filij eius: multo magis reconciliati ſalui erimus, in vita ipſius.* Quoniam ibi dixerat, reconciliatos nos eſſe DEO per CHRISTVM; quemadmodum id factum ſit, hic aggreditur oſtendere: per comparationem inter CHRISTVM, & Adamum, declarans, propter peccatum Adami, vniuerſum genus humanum vitiatum & corruptum eſſe, &

S. Auguſtinus.

peccato

peccato infectum, & obnoxium morti: propter CHRISTVM autem esse sanatum, & in ampliorem dignitatem, atq; libertatem assertum.

Verùm singula Pauli verba, quæ proprias habent difficultates, & accuratam requirunt explanationem, pensitanda sunt. Et ante omnia scire conuenit, primam huius Paulinæ disputationis sententiam, esse inabsolutam, & imperfectam; desideratur enim altera pars sententiæ, & comparationis respondens illi particulæ, *sicut*, quę ad hunc modum supplenda est: *Sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt: ita per vnum hominem CHRISTVM iustitia in mundum intrauit, & per iustitiam vita, & ita in omnes homines vita pertransiuit, in quo omnes iustificati, & viuificati sunt.* Sic Origenes: quanquam addit, Paulum suspendisse orationem, nec statim absoluisse; sed interpositis quibusdam aliis sententiis, distulisse eius absolutionem, vsque ad illa verba: *Sed non sicut delictum ita & donum.* Et cetera quæ sequuntur. Sunt etiam qui dicant, hanc orationem habere absolutam comparationem, sic eam exponentes: sicut per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, ita & per peccatum mors intrauit, atque ita in omnes homines mors pertransiit: Vt illud primum, *&*, cum dicitur, *& per peccatum mors*, idem valeat atque, *ita per peccatum mors*, secundum phrasim hebraicam, videlicet, secundum quam illi particulę comparationis, *sicut*, non semper subditur ei respondens, *ita*, sed aliquando pro eo ponitur, &, vt in oratione dominica legitur: *Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra.* Pro eo quod est, ita & in terra.

Origenes.

Matth.5.6.

Propterea, refertur hoc ad proxime dicta, ad illud scilicet, homines cum essent peccatores & impij, & inimici DEI, per mortem CHRISTI fuisse à peccato liberatos, DEOq; recōciliatos. Hinc enim docet quam ob causam genus humanum tot tantisque malis oppressum fuerit, & quemadmodum ex illis per CHRISTVM ereptum. Sensus igitur est: Quia dixi, omnes

omnes fuiſſe peccatores, & inimicos DEI, quò apertius intelligatur, vnde tantum malorum prouenerit, propterea ſciendum eſt, quod ſicut per vnum hominem peccatum in mundum, &c.

28. *Per vnum hominem*, Illa particula, *per*, denotans cauſam, ſignificat Adamum fuiſſe cauſam vt peccatum intraret, & tranſiret in omnes homines. Sed hoc intelligi, & credi nolens Eraſmus, cui Catholicorum ſententia de peccato originali minimè placuiſſe videtur, pro, *per*, vertit, *propter*, vt ita ſignificaretur, Adamum non fuiſſe cauſam, cur peccatum intrauerit in mundum, ſed fuiſſe tantùm occaſionem, ſanè quàm audacter, & inſcitè. Tum quia omnes latini codices habent, *per*, & ita legerunt omnes latini Patres. Tum etiam quia pro, *per*, græcè eſt, *διὰ*, cum accuſatiuo, ſignificans, *propter*, cum genitiuo autem, vt eſt hoc loco, ſemper ſignificans, *per*, & in hoc ipſo capite ſæpenumero vſurpatur à Paulo iſta particula, nec aliam habet ſignificationem niſi quam latinum, *per*, & ſic etiam ab ipſo Eraſmo, non ſolùm ab aliis omnibus latine conuerſa eſt. Immo in hac ipſa ſententia, cùm bis ponatur græcè, *διὰ*, primùm ibi: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit*: deinde ibi, *& per peccatum mors*. Eraſmus in priori loco vertit, *propter*, in poſteriori verò, *per*: vt facilè intelligas, eum non ratione ductum eſſe, ſed ſtudio veritatem obſcurandi, & falſam inſinuandi ſententiam. Illud autem; *per vnum hominem*, denotat Adamum, & ſignificat per vnius hominis inobedientiam: ſicut paulò infrà planius hoc declarans Paulus dixit. Licet autem duo fuerint primi homines qui peccauerunt, ſolus tamen Adam fuit cauſa propagationis, & transfuſionis peccati in omnes homines, & propter ipſius tantum peccatum omnes eius poſteri generantur ſpoliati iuſtitia originali, DEIque gratia priuati, & peccato infecti. Itaque ſi Adam non peccaſſet, etiam Eua peccante, poſteri eorum nec peccatum per generationem contraxiſſent; nec originalem iuſtitiam amiſiſſent, cuius rei hæc eſt ratio: tum quod cum ſolo Adamo DEVS pactum illud

In Eraſmum.

Solus Adam cauſa peccati originalis & mortis.

lud fecerat: tum quod originale peccatum propagatur cum ipſa natura, per carnalem generationem: hæc autem naturæ propâgatio principaliter fit per virtutem actiuam ſeminis virilis, fœmina materiam duntaxat corporando fœtui miniſtrante. Quapropter CHRISTVS Dominus peccatum originale non traxit, nec trahere potuit, quod ex ſola fœmina ſine virili ſemine carnem accepit. Sed quia de Eua ſcriptum eſt Eccleſiaſtici 25. *A muliere initium factum eſt peccati, & propter illam omnes moriuntur.* Idcirco & Ambroſius, & Hieronymus in commentariis huius loci, per vnum hominem interpretantur etiam Euam, dicentes, hominem hîc eſſe nomen ſpeciei, non ſexus maſculini. Verùm iſtis, præter rationem veriſſimam dudum à nobis expoſitam, etiam verba Pauli aduerſantur: ait enim, *per vnum hominem*, & vtrumq; eſt generis maſculini, vt referri ad mulierem nullo modo queat. Dicitur autem à muliere factum eſſe initium peccati, quod ipſa prius peccauit quàm Adam, quin etiam vehementer incitauit eum ad peccandum, cuius peccatum mortem attulit humano generi.

Locus Eccleſiaſtici cap. 25.

Ambroſius. Hieronymus.

Sed quid nomine peccati, cum dicitur, per vnum hominem peccatum intraſſe in mundum, à nobis intelligendum eſt? Proculdubiò Apoſtolus loquitur de primo peccato Adæ, quod ab eo per inobedientiam admiſſum eſt, cum arboris ſcientiæ boni & mali fructum ſibi à DEO interdictum comedit. Per hoc enim peccatum Adamus & ſibi, ſuæque omni poſteritati iuſtitiam originalem amiſit, mortemq; promeruit. Hoc item peccato naturam humanam infecit, cum peccato ad poſteros omnes propagandam; quos etiam neceſſitati mortem patiendi, aliaſque innumerabiles miſerias, obnoxios fecit. Hoc itaque primum Adami peccatum tantummodo per originem traducitur ad poſteros, non itidem alia eiuſdem peccata, ſicut nec peccata aliorum parentum deriuantur ad filios: quia per ſolum primum peccatum Adami amiſſum eſt bonum naturæ, quod erat per carnalem generationem vnà cum ipſa natura propagandum, & transfundendum

29.
Quodnam ſit peccatū, quod per Adamum intrauit in mundum.

dendum in posteros: per alia verò peccata subtrahitur bonum gratiæ personalis, quod non transit ad alios. Quocirca licet peccatum Adami, per eius pœnitentiam fuerit deletum, scriptum enim de illo est in libro Sapientiæ, capite 10. *Eduxit illum DEVS à delicto suo*, non tamen eius pœnitentia delere potuit peccatum posterorum, aut prohibere ne ad eos permanaret: quòd eius pœnitentia facta sit per actum personalem, qui vltra personam eius extendere se non poterat ad alios, nedum ad omnes homines. Quo etiam factum est, vt vnum in quolibet homine sit duntaxat peccatum originale, quia solus defectus consequens primum illud Adami peccatum deriuatur ad posteros. Quapropter Apostolus non dixit, per vnum hominem intrasse peccata in mundum, sed singulari numero, peccatum: licet quandoque peccatum originale pluratiuo numero appelletur peccata, quòd sit plurium peccatorum quasi quoddam seminarium, secundum illud quod legitur in Psalm. 50. secundum græcam, & latinam lectionem. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* hebraicè tamen singulari numero vtrumque illud nomen legitur, *in iniquitate, & in peccato.*

30. *Zuinglius.* Quidam hæreticorum nostri temporis, vt Zuuinglius in commentario huius loci, & quidam alij multis in rebus propiores hæreticis, quàm Catholicis, qui doctrinam Catholicam de peccato originali, hoc potissimum loco fundatam, non approbant, sicut Faber, & Erasmus, vt hunc tam manifestum Pauli locum eludant, aiunt, Paulum hoc loco per peccatum non significasse peccatum propriè dictum, & culpam; negant enim, ab Adamo vllam esse culpam ad posteros deriuatam: Sed figuratè accepisse nomen peccati per Metonymiam, qua figura nomen causæ ponitur pro effectu, vt cum scriptura alicuius, dicitur manus eius, similiter dicunt Paulum peccati nomine intellexisse duos principales effectus peccati primi hominis, latissime patentes, & in vniuersum genus hominum diffusos, pronitatem ad peccandum videlicet, & mortem, siue necessitatem moriendi. Sic isti: quo-

Faber, & Erasmus.

Non accipi hoc loco nomen peccati pro effectu peccati, id est, pro morte, vel pronitate ad peccandum.

quorum expositionem, & sententiam prorsus excludunt verba Pauli, aperte distinguentis peccatum à morte, & facientis peccatum causam mortis: ait enim, quod, *per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors.* Si igitur nomine peccati significaretur mors, siue necessitas moriendi, verba Pauli absurdam, & ridiculam facerent sententiam; hanc nempe, per mortem intrauit mors in mundum. Neque verò per pronitatem ad peccandum, intrauit mors in mundum; sed per peccatum propriè dictum, mors enim pœna est, & vt ita loquar, merces debita non pronitati ad peccandum, sed ipsi peccato, testante id Paulo, cum dixit: *Stipendium peccati mors*, & per Ezechielem dictum est: *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* Et DEVS interminando Adæ mortem, dixit ei: *In quocumq; die comederis ex eo, morte morieris.* Non dixit, in quocumq; die pronus fueris ad comedendum, sed dixit, *In quocumque die comederis.* Quid plura? Paulus ipse paulò infrà dicit, per istud peccatum omnes peccasse in Adamo, & per ipsum constitutos esse multos peccatores: quod non propriè diceretur, nisi per peccatum acciperetur propriè dictum peccatum. Quin etiam id fit planè indubitatum ex eo, quod Paulus sub finem huius capitis, illud peccatum vnius hominis, quod in mundum intrasse dixerat, proprio nomine vocat inobedientiam, dicens: *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi.*

Ad Rom. 6.

Eccles. 18.

Genes. 2.

31.

Quid sit peccatum intrasse in mundum.

Restat explicandum illud: *in hunc mundum intrauit.* Quid sit peccatum vnius hominis, id est, Adami, intrasse in mundum, mox declarauit Paulus tripliciter. Primò per illud, *transisse in omnes homines*, nam cum etiam de morte dixisset, quod per peccatum mors intrauit in mundum, id magis exponens, continuò adiunxit: *Et ita in omnes homines mors pertransiit.* Idem est igitur, mortem intrare in mundum, & transire in omnes homines: quare idem erit, peccatum intrare in mundum, atque, pertransire, siue diffundi in omnes homines. Deinde, quid sit, peccatum intrare in hunc mundum, declarauit Paulus illis verbis: *In quo omnes peccauerunt*, hoc enim

eſt, peccatum Adami intraſſe in mundum, ipſo peccante, omnes homines, qui in eo tanquam in maſſa, & radice humani generis continebantur, peccaſſe, id eſt, naturam humanam infectam eſſe peccato, & ſic traductam eſſe ad omnes poſteros per carnalem generationem. Tertio loco declarauit Paulus, quid ſit per vnum hominem peccatum intraſſe in hunc mundum, cum dixit, per vnius hominis peccatum, vel inobediẽtiam, peccatores conſtitutos eſſe multos. Significat igitur Paulus, peccatum illud primum Adæ non in eo ſolo reſediſſe, ſed transfuſum eſſe in poſteros, nec tantùm fuiſſe peccatum illius perſonæ, ſed etiam naturæ, cuius ille origo erat, & quæ ab illo in omnes erat propaganda.

32. *Duæ falſæ huius loci explanationes.*

Hinc apparet, quàm ſit futilis & nihili expoſitio quorundam, qui negabant, eſſe peccatum originale, aientium, propterea dici peccatum Adæ intraſſe in mundum, quia peccatum Adæ fuit primum omnium peccatorum, quæ facta ſunt in mundo: ipſe etiam fuit primus peccator in mundo, quod ſanè falſum eſt; nam & Angeli peccatum prius fuit, & ipſius Euæ: & cum Paulus dicit, per vnum hominem intraſſe in mundum peccatum, & mortem, ſecundum iſtam expoſitionem intelligere oporteret, per Adamum intraſſe mortem in mundum, quia ipſe primus mortuus eſt in mundo: quod eſſe falſum, perſpicuè docet Scriptura narrans mortuum eſſe Abel plurimis ante mortem Adami patris ſui annis. Altera huius loci expoſitio fuit Pelagianorum; eademque eſt hæreticorum noſtri temporis, interpretantium, Adæ peccatum intraſſe in mundum, non per eius propagationem in homines, ſed per exemplum, & imitationem: quod quicumque poſtea hominum peccauerunt, ſecuti ſint exemplum Adæ, atque ipſum imitati, legem Dei violando, ſecundum illud Oſeæ. 2. *Ipſi ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum, & prauaricati ſunt in me.* Sed enim ridiculum, & abſurdum videtur, non modo falſum, omnes homines qui poſt Adamum peccauerunt, exemplo eius incitatos eſſe ad peccandum, & ad imitationem eius peccare voluiſſe: cum innumerabiles fuerint

Geneſ. 4.

homines,

homines, qui nullam Adami cognitionem habuerint: Et qui Adami notitiam habuerunt, non sunt eius exemplo impulsi ad peccandum. Cain, scilicet, exemplum patris sui sequi voluit; cùm occidit fratrem suum Abel. Nec peccata aliorum hominum similitudinem, atque imitationem habent peccati Adæ, cùm illud fuerit superbia, & inobedientia, peccata verò hominum sint homicidia, adulteria, furta, & alia multum dissimilia peccato Adæ. Sed isti, opinor, propterea dici volunt peccatum Adæ per exemplum & imitationem intrasse in mundum, quòd quicumque postea peccauerunt, etiam nescientes, nec volentes, re ipsa tamen imitati sunt Adamum: nam sicut ille per inobedientiam, legem DEI violauit; ita etiam quicumque peccant, præuaricatores sunt legis DEI, secundum illam Dauidis sententiam: *Præuaricatores reputaui omnes peccatores terræ.* At enim, istud non est tale, vt propter id verè dici queat, quod verissimè dixit Apostolus, per Adamum intrasse peccatum in mundum, & in ipso peccasse omnes homines, & per ipsius inobedientiam constitutos esse peccatores. Verùm hac de re plura non addam, de qua paulò infrà latius à nobis disputandum est.

Genes. 4.

Psalm. 118.

Infrà disputatione nona.

SEPTIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Et per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit.

Versu 12.

SI per peccatum Adami mors pertransiit in omnes homines; ergo mors, quod attinet ad actum moriendi, non est naturalis homini, nec vera est illa Senecæ celebris apud veteres sentētia: (Mors homi-

33.

Seneca in lib. de remediis fortuitorum.

homini natura est, non pœna.) Immo verò contraria potius vera est sententia: (Mors homini pœna est non natura.) Homo enim ita conditus à DEO est, vt posset non mori: Si enim legē DEI seruasset, nec ipse obnoxius necessitati mortis fuisset, nec eius posteri. Scriptum etenim est in libro Sapientiæ: *DEVS creauit hominem inexterminabilem. Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum.* Nec pugnat, quod hîc dicitur, per inuidiam diaboli introiisse mortem in orbem terrarum, cum eo, quod Paulus dixit in hoc loco, per peccatum vnius hominis intrasse mortem in mundum. Diabolus etenim inuidens felicitati primi hominis, tentauit eum, & incitauit ad peccandum; cuius peccatum causa fuit mortis. Gentilium porrò Philosophorum, qui sacram doctrinam non tenuerunt, sententiam, & disciplinam secuti Pelagiani, contra sacram Scripturam, quam tamen ipsi callere se dicebant, arbitrati sunt, mortem esse naturalem homini, non secus atque aliis animalibus; & Adamum mortali conditione esse creatum, & falsa esse, quæ Catholici de iustitia, & peccato originali, & de dono immortalitatis Adami tradebant. Idem, multo ante Pelagianos tempore, sensisse videtur Iosephus Hebræus, scribens libro I. antiquitatum, si Adamus non peccasset, futuram ei fuisse quam longissimam vitam tardissimamque senectutem: propter peccatum autem & spatia vitæ admodum ei contracta fuisse, maturatamque & acceleratam senectutem.

Locus Sapientiæ cap. 2.

Error Pelagianorum, & Iosephi Hebræi.

34. Verùm obiiciet nobis quispiam, non posse negari, naturalem esse homini mortem; quippe quæ naturaliter oriatur ex naturali compositione, & temperamento humani corporis: nam quia homo compositus est ex materia & forma, & corpus eius ex contrariis, atque inuicem perpetuò pugnantibus qualitatibus constitutum, naturaliter est dissolubilis, & mortalis, ergo naturaliter tandem aliquando morietur. Si enim potentia ad moriendum est naturalis, etiam naturalis erit actus moriendi, secundum illud peruulgatum ac celebre Philosophorum axioma: Actus, & potentia, eiusdem sunt

Quomodo mors & sit, & non sit naturalis homini.

ſunt ordinis, & rationis. Verùm iſti obiectioni ſic eſt occurrendum: Homo dupliciter conſiderari poteſt; vel ſecundum nudam naturæ ſuæ conditionem, remoto omni dono DEI ſupernaturali & ſuperaddito: & hac ratione proculdubio, mors ei naturalis eſt, ſimiliter vt aliis animalibus. Vel ea ratione conſiderari poteſt homo, vt fuit à DEO ab initio creatus, rectus, & innocens videlicet, potenſque ſemper viuendi, & nunquam moriendi, ſi non peccaret: quæ quidem homini contigerant non ex conditione ſuæ naturæ, ſed ex ſupernaturali gratia, & benignitate DEI. Hoc igitur modo ſi conſideretur mors, verè dicitur ei non fuiſſe naturalis, ſed admiſſi pœna peccati: niſi enim peccaſſet, in illo felici ſtatu permanens, à moriendo fuiſſet immunis. Exempli cauſa, Sauli ante electionem eius & promotionem ad regnum, non fuiſſet pœna carere dignitate regali: ſed poſtquam creatus eſt Rex, regnoque per aliquot annos potitus eſt, magna profectò fuit pœna, ipſum propter peccatum inobedientiæ & poſteros eius regio dominatu, atque imperio priuari.

35. Illud præterea contra ſententiam noſtram afferri poteſt: ſi mors eſt pœna peccati; cùm DEVS ſit auctor pœnæ, qua punit peccatum, mortis etiã auctor eſſet; quod negat tamen ſcriptura, *DEVS*, inquiens, *mortem non fecit.* Sed in promptu eſt reſponſio: mors enim, vt malum quoddam eſt naturæ, à DEO eſt non ſanè per ſe, ac directè, ſed conſequenter, atq; indirectè. Nam quia DEVS hominem conſtituit ex anima rationali, & corpore, ſenſuum facultatibus, atque organis inſtructo, & ex qualitatibus contrariis conflato; neceſſe fuit, ipſum eſſe diſſolubile ac mortale: quo fit, vt ex neceſſitate materiæ, qua coagmentatus eſt homo, mors ei contingat. Vt autem mors eſt iuſta pœna peccati primi hominis, à DEO iuſto iudice, ac peccatorum vindice prouenit; non quidem efficienter, cùm enim ſit mera priuatio, non habet per ſe cauſam efficientem: ſed fuit eius cauſa DEVS, tanquam remouens id, quod prohibebat, & arcebat mortem ab homine, ſubtrahendo ei ſcilicet, propter peccatum, iuſtitiam originalem,

Locus Sapientiæ cap. 1.

An Deus fuerit cauſa, & auctor mortis.

nalem, & singularem quandam suam protectionem, & curam, qua Devs, si homo in statu innocentiæ persisteret, ab eo mortem, aliaque corporis incommoda, & mala propulsasset.

36.

Si ob Adã peccatum, omnes sunt rei mortis, ergo etiam peccati illius sunt participes.

Iam verò si mors, vt ostendimus, pœna est peccati, consequens est, vt sicut omnes homines sunt rei mortis, ita sint participes peccati, cuius pœna mors est. Non enim rationi, nec iustitiæ consentaneum est, affici quempiam pœna debita peccato, cuius ipse peccati non est particeps, testante Domino per Ezechielem: *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris: pater non portabit iniquitatem filij.* Et alibi scriptum de Deo est: *Cùm sis iustus, iustè omnia disponis: ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum iudicas à tua virtute.* Ergo qui dixerunt, ob peccatum Adami mortem pertransisse in omnes homines, ipsum verò peccatum nequaquam permanasse; contraria dixerunt rationi, & iniuriam fecerunt Deo iudici, ac vindici peccatorum, iustissimo. nimirum, verissimè illud in Concilio Arausicano dictum est: *Iustitiam Deo dare conuincitur, qui mortem quæ est pœna peccati, sine peccato, quod est meritum mortis, ad nos transisse dicit.* Si autem vt mortis, ita etiam peccati, cuius illa est pœna, cuncti homines sunt participes, cùm peccatum illud non possit esse actuale, quod proprio arbitrio, & voluntate hominis fit, sic enim latius pateret pœna quàm culpa, cùm etiam infantibus, qui peccatum actuale nec habent vllum, nec habere possunt, mors contingat: necessum est fateri, peccatum, cuius pœna mors est, diffusum in omnes homines, aliud esse non posse, nisi peccatum originale. Meritò igitur ex hoc potissimum Pauli loco Patres omnes collegerunt, & probarunt, doctrinam, quam habet Ecclesia Catholica de peccato originali: Et in tribus Conciliis Mileuitano, Arausicano, & Tridentino dictum est, eos, qui negant, peccatum originale, vt traditur ab Ecclesia Catholica, euidenter contradicere Paulo, apertis verbis id docenti, cùm ait hoc loco: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit,*

Ezech. 18.
Locus Sapientiæ cap. 12.

Concil. Arausicanum.

Mors pœna peccati originalis.

trauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.

37. Reſtant verba illa breuiter explicanda: *Et ita in omnes homines mors pertranſiit.* Illud: *Et ita*, ſignificat, quia mors erat pœna peccati, hoc traducto ad poſteros Adæ, etiam illam ad eos permanaſſe neceſſe fuit. Nec ſatis Paulo fuit, dixiſſe, peccatum & mortem intraſſe in mundum; ne quis enim ſuſpicaretur, ea quidem intraſſe in mundum, ſed non eſſe diſperſa in omnes; continuò adiunxit, de morte quidem dicens: *Et ita in omnes homines mors pertranſiit:* de peccato autem, *in quo omnes peccauerunt.* Magnam verò emphaſim habet verbum illud: *Pertranſiit*, denotat enim propriam rationem peccati originalis, quod eo differt à peccato actuali, propria voluntate admiſſo, quòd hoc eſt perſonale, in perſona quæ peccat, ſolum manens, nec aliunde ad ipſam translatum, nec ab ipſa traducendum ad alios homines. Peccatum autem originale deriuatum eſt à primo homine ad filios ſuos, & deinceps ad omnes poſteros per carnalem propagationem naturæ humanæ. Primum enim illud peccatum Adami, non ſolùm fuit peccatum illius perſonæ, ſed vniuerſæ naturæ humanæ, quæ in eo, tanquam in radice, atque origine continebatur. Audiat lector B. Auguſtinum Serm. 4. de verbis Apoſtoli vim illius verbi: *Pertranſiit*, ſcitè ponderantem hiſce verbis: Videte fratres genus humanum à prima illius primi hominis morte defluxiſſe. Etenim peccatum à primo homine intrauit in hunc mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit. Attendite fratres, & conſiderate verbum iſtud: *Pertranſiit.* Inde enim eſt & paruulus reus; peccatum nondum fecit, ſed traxit: etenim illud peccatum non in fonte manſit, ſed pertranſiit; non, in illum, aut illum, ſed in omnes homines pertranſiit. Genuit peccatores morti obnoxios primus peccator, & primus præuaricator. Sic Auguſtinus.

Differentia peccati originalis atque actualis.

Ponderatur à S. Auguſtino verbum (Pertranſiit.)

38. Mortis porrò nomine Paulus hoc loco mortem corporalem ſignificauit, hæc enim eſt primi peccati pœna omnibus

Paulum hic loqui de morte corporali.

Genes. 2.

bus manifesta. Secutus enim hoc loco est Apostolus doctrinam Mosis, qui in libro Genesis narrat, dixisse DEVM Adamo: *In quacumque die de ligno scientiæ boni & mali comederis, morte morieris*, quod intellexisse eum de morte corporali, satis ipsemet indicauit, cùm post admissum peccatum, volens eiicere Adamum ex Paradiso, dixit ei: *Quia comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, in sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terrã, de qua sumptus es; quia puluis es, & in puluerẽ reuerteris.* Quin etiã cur eũ de Paradiso eiiceret, hanc præcipuè causam reddit: *Ne fortè*, inquit, *mittat manum suam, & sumat de ligno vitæ, & viuat in æternum.* Nomen item mortis, cùm simpliciter, & præcisè dicitur, secundum vulgatam eius nominis significationem, & communem hominum loquendi consuetudinem, pro morte corporis accipitur.

Genes. 3.

39. Philo, Eucherius, S. Gregor.

Nec sum tamen nescius, & Philonem de allegoriis legis Mosaicæ, & Eucherium in libro primo commentariorum in Genesim, & S. Gregorium in Registro lib. 6. cap. 195. & est epistola 31. ad Eulogium, censuisse, quam mortem DEVS comminatus est Adamo, eam non fuisse mortem corporis, sed animæ, propterea quod DEVS dixit Adamo: *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris*, quod non fuit verum de morte corporali: nam post eam diem, qua comedit fructum vetitum, vltra nongentos annos vixit Adam: necesse igitur est nomine mortis non corporis, sed animæ, mortem intelligi. Sed quod nos suprà docuimus, id profectò verius dictu est, & his auctoribus nos opponimus auctoritatem B. Augustini, qui & de morte corporis intellexit cõminationem DEI, & rationem ab istis Auctoribus allatam dissoluit. Sic enim scribit in capite 23. libri 13. de ciuit. DEI: Quapropter etiamsi mortem istam manifestam, qua fit animæ à corpore separatio, intelligamus simul significatam in eo, quod DEVS dixerat: *Qua die ederitis ex illo, morte moriemini*, non ideo debet id absurdum videri, quia non eo prorsus die à corpore sunt soluti, quo cibum interdictum, morti-

S. Augustinus.

ferum-

ferumque sumpserunt. Eo quippe die mutata in deterius, vitiataque natura, atque à ligno vitæ separatione iustissima, mortis etiam in eis corporalis necessitas facta est, cum qua nos necessitate nati sumus. Et interpositis quibusdam, denique subdit: Propterea DEVM de morte secunda nihil tunc dixisse credendum est, quòd eam occultam esse voluit propter dispositionem noui Testamenti, vbi secunda mors apertissimè declaratur, vt prius ista mors prima, quæ communis est omnibus, proderetur ex illo venisse peccato, quod in vno commune factum est omnibus. Hæc Augustinus. Non eo tamen inficias, etiam mortem animæ indiuiduam esse comitem peccati originalis: ea tamen ratione, vt mors animæ significat separationem animæ à DEO, & priuationē visionis eius, ac vitæ æternæ: non autem prout mors animæ significat, præter hæc, etiam æternos cruciatus inferni. Atq; in hunc modum liceret interpretari sententiam Ambrosij dicentis, in commentario huius loci, nos ex peccato Adami mortem corporis, quæ vocatur prima mors, nō autem mortem animæ, quæ dicitur secunda mors, contraxisse.

Ambrosius.

40\. Ponam huic disputationi finem, si vnum modo, lectorem monuero, verbis illis Apostoli: *In omnes homines mors pertransiit*, apertè ostendi, generalem esse, ac sine vlla exceptione, pœnam mortis: nec vllum fuisse hominum, nec esse, nec fore vnquam, qui hanc mortis pœnam effugiat. Quod etiam pluribus aliis in locis scriptura nos docet, nempe in libro 2. Regum cap. 14. scriptum est: *Omnes morimur, & sicut aquæ dilabimur, quæ non reuertuntur.* Et Dauid ait: *Quis est homò qui viuet, & non videbit mortem?* Et Paulus ipse: *Statutum est omnibus hominibus semel mori.* Et 1. ad Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in CHRISTO omnes viuificabuntur.* Et scribens ad Thessalonicens. *Omnes quidem resurgemus, sed non oēs immutabimur.* Sic enim habet latina lectio; eadēq; sententia est lectionis græcæ, quæ est huiusmodi: *Omnes quidē dormiemus, sed non oēs immutabimur.* resurrectionē aūt necessariò antecedit mors; & dormire, pro, mori, nō rara est scripturæ phra-

Nemo à morte immunis.

Psalm. 88.

Ad Hebr. cap. 9

1. ad Thessal. 5

ræ phra-

ræ phrasis. Quanquã verò in nõnullis codicib. græcis olim fuerit hæc lectio: *Oēs quidem non dormiemus, sed omnes immutabimur*, quam aliqui veterum secuti sunt; priorem tamen, quam dixi, lectionem, & in multo pluribus libris græcis inueniri, pluresque eam sequi Doctores, atque in ea magis acquiescere Ecclesiam Catholicam, nec non & congruentiorem illam esse consilio Pauli & sententiæ verborum eius affirmat S. Hieronymus, & grauium virorum auctoritate confirmat in epistola 152. quæ scripta est ad Minerium & Alexandrum. Vide super hoc etiam Augustinum in libro 20. de ciuitate DEI capite 20.

S. Hieronym.

OCTAVA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

In quo omnes peccauerunt.

Versu 12.

41.

ADIECIT hæc verba B. Paulus, ne quis diceret, non debuisse mortem, peccati Adæ pœnam, transire ad posteros eius, qui nihil tunc peccauerant; cùm Dominus per Ezechielem dixerit: *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* Ideo Paulus adiunxit hæc verba: *In quo omnes peccauerunt*, docens, posteros Adæ non esse peccati eius expertes; sed quemadmodum in illo erant omnes tanquam in principio, & seminario humani generis, ita peccante eo, etiam ipsi vnà peccauerunt, & mortis sententiam pariter cum ipso acceperunt. Verùm quia Paulus ante hæc verba, tria nominauerat, primò, vnum hominem, per quem peccatum intrauit in mundum: tum, ipsum peccatum, per quod mors intrauit in mundum: ac demùm mortem ipsam, quæ in omnes homines pertrãsiit: meritò quæritur, ad quodnam horum trium istud; *In quo omnes peccauerunt*, referri debeat.

Ezech. 18.

beat. Et referri quidem oportere ad vnum, siue primum hominem, recte argumentatur S. Augustinus ad hunc modum: Illud, *in quo*, non potest referri ad peccatum, quia græcè, (qua lingua scripsit Apostolus) vox significans peccatum, *ἁμαρτία*, est fœminini generis, nec ad mortẽ (licet græcè *θάνατος*, sit masculini generis) quia faceret absurdum sensum, hunc nempe, in qua morte omnes peccauerunt; non enim in morte peccant homines, sed in peccato, vel per peccatum incurrunt mortem: nec mortis effectus, vel pœna est peccatum, sed contra, vt dixit Apostolus: *Stipendium peccati mors.* Restat igitur, vt illud, *in quo*, non alio referri debeat, nisi ad vnum, siue primum hominem, quo peccante, omnes vnà posteri eius peccauerunt.

Ad Roman. 6.

Ponam hîc Augustini verba, quod non nihil obseruatione dignum contineant. Sunt autem in ca. 4. lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorum hæc fermè: Quid est illud: *In quo omnes peccauerunt*? Aut enim in illo homine peccauerunt, per quem peccatum intrauit in mundum; quoniam quando ille peccauit, in illo erant omnes. Aut in illo peccato peccauerunt omnes, quia vnius illius hominis peccatum generaliter omnium factum est, quod nascentes tracturi erant omnes. Aut restat vt dicant, quod in illa morte peccauerunt omnes: non enim mouere debet, quia non dixit, *in qua*, sed, *in quo*; mors quippe in græca lingua masculini generis est. Sed hoc quemadmodum possit intelligi, non planè video, in peccato enim moriuntur homines, non in morte peccant. nam peccato præcedente mors sequitur, non autem morte præcedente sequitur peccatum. Aculeus enim mortis est peccatum; id est, aculeus, cuius punctione fit mors, non aculeus, quo pungit mors. sicut venenum, si bibitur, appellatur poculum mortis, quod eo poculo facta sit mors, non quod morte sit poculum factum, aut à morte datum. Quod si propterea illud, *in quo*, non potest referri ad peccatum, quia in græco, vnde translata est epistola, peccatum fœminino genere positum est: restat vt in illo primo homine peccasse omnes intel-

S. Augustinus.

Ad Romanos.

ligantur, quia in illo fuerunt omnes, quando illè peccauit; vnde peccatnm naſcendo trahitur, quod niſi renaſcendo non ſoluitur. Sic etiam S. Hilarius intellexit hunc locum. ait enim: *in quo*, id eſt, in Adam, omnes peccauerunt. Et mox ſubdit: Manifeſtum eſt, peccaſſe omnes in Adam quaſi in maſſa, ipſe enim per peccatum corruptus eſt, & inde omnes quos genuit, nati ſunt ſub peccato. Hæc ſcribens Hilarius, ſine ambiguitate commonuit, quo modo intelligendum ſit, *in quo omnes peccauerunt.* Hactenus ex Auguſtino. In quo illud dignum eſt animaduerſione, quod, quam extremis pænè verbis ſententiam attribuit Hilario, ea tota, atq; iiſdem plenè verbis reperitur apud vulgo exiſtimatum, & dictum Ambroſium in commentario huius loci: nec in ſcriptis Hilarij inuenitur. Quare non improbabilis fit coniectura, iſtos commentarios tempore Auguſtini, nomine Hilarij eſſe habitos; ſicut etiam tempore Caſſiodori ferebantur nomine Gelaſij: nam quia ſcriptor illorum commentariorum ſine ſuo nomine eos euulgauerat, data eſt licentia, variis Auctoribus affingendi. quiſquis tamen ille fuerit, perantiquus certè fuit ſcriptor: nam ipſemet ſuper illis verbis Pauli, quæ ſunt in cap. 3. prioris epiſt. ad Timoth. *Quæ eſt eccleſia* D E I *viui, columna, & firmamentum veritatis*, ait, quo tempore ſcribebat illa, fuiſſe rectorem eccleſię Damaſum; ex quo intelligitur, illum fuiſſe ęqualem Baſilij, Epiphanij, & Hieronymi, & paulo ſeniorem Auguſtino.

S. Hilarius.

Documentum lectori obſeruandum.

42. Ceterùm lubet etiam hîc adſcribere luculentam horum Pauli verborum explanationem, quam tradit Origenes, tractans hunc Pauli locum, & optime docens, quemadmodum omnes homines in Adam peccante, & mortis damnato, etiam peccare, & mortis pœna condemnari potuerint. Scribit autem Origenes ad hanc fermè ſententiam: Si ante Adam peccauit Eua, *A muliere enim*, ait Scriptura, *initium peccandi factum*, & ante mulierem diabolus peccauerat, de quo ſcilicet ſcriptum eſt, quod ille homicida erat ab initio, quomodo verè dictum eſt, quod per vnum hominem peccatum intrauit

Obſeruanda Origenis explanatio huius loci.
Eccleſ. 25.
Ioan. 8.

uit in mundum? Sed sciendum est, Apostolum naturæ ordinem tenuisse; & quia de peccato loquebatur, ex quo mors in omnes homines pertransierat, successionem posteritatis humanæ, quæ morti ob peccatum succubuit, non mulieri, aut diabolo assignat, sed viro: non enim est vir ex muliere, sed mulier ex viro: & ob hoc mortalis posteritas, & corporalis successio viro potius auctori, quàm mulieri debetur, sed quò euidentius etiam fiat quod dicimus, memorãdum est, quod Apostolus scribens ad Heb. capite 7. dixit, quando Abraham decimas obtulit sacerdoti Melchisedech, tunc etiam decimatum fuisse pronepotem eius Leui: nam licet post mortem Abrahæ aliquot annis, natus fuerit, erat tamen tunc in lumbis Abrahæ. Si ergo Leui, qui generatione quarta post Abraham nascitur, in lumbis Abrahæ fuisse perhibetur, multo magis omnes homines, qui in hoc mundo nascuntur, & nati sunt, in lumbis erant Adæ, cum adhuc esset in Paradiso, & omnes homines in ipso expulsi sunt de Paradiso: & per ipsum mors, quæ ei per præuaricationem aduenit, consequenter & in eos pertransiit, qui lumbis eius continebantur. Vnde Apostolus alio loco dixit: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in CHRISTO omnes viuificabuntur.* Ergo neq; ex diabolo, qui ante mulierem peccauerat; neque ex muliere, quæ ante virum præuaricata est, sed per Adam, ex quo omnes mortales originem duxerunt, verè dicitur intrasse peccatum, & per peccatum mors. Ita ferè Origenes.

1. Ad Cor. 11.

Genes. 14.

Genes. 3.

1. Ad Cor. 15.

43.

Hanc sententiam Pauli non officere conceptioni immaculatæ B. Virginis MARIÆ.

Illud itaque, *in quo omnes peccauerunt*, non aliud significat, nisi peccante Adam, in quo erat origo, & seminarium humani generis, posteros eius omnes peccasse: id autem est, nascendo ex Adam, accipere naturam peccato eius vitiatam, & originali iustitia, cum qua fuerat condita, & quam perpetuò custodire debuerat, spoliatam atque priuatam. Sed enim licet Paulus in vniuersum dicat, omnes peccasse in Adam; id tamen non est intelligendum de facto, vt in scholis loquimur, quasi reuera omnes qui nati sunt, peccatum ex eo traxerint: Sed intelligendum est hoc Apostoli dictum, quantum

ad

ad naturalem conditionem ipsius propagationis humanæ;& nisi præter naturalem ordinem, DEVS singulari aliqua prærogatiua,& priuilegio aliquem huic necessitati eximat;in eodem videlicet puncto temporis, quo animam rationalem creat, eam gratia sua præueniendo, atq; infectionem peccati originalis præuertendo:id quod DEI genitrici semper virgini MARIÆ esse datum à DEO,piè creditur.de CHRISTO autem nulla esse potest quæstio; Is enim, licet fuerit in lumbis Adæ secundum corpulentam substantiam, quam fœmina præbet ad generationem fœtus:non fuit tamen in lumbis Adæ secundum rationem seminalem, quæ à viro deciditur, & sola vim habet effectricem generationis, atq; propagationis: CHRISTVS enim non est conceptus ex semine viri,sed virtute SPIRITVS sancti.

44. *In Erasmum.* Hæc porrò lectio nostri interpretis: *In quo omnes peccauerunt*, haudquaquam placuit Erasmo, arbitranti græca verba sic potius verti oportuisse:*Eo quod omnes peccauerunt*,siue,*quatenus omnes peccauerunt*. Non enim,inquit, græcè est præpositio, ἐν, cui respondet latina, in, sed est,ἐπί,quod non significat,in:vnde non hic legitur græcè ἐν ᾧ, sed ἐφ᾽ ᾧ, quod secundum proprietatem linguæ græcæ significat latinè, eo quod, vel,in quantum,vel quatenus. At enim Erasmo aduersantur omnes fermè,qui illud, *in quo*, referunt ad peccatum Adam, & non ad propria singulorum hominum peccata.nec solum Augustinus,& latini patres illud,*in quo*,interpretantur, in Adamo, Sed etiam Græcorum doctissimi, qui græcæ præpositionis, ἐπί, vim minimè ignorabant, Origenes, inquam, & Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, & alij. Quin etiam alicubi præpositio, ἐπί, non potest commodè latinè verti aliter quàm per,in, vt in cap. 9. epist. ad Hebræos in illis verbis:*Quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem,solummodo in cibis*. Pro illo,*in cibis*,græcè est, ἐπὶ βρώμασι, Et paulo infrà: *Testamentum enim in mortuis confirmatum est*, pro,*in mortuis*,græcè legitur,ἐπὶ νεκροῖς. atq;itidē duo hæc loca vertit ipsemet Erasmus.Sed esto, legamus, vt iste vult,*eo quod*

omnes

omnes peccauerunt, etiam ſecundum iſtiuſmodi lectionem conuincitur, verba hæc Pauli intelligi debere de peccato originali. Ait enim Paulus,& peccatum, & mortem intraſſe in omnes homines, eo quod, vel quatenus, omnes peccauerunt. Si hoc intelligatur,eo quod omnes peccauerunt in ipſo Adamo, manifeſtè apparet peccatum originale, quod ex Adamo omnes per generationem trahunt. Sin autem illud, *eo quod omnes peccauerunt*, intelligatur de peccatis, quæ proprio arbitrio & voluntate peccant homines, falſa vtiq; Pauli eſſet ſententia: non enim mors contingit cunctis hominibus, quia propria ipſi fecerunt peccata, quippe cum mors etiam infantibus contingat, qui proprium peccatum nec habent vllum, nec habere poſſunt. Non igitur mors in omnes homines pertranſiit, eo quod ipſi propria voluntate peccauerunt,ſed quia originaliter peccauerunt in Adamo.

NONA DISPVTATIO.

Aduerſus eos, qui perperam hunc Pauli locum interpretantes dixerunt, ex Adamo tranſiſſe peccatum in omnes homines non per propagationem,ſed per exemplum atq; imitationem.

HOc tandem in loco manifeſtè prodidit ſe Auctor commentariorum in epiſtolas Pauli, iam pridem falsò ferens nomen B.Hieronymi.Explanans enim hęc verba Pauli,apertè oſtendit ſe non modò non eſſe B. Hieronymum acrem Pelagianorum hoſtē; verùm ne Catholicum quidem ſcriptorem, ſed Pelagianæ doctrinæ amatorem, atque ſectatorem. Similiter enim atq; Pela-

45. *Vulgo dictus Hieronymus in commentario huius loci Pelagianizat.*

Pelagius hunc Pauli locum non de peccato originali ab Adamo per propagationem in omnes homines transfuso interpretatur, ſed de propriis ſingulorum hominum peccatis, ad exemplum atque imitationem Adami factis, qui primus omnium peccatum inuexit in mundum. Ponam eius verba, vt ex ipſis verbis mentem, ſenſumque iſtius Auctoris lector agnoſcat. Sic autem in explanatione loci huius ſcribit: *In hunc mundum peccatum intrauit, & per peccatum mors.* Exemplo videlicet, vel forma: quemadmodum enim cum non eſſet peccatum, per Adamum aduenit; ita cum penè apud nullos iuſtitia remanſiſſet, per CHRISTVM eſt renouata. Et ſicut per illius peccatum mors intrauit; ita & per huius iuſtitiam, vita eſt reportata, futura quidem, non autem præſens. *Et ita in omnes homines mors pertranſiit.* Dum ſcilicet ita peccant homines, & ſimiliter moriuntur, vt ille peccauit, & mortuus eſt. Ideo autem dixit omnes homines mortuos (morte videlicet animæ:) quia in multitudine peccatorum, non excipiuntur pauci iuſti. Sicut etiam Dauid dixit: *Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſq; ad vnum.* Siue in eos omnes pertranſiit, qui humano, non cœleſti ritu viuebant. Neq; enim in Abraham, & Iſaac, & Iacob pertranſiit mors, de qua dixit Dominus: *DEVS Abraham, DEVS Iſaac, DEVS Iacob, non eſt autē DEVS mortuorum, ſed viuentiū.* Apoſtolus autē hoc locò mortem animæ ſignificat: Adam enim præuaricando mortuus eſt, ſicut & Propheta dixit: *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur.* tranſiuit enim in omnes homines, qui naturalem legem præuaricati ſunt. Sic ibi. Sed apertius idem Auctor paulò infrà, inſaniam putat dicere, peccatum ab Adamo propagatum eſſe ad poſteros eius: ſuper illis enim verbis Pauli, quæ ſunt in cap. 7. huius epiſtolæ: *Sine lege enim peccatum mortuum erat.* Ita ſcribit: Pene in obliuione erat lex naturalis, quæ ſuggerebat quid ſit peccatum: idcirco lex litteræ ſuperinducta eſt, vt commoneret oblitos. Item ſi, cum lex non eſſet, peccatum mortuum eſt: inſaniunt, qui de Adam per traducem aſſerunt ad nos veniſſe peccatum. Sic iſte Auctor.

Pſal. 52. *Matth. 19.* *Exodi 3.* *Ezech. 18.*

Verùm

46.

Hæresis Pelagij circa peccatum originale.

Verùm nos à capite ipso arcessere oportet propriam huius doctrinæ rationem atque confutationem. Pelagius Synchronos B. Hieronymo fuit: cuius hæresis multum, diuq; ecclesiam Catholicam exercuit, & vexauit, quòd eius doctrina valde tueri libertatem humanæ voluntatis, & rationi admodum conueniens, & philosophorum doctrinis maxime consentanea esse videretur. Is negauit vllum esse peccatum originale, affirmans, Adamum suo peccato sibi tantùm nocuisse, nec damnum vllum spirituale, vel temporale posteris suis attulisse: nec aliter fuisse dicebat Adamum procreatum à DEO (quantum ad naturalia) quàm nunc se habet quilibet homo: nec mortem nec alia mala, quæ patimur, pœnas esse peccati, sed defectus naturæ humanæ ex naturali eius compositione naturaliter & necessariò prouenientes. Propterea autem Apostolum dixisse, per vnum hominem peccatum intrasse in mundum, & pertransisse in omnes homines, non quia peccatum originale ex illo transfusum sit per propagationem, sed quia peccatum illius transiuit in omnes per exemplum & imitationem: hoc scilicet intellectu: quod quicumq; post Adamum peccauerunt, & DEO rebelles fuerunt, in hoc imitati sunt primum suum parentem, qui primus omnium peccauit, legem DEI per inobedientiam violando. Atq; hæc quidem fuit Pelagij interpretatio huius loci Paulini, & super peccato originali sententia.

47.

Beatus porrò Augustinus, acerrimus in Pelagianos pro peccato originali propugnator, plurifariam multis, & validis rationibus, & Pelagianam sententiam confutat, & Catholicam originalis peccati doctrinam confirmat. Sed nobis tria potissimum ex libris eius loca huc transcribere visum est; sanè quàm ad huius nostræ Disputationis tractatum, explicatumq; accommodata. Primus locus est in cap. 9. 1. lib. eorum trium librorum, quos Augustinus de peccatorum meritis, & remissione scripsit ad Marcellinum. Ibi dupliciter refellit interpretationem verborum Pauli à Pelagianis confictam de transitu peccati primi hominis in omnes homines non per

Augustini disputatio in Pelagianos, quod S. Paulus hoc in loco agat de peccato originali.

propagationem, ſed per imitationem. Primùm enim, ſi de tranſitu peccati in omnes homines per imitationem locutus eſſet Apoſtolus, non vtique dixiſſet, per vnum hominem intraſſe peccatum in mundum, ſed per diabolum: primus enim doctor, & auctor peccandi, diabolus fuit; de eo nempe ſcriptum eſt: *Qui facit peccatum, ex diabolo eſt, ipſe enim ab initio peccat.* Et in Scriptura dicuntur filij, & imitatores diaboli, homines impij, & ſcelerati. Deinde, Paulus comparat CHRISTVM cum Adamo, faciens vtrumque contrariarum rerum principium, & auctorem: Adamum quidem, peccati, & mortis; CHRISTVM verò iuſtitiæ, & vitę: Sed CHRISTVS non ſolùm eſt auctor iuſtitiæ per exemplum, & imitationem, ſed etiam per communicationem iuſtitiæ ſuæ cum his, qui in eo ſpiritualiter regenerantur. Ergo ſimiliter Adam auctor peccati fuit, non per imitationem tantùm, ſed etiam per tranſfuſionem in omnes, qui ex ipſo carnaliter generantur.

1. Ioan. 3.

Auguſtini verba, ſunt hæc: Hoc autem Apoſtolicum teſtimonium, in quo ait: *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors*, conari eos quidem, Pelagianos, in aliam nouam detorquere opinionem, tuis litteris intimaſti: ſed quidnam illud ſit, quod in his verbis opinentur, tacuiſti. Quantum autem ex aliis comperi, hoc illi ſentiunt, quod & mors iſta, quæ illic commemorata eſt, non ſit corporis, quam nolunt Adam peccando meruiſſe, ſed animæ, quæ in ipſo peccato ſit: & ipſum peccatum non propagatione in alios homines, ſed imitatione ex primo homine tranſiiſſe. Hinc enim etiam in paruulis nolunt credere, per baptiſmum ſolui originale peccatum, quod in naſcentibus nullum omnino eſſe contendunt. Sed ſi Paulus ſignificare voluiſſet, peccatum intraſſe in mundum, non propagatione, ſed imitatione, non eius principium dixiſſet Adamum, ſed diabolum, de quo ſcilicet ſcriptum eſt: *Ab initio diabolus peccat.* Et in alio loco: *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum; imitantur autem eum, qui ſunt ex parte eius.* Propterea verò Apoſtolus peccati, quod in omnes per generationem tranſiuit,

1. Ioan. 3.
Sap. 2.

uit,

uit, principem fecit Adamum, quod ab eo humani generis propagatio sumpsit exordium. Imitantur quidem Adamum quotquot per inobedientiam transgrediuntur mandatum DEI: sed aliud est, quod exemplum est voluntate peccantibus; & aliud, quod origo est cum peccato nascentibus. Nam & CHRISTVM imitantur sancti eius ad sequendam iustitiam, sicut Apostolus ait: *Imitatores mei estote, sicut & ego CHRISTI.* Sed præter hanc imitationem gratiæ eius, etiam illuminationem, & iustificationem intrinsecus operatur in nobis. Hæc enim gratia baptizatos quoque paruulos suo inserit corpori, qui certè imitari aliquem nondum valent. Sicut ergo ille, in quo omnes viuificabuntur, præterquam quòd ad iustitiam exemplum imitantibus præbuit; dat etiam sui SPIRITVS occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & paruulis: ita & ille, in quo omnes moriuntur, præterquam quod iis qui præceptum Domini voluntate transgrediuntur, imitationis exemplum est; occulta etiam tabe carnalis concupiscentiæ suæ, tabificauit omnes de sua stirpe venientes.

1. ad Cor. 4. & 11. & alibi.

Iam verò quod subdit Apostolus: *In quo omnes peccauerunt.* quàm circumspectè, quàm sine ambiguitate dictum est? Si enim illud, *In quo*, intellexeris peccatum, quod per vnum hominem intrauit in mundum; manifestum est alia esse propria cuique peccata, in quibus hi tantùm peccant, quorum peccata sunt: & aliud hoc vnum, in quo omnes peccauerunt, quando omnes vnus ille homo fuerunt. Sin autem illud, *In quo*, non peccatum, sed vnum illum primum hominem significet, in quo omnes peccauerunt, quid etiam ista manifestatione manifestius dici potest? nempe legimus iustificari in CHRISTO qui credunt in eum, propter occultam communicationem, & inspirationem gratiæ, qua quisquis hæret Domino, vnus spiritus est. Legatur mihi tale aliquid de iis, qui sanctos eius imitati sunt, vtrum quisquam dictus sit iustificatus in Paulo, aut in Petro, aut in quolibet aliorum, quorum in populo DEI magna excellit auctoritas.

1. ad Cor. 6.

Genes. 12. Dictum quidem est Abrahæ: *Benedicentur in te omnes gentes*: sed propter CHRISTVM videlicet, qui semen eius fuit secundum carnem. Vnde idem manifestius alibi dictum est: *In* Infra. 22. *semine tuo benedicentur omnes gentes*. Dictum autem quenquam in diuinis eloquiis peccasse, vel peccare in diabolo, cùm eum iniqui, atque impij homines imitentur, nescio vtrum quisquam reperiet: quod tamen cum Apostolus de primo homine dixerit: *In quo omnes peccauerunt*, adhuc de peccati propagine disceptatur, & nescio quæ nebula imitationis opponitur. Hæc Augustinus eo in loco.

48. Alter locus est in epistola octogesima nona, quam Augustinus scripsit ad Hilarium, in responsione ad tertiam quæstionem in quo loco argumentatur, Paulum hoc in loco agere de transitu peccati Adæ in omnes homines, non imitatione tantùm, vt aiebant Pelagiani, sed per transfusionem, & propagationem, ex illis verbis Pauli, quæ sunt in hoc ipso capite paulò infrà: *Non sicut peccatum, ita & donum: nam iudicium quidem ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem*. Si peccatum Adami nihil posteris eius nocuit, quantum ad animum, vt aiunt Pelagiani, neque propter illud condemnantur homines, sed propter propria singulorum hominum peccata: non igitur dicere Paulus debuit, ex vno delicto factam esse cōdemnationem hominum, cùm illud delictum nihil eis nocuerit: sed dicere debuit ex multis delictis, quæ scilicet quisque facit, fieri condemnationem eius. Sicut enim dixit, gratiam hominibus esse factam per CHRISTVM in iustificationem non ex vno, sed ex multis delictis, quia CHRISTI gratia non tantùm soluit illud vnum peccatum Adami, sed alia quoque multa peccata, quæ quisque propria voluntate faciens superaddit peccato Adæ: ita etiam dicendum ei erat, condemnationem fieri non ex vno, sed ex multis peccatis. Si autem Pelagiani dicerent, ideo Paulum dixisse, ex vno delicto fieri condemnationem, quia licet ea verè ac propriè fiat propter multa singulorum hominum propria peccata; attamen quia hæc ipsa peccata

facta

facta sunt ad exemplum & imitationem peccati Adæ, Apostolus condemnationem assignare voluit vni illo peccato tanquam exemplo cæterorum. Nos contra opponimus istis, ob eandem istam causam Apostolum de gratia CHRISTI dicere debuisse, quod gratia CHRISTI facta est ex vno delicto in iustificationem. Quanquam enim per gratiam CHRISTI non tantùm Adæ peccatum, sed alia omnia hominum propria delicta deleantur; quia hæc tamen facta sunt ad exemplum, & imitationem peccati Adæ, vnius tantùm illius peccati mentio fieri debuit in iustificatione, sicut etiam in condemnatione vnius tantùm mentio est facta: vt hac ratione videlicet inter Adamum, & CHRISTVM apta & congrua fiat comparatio.

49. Atque hæc est summa disputationis, & sententiæ Augustini, quam ipse pluribus verbis eo, quo dixi, loco hunc in modum exponit: Dicit Doctor Gentium, in quo CHRISTVS loquebatur: *Iudicium quidēm ex vno delicto in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem.* Proinde isti (Pelagiani) si quem fortè inuenerint infantem, non ex Adæ concupiscentia procreatum, ipsum dicant damnationi non esse obnoxium, nec per CHRISTI gratiam ab illa damnatione esse liberatum. Quid enim est, *ex vno delicto in condemnationem.* nisi, illo delicto, quo deliquit Adam? Et quid est: *Ex multis delictis in iustificationem.* nisi quia CHRISTI gratiâ non tantùm soluit illud delictum, quo infantes obstringuntur, ex primo illo homine procreati: sed etiam multa delicta, quæ cùm crescerent homines, addunt malis moribus suis? Tamen & vnum illud delictum, quo est obligata propago carnalis, quæ ab Adamo duxit originem, sufficere dicit ad condemnationem. Quid ad ista dicturi sunt isti? aut quid eis restat, nisi vt Apostolum errasse contendant? Clamat vas electionis, Doctor Gentium, tuba CHRISTI. *Iudicium ex vno in condemnationem.* Et reclamant isti asserentes paruulos ex primo illo homine progenitos, non ire in condemnationem, etiamsi non fuerint baptizati. Quod si non audent resiste-

resistere Apostolo, exponant nobis, quare iudicium ex vno delicto, ducat in condemnationem, cùm ex multis delictis homines damnandi veniant in iudicium. aut si propterea id dictum putant, quia initium peccati ex Adam factum est, quod imitati cæteri sunt, vt sic ex vno delicto in iudicium condemnationemque traherentur, qui imitando eum multa peccauerunt, cur non similiter de gratia iustificationis dictum est: *Gratia autem ex vno delicto in sanctificationem.* Cùm ergo in vtroque, id est, in iudicio, & in gratia (quod attinet ad vnum & multa delicta) vna eademque ratio sit; dicant isti nobis, quare iudicium dixerit Apostolus ex vno delicto ducere in condemnationem, gratiam verò ex multis delictis in iustificationem? Aut certè acquiescant, ideo sic esse dictum, quia in hac causa duo constituuntur homines: Adam, ex quo consistit generatio carnalis, & CHRISTVS, ex quo prouenit spiritualis regeneratio. Sed quia ille tantùm fuit homo, hic autem & DEVS, & homo; non sicut generatio carnalis ex vno delicto tantùm obligat posteros Adæ, quod ab illo trahunt: ita hæc regeneratio vnum duntaxat soluit delictum, quod est ex Adam. Sed illi quidem generationi carnali ad condemnationem sufficit vnius delicti connexio; quicquid enim postea homines ex malis suis operibus addunt, non pertinet ad illam generationem, sed ad humanam conuersationem. Huic autem regenerationi non sufficit illud vnum tantummodo delictum soluere, quod ex Adam trahitur, sed quicquid etiam postea ex iniquis operibus humanæ conuersationis accedit. Rectè igitur dictum est ab Apostolo: *Iudicium ex vno in condemnationem, gratia autem ex multis delictis in iustificationem.* Ad hanc fermè sententiam eo loci disputat Augustinus.

50. Tertius locus est in capite duodecimo libri sexti contra Iulianum, vbi Augustinus interpretamentum horum Pauli verborum à Pelagianis confictum, nouum sensum, & distortum, & abhorrentem à vero, & plenum impudentiæ ac dementiæ esse ostendit. Præterea, quod aiebant Pelagiani, propterea

pterea dixiſſe Apoſtolum, omnes homines peccaſſe in Adamo, quia propter ipſum, id eſt, ſequendo ipſius exemplum, & ad imitationem eius peccauerunt, docet id eſſe perabſurdum: non enim homines in peccando, ſpectant exemplum Adami, neque eo exemplo incitantur ad peccandum; ſed proprias quiſque habet peccandi cauſas, & incitamenta. Sed Auguſtinum hæc ipſa copioſius, & diſertius explanantem audiamus. De illis quoque, inquit, Apoſtolicis verbis, in quibus impudētia mirabili, immò dementia reſiſtitis fundatiſſimæ fidei, vbi ait: *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt*, fruſtrà ſenſum alium nouum, atque diſtortum, & à vero adhorrentem moliris exſculpere, affirmans ea locutione dictum eſſe: *In quo omnes peccauerunt*. ac ſi diceretur: *Propter quod omnes peccauerunt*, quemadmodum dictum eſt à Dauide: *In quo corrigit iunior viam ſuam?* Vt ſcilicet non in vno homine omnes homines peccaſſe intelligantur originaliter, & tanquam in maſſæ vnione communiter; ſed propterea, quia vnus hominum ille peccauit; id eſt, cùm imitantur illum, non cùm generantur ex illo. Sed non conuenit huic ſenſui iſta locutio, vt dictum ſit: *In quo*, tanquam, *propter quod*, nam propter hoc quiſque peccat, quod ſibi proponit vt peccet, vel quod illi quoquo modo eſt cauſa peccandi. Quis verò ab omni humano ſenſu tam ſit abſurdus, vt dicat, propter hoc fecit homo iſte homicidium, quia in Paradiſo Adam de ligno prohibito cibum ſumpſit; cùm iſte latrocinando occiderit hominem, nihil de Adam cogitans, ſed propter hoc, vt aurum quod ferebat, auferret? Sic & cætera cuncta peccata, quæ propria quiſque committit, habent cauſas propter quas fiant, etiamſi nemo cogitet, quod ille primus homo commiſit, neque illud ſibi ad peccandum proponat exemplum. Propter hoc itaque, id eſt, Quoniam peccauit Adam, nec ipſe Cain peccaſſe dicendus eſt, qui eundem patrem ſuum nouerat. Propter quid enim fratrem ſuum occiderit, notum eſt, quia non propter

Pſalm. 118.

Geneſ. 3.

Geneſ. 4.

h hoc

hoc quod perpetrauit Adam, sed quia bono eius inuidit. Hactenus ex Augustino. Ex cuius supradictis tribus locis liquidò apparet, quemadmodum olim Pelagiani locum hunc Pauli (ne pertinere ad peccatum originale videretur) commentitia & distorta interpretatione corrumpere ac peruertere sint conati, & quàm à proposito & sententia verborum Pauli longè remota & abhorrens sit illorum interpretatio.

DECIMA DISPVTATIO.

SVPER IISDEM VERBIS APOSTOLI: IN QVO OMNES PECCAVERVNT.

51. QVICVMQVE consideratè pensitat contextum huius disputationis, & verborum Apostoli, liquidò cernit, comparationem, quam Paulus pluribus verbis disertè tractat, inter Adam & CHRISTVM non posse aliter benè consistere, quàm si verba eius intelligantur de peccato Adæ in omnes posteros eius per carnalem propagationem transfuso. Illudque validissimum est argumentum ad confutationem illorum, qui verba hæc: *In quo omnes peccauerunt*, interpretantur, quatenus omnes peccauerunt, non quidem peccato originali, sed peccatis (vt vocant) actualib. proprio arbitrio, & voluntate factis: quod secundum istiusmodi sententiam, & interpretationem verborũ Pauli, verba eius falsam, & absurdam redderent sententiã; sensus enim esset, propterea mortẽ pertransisse in omnes homines, quia omnes homines, imitando Adamũ, actualiter peccauerunt: quod non modo falsum, sed etiã perabsurdum est. Si .n. nomine mortis intelligatur mors corporalis, vt reuera intelligi debere, suprà ostensum est; manifestè falsum est,

eſt, ideo mortẽ pertranſiſſe in omnes, quia omnes peccauerunt actualiter: cùm innumeri propemodum infantes, antequam per ætatem propria voluntate peccare potuiſſent, morte oppreſſi fuerint. Nec ſanè peccatum actuale cauſa eſt, cur homo ſit ſubiectus neceſſitati moriendi: eo namque ipſo temporis puncto, quo in vtero matris homo concipitur, & generatur, iam eſt obnoxius morti. Sin autem nomine mortis intelligatur mors animæ, quæ eſt æterna damnatio ad gehennam ignis, & falſum eſt iſtam mortem peruaſiſſe omnes homines, cùm plurimi æternam ſalutem adepti ſint: & falſum item eſt, omnes homines admiſiſſe peccata mortalia, propter quæ tantùm mors animæ accidit homini. Ergo nulla ratione conſtare poteſt, vt diximus, conſequentia diſputationis Pauli, & ſententia verborum eius, niſi locus hic de originali peccato exponatur. Denique in Concilio Arauſicano & in Concilio Tridentino, vbi de peccato originali agitur, declaratum eſt, qui negant transfuſionem peccati Adæ in ſuos poſteros, euidenter contradicere eos Apoſtolo dicenti hoc loco: *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum*, &c. Et in Concilio Mileuitano proditum eſt, non aliter intelligendum eſſe, quod dixit Apoſtolus: *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum*, quàm de peccato originali; quemadmodum Eccleſia Catholica, vbique diffuſa, ſemper intellexit. Omninò, qui contendunt hunc Pauli locum non pertinere ad peccatum originale, validiſſimum telum adimunt Catholicis, quo ſententia Pelagianorum contra peccatum originale penitus confoditur: hoc enim Pauli teſtimonio vſi ſunt Patres, & vſa ſunt ſacra Concilia ad probandum, firmandumque Catholicam peccati originalis doctrinam.

Conc. Arauſicanum & Tridentinum. Mileuitanum.

Non igitur Theodoretus hunc Pauli locum neque ad veritatem, neque ad germanam Pauli ſententiam rectè interpretatus eſt. Hunc etenim Pauli locum explanans in commentariis ſuis ſuper hanc epiſtolam ad Romanos, docet, peccatum Adæ non pertranſire ad poſteros pro-

52. *Animaduerſio in Theodoretũ.*

priè ſecundum culpam, ſed ſecundum multiplicem occaſionem, & multiforme incitamentum peccandi: vt nihil ſit aliud peccatum Adæ in nos transfuſum, quàm multiplex occaſio quædam, & vehemens incitatio ad peccandum ex peccato Adæ indita humanæ naturæ: quæ mors quaſi per quatuor gradus adducit nos ad peccandum, hoc ordine: primò peccatum Adæ reddidit humanam naturam mortalem & paſſibilem: deinde, mortalitas & paſſibilitas hominis, priuationem habet, & indigentiam multarum rerum, quæ ad vitæ humanæ conſeruationem conducunt. Ad hæc, priuatio & indigentia excitat appetitum, incendit cupiditatem quærendi, & comparandi quæ humanæ vitæ vtilia, & iucunda ſunt. Poſtremò, cupido rerum vel vtilium, vel iucundarum, mediocritatis exceſſum ſuadet: cui perſuaſioni quicumque aſſentitur, peccat, & peccando, ſpirituali morte damnatur. Non igitur propter peccatum Adæ, niſi tantùm ex occaſione, ſed propter ſua quiſque propria peccata ſpiritualiter damnatur. Hæc eſt Theodoreti ſententia, & interpretatio verborum Pauli, quam me fideliter expoſuiſſe, cognoſcet Lector ex verbis eius, quæ hîc ſubſcribam.

53. Explicans igitur Theodoretus hunc, quem nunc tractamus, Pauli locum, ita ſcribit: Cùm DEVS creaſſet Adamum, & ratione ornaſſet; dedit ei vnum præceptum ad rationem exercendam: neque enim fieri poterat, vt qui rationis eſſet particeps, & bona, malaque diſcernendi falcultatem haberet, abſque vlla lege viueret. Sed ille deceptus, mandatum tranſgreſſus eſt. Supplicij autem comminationem ab initio legislator mandato adiunxerat. Cùm igitur ob mandati tranſgreſſionem, mortis decreto factus eſſet obnoxius, tales quoque Cain, & Seth, & alios genuit: hi verò omnes, vtpote ex eo geniti, habebant mortalem naturam, quæ multis indiget, & cibo, & potu, & indumentis, & habitatione, & diuerſis artibus. Harum rerũ vſus ſæpè ad mediocritatis exuperationẽ incitat: cuiꝰ mediocritatis exuperatio peccatũ generat. Dicit itaq; hoc loco diuinus Apoſtolus, ꝙ cùm Adam pecca-

peccauiſſet, & propter peccatũ factus eſſet mortalis, vtrũq; ad genus humanũ peruenit: oẽs etenim homines mors peruaſit, quatenus omnes peccauerunt. Nõ enim propter primi parentis peccatum, ſed propter ſuum, vnuſquiſq; mortis decretum ſuſcipit. Sic ibi Theodoretus, cuius extrema ſententia, quod propter ſuum quiſque peccatum ſubit mortis decretum, ſi de morte animæ intelligatur, ęterniſq; inferni ſupplicíis, vera quidem eſt, ſed non benè cohæret & congruit cum antecedentibus eius verbis, in quibus apertè loquitur de morte corporis. Sin autem intelligatur de morte corporis, plane falſa eſt, vt patet in infantibus.

53. Idem Theodoretus eandem ſententiam tradit in commentarus ſuis in Pſalm. ſuper illis verbis Pſal. 50. *Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Tranſgreſſionem, inquit, à principio audacter patratam à primis hominibus Dauid in medium profert, harum vndarum, qui bus agitatur genus humanum, fontem eſſe dicens. Si enim illi non peccaſſent, non accepiſſent mortem præmium peccati: Si mortales non eſſent, perturbationibus obnoxij non fuiſſent: Si perturbationibus caruiſſent, peccatum in illis locum non habuiſſet. Sed quia peccauerunt, & morti, & perturbationibus obnoxij ſunt facti; ſimileſque procrearunt filios, quos concupiſcentiæ, timores, mœrores, ira, & inuidia, aliique affectionum morbi ſecuti ſunt: cum his ratio certat, & vincens, coronis triumphalibus coronatur: expugnata verò & ignominia, & pœnis afficitur. Hinc porrò diſcimus, vim peccati non eſſe naturalem; Si enim naturalis eſſet, à ſupplicio, qui peccant, liberi eſſe deberent: ſed naturam ipſam ad peccatum factam eſſe procliuem. Hactenus ex Theodoreto: ex cuius ſupradictis duobus locis ſatis apparet, eum non putaſſe, Apoſtolum hic loqui de peccato originali: non enim quem Paulus vocat tranſitum peccati ex Adamo in omnes homines, interpretatur transfuſionem illius peccati in poſteros per propagationem, ſed tantùm per occaſionem, & multa incitamenta ex peccato Adæ in humanam naturam

transmissa; quibus ea sit valde procliuis ad peccandum. Nec tamen ausim dicere, peccatum originale non fuisse cognitum,& creditum, à Theodoreto; quippe qui fuit vir doctissimus, maixmeque Catholicus; & iam ipsius ætate hæresis Pelagianorum de originali peccato impiè sentientium, & à Pontificibus Romanis,& in conciliis Ecclesiasticis damnata fuerat.

54. Et verò, Catholicis omnibus indubitatum esse debet,ex peccato Adæ non modò pœnam mortis, aliasque miserias permanasse ad posteros eius, quæ possent figuratè appellari peccatum, quod fuerint peccati propriè dicti tanquam effectus & pœnæ, sintque occasiones & incitamenta homini ad peccandum:sed etiam peccatum,vt significat culpam,& verè facit peccatorem,transisse ad omnes per generationis propagationem. Nam & Paulus apertè dixit & peccatum, & mortem transisse ad omnes; & in illo primo homine peccasse omnes; & per illius inobedientiam constitutos esse peccatores. Et hęc est Catholicæ ecclesię sententia,multis in Conciliis confirmata;ob idq; infantes baptizantur in remissionem peccati; non actualis, quod in illa ætate facere non potuerunt,sed originalis,quod ex Adam nascendo traxerunt. Anselmus in libro de conceptu virginali, ait, infantes non damnari propter peccatum Adæ, sed propter peccatum, quod ipsi habent in se:nec posteros Adæ portare iniquitatem eius, sed suam quosq; propriam;licet peccatum Adæ,posterorum eius peccati causa fuerit. Non enim aliter delictum Adæ imputaretur posteris ad condemnationem, nisi quia illud quodam modo transfusum est ad posteros, in ipsis inhærens; ita vt suum quisque proprium habeat originale peccatum. Sic Anselmus. Certè in concilio Tridentino sessione 5.in decreto de peccato originali,anathema decernitur in eos,qui non Adæ peccatum;sed pœnas tantùm corporis in omnes posteros eius transisse dicunt; idq; hac vna Pauli sententia confirmat: *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes*

Anselmus.

Concil. Trid.

omnes peccauerunt. Sententia porrò, quam hîc damnauit Tridentinum concilium, fuit hac nostra ætate non solùm Zuinglij hæretici, sed etiam Iacobi Fabri Viennensis Episcopi, tam in commentariis huius loci Pauli, quàm in Apologia quam scripsit pro iisdem commentariis, perspicuè affirmantis, peccatum originis nihil esse aliud, nisi obligationem humani generis ad mortem corpoream, ex primi parentis noxa contractam.

Zuinglius
Iacobus Faber.

VNDECIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

VSQVE ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset, sed regnauit mors ab Adam vsq; ad Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ, qui est forma futuri.

Versu 13. & 14.

GERMANVS & proprius istorum verborum Apostoli sensus, est huiusmodi: peccatum originale quod proximè ante dictum est intrasse in mundum, & per ipsum, mortem pertrãsisse in omnes homines; licet ante legem promulgatam à Moyse, vel ante doctrinam sacram ab eo primum literis traditam non esset mundo cognitum, nec reputatum peccatum; inualuit tamen, & viguit etiam ante legem. Cuius rei illud est manifestum indicium & argumentum, quod mors, propria eius peccati pœna, ante Moysen, immo iam inde vsq; ab exordio mundi, mox videlicet post lapsum Adæ, regnauerit in mundo, id est, vt interpretatur Augustinus, imperium, & dominium

55.

B. Augustinus.

nium obtinuerit in mundo, trahens homines in condemnationem: quæ vtiq; non regnasset, si non fuisset in mundo peccatum. Ac licèt originale peccatum etiam ante Moysem, non latuerit sanctos illos Patriarchas, Noë, Abraham, aliosq; insignes pietate viros, semperque fuerit à DEO imputatum homini ad culpam, & pœnam; non erat tamen cognitum hominibus secundum legem tantùm naturæ, humanamque rationem viuentibus: à quibus sicut non putabatur peccatum, ita nec imputabatur ad pœnam; non enim mortem quam patiebantur omnes, eius peccati pœnam existimabant. Atq; hæc est plana, & simplex, & congrua istorum verborum Pauli explanatio: vt illud, *vsq; ad legem*, accipiatur exclusiuè, pro eo quod est, ante legem. Origenes tamen interpretatur illud, *vsque ad legem*, inclusiuè, id autem est, vsque ad finem legis, & vsq; ad CHRISTI aduentum. Quo etiam modo verba hæc intellexit Augustinus in explanatione quarundam propositionum, siue sententiarum huius Pauli epistolæ ad Romanos, ita scribens: Intelligendum est per istud: *vsq; ad legem*, significari tempus, quousque veniret gratia; contra eos enim hoc dictum est, qui arbitrantur, per legem auferri posse peccata. Et paulò pòst: Non putemus, *vsq; ad legem*, ita dictum esse, quasi iam sub lege non esset peccatum, sed sic dictum est, *vsq; ad legem*, vt totum legis tempus postea enumeret, vsque ad finem legis, qui est CHRISTVS. Verùm huic interpretationi aduersatur id quod proxime sequitur: *Peccatum autem non imputabatur, cum lex non esset*, tempore enim legis Mosaicæ, quomodo vere dici potest, non fuisse legem, & peccatum non fuisse imputatum? cum lex Moysis non solùm peccata demonstraret, verum etiam pœnis quodq; peccatum puniret?

Origenes.

S. Augustinus.

56. Subdit Paulus. *Regnauit mors ab Adam, etiam in eos qui non peccauerunt, in similitudinem præuaricationis Adæ.* Hanc lectionem latini interpretis habent etiam græci codices, eamque interpretantur Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius in suis commentariis super hoc loco; eamdem-

eandemq; citant Irenæus lib.3.ca.20. & Cyrillus lib.2.& 20.in Ioannem, Augustinus quoq; lib.1. de peccatorum meritis,& remiss. cap. 12. hanc lectionem diligenter explanat, non dissimulans tamen nonnullos codices latinos habere locum hunc sine negatione hunc in modum: *Regnauit mors ab Adam vsq; ad Moysem in eos qui peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ.* Affirmat tamen ibi Augustinus, græcos codices fermè omnes habere hunc locum cum negatione, itidem vt habet noster latinus interpres. Atque ita citatur hic locus à B.Hieronymo in Epitaphio Nepotiani ad Heliodorum,& in epistola ad Paulam super obitu Blesillæ. Origenes tamen, & Ambrosius legunt & interpretantur hunc locum sine negatione ad hunc sensum, mortem regnasse non solùm in Adam, cui DEVS eam fuerat interminatus, sed etiam in alios omnes,qui ad similitudinem,& exemplum Adæ legem DEI præuaricati sunt. Nostræ porrò lectionis, quæ negationem habet, hic est sensus, mortem regnasse, id est, vim suam exercuisse etiam in infantes, qui nihil peccauerunt propria voluntate, similiter vt Adam peccauerat legem DEI præuaricando. vel, qui non aliter peccauerunt, quàm quòd similitudinem quandam præuaricationis Adæ in se habeant, quæ est ipsum peccatum originale. Quanquam alij hanc lectionem nostram referunt ad eos,qui peccauerunt peccato actuali, ita eam interpretantes, mortem non solum regnasse in Adamo, sed in aliis etiam omnibus, qui etsi peccauerunt, non tamen peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adę, id est,non comederunt fructum vetitum arboris scientiæ boni, & mali, propter quem DEVS Adamo mortem est minatus,atque ea puniuit ipsum. Vel non peccauerunt similiter vt Adam, id est, tam grauiter, vel mandatum aliquod à DEO sibi propriè datum violando,sicut fecit Adam: huiusmodi autem fuere homines, qui peccauerunt ante legem Moysis.

Irenæus. *Cyrill. Alexan.* *Augustinus.* *S.Hieronymus.* *Origenes.* *Genes.3. Suprà 2.*

Iam verò in eo,quod subdit Paulus: *Quid est forma futuri,* Significans Adamum fuisse typum & figuram futuri: Ille ge-

57.

i nitiuus,

nitiuus, *futuri*, ſicut etiam græcè, τοῦ μέλλοντος, poteſt ſumi dupliciter, vel neutro genere; vt referatur ad peccatum, & ſit ſenſus, Adamum in peccato ſuo fuiſſe figuram, & exemplar quoddam eorum, qui poſtea peccauerunt. Vel poteſt accipi maſculino genere, & referri ad CHRISTVM, qui futurus dicitur, non reſpectu eius temporis, quo hæc ſcribebat Paulus, ſed reſpectu Adami, qui figuram geſſit CHRISTI venturi. Eſt autem & aptior & commodior atq; probabilior hæc interpretatio: quam illud valde adiuuat, quod mox Apoſtolus adiungit comparationem CHRISTI cum Adamo, demonſtrans, quamuis hic fuerit figura illius, eos tamen fuiſſe admodum diſſimiles, & in alio ſuo etiam genere diſpares. Verum quiſpiam fortaſſe quærat, quemadmodum Adam fuerit figura CHRISTI. Fuit profectò figura CHRISTI tripliciter: primò in genere, non autem in ſpecie, quia vterq; fuit principium, & origo, & auctor eorum, quæ permanarunt ad vniuerſum genus hominum; ſed Adam malorum, CHRISTVS bonorum. Deinde ſecundum analogiam, & proportionem: ſicut enim ſe habet Adam ad malum humani generis, ita CHRISTVS ad bonum: ille peccato ſuo non vni, aut paucis, ſed cunctis hominibus nocuit: CHRISTVS gratia ſua omnibus profuit: per illum mors peruaſit omnes: per hunc vita datur omnibus. Fuit etiam ſimilitudo quædam, & conuenientia inter Adamum, & CHRISTVM: ſicut enim Adam eſt parens omnium hominum per generationem carnalem; ita CHRISTVS per ſpiritualem regenerationem. Et quemadmodum Adam caput fuit, & ſponſus Euæ quæ ex latere eius formata eſt: ita CHRISTVS caput eſt, & ſponſus eccleſiæ, quæ ex latere eius, in cruce pendentis, vnde fluxit ſanguis, & aqua, Sacramenta noſtræ regenerationis, & viuificationis, quodammodo formata eſt. Ac demum ſicut Adam ex terra virgine, nec maledicta, ſine virili ſemine à DEO conditus eſt: ita CHRISTVS ex matre virgine, ſemperque benedicta, ſine virili cooperatione per virtutem SPIRITVS ſancti generatus eſt.

Adam tripliciter figura CHRISTI.

Gen. 2.

Ioan. 19

Gen. 2.

DVODE-

DVODECIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Sed non ſicut delictum, ita & donum. Si enim vnius delicto multi mortui ſunt, multò magis gratia DEI & donum, in gratia vnius hominis IESV CHRISTI in plures abundauit.

Verſu 15.

58.

DIXERAT Apoſtolus, Adamum fuiſſe CHRISTI figuram: Sed à contrario: ne quis putaret peccatum Adami, aut maiorem, aut æqualem, habuiſſe vim nocendi hominibus, neque genus humanum plus boni accepiſſe per CHRISTVM, quàm contraxerat mali per Adamum; & CHRISTVM damna tantùm importata per Adamum humano generi compenſaſſe, Apoſtolus in ſupradictis verbis & aliis, quæ proximè ſequuntur, luculentè oſtendit longe copioſiorem, & potentiorem fuiſſe gratiam CHRISTI ad ſeruandum homines, quàm fuit peccatum Adæ ad perdendum eos. Sed in eo quod latina lectio habet hoc loco, gratiam DEI per CHRISTVM in plures abundaſſe, ſcire conuenit, illud, *plures*, non poni comparatiue, ſed poſitiue pro multis. Non enim ſignificatur plures fuiſſe ſeruatos per CHRISTVM quàm damnatos per Adamum, id enim conſtat non eſſe verum: ſed hoc tantùm ſignificatur, gratiam DEI per CHRISTVM excellentiori, & abundantiori modo profuiſſe plurimis, quàm peccatum Adami nocuerat. Et verò græca lectio nullum relinquit locum ambigendi: non enim habet, *πλείονας*, quod ſignificat plures, ſed, *πολλούς*, quod ſignificat multos. Ergo gratia CHRISTI

ſuperat Adami peccatum, non (vt in ſcholis loquimur) extenſiuè, ſed intenſiuè.

59. *Quatuordecim rationibus declaratur vberiorem atq; potentiorem fuiſſe Chriſti gratiam, quàm peccatum Adæ.*

Sed quæri dignum eſt, cùm ſit manifeſtum, latius patere peccatum Adæ quàm gratiam CHRISTI, & paucos eſſe, qui gratia CHRISTI ſeruantur, præ innumeris peccato Adæ infectis atque pereuntibus: quanam ratione verum ſit quod ait hoc loco Apoſtolus, gratiam CHRISTI fuiſſe abundantiorem atque potentiorem, quàm Adæ peccatum. Verùm ego hanc Pauli ſententiam eſſe veriſſimam, multis rationibus demonſtrare poſſum, quas hîc ſtrictim attingam, enumerando potius, & indicando eas, quàm explicando. PRIMO, ex Adamo vnum duntaxat peccatum originale contrahimus: à CHRISTO multa & varia gratiarum dona accipimus. Secundò, Adam vno tantum peccato humanum genus infecit. CHRISTI gratia non modò vnum ex Adamo peccatum ſoluit, ſed homines omnibus aliis peccatis actualibus ſanat, & liberat. Tertiò, per peccatum ex Adamo originale obnoxij ſumus tantum pœnæ damni, quæ eſt priuatio gratiæ, & gloriæ DEI: gratia CHRISTI & pœna damni, & pœna ſenſus, quæ pro peccatis actualibus luenda eſſet in inferno, omnes abſoluit. Quartò, ex Adami peccato extitit deordinatio, & rebellio concupiſcentiæ aduerſus rationem: per gratiam CHRISTI rurſus in ordinem cogitur concupiſcentia, vt non dominetur rationi, & vt eius rebellio proficiat nobis ad illuſtriorem victoriam, amplioremq; gloriam. Quintò, per Adæ peccatum amiſſa eſt gratia, per quam primus homo potuit perſeuerare; per CHRISTVM datur gratia, per quam non ſolum homo perſeuerare valeat, ſed etiam perſeueret: Et hanc rationem copiosè doctéq; tractat B. Auguſtinus in lib. de bono perſeuerantiæ. Sextò, peccatum Adæ regnabit in mundo: CHRISTI gratia manet vſq; ad diem iudicij, & viget in æternum. Septimò, per peccatum Adæ intrauit mors corporis in mundum, ſed temporaria: per gratiam CHRISTI dabitur etiam corpori vita immortalis. Octauò: peccatum Adæ abſtulit nobis iuſtitiam originalem, qua præditi potuiſſemus

S. Auguſtinus.

ſemus non mori. per CHRISTI gratiam dabitur homini, vt ſemper viuat, & mori non poſſit. Nonò, peccatum Adæ ad homines ſolos permanauit: at CHRISTI gratia ad ANGELOS etiam extenditur. Decimò, licet in eo videatur latius patere peccatum Adæ, quàm CHRISTI gratia, quod omnes homines ex eius ſtirpe generantur, ob idque omnes ex eo peccatum contrahunt: in CHRISTO autem non omnes ſpiritualiter regenerantur, & ideo non omnes gratiã eius participant: In hoc ipſo tamẽ comparationis genere reperire eſt aliquem ex Adamo ſecundum carnem progenitum, nec eius peccato infectum, qualem nos credimus fuiſſe B. Virginem. At nullus reperitur, nec reperiri poteſt ſpiritualiter regeneratus, & non per CHRISTI gratiam iuſtificatus. Vndecimò, etſi reuera, &, vt vulgo dicitur, de facto, ad plures permanauerit, ſimpliciter & abſolutè loquendo, peccatum Adæ, quàm gratia CHRISTI: attamen, ſecundum ſufficientiam, multo latius patet CHRISTI gratia, ea namque non ſolùm vim habet ſanctificandi & glorificandi omnes ex Adamo generatos, ſed abſolutè omnes homines quoquo modo producibiles. Nam ſi DEVS, verbi gratia, aliud quoddam genus hominum de nouo crearet, eius primos parentes, à quibus cæteri originem ducerent, ex nihilo producens, iſtiuſmodi homines nihilo minus, quàm qui nunc ſunt ex Adamo progeniti, egerent gratia CHRISTI nec aliter quàm per ipſum ſanctificari, & glorificari poſſent; ad eos tamen peccatum Adæ nullo modo pertineret. Duodecimò, per Adæ peccatum nihil homo perdidit, debitum naturæ humanæ, & quod homo in puris naturalibus creatus habuiſſet: At per gratiam CHRISTI donantur homini plurima, quæ ſupra naturam eius ſunt. Decimotertiò, per Adæ peccatum homo comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis: per gratiam CHRISTI natura humana etiam ſuper omnes ANGELORVM ordines exaltata eſt. Decimoquartò, per Adæ peccatum priuati ſumus eſu fructus arboris vitæ: per gratiam CHRISTI datum nobis eſt manducare panem, qui de cœlo deſcendit,

Pſalm. 48.

Geneſ. 3.

Ioan. 6.

dit, & dat vitam æternam. Vides igitur, quanto plus boni attulit homini gratia CHRISTI, quàm ei peccatum Adæ attulerat mali.

DECIMATERTIA DISPVTATIO.

De pœna quæ debetur propriè originali peccato post hanc vitam.

SVPER ILLIS VERBIS:

Versu 18.

IVDICIVM ex vno in condemnationem: & per vnius delictum in omnes homines in condemnationem.

60. SATIS apertè his verbis docet Apostolus, propter vnum illud peccatum Adæ, quod ex ipso cuncti homines nascendo trahunt, condemnari eos: Et quia condemnatio non est sine pœna, & ad futuram vitam spectat, consequens est, propter solum peccatum originale, qui ante vsum rationis sine CHRISTI baptismo moriuntur, post hanc vitam pœna aliqua puniri. Quod etiam indicauit Apostolus, scribens ad Ephesios, illis verbis: *Eramus & nos naturâ filij iræ, sicut & cæteri.* Quid est (*naturâ*) nisi per ipsam naturalem ex Adamo generationem, naturam peccato infectam accipientes? Et quid est, *filij iræ?* nisi obnoxij vindictæ, & pœnæ? Sed quia duplex post hanc vitam est pœna damnatorum hominum, quarum vna dicitur pœna damni, quæ est priuatio visionis DEI, & felicitatis æternæ: altera vocatur pœna sensus, quæ est æternum supplicium, quo homines in inferno cruciantur. Quæritur vtra istarum debeatur peccato originali, & an vtraque sit ei debita.

Ad Ephes. 2.

ta. Ac de pœna quidem damni, quod ea peccatum originale puniatur post hanc vitam, conuenit inter omnes Ecclesiæ Doctores: an verò etiam pœna sensus ei peccato debeatur, discrepant ab antiquis posteriores Theologi.

61. *Puniri post hãc vitam peccatũ originale pœna sensus, quinam veterum dixerint.*

Est enim veterum, & inprimis magnorum virorum sententia, infantes cum solo peccato originali morientes, non solùm excludi ab ingressu in regnum cœlorum, sed etiam æterna subire tormenta. Audiat lector partem egregiæ cuiusdam disputationis B. Gregorij super illis verbis Iob: *Et multiplicabit vulnera mea, etiam sine causa.* Ad hoc ipsum, de quo agimus, pertinentem. Sic autem scribit: Nonnulli prius à præsenti luce subtrahũtur, quàm ad proferenda bona, malaue merita actiuæ vitæ perueniant: quos quia à culpa originis, Sacramenta salutis non liberant; & hîc ex proprio nihil egerunt, & illuc ad tormenta descendunt: quibus vnum vulnus est corruptibiliter nasci: alterum, carnaliter emori. Sed quia post mortem quoque æterna mors sequitur, occulto eis iustoque iudicio, etiam sine causa vulnera multiplicantur. perpetua nempe tormenta percipiunt, qui nihil ex propria voluntate peccauerunt. Hinc namque scriptum est: *Non est mundus quisquam in conspectu eius, nec vnius diei infans super terram.* Et per semetipsam veritas dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & SPIRITV sancto, non potest introire in regnum DEI.* Et Paulus etiam ait: *Eramus natura filij iræ sicut & cæteri.* Qui itaque nullum proprium adiungens ex solo originis reatu perimitur: quid iste in illo extremo examine (quantum ad humani sensus æstimationem) nisi sine causa vulneratur? At verò sub diuina districtione iustum est, vt propago mortalis, velut infructuosa arbor, & in ramis seruet amari tudinem, quam traxit ex radice. Sed districtus Iudex quanta eos animaduersione trucidat, quos culpa propriæ actionis damnat: si & illos in æternum percutit, quos reatus proprij arbitrij non condemnat? Hæc Gregorius.

Iob 9.
B. Gregorius.
Iob. 25. secundum translationem septuaginta.
Ioan 3.
Ad Ephes. 2.

62. *S. Augustinus.*

S. August. pro certo habuit, peccatũ originale post hanc vitã puniri etiã pœna aliqua sensus, nõ sola pœna damni: existimat

ſtimat tamen eam pœnam eſſe mitiſſimam atq; leuiſſimam omnium pœnarum, quas adulti poſt hãc vitam pro ſuis peccatis actualibus patiuntur. Sic enim ſcribit in Enchiridio cap. 93. Mitiſſima ſanè omnium pœna erit eorum, qui præter peccatum quod originale traxerunt, nullum inſuper addiderunt: & in cæteris qui addiderunt, tanto quiſque tolerabiliorem habebit damnationem, quanto hîc minorem habuit iniquitatem. Et in libro quinto contra Iulianum capite octauo. Ego, inquit, non dico paruulos ſine Christi baptiſmate morientes, tanta pœna eſſe plectendos; vt eis non naſci potius expediret, cùm hoc Dominus non de quibuslibet peccatoribus, ſed de ſceleſtiſſimis, & impiiſſimis dixerit. Si tamen quod de Sodomis ait, & vtique non de ſolis intelligi voluit, alius alio tolerabilius in die iudicij punietur: quis dubitauerit, paruulos non baptizatos, qui ſolùm habent originale peccatum, nec vllis propriis aggrauantur, in damnatione omnium leuiſſima futuros? Quæ, qualis, & quanta erit, quamuis definire non poſſim, non tamen audeo dicere, quod eis, vt nulli eſſent, quàm vt ibi eſſent, potius expediret. Sed vos quoque (Pelagiani) qui eos velut liberos ab omni damnatione contenditis, cogitare non vultis, qua illos damnatione puniatis, alienando à vita Dei, & à regno Dei tot imagines Dei. Sic Auguſtinus. Pelagiani enim, etſi dicebant infantes ſine peccato morientes nulla pœna affici; non poterant tamen inficiari, excludi eos ab ingreſſu in regnum cœlorum: cùm apertiſſimis verbis Dominus dixerit: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.*

Ioan. 3.

63. At enim verò iam pridem probata eſt in Scholis Theologorum ſententia, peccatum originale poſt hanc vitam nulla pœna ſenſus, ſed pœna damni tantùm puniri. Hanc quippe ſententiam habet Magiſter in ſecundo, diſt. 33. quam ſequuntur etiam omnes fermè ſcholaſtici, præter Gregorium Ariminenſem. Videat lector B. Thomam in quæſtionibus de malo quæſt. 5. in primis tribus articulis. Huius item ſen-

tentiæ fuit Auctor commentariorum in epistolas Pauli, vulgo creditus, & appellatus Ambrosius. nam super illis verbis paulò suprà enarratis: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors*, ait, mortem secundam, quæ est gehenna, non peccato Adæ nos pati, sed eius successione propriis delictis acquirere. S. Bernardus in quodam sermone de septemplici lepra, sola, inquit, propria voluntas in inferno ardebit: peccatum autem originale propria voluntate non est admissum, sed aliena. Innocentius III. in c. Maiores de Baptismo, & eius effectu: Pœna, inquit, originalis peccati, est carentia visionis DEI: actualis verò peccati pœna, est perpetuus gehennæ cruciatus.

Ambrosius.

S. Bernardus.

Innoc. III.

64. *S. Augustinus.*

Quin etiam Augustinus ipse aliquando videtur non abhorruisse ab ista sententia, satis probabile existimans, medium quendam statum esse istiusmodi infantium, inter statum beatorum, & suppliciis æternis damnatorum hominum. Hunc enim in modum scribit libro tertio de libero arbitrio capite vigesimo tertio. Huic disputationi obiici ab imperitis solet quædam calumnia de mortuis paruulis, & de quibusdam cruciatibus corporis, quibus eos sæpe videmus affligi. Dicunt enim, Quid opus erat vt nasceretur, qui antequam iniret vllum vitæ meritum, excessit è vita? aut qualis in futuro iudicio deputabitur, cui neque inter iustos locus est, quoniã nihil rectè fecit: neq; inter malos, quoniam nihil peccauit? Quibus respondetur, ad vniuersitatis complexũ, & totius creaturæ vel per locos, vel per tempora ordinatissimam connexionem non posse superfluò creari qualemcumque hominem. Superfluo etiam quæritur de meritis eius, qui nihil meruit. Non enim metuendum est ne vita esse potuerit media quædam inter rectè factum atque peccatum; & sententia iudicis media esse nõ possit inter præmium, & supplicium.

65. *Locus Dan. 12.*

Nonnulli etiam putant ad hanc communem sententiam probandam, & confirmandam valere id quod Angelus dixit Danieli: *Et multi de his qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt*:

bunt: alij in vitam æternam; alij in opprobrium, vt videant semper. Videtur signanter dixisse multos euigilaturos; licet enim omnes resurrecturi sint, non omnes tamen resurgent vel ad gloriam, vel ad opprobrium sempiternum: sed inter hos media erit conditio & status infantium, qui solùm habentes peccatum originale, præsenti vita defuncti sunt. Sed enim aliter quoque istum Danielis locum intelligi posse docuimus nos in commentariis nostris in Danielem. Nos itaque à communi Theologorum sententia minimè discedentes, condemnationem, & iram siue vindictam hominum propter peccatum originale, de qua loquitur Paulus, intelligamus atque interpretemur, quantum ad pœnam damni, nõ autem sensus: quàm grauis autem sit condemnatio, & vindicta, excludi ab ingressu in regnum cœlorum, & DEI visione priuari, satis ab homine, vt ait Augustinus, æstimari non potest.

DECIMAQVARTA DISPVTATIO.

SVPER THEODORETI EXPLANAtione illorum verborum Pauli.

Vers. 19.

SICVT per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per vnius obeditionem iusti constituentur multi.

66. *Theodoretus.*

THEODORETVS non satis congruè, ac rectè videtur hunc Pauli locum esse interpretatus. hunc enim locum non de peccato originali interpretatur, sicut interpretari oportebat, quod ex Adamo deriuatum ad omnes posteros eius, verè constituit eos, faciteque peccatores: sed interpretatur de propriis singulorum hominum actualibus peccatis, ad quæ humana natura facta

est

est admodum propensa propter Adæ peccatum, quo reddita est morti, & indigentiæ multarum rerum, variisque corporis atque animi perturbationibus obnoxia. Sed nihilominus tamen nonnulli excellenti virtute præditi, insigniq; pietate infirmitatem naturæ humanæ, & quæ in ea sunt incitamenta peccandi superantes, non sunt peccato Adæ ad peccandum adducti, nec transit in eos delictum Adæ. Hanc suam interpretationem paucis verbis tradit in commentario huius loci Theodoretus. Exactè, inquit, hoc loco comparans Apostolus peccatum Adæ cùm CHRISTI gratia, posuit illud *(multi)* dicens: *Sicut per inobedientiam vnius*, id est, Adæ, *peccatores constituti sunt multi, ita per vnius*, id est, CHRISTI obeditionem fore, vt iusti constituantur multi: nam & in illis inuenimus aliquos, qui à maioribus peccatis alieni fuerunt, vti Abel, Henoch, Noë, & Melchisedec, & Patriarchas, & eos etiam, qui in lege clari, atque insignes fuerunt. In tempore etiam gratiæ inueniuntur multi, qui vitam iniustam, & sceleratam amplectuntur. Sic ibi Theodoretus. Sed hoc ipsum enucleatius expressiusque tradit in Epitome diuinorum decretorum, in capite, cuius est hæc inscriptio: De SERVATORIS dispensatione, siue incarnatione, citans hæc ipsa verba Pauli, quæ nunc tractamus: *Sicut per vnius hominis inobedientiam peccatores constituti sunt multi: ita & per obedientiam vnius iusti constituentur multi.* Sic enim ait: Valde necessariò Apostolus & in peccato Adæ, & in gratia CHRISTI apposuit illud *(multi)* etenim cùm Adam peccasset, & plurimi diuinas leges transgressi essent, permanserunt tamen nonnulli in decretis naturæ, & virtutis curam gessere, sicut Abel, Enoch, Noë, Patriarchæ & Prophetæ, & alij plurimi, non solùm apud Iudæos, sed etiam apud alias gentes, de quibus diuinus Apostolus: *Quando enim gentes, quæ legem nō habent, quæ legis sunt, naturâ faciunt, hi legem nō habentes, ipsi sibi sunt lex.* Similiter quoq; post SERVATORIS aduētum non oēs salutem assequuntur, sed qui credunt, & vitam ex diuinis CHRISTI legibus instituunt atq; colunt. Ob hanc igitur causam Apostolus & in exemplari, & in imagine illud *(multi)* posuit. Hæc

Ad Rom. 2.

Theodoretus. Putauit itaque Theodoretus, propterea hunc locum Pauli nō posse intelligi de peccato originali ad omnes homines transfuso, quòd Apostolus dixerit per vnius hominis inobedientiam peccatores constitutos esse multos, & non dixit (omnes) sicut dicit oportuit, si de originali peccato loqueretur.

67. Sed fundamentum, & firmamentum interpretationis Theodoreti, quod Paulus non dixerit per Adami inobedientiam peccatores constitutos esse omnes, sed dixerit multos; perinfirmum est. Eosdem enim Adæ posteros nunc omnes dicit Apostolus, nunc multos, prorsus eosdem vtroq; nomine indicans. nam quos hoc loco appellauit multos, proximè antè dixerat omnes: *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem: Sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ.* Dixit porrò multos, non distinguens ab omnibus, sed ab vno, ad hunc nempe intellectum: Licet vnus homo fuerit Adam, vnumque peccatum eius primum: is tamen peccato suo non sibi tantùm, nec vni & alteri homini, sed multis nocuit, id est, omnibus posteris suis: in omnibus enim sunt multi: nec ratio vlla est, vt si peccatum eius deriuatum sit ad multos eius posteros, non itidē permanauerit ad omnes. Nec solùm in hoc loco, sed alibi quoque scriptura ponit multos pro omnibus. Audi B. Augustinum in vigesimo tertio capite libri vigesimi de ciuitate DEI, ita scribentem. Ponit aliquando scriptura multos pro omnibus: nam & Abrahæ dictum esse legimus: *Patrem multarum gentium posui te.* Cui tamen in alio loco: *In semine*, inquit, *tuo benedicentur omnes gentes.* Sic ibi. In libro autem sexto contra Iulianum Pelagianum capite duodecimo, hunc ipsum Pauli locum, quem in manibus habemus, pertractans contra Iulianum, qui quos Paulus dixit, multos contendebat non debere intelligi omnes, sic ait: Cùm verò multos, quos Paulus vocat, non vis intelligi omnes, quod tamen prius dixerat; ideo existimans dictum fuisse multos, ne omnes intelligerentur: poteris hoc dicere & de semine Abrahæ,

Multos pro omnibus vsurpat scriptura.

S. Augustinus.

Gen. 17. & 22.

S. Augustinus.

Abrahæ, cui promissæ sunt gentes; non omnes gentes ei fuisse promissas, quia dictum est quodam in loco: *Patrem multarum gentium posui te.* Est autem sanus intellectus, ideo sic locutam esse Scripturam, quia possunt aliqua esse omnia, quæ non sunt multa: sicut omnia dicimus euangelia, quæ tamen breui numero, id est, quaternario continentur: & rursus aliqua esse possunt multa, non tamen omnia: sicut multos dicimus credere in CHRISTVM, nec tamen omnes credunt, quia vt ait Apostolus; *Non omnium est fides.* Quod autem dictum est: *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Et, *Patrem multarum gentium posui te*: Easdem omnes, multas; & easdem multas, omnes esse monstratum est. Ita etiam cum dictum est, per vnum hominem in omnes transisse peccatum: & postea, per vnius inobedientiam peccatores constitutos esse multos: ipsi sunt multi, qui & omnes. Hæc Augustinus. Ex cuius posteriori hoc loco intelligitur, interpretationem huius loci quem tractamus, à Theodoreto traditam, placuisse Pelagianis, & displicuisse Catholicis. Quin etiam Theodoretus ipse in commentariis suis in Danielem, sententiam nostram confirmat, suamque funditus euertit. Verba enim illa capitis duodecimi: *Et multi de his qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt.* Explanans, multi, inquit, dixit, pro, omnes; etenim beatus quoque Apostolus, multi, pro, omnes, posuit, cùm dixit: *Si enim vnius delicto multi mortui sunt*, &c. cum tamen paulò antè dixisset: *Et ita in omnes homines mors pertransiit.*

2. Ad Thess. 3.

DECIMAQVINTA DISPVTATIO.

Discutitur Interpretatio quam tradit S. Chrysostomus eorundem illorum verborum Pauli:

Versu 19.

Sicut per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi.

68.

BEATVS Chrysostomus in homilia decima super hac epistola ad Romanos, pertractans hæc ipsa verba Pauli ait: Cùm Paulus dixit, per inobedientiam Adæ posteros eius constitutos esse peccatores, non propriè, sed figuratè ab eo esse positum: Id autem est, non ea ratione vt nomen peccatoris significat hominem peccato, & culpa infectum, sed vt significat hominem obnoxium supplicio, & reum mortis, quæ pluribus aliis malis corporalibus comitata, vniuerso generi humano aduenit. Nam propter alienum peccatum, quempiam mortis affici pœna, non est absurdum: effici tamen peccatorem propter alienum peccatum, quod ipse propria voluntate non admiserit, perabsurdum est. Peccatum verò Adæ, quod vulgò creditur magnum hominibus detrimentum attulisse; Chrysostomus affirmat, ingentis potius boni causam fuisse, si quis malis corporalibus per ipsum in genus humanum inuectis bene vtatur, faciens ea sibi quasi materiam varias colendi, exercendique virtutes. Sed præstat verba Chrysostomi hoc in loco adscribere: ea verò sunt huiusmodi: Quid hoc est quod dixit Apostolus per vnius inobedientiam, multos esse factos peccatores? videtur enim dictum hoc non paruam habere quæstionem: Sed si quis accuratè attenderit, ea quæstio facilè soluetur. Sed in quo est ista quæstio? in eo scilicet, quod dictum est, multos ob vnius inobedientiam peccatores extitisse. Adamo enim peccante, ac mortali facto, & qui ex eo nati sunt, etiam mortales esse, nihil absurdum est: at verò ex illius inobedientia, alios esse factos peccatores, quam, obsecro, congruentiam, & consequentiam habet? Inuenietur enim, ne pœnam quidem mereri, qui non ex se ipso peccator extitit. Quid igitur hoc loco nomen istud; *peccatores*, significat? Mihi quidem videtur, non aliud significare, nisi homines supplicio obnoxios, & mortis reos. Quod autem non solùm nihil

a Chrysost.

hil detrimenti acceperit humanum genus ex morte, & condemnatione, quæ propter Adæ peccatum ei contigit, sed ingens potius lucrum inde, si sapimus, referre liceat, facile est ostendere. Primùm quidem id profuit, vt ne in corpore immortali indesinenter peccemus. Deinde, vt infinita habeamus Philosophiæ argumenta: nam & vt modesti simus, & temperantes, & iusti, omnemque prauitatem fugiamus, præsentanea, & expectata mors suadet. Hinc etiam & martyrum coronæ, & Apostolorum præmia extiterunt. Ita iustificatus est Abel, ita Abraham mactato filio: ita Ioannes propter CHRISTVM interfectus est, ita tres pueri, ita Daniel. Si enim voluerimus, nō solùm mors, sed ne ipse quidem diabolus nocumento esse nobis poterit. His accedit, quod istiusmodi malis bene vsos immortalitas nos excipiet: & tanquam in schola aliqua, sic in præsenti vita, per morbum, & paupertatem, ceteraque, quæ mala esse videntur, eruditi, futurorum cœlestium, æternorumque bonorum perceptione digni efficiemur. Hactenus ex B. Chrysostomo. Et in explanatione huius loci, & superiorum locorum, in quibus Paulus de peccato Adæ disserit, malum, quod ex eo peccato in omnes homines transiit, non aliud videtur intellexisse, quàm mortem & passibilitatem naturæ humanæ, nullum (saltem expressè) de peccato originali verbum faciens.

Genes. 4.
Infrà 22.
Dan. 3.
Infrà 6. & vlt.

68.

Refellitur supradicta interpretatio Chrysostomi.

Locus lib. 3. Reg. cap. 1.

Non equidem inficias iuerim, posse nonnunquam in Scriptura nomen peccatoris secundum eam significationem accipi, quam dicit Chrysostomus; vt significet hominem obnoxium supplicio, & reum mortis. Hac etenim significatione videtur id nominis positum esse in 3. lib. Reg. cap. 1. in illis verbis, quæ Bethsabee dixit regi Dauidi: *Eritque, cùm dormierit Dominus meus Rex cum patribus suis, erimus ego, & filius meus Salomon peccatores.* Id est, tanquam obnoxij supplicio, & rei mortis, occidemur. Non igitur nego, aliquando sic posse accipi nomen peccatoris: sed pernego, eam significationem huic loco congruere, & ad verborum Pauli sententiam quadrare. Nā de supplicio mortis, cui omnes facti sunt, propter

Adæ

Adæ peccatum, obnoxij, iam paulò suprà dixerat Paulus: *Vnius delicto multi mortui sunt.* Et paulò infrà: *Vnius delicto mors regnauit per vnum.* Et proximè ante verba hæc quæ ttactauimus, dixit: *Sicut per vnius delictum in omnes homines in comdemnationem; sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ.* Vbi illud: *in condemnationem.* Significat pœnam mortis, qua vniuersum genus hominum, propter peccatum Adæ, damnatum est. Hic igitur cum ait, per inobedientiam Adæ peccatores constitutos esse multos, cum nec mortem, nec condemnationem nominet, quibus nempe vocabulis supplicium, & reatum mortis declarare solet, sed ponat nomen peccatoris, quod ferè in Scriptura, præsertim verò apud Paulum, non aliud significat, quàm hominem peccato, & culpa inquinatum, ratio ipsa persuadet, hac ipsa significatione hîc positum esse à Paulo, non autem ea, quam tradit Chrysostomus. Hoc etiam apertius & certius fit ex comparatione, vel oppositione, quæ fit in hisce verbis inter Adamum & CHRISTVM: Ait enim per inobedientiam Adami constitui peccatores, per CHRISTVM autem constitui iustos: opponit itaque iustos per CHRISTVM factos, peccatoribus factis per Adamum: Sed iustitia, quam CHRISTVS dat homini, non opponitur supplicio & reatui mortis, sed opponitur iustitiæ & peccato: Ergo sicut per iustos factos per CHRISTVM intelligere oportet homines verè præditos iustitia: ita per peccatores, inobedientia Adami constitutos, necessum est intelligere homines peccato & culpa præditos atq; inquinatos.

69. *S. Chrysostomū rectè sensisse de peccato originali.*

Nec tamen hæc in Chrysostomum eo consilio, & animo dixi, vt eum insimularem erroris quem circa peccatum originale postea secuti sunt Pelagiani. Scio enim nonnullis in locis Chrysostomum non obscuram dedisse originalis peccati significationem. Vt enim alia omittam, videtur perillustris esse de peccato originali illa eius sententia, quæ in homil. 40. in priorem epist. ad Corinth. scripta est his verbis: Peccata dimittere solus DEVS potest: Reges, & Principes, etiam si homicidas

Matth 9. Luca. 7.

micidas

micidas & adulteros peccati supplicio liberent; peccato tamen ipso absoluere non possunt: in imperium licet euehant ipsos, & purpura eos induant, & regale diadema ipsis imponant; à peccatis tamen eos mundare non possunt. Solus DEVS peccata remittit, quod in hoc regenerationis lauacro mirabiliter facit: mentem enim gratia tangit, & inde radicale peccatum euellit. Itaque qui crimine, regis beneficio absolutus est, inquinatum animum seruat: quem abluit Baptisma, solis radiis puriorem mentem habet: & qualem habuit iam olim cum conderetur: immo illustriorem, dum eum SPIRITVM sentit, qui se vniuersam inflammat, & sanctificat: & vt tu ferrum, aurumque recoquendo, purum, & quasi nouum facis: sic SPIRITVS ille sanctus in baptismate velut in fornace recoquit ipsam & consumendo penitus peccatum, quolibet auro puriorem, splendidioremq; reddit. Hæc ibi Chrysostomus: qui dicens radicale peccatum euelli ex animis baptizatorum, haud dubiè significauit peccatum originale, quod ab Adamo proueniens, tanquam radice humani generis, rectè nominauit ipsum Chrysostomus græcè προρρίζην ἁμαρτίαν. quod latine sonat originale peccatum.

70. *S. Augustinus vindicat Chrysostomum a calumnia Pelagianorum.*

Scio etiam S. Augustinum acriter pugnare in Pelagianos, qui dictitabant Chrysostomum stare ab ipsis; idemque de originali peccato, quod ipsi sentiebant, & sensisse, & scriptis prodidisse. Hanc Pelagianorum calumniam à Chrysostomo depellens Augustinus, pluribus eius sententiis in medium productis ostendit eum, de peccato originali conuenienter diuinæ Scripturæ, concorditerque Catholicis Doctoribus sensisse, scripsisseque. Et cum Iulianus Pelagianus, inter alia commemorasset sententiam quandam Chrysostomi, quæ est in homilia eius, quam habuit de baptizatis; qua videtur negare in paruulis esse peccatum originale, dicens, nullo eos esse inquinatos peccato. Sunt autem hæc eius verba: Hac de causa etiam infantes baptizamus, cum non sint coinquinati peccato, vt eis detur vel addatur sanctitas, adoptio, hæreditas, fraternitas CHRISTI, & vt

eius sint membra: Cùm, inquam, Iulianus Pelagianus hanc Chrysostomi sententiam commemorasset, respondens Augustinus, hunc in modum scribit: Istané verba sancti Ioannis Episcopi audes, tanquam è contrario, tot, & talium collegarum eius opponere, cumque ab illorum concordissima societate seiungere, & eis aduersarium constituere? Absit, absit hoc malum de tanto viro credere, aut dicere. Absit, inquam, vt ille de baptismate paruulorum, eorumque à paterni chirographi liberatione per CHRISTVM, tot ac tantis coëpiscopis suis, maximeq; Romano Innocentio, Carthaginensi Cypriano, Cappadoci Basilio, Gregorio Nazianzeno, Gallo Hilario, Mediolanensi resistat Ambrosio. Alia sunt, in quibus inter se aliquando etiam doctissimi, atque optimi regulæ Catholicæ defensores, salua fidei compage non consonant, & alius alio de vna re melius aliquid dicit, & verius. Hoc autem, de quo nunc agimus, ad ipsa fidei pertinet fundamenta. Quisquis in Christiana fide vult labefactare quod scriptum est: *Per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum: & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in CHRISTO omnes viuificabuntur.* Totum quod in CHRISTVM credimus, auferre molitur. Omnino & paruulorum saluator est CHRISTVS: omnino, nisi & illi redimantur, peribunt, quoniam sine carne eius & sanguine vitam habere non possunt. Hoc sensit, hoc credidit, hoc didicit, hoc docuit & Ioannes: Sed tu eius verba in vestrum dogma conuertis. Peccata dixit paruulos non habere; sed propria, vnde illos innocentes meritò nuncupamus, secundum id quod ait Apostolus; nondum natos nihil egisse boni neque mali: non secundum id, quod ait: *Per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi.* Poterat etiam noster Cyprianus id dicere de paruulis, quod Ioannes, quandoquidem ait, quod infans natus, nihil peccauerit, & quod ei remittantur, non propria, sed aliena peccata. Comparans igitur eos Ioannes maioribus, quorum propria peccata dimittuntur in baptismo, dixit illos non habere peccata. Non autem dixit, sicut verba eius tu retulisti, eos non esse

1 Ad Cor 15.

Ad Rom. 9.

coinqui-

coinquinatos peccato, intelligi volens non eos peccato primi hominis esse inquinatos. Verùm hoc non tibi tribuerim, sed interpreti: quanquam in aliis etiam codicibus, non peccato, sed peccatis legamus. Vnde miror si non aliquis ex numero vestro singularem maluit numerum scribere, vt illud acciperetur vnum Adæ peccatum. Sed suspicionibus non agamus, & hîc vel scriptoris error, vel varietas putetur interpretis; ego ipsa verba græca, quæ à Ioanne dicta sunt, ponam: διὰ τοῦτο καὶ τὰ παιδία βαπτίζομεν, καί τοι ἁμαρτήματα οὐκ ἔχοντα. quod est latinè: Ideo infantes baptizamus, quamuis peccata non habentes. Video certè non ab eo dictum esse, paruulos non esse inquinatos peccato, sed non habere peccata: intellige propria, & nulla contentio est. At, inquies: Cur non ipse addit, propria? cur putamus, nisi quia disputans in Catholica ecclesia, non se aliter intelligi arbitrabatur? tali enim quæstione nullus tunc pulsabatur, & vobis nondum litigantibus securius ille loquebatur. Hæc Augustinus.

71. Documentum obseruandum.

Sed aduertat lector in sententiis Chrysostomi, quas eo loco refert Augustinus, & in quibus Chrysostomus differit de malo, quod ex peccato Adami promanauit ad omnes homines, eum interpretari malum illud non malum culpæ originalis, sed malum pœnæ peccati Adæ, mortem dico, multasque ærumnas, & miserias, quæ ob Adæ peccatum humanæ naturæ acciderunt. Sed hoc ipsum valebat plurimum aduersus Pelagianos, qui negabant huiusmodi mala esse effecta & pœnas peccati Adæ, sed esse naturales defectus humanæ naturæ, sicut sunt in animalibus. Chrysostomus autem vult esse pœnas peccati Adæ; ex quo sequitur, si posteri Adæ participes sunt pœnarum peccati eius, etiam quodammodo esse culpę illius participes: contra rationem enim, & iustitiam est, pœna peccati alicuius puniri quempiam, qui eius peccati nullo modo sit particeps. Posteri autem Adę peccatum eius participant, quia ex ipso per carnalem propagationem peccatum originale nascendo contrahunt.

DECIMASEXTA DISPVTATIO.

Quod sententiam quorundam de imputatiuo peccato originali apertè falsam esse ostendant hæc ipsa verba Pauli:

Versu 19.

Sicut per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi: ita per vnius obeditionem iusti constituentur multi.

72.
Catharini opinio.

AMBROSIVS Catharinus in libro quem de peccato originali edidit, Pighij vestigiis insistens videlicet, ait, originale peccatum, à quo denominantur omnes homines peccatores, non esse aliud, quàm illud primum peccatum Adæ: ea nimirum ratione, vt imputatur nobis tam ad culpam, quàm ad pœnam; & corporalem, & spiritualem. Huic autem opinationi suæ fidem astruit his argumentis. Principio, peccatum debet esse actus aliquis; nam secundum peruulgatam eius definitionem, est aliquid dictum, vel factum, vel concupitum contra legem DEI: debet item esse voluntarium, prorsus adeò, vt si voluntarium non fuerit, nec peccatum esse possit. Debet etiam esse in potestate hominis, vt caueri possit; namque ob ea, quę nullo modo vitari possunt, nemo vel culpam contrahit, vel meretur pœnam. Oportet etiam peccatum esse diuersum quid à pœna: peccatum etenim est voluntarium, pœna verò inuoluntaria: illud est contra voluntatem & iustitiam DEI; hæc autem est secundum voluntatem, & legem, & iustitiam DEI: illud est agentis; hæc verò patientis. Hæc porrò quæ diximus in peccato esse debere, in aliud nullum peccatum, quod ad cunctos homines pertineat, conuenire possunt, nisi in

in peccatum actuale ipsius Adæ. Ad hæc, in infantibus nihil est intrinsecè, quod propriè rationem culpæ possit habere: non enim quisquam actus malus, eius namque infantilis ætas capax esse non potest: Non qualitas aliqua morbida (vt dixit Magister sententiarum) quæ ex primo peccato adhæserit animæ Adami, ac deinde infecerit carnem eius: ex qua posteri trahunt carnem infectam, & cum ei vnitur anima rationalis, eius contagione inficitur; huiusmodi enim qualitas, vt merum figmentum, ab omnibus exploditur. Nec verò dici potest, peccatum originale, quod est in infantibus, esse priuationem iustitiæ originalis, vel deordinationem cõcupiscentiæ; hæc enim, effectus potius peccati & pœnæ sunt, quàm peccatum, & culpa. Nec verò Paulus non hoc significauit, cùm dixit, per vnum hominem intrasse peccatum in mundum, & in illo vno homine peccasse omnes homines, & vnius delicto mortuos esse omnes, & per vnius inobedientiam peccatores esse constitutos. Nimirum quia in se Adam, tanquam in origine, continebat vniuersum genus humanum, & in eo DEVS pactum fecerat non solùm cum ipso, sed cum omni eius posteritate, inde factum est, vt peccatum eius vniuerso generi humano fuerit imputatum. Atque hæc ipsa videtur fuisse Patrum sententia dicentium, nos tot tantisquẽ malis & miseriis obnoxios esse ob vnum illud primi parentis peccatum, vt videre est apud Augustinum in Enchiridio cap. 44. & 45. & in lib. 3. de libero arbitrio cap. 19. Et contra duas Epistolas Pelagianorum lib. 4. cap. 4. & in lib. 3. de peccatorum meritis & remissione capite septimo, & apud S. Hieronymum in caput septimum Oseæ, & Leonem epistola 84. & Bernardum in sermone de cœna Domini, & S. Basilium in homilia de laudibus ieiunij, vbi ait: Quia in Paradiso nõ ieiunauimus, propterea exulamus à Paradiso. Hæc itaque est Catharini sententia.

Magister sententiarum.

S. Augustinus.

S. Hieronym.

Leo. I.

S. Bernard.

S. Basil.

73.

Catharini opinio refellitur.

Quam ego sententiam nec veram esse, nec doctrinæ Apostoli, nec Tridentini Concilij de peccati originalis decretis consentaneam, sine dubitatione dixerim. Clamat hoc

loco Apoſtolus, per Adamum, & peccatum,& mortem pertranſiſſe in omnes homines: quid autem eſt pertranſiſſe, niſi, vt interpretatur Auguſtinus ſermone 4. de verbis Apoſtoli, non tantùm in Adamo manſiſſe, ſed ex eo tanquam ex fonte permanaſſe ad poſteros? Sicut mors non ſecundum imputationem, ſed reuera tranſiuit ad omnes, itidem quoque de peccato dicendum eſt. Verùm inprimis verba hæc Pauli: *Sicut per vnius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi: ita per vnius obeditionem iuſti conſtituuntur multi.* Catharinum apertè dupliciterque confutant. Ait etenim Paulus, per Adamum poſteros eius conſtitutos eſſe peccatores; non dixit, imputatos, ſed conſtitutos peccatores, id eſt, factos peccatores per peccatum, quod in ſe habent ex Adamo contractum: hanc enim vim habere (conſtituere) & (conſtitutos) & per ſe notum eſt, & paulò infrà, productis ex diuina ſcriptura teſtimoniis confirmabitur. Denique, Paulus ait, ita conſtitui iuſtos homines, ſicut per Adam cõſtituti ſunt peccatores: ſed per CHRISTVM conſtituuntur iuſti, non ſecundum imputationem; hæc enim eſt hæreticorum huius temporis ſententia, in Concilio Tridentino damnata: ſed conſtituuntur iuſti per iuſtitiam, quam per CHRISTI merita DEVS gratis donat ipſis, per quam in eorum animis inhærentem, verè atque intrinſecè nominantur ipſi, atque ſunt iuſti. Similiter igitur per Adamum conſtituti ſunt peccatores, non tantùm imputatiuè, quòd peccatum Adæ imputetur ipſis; ſed quia ex Adamo per carnalem propagationem progeniti, contrahunt peccatum, quod in ipſis intrinſecè manens, verè ac formaliter facit eos peccatores.

73. Eſſe porrò decretis Concilij Tridentini diſcrepantem huiuſmodi Catharini ſententiam, ex paucis, quæ hîc ſubiiciam, erit lectori manifeſtum. Secundum opinionem iſtam Catharini, ex peccato Adæ nulla transfunditur culpa, nullumque peccatum in poſteros, propriè inhærens in ipſis; ſed tantùm pœnæ peccati Adæ verè tranſeunt in poſteros: id autem in Concilio Tridentino in decreto de peccato originali

nali conceptis verbis damnatur: Si quis, inquit, dixerit, Adamum per inobedientiæ peccatum, mortem, & pœnas corporis in omne genus humanum transfudisse, & non peccatum, quod est mors animæ; anathema sit: cùm contradicat Apostolo dicenti: *Per vnum hominem peccatũ intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* Deinde subdit: Propter hanc regulam fidei, ex traditione Apostolorum, etiam paruuli, qui nihil peccatorum in semetipsis admittere potuerunt, in remissionem peccatorum veraciter baptizantur; vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. Habent ergo paruuli in seipsis peccatum, quod per generationem contraxerunt ex Adamo, & à quo per baptismum mundantur: quod verùm non esset, si peccatores dicerentur tantùm per externam denominationem, & imputationem peccati Adæ. Denique paulò pòst damnat eos, qui negant per baptismum auferri peccatum, sed dicunt tantùm non imputari: hoc autem affine est Catharini sententiæ. Si enim peccatum originale non est peccatum inhærens in homine, sed tantùm est peccatum Adæ imputatum homini: ergo per baptismum, nullum homini aufertur peccatum, sed solùm imputari desinit ei Adæ peccatum, quod antea imputabatur. Decernitur quoque in Concilio Tridentino, peccatum originale non per imitationem, sed per propagationem transfundi, & in omnibus inesse; & licet origine sit vnum, proprium tamen esse in vnoquoque: hæc autem planè contraria sunt Catharini sententiæ.

DECI-

DECIMASEPTIMA DISPVTATIO.

Quod hæc Pauli verba manifestè refellant figmentum hæreticorum de iustitia imputatiua.

74. HIs ipsis Pauli verbis manifestè refellitur planeque damnatur hæreticorum nostri temporis sententia. Aiunt isti, ex peccato Adami trahere omnes homines peccatum, quod in ipsis manens verè faciat eos peccatores: at verò qui per CHRISTVM iustificantur, dicunt eos non accipere à DEO iustitiam, quæ in ipsis manens, intrinsecè faciat eos formaliter, vt loquimur in Scholis, iustos: sed iustos esse, ac dici per externam quandam denominationem, à iustitia CHRISTI, quæ ipsis perinde imputatur, quasi propria ipsorum esset. Verùm hanc sententiam apertè confutat Apostolus, dicens hoc loco: *Sicut per vnius inobedientiam peccatores constituti sunt multi; ita per vnius obeditionem iusti constituentur multi.* Ergo similiter constituuntur peccatores per Adamum, atque iusti per CHRISTVM: sed per Adamum constituuntur peccatores intrinsecè ac formaliter per peccatum in ipsis intrinsecè manens, & non per peccatum Adæ ipsis imputatum, vt ipsi etiam arbitrantur: per CHRISTVM igitur etiam constituentur iusti per iustitiam ipsis datam, & in ipsis intrinsecè manentem, & non per iustitiam CHRISTI imputatam ipsis. Nisi fortè dicant isti, fortius atque efficacius Adæ peccatum fuisse ad corrumpendum hominem, quàm CHRISTI gratiam ad eum sanctificandum: vt Adam potuerit transfundere peccatum in posteros; CHRISTVS verò non potuerit iustitiam infundere in eos, qui credunt in ipsum, vt per iustitiam intrinsecè manentem in ipsis verè ac propriè dicantur iusti: quod tamē

est

est contra disputationem Apostoli, & contra comparationem quam is facit inter Adæ peccatum, & CHRISTI gratiam.

75. Deinde illud, *Constitui iustos per CHRISTVM*, non significat, haberi tantùm, & reputari iustos, sed verè ac propriè fieri, & esse iustos: hanc enim esse vim, & notionem istius verbi, constituere, &, constitutus, ex aliis scripturæ locis perspicuè intelligitur. Dauid præcinens futuram Apostolorum CHRISTI dignitatem, atque potestatem, dixit: *Constitues eos principes super omnem terram.* Num Apostoli secundum imputationem tantùm fuère principes, & nō potius secundum auctoritatem, & potestatem datā ipsis à DEO, ob quam sunt principes omnium in Ecclesia CHRISTI? Paulus etiam ipse de CHRISTO loquens, dixit: *Quem constituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & secula.* Et alio loco ex Dauide: *Constituisti eum super opera manuum tuarum.* Et S. Petrus dixit de eodem: *Qui constitutus est à DEO iudex viuorum, & mortuorum.* An hæc, quæ de CHRISTI dignitatis, & potestatis excellentia dicuntur, non verè sunt in eo, sed tantùm per imputationem, externamque denominationem de ipso dicuntur? Huc etiam spectat illud Iacobi Apostoli: *Quicunque voluerit amicus esse seculi huius, inimicus DEI constituitur.* Quid est; inimicum DEI constitui? non sanè haberi tantùm, & reputari, sed reuera talem esse, & propter aliquid in ipso inhærens talem dici, & esse.

Verbum cōstituere, quam in scripturis vim & significationem habeat.

Psalm. 44.

Ad Heb. 1. et 2.

Act. 10.

Iacob. 4.

76. Ad hæc, obseruanda est proprietas dictionis, & locutionis Apostoli; non enim dixit, Adami inobedientia constitutos esse peccatores, ne quis putaret per Adæ inobedientiam hominibus imputatam, homines haberi, & reputari peccatores; sed dixit, per inobedientiam Adæ constitutos esse peccatores; videlicet per peccatum intrinsecè manens in ipsis, & ex Adæ inobedientia profectum, & ad ipsos profectum. Similiter non dixit Apostolus, quod CHRISTI obedientia constituat iustos, quasi iusti fiant homines non per iustitiam ipsis inhærentem, sed quia obedientia, & iustitia CHRISTI

imputatur ipsis, & per denominationem ab ea dicuntur iusti: non, inquam, Paulus hoc dixit, sed dixit quod per obedientiam CHRISTI constituuntur iusti: quia CHRISTI obedientia, causa fuit meritoria, vt credentibus in ipsum gratia, & iustitia daretur à DEO, qua intrinsecè, ac verè, propriéque loquendo, iusti essent coram DEO. Quid plura? Paulus multis in locis de iustificatione hominis disputans, nusquam verbum fecit de ista hæreticorum imputatiua iustitia: & hoc in loco multa dicit, quæ funditus eam inuertunt. Ait enim homines per CHRISTVM accipere abũdantiam gratiæ, & donari eis iustitiam, & regnare gratiam in se ipsis, per iustitiam, & per CHRISTI obedientiam constitui iustos: quæ quidem iustitiã istam imputatiuam repellunt atque profligant. Quod enim imputatur extrinsecus, non accipitur intrinsecè, non donatur, non constituit, nec ponit aliquid in eo, cui imputatur. Neque gratia regnat in nobis per aliquam iustitiam, quæ non est in nobis, sed per iustitiam nobis datam, & in nobis manentem. Sicut peccatum dicitur regnare in nobis nõ per aliena peccata, sed per id quod in nobis est, cum obedimus desideriis, & concupiscentiis carnis.

DECIMAOCTAVA DISPVTATIO

SVPER ILLIS VERBIS:

Versu 20.

LEX autem subintrauit vt abundaret delictum: vbi autem abundauit delictum, superabundauit & gratia.

77. HÆc verba, quæ Apostolus disputationis suæ quasi clausulam adiecit, sensum habent huiusmodi: Si quis fortè putat, ad tollenda mala in genus humanum per Adæ peccatum inuecta, satis fuisse legem

legem Moysi, sciat is non ad hoc latam esse legem, sed esse datam ad tempus, quoad veniret semen illud diuinum, in quo benedictum iri omnes gentes, DEVS Abrahæ promiserat. Data, inquam, fuit lex Iudæis, tanquam pædagogus, & tanquam tutor, & actor, vt sub ea Iudæi, ceu paruuli, tantisper continerentur, dum promissus eis MESSIAS veniret. Ipsa porrò experientia ostendit, quàm esset lex infirma & inualida ad tollendum peccatum: post datam quippe legem, occasione eius, magis ac magis roboratum & amplificatum est peccatũ. Quod non legis vitio euênit, sed culpa hominũ. Sic enim profectò mortalium sunt ingenia, vt ipsa prohibitione peccati, vehementius ad peccandi libidinem inflammentur. Est enim & vetus, & verum illud vulgo iactatum:

Nitimur in vetitum semper, cupimusq́; negata.

Id verò, permissu DEI, euenit, quo abundantior, & illustrior, atque amabilior fieret hominibus benignitas & misericordia DEI, qui ex tanta peccatorum malorumq́ue eluuione genus humanum liberauit atque seruauit per CHRISTVM.

78. *Triplex interpretatio, quomodo ob legem abundauerit magis peccatũ.*

Sed hæc Apostoli verba quæstionem habent. Si enim lex intrauit, vt abundaret delictum, ergo lex data est, vt esset peccati altrix, & auctrix, quod impium est sentire. Triplex horum Pauli verborũ interpretatio esse potest. Prima est, vt illud (vt) non significet causalitatem, & finem, sed consequentiam, & euentum: Sic enim euenit, & hoc lationem legis consecutum est, vt ex occasione legis latæ, peccatum apud homines amplius fieret & abundantius: idq́ue tripliciter; primò quantum ad grauitatem reatus. grauius etenim factum est peccatum accedente præuaricatione legis, non solùm legis naturalis, sed etiam scriptæ. Deinde, quantum ad multitudinem peccatorum, lex enim scripta multiplicans præcepta, nec auxiliũ præbens homini ad ea seruanda, multiplici præuaricatione suorum præceptorum, reos fecit homines. Adhæc, lex peccatum demonstrans & vetans, peccati aũt libidinẽ non sanans, nec extinguens, quodammodo præbuit

Tripliciter factum est, vt per legem cresceret peccatum.

homini occaſionem augendi peccatum: vehementius inardeſcente libidine, videlicet, in id quod vetatur, & ardenter tamen adamatur. quemadmodum magnum quodpiam, & aquis exuberans flumen, oppoſito ſibi obice, altius intumeſcit; atque ipſum frangens & diſrumpens obicem, maiori proruit impetu. Huius autem rei triplex ratio adferri poteſt. Primò, ſic eſt natura ipſa comparatum, vt non magnifaciant, neque multum curent homines id, quod eſt in poteſtate ipſorum, & quo ipſi, arbitratu ſuo, quandocumque libet, frui, & potiri poſſunt: quæ autem ſunt extra poteſtatem hominis, ea tanquam eximia & rara, pluris æſtimantur, & expetuntur auidius. Ea porrò, quæ vetantur, & interdicuntur homini, quaſi extra poteſtatem eius ponuntur; & idcirco ad eorum cupiditatem magis incenditur. Altera ratio ducitur ex interiori hominis affectu; quò magis intra hominem animo coërcetur, & cohibetur ne foras erumpat, eo magis interius accenditur, & inualeſcit: quod cernere licet in affectu doloris, & iræ, quæ cùm interius animo clauſæ & compreſſæ tenentur, magis ac magis augentur atque roborantur: Si autem eis aliquis exitus foras detur, maiorem in modum, eorum vis deferueſcit, & minuitur. Prohibitio autem legis cogit metu pœnæ hominem cupiditates ſuas interius compreſſas continere; quo fit, vt vehementius inflammentur. Tertia ratio eſt huiuſmodi: quod non eſt nobis vetitum, id ducimus tanquam facilè nobis paratu, & poſſibile, quandocumq; habere nobis placuerit: quò fit, vt etiam cùm eius comparandi opportunitas, & commoditas nobis datur, eam præterfluere ſinamus. At verò quæ nobis vetita ſunt, habentur tanquam quibus non cum libuerit nobis, vti poſſimus: quamobrem cùm eorum nobis præbetur opportunitas, diſcuſſo pœnæ metu, ad ea promptiores ſumus.

79. *Diſcrimen legis diuinæ atque legum humanarum.*

Verùm dicat fortaſſe quiſpiam: Si promulgationem legis Moſaicæ conſecutum eſt peccati incrementum, multò magis id continget legibus humanis: quare non expediret humanas leges condere, eorumque obſeruantia mortales obſtrin-

obstringere:ne videlicet eo ipso deteriores euadant:id quippe aduersatur consilio, & proposito legum latorum, qui ad hoc leges ferunt, sicut ait Aristoteles, vt bonos faciant ciues. Sed enim scire conuenit, aliam esse rationem legis diuinæ, & aliam humanæ legis. Lex enim humana solum ea spectat, quæ externa sunt, siue vitia, siue virtutum officia: ad interiora verò, quæ mortalium iudicium, & notitiam fugiunt, minime pertingit. Cum igitur metus suppliciorum homines à male foris, & coram hominibus, agendo deterreat, & reuocet, & ad ea quæ bona & iusta sunt, exequenda impellat ac dirigat, finem suum planè assequitur. Lex verò diuina non solùm externa, sed interna etiam spectat, quæ DEI cognitioni & iudicio exposita sunt; ob idq; interiores etiam improbas cupiditates vetat, easque DEI vindictæ, æternisque suppliciis obnoxias esse ostendit: quæ tamen cupiditates & peccata abundant magis, & crescunt lege prohibente concupiscentiam, nec tamen eam restinguente ac sanante.

Lib. 2. Ethicor.

Atque hæc quidem, quæ hactenus dicta sunt, pertinent ad primam expositionem, quæ est ferme communis expositorum, præsertim autem Græcorum: secundum quam illud: *Vt abundaret delictum*, diximus, non significare causam, siue finem, sed consequentiam, & euentum. Secunda porrò interpretatio eorundem verborum est, illud, *vt*, positum esse causaliter, sed non referri ad rem ipsam, & ad abundantiam delicti per se, sed vt est in cognitione hominis: vt sit hic sensus: Lex subintrauit vt abundaret delictum, id est, vt abundantius homo cognosceret peccatum, quod ante legem, magna ex parte, non cognoscebat, oblitterata plurimum in animis hominum lege naturali. Per legem autem diuinam pernotuit homini, multa esse peccata, quæ non putabat esse, & grauiora esse multa, quam existimabat. quapropter Apostolus, tanquam insigne quoddam, & proprium legis Mosaicæ officium declarans, dixit: *Per legem cognitio peccati.* Tertia interpretatio etiam illud, *vt*, accipit causaliter, non tamen referendo ad abundantiam delicti per se, sed ad id, quod e-

80.

Ad Rom. 3.

am delicti abundantiam consequebatur, depressionem dico & humiliationem superbiæ hominis, per legem Mosis clarissime agnoscentis infirmitatem suam. Superbus etenim homo, suæque imbecillitatis ignarus, sibique præfidens, ante legem dicebat, sibi non deesse facultatem perficiendi, quæ bona sunt, & declinandi mala; sed deesse quasi magistrum, & doctorem, qui, quæ facienda, fugiendáue sunt, doceret eum, ad eum scilicet modum, quo Iudæi dixerunt Moysi: *Omnia verba Domini quæ locutus est, faciemus.* Sedenim postquam legem edocti, & notitiam rerum agendarum, & fugiendarum tenentes, nihilomagis tamen quàm antea bene agere, & vitia declinare poterant, plane cognouerunt infirmitatem suam, seque medico, à quo sanarentur, indigere.

Exod. 24.

68. Non est in præteritis relinquendum quoddam minime aspernandum B. Thomæ in commentariis huius loci adnotamentum. Ait, in populo Iudaico tria fuisse hominum genera: plerosque quidem fuisse duræ mentis, & rebelles Deo, promptos ad malum, tardosque ad bonum: Alios fuisse studiosos virtutum, cultoresque pietatis, atque in dies proficientes: fuisse item nonnullos, paucissimos tamen viros perfectos, & pietatis ac sapientiæ præstantia perinsignes. Illis qui duro erant corde, & rebelli animo, data est lex in flagellum: nam ad moralium præceptorum obseruantiam, cogebantur comminatione metuque pœnarum, quibus præuaricatores seuerè puniebantur: multiplex verò & operosa, & onerosa ceremonialium mandatorum obseruatio, detinebat huiusmodi homines in vero Dei cultu, ne ad Idololatriã, ad quam satis erant propensi, delaberentur. Studiosis porrò virtutum, & in eo studio proficientibus lex Mosaica profuit, quod eis pædagogi vice fuit, docens eos res diuinas, & ad earum amorem incendens; atq; eorum animos præcolens ac præparans ad accipiendam doctrinam veri magistri, qui est Christus. Et moralium quidem præceptorum obseruantia promouebat, augebatque istiusmodi hominum iustitiam; cæremonialium verò, pietatem, & religionem: in istos nempe competit, quod

Tria genera hominum in populo Iudaico dissimiliter legem obseruantium.

S. Thomas.

Matth. 23.

quod dixit Paulus: *Lex pædagogus noster fuit in* C*HRISTO.* *Ad Gal. 3.* Sed omnium maxime lex profuit viris illis perfectis, vt qui ad eam obseruandam non metu pœnæ vel inuiti cogebantur, sed amore iustitiæ, spontè cupideque adducebantur: istis lex, quantum ad cæremonialia, fuit in signum, & figuram rerum futurarum, & gerendarum in nouo Testamento, sicut Paulus dixit: *Vmbram habens lex futurorum bonorum non ipsam imaginem rerum.* *Ad Heb. 10.* Et alio loco de hominibus veteris Testamenti loquens: *Hæc*, inquit, *omnia in figura contingebant illis.* *1. Ad Cor. 10.* Quantum verò ad moralia, lex istiusmodi hominibus erat sancta & spiritualis, & mandatum erat sanctum, & iustum, & bonum, *Ad Rom. 7.* ipsaque obseruatio legis delectabilis erat illis, & perjucunda, & vt quodam loco dixit Dauid, dulcis super mel & fauum, *Psal. 18.* & desiderabilis super aurum, & lapides pretiosos. *Psal. 118.* *Lætabor*, inquit, *super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa.* Et Paulus: *Condelector legi* D*EI secundum interiorem hominem.* *Ad Rom. 7.*

IN CA-

IN CAPVT SEXTVM

DISPVTATIONES VNDECIM.

CAPVT VI.

Versu 1. QVID ergo dicemus? permanebimus in peccatis vt gratia abundet? 2. * Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? 3. * An ignoratis quia quicumque baptizati sumus in CHRISTO IESV, in morte ipsius baptizati sumus? 4. * Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: vt quomodo CHRISTVS surrexit à mortuis per gloriam PATRIS, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. 5. * Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius; simul & resurrectionis erimus. 6. * Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, & vltra non seruiamus peccato. 7. * Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. 8. * Sin autem mortui sumus cum CHRISTO, credimus quia simul etiam viuemus

mus cum illo: *Scientes quia CHRISTVS resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem viuit, viuit DEO. * Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem DEO in CHRISTO IESV Domino nostro. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius. * Sed neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato; sed exhibete vos DEO, tanquam ex mortuis viuentes: & membra vestra arma iustitiæ DEO. * Peccatum enim vobis non dominabitur: non enim sub lege estis, sed sub gratia. * Quid ergo? peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. * Nescitis quoniam cui exhibetis vos seruos, ad obediendum, serui estis eius, cui obeditis, siue peccati ad mortem; siue obeditionis, ad iustitiam? * Gratias autem DEO quod fuistis serui peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in quam traditi estis. * Liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ. * Humanum dico, propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & ini-

9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19.

quitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. 20. ★ Cùm enim ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ. Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? 21. ★ Nam finis illorum mors eſt. 22. ★ Nunc verò liberati à peccato, ſerui autem facti DEO, habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam. 23. ★ Stipendia enim peccati mors. Gratia autem DEI vita æterna, in CHRISTO IESV Domino noſtro.

1. *Summa diſputationis Pauli in hoc ſexto capite.*

EXTREMIS penè verbis capitis proximè antecedentis dixit Apoſtolus: *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia.* Hoc fortaſſe nonnulli non rectè intelligentes, dicere, aut cum animo ſuo cogitare poterant: Peccemus ergo amplius, & peccatis peccata cumulemus, quò magis exuberet & explendeſcat DEI gratia. Hanc impiam, & inſanam orationem ſiue cogitationem excludit, & reiicit Apoſtolus in hoc ſexto capite. Non enim licere Chriſtianis iam per CHRISTVM iuſtificatis facere quicquid eis libitum fuerit, duobus probat argumentis: quorum alterum eſt, Chriſtianos eſſe peccato mortuos, eique ſemel omnino renuntiaſſe: quare non eſſe illis denuò redeundum ad peccatum. Alterum argumentum eſt, Chriſtianos ex ſeruitute peccati ereptos, ex profeſſo totos addixiſſe, & mancipaſſe ſe ſeruituti iuſtitiæ: non illis igitur vnquam peccati ſeruitutem eſſe repetendam; atqui omnem peccan-

peccandi licentiam longiſſimè ab illis abeſſe oportere. Chriſtianos porrò eſſe mortuos peccato, copioſa ac luculenta argumentatione confirmat, & illuſtrat. Docet enim ritum & formam baptiſmi Chriſtiani, quo initiati & regenerati fuerant expreſſam quandam eſſe imaginem, & repræſentationem mortis tum CHRISTI Domini, tum omnium peccatorum quibus ipſi ante baptiſmum viuebant atque ſeruiebant.

PRIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

QVID ergo dicemus? permanebimus in peccatis vt gratia abundet? Abſit. Qui enim mortui ſumus peccato quo modo adhuc viuemus in illo? An ignoratis quia quicumque baptizati ſumus in CHRISTO IESV, in morte ipſius baptizati ſumus; &c. *Vſque ad illud*: Hoc ſcientes, quia vetus homo noſter, &c.

Verſu 1. & ſeq. vſq. ad 6.

PRIMAM partem huius capitis atque eius cum præcedente connexionem breui, ſed obſeruanda explanatione B. Auguſtinus enarrat in libro de ſpiritu & littera capite ſexto, his fermè verbis ſcribens: Volens Apoſtolus commendare gratiam, quæ per baptiſmum omnibus gentibus venit, poſtquam dixit, peccatum & mortem per vnum hominem intraſſe in genus humanum, & per vnum hominem iuſtitiam, & vitam æternam; illum, Adam; hunc CHRISTVM apertiſſimè inſinuans, adiunxit:

2. S. Auguſtinus.

iunxit: *Lex autem subintrauit, vt abundaret delictum: vbi autem abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Sed mox opponens sibi ipse quæstionem: *Quid ergo,* inquit, *dicemus? permanebimus in peccato, vt gatia abundet? Absit.* Vidit enim Apostolus peruersè posse accipi quod dixerat: *Vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia.* Tanquam dixisset, propter abundantiam gratiæ prodesse peccatum. Hoc diluens, respondit: *Absit. Qui enim mortui sumus peccato, quomodo viuemus in illo?* Hoc est, cum id præstiterit gratia, vt moreremur peccato, si rursus viuamus in eo, quid aliud faciemus, nisi vt gratiæ simus ingrati? Neque enim qui laudat beneficium medicinę, prodesse morbos dicit & vulnera, à quibus illa hominem sanat: sed quanto maioribus medicina laudibus prædicatur, tanto magis vituperantur, & horrentur vulnera, & morbi, à quibus liberat, quæ ita laudatur. Sic laus & prædicatio gratiæ, vituperatio & damnatio est peccatorum. Demonstranda enim fuerat homini fœditas languoris sui: cui contra iniquitatem suam, nec præceptum sanctum & bonum profuit, quo magis aucta est iniquitas, quàm minuta, quandoquidem lex subintrauit, vt abundaret delictum, vt hoc modo conuictus atque confusus homo videret, non solùm esse sibi necessarium doctorem, verumetiam adiutorem DEVM, à quo sua itinera dirigantur, ne dominetur ei omnis iniquitas; & confugiendo ad opem diuinæ misericordiæ sanetur: atq; ita vbi abundauit delictum, superabundaret & gratia, non peccantis merito, sed subuenientis auxilio. Consequenter eandem medicinam in passione & resurrectione CHRISTI mysticè demonstratam esse ostendit Apostolus subiungens: *An ignoratis, quoniam quicumque baptizati sumus in CHRISTO IESV, in morte ipsius baptizati sumus?* Et cetera, quæ deinceps sequuntur. Hactenus ex Augustino.

3. *Quid sit manere in peccato, & mortuum esse peccato.*

Sed quid est manere in peccato, sicut loquitur hoc loco Paulus? Nomen peccati & hic, & infra non semel in hoc ipso capite significat, vel statum hominis in peccato, vel fomitem ipsum, quem quia peccati effectus est atque pœna, & insuper velut

velut incitabulum quoddam & irritamentum hominis ad peccandũ, Paulus per Metonymiã, peccatum appellare solet. Sed quid est, hominẽ ritè baptizatũ esse mortuum peccato? Illud (peccato) est Datiui casus: & ita dixit Apostolus, mori peccato, sicut aliàs dixit, mori mũdo, & crucifixũ esse mũdo: significatur enim perfecta derelictio, & separatio. Cùm verò ait, in capite secundo epistolæ ad Ephesios: *Et vos conuiuificauit, cùm essetis mortui delictis & peccatis vestris.* Ibi, *peccatis*, ponitur in Ablatiuo casu, & mortuum esse peccatis significat, propter admissa peccata mortuum esse DEO, & gratia DEI, quæ est vita animæ, priuatum. CHRISTVS etiam & hoc in capite, & alibi, dicitur mortuus peccato, id est, ad tollendum peccatum. Hoc igitur in loco manere in peccato, significat seruum esse fomitis & concupiscentiæ, eiusque desideriis obedire: qui autem sub tali dominatu esse desinunt, & à se seruitutem peccati excutiunt, & se totos dedunt ad colendam iustitiam, dicuntur hîc ab Apostolo mortui esse peccato, & viuere iustitiæ ac DEO.

4. *Quicumque baptizati sumus in CHRISTO IESV, in morte ipsius baptizati sumus.* Hunc locum, sicut latinus vertit interpres, ita etiam legunt, & citant Ambrosius, & hîc & in libro 2. de pœnitentia cap. 2. Hieronymus in epistola quam scripsit ad Oceanum, & piurifariam Augustinus, Græcè in Accusatiuo est tam illud *(in CHRISTVM)* quàm *(in mortem eius)* sed Origenes perinde interpretatur quasi vtrumque esset in Ablatiuo, sicut etiam Irenæus in libro tertio aduersus hæreses, capite 17. Illud autem *in CHRISTO*, significat, in baptismo CHRISTI, ad differentiam baptismi Ioannis: vel, in nomine CHRISTI, vel, in virtute & efficacia meritorum CHRISTI: vel, ex institutione, & præscripto CHRISTI, qui mandauit Apostolis, vt baptizarent omnes gentes. Quidam sequentes græcam lectionem, quę habet, *in CHRISTVM*, aiunt, baptizari homines in CHRISTVM, non aliud significare, nisi, eos per baptismum coaptari & inseri in corpus CHRISTI mysticum: Loquitur verò Apostolus de baptismo efficaci. Et

S. Ambrosius. *S. Hieronym.* *Origenes.* *Irenaus.* *Matth. vlt.*

quia frequens est apud Paulum dicere, in Christo, pro, per Christum, secundum phrasim hebraicam, potest itidem accipi hoc loco: vt baptizari in Christo, sit, baptizari per Christum; vt significetur, efficaciam baptismi, & bona, quæ per eum baptizati percipiunt, prouenire à meritis & virtute Christi. Illud porrò *in morte*, seu *in mortem ipsius.* non significat hoc loco idem, quod virtute, & merito mortis eius; sed idem valet atque, in assimilationem, & configurationem, & repræsentationem mortis Christi: quæ in eo posita est, quod qui baptizantur, moriuntur vitæ peccati, sicut Christus mortuus est vitæ mortali. Quocirca subdit Apostolus: *Consepulti sumus cum illo in baptismo per mortem.* Id est, ipse ritus & formula, & cerimoniæ quæ adhibentur & seruantur in percipiendo baptismo, similitudinem quandam habent, & repræsentationem sepulturæ Christi, nam vt is qui sepelitur, sub terram conditur: ita qui baptizatur, demergitur in aquam: in baptismo item fit trina immersio in aquam, non solùm propter fidem sanctæ Trinitatis, sed etiam in similitudinem triduanæ sepulturæ Christi. Lege Damascenum in libro quarto de fide Orthodoxa, capite decimo. Atque, ob hanc ipsam causam in Sabbato sancto celebratur solennis baptismus, quo die colitur memoria sepulturæ Christi: sicut etiam in vigilia Pentecostes, quando dies festus, & Spiritui sancto sacer agitur, cuius munere aqua baptismi vim habet eluendi atque purgandi peccata, secundum illam Domini sententiam. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Addidit verò Apostolus illud, *In mortem*, vt inter sepulturam Christi, & eam, qua nos mysticè sepelimur in baptismo, id esse discriminis ostenderet, quod illa quidem consecuta est Christi mortem; hæc autem in nobis ipsam peccati mortem efficit; cùm enim sit Sacramentum, id facit interius, quod exterius significat. Iam verò illud: *Per gloriam Patris*, significat Christum resurrexisse ad vitam immortalem, diuina virtute Patris; quæ in hoc illustris, & glorio-

Damascenus.

Ioan. 3.

sa extitit, quod CHRISTVM triduo mortuum ad vitam mirabiliter reuocauit. Huiusmodi porrò mortis peccatorum, quam obiuimus in baptismo, & Paulus hoc loco exponit, assidua recordatio, curiosaq; consideratio maiorem in modum & in consilio, & proposito iustè viuendi, hominem iustificatum validè confirmat, & à reditu ad peccandum vehementer retrahit. Quam ob causam sancti Patres rectè hortantur, vt ea verba, quæ in baptismo diximus: *Abrenuntio tibi Satana*, quibus verbis nos peccato mori profitemur, perpetuò ante oculos habeamus. Legendus est super hac re Origenes in homilia 22. super librum Numerorum, & Augustinus de Symbolo ad Catechumenos libro secundo capite primo, Ambrosius item de iis qui initiantur mysteriis, capite secundo, nec non & Basilius in libro de SPIRITV sancto, capite vndecimo.

Origenes. *Augustinus.* *Ambrosius.* *Basilius.*

5. *Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.* Pro illo, *complantati*, græcè est σύμφυτοι, latinè dixeris, vel vt latinus vertit interpres, *complantati*, vel vt alij reddunt, *coinsiti*, videtur enim Apostolus allusisse ad insitionem plantę, cui respondet communio corporis CHRISTI. Quemadmodum enim surculus ex arbore sua decerptus, particeps fit humoris eius arboris, cui inseritur: ita qui per baptismum inseruntur in corpus CHRISTI bonorum eius compotes, & consortes fiunt. Et fortasse propositio illa (σὺν) significat collectionem, & cōgregationem Iudæorum, & Gentium in vnum CHRISTI mysticum corpus. Omnis planta, inquit Origenes, post hyemis mortem, resurrectionem veris expectat: Et CHRISTO hyems fuit tempus passionis & mortis; ver autem, tempus resurrectionis. Nos quoque CHRISTO complantati, in hyeme huius seculi, præsentis vitę peccatis morimur, vt futuro resurrectionis vere inueniamur digni, fructus nunc iustitiæ ex CHRISTI radice proferentes.

Origenes.

6. Cæterùm diligenter admodum & considerate legenda, & pensitāda sunt, quæ tradit hoc loco Apostolus de baptismo, affir-

Quadruplex Christiani ba-

ptismi vis, & efficacitas.

affirmans esse ipsum velut imaginem quandam & repræsentationem mortis CHRISTI, & in eo nos perfectè mori peccatis. Hinc n. licet colligere multa cognitu, & obseruatu digna; quale est illud, per baptismum homini nō solùm culpam, sed etiā pœnam condonari: quod per ipsum homo peccato moritur & regeneratur CHRISTO, & perfectè applicatur ipsi virtus passionis, & mortis CHRISTI. Liquet etiam, propterea semel tantùm accipi debere baptismum, nec iterari posse, quia semel tantùm homini contingit mori, & nasci; quod spiritualiter fit in baptismo. Illud quoque hinc manifestum fit, Baptismum nō esse tantummodo signum iustificationis hominis per solam fidem factæ, sed esse instrumentum quoddam diuinæ virtutis à DEO ipso institutum, per quod DEVS operatur in animis hominum remissionem peccatorum, quam nec fidei, nec pœnitentiæ motus, vt plurimum, efficere potuisset: rarò enim vsu venit, adeo fidei, & pœnitentiæ actus feruentes esse ac perfectos, vt ante susceptum baptismi Sacramentum, remissionem efficiant peccatorum, sicut eruditè docet Augustinus in libro quarto de baptismo contra Donatistas. Hinc denique colligitur, si per baptismum morimur peccatis, non tantùm peccata in baptismo tegi, vel non imputari nobis, vt aiunt hæretici huius temporis; sed penitus deleri ac tolli. Si enim peccata manerent in baptismo, quæ antè fuerant in nobis, non posset verè dici, nos esse peccatis mortuos, mors enim, peccatorum extinctionē, & abolitionem denotat.

S. Augustinus.

7. *Explicantur dicta quædam Tertulliani.*

Quod autem ex Tertulliano hæretici obiiciunt, ipsum in libro de pœnitentia dicere, neminem baptizari debere, nisi qui antea fuerat lotus corde; nihil prorsus officit huic doctrinæ, quin etiam magis eam adiuuat & confirmat: nimirū, eam Tertullianus intelligit lotionem, non quæ cor omninò mundat à peccatis; sed ipsam pœnitentiam ex fide ortam, quæ hactenus lauat mentem, & purgat, quod efficit, vt ipsi vitia sua, sordesque peccatorum displiceant: non autem quæ sordes ipsas penitus abstergat: id enim munus esse baptismi

aperte

apertè docet. Ad eundem intellectum accipere oportet, quod eodem in libro ipſemet ſcribit, mortem peccatorum præcedere debere baptiſmum: mortem namq; peccatorum intelligit renuntiationem peccatorum, ſiue pœnitentiam animi, quæ baptiſmum antecedit.

SECVNDA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Hoc ſcientes, quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati, & vltra non ſeruiamus peccato, &c. *vſque ad illa verba*: Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore.

Verſu 6. vſque ad 12.

HORVM Pauli verborum propria, & breuis interpretatio, atque intellectus eſt huiuſmodi: Vetus illa vita, quàm ſecundum deſideria carnis, & illecebras peccatorum viximus, & item vetuſtas omnis per Adæ peccatum in humanam naturam inducta; cruci affixa ſunt ſimul cum CHRISTO in baptiſmo; in eum vtique finem, vt abolito corpore peccati, non vltrà ſeruiamus peccato. Sed quid vocat Paulus corpus peccati? Totam videlicet peccatorum maſſam & congeriem atque vniuerſitatem: vel noſtrum ipſum corpus peccatis obnoxium, & mancipatum, & ad patranda peccata propenſum, & promptum: vel corpus peccati dicitur, ipſa, vt dixi, vniuerſitas peccatorum, quæ tanquam corpus ex variis membris, ita ex multiformibus vitiis conſtat, vel quia ſicut per diuerſa membra corporis diuerſas actiones homo exequitur; ſic animus per diuerſa vitia, etiam diuerſa peccata, & mala facit. Hoc

8.

Quid ſit corpus peccati.

autem corpus peccati Paulus ait destruendum esse; non quidem vt prorsus non sit, sed vt non vigeat & præualeat, ac subiuget rationem; & vt interpretatur Apostolus, ne vltra ei seruiamus, quod est præbere consensum peccato, vel accommodare membra ad exequendum id, ad quod inuitat concupiscentia, & impellit consuetudo peccandi. Vetustas autem peccati, quæ hoc loco ab Apostolo vetus homo appellatur, potest secundum B. Thomam tripliciter accipi; vel pro ipso reatu culpæ, seu macula ex actu peccati derelicta, & inhærenti animæ: vel pro assiduitate, & consuetudine peccandi, quæ velut necessitatem quandam peccandi adfert: vel pro ipso fomite peccati, ex peccato primi parentis prouenienti. Hic autem vetus homo dicitur fuisse crucifixus cum CHRISTO in baptismo, id est, per baptismum; in quo virtute mortis CHRISTI, reatus culpæ, & macula peccati prorsus aboletur. Vis autem malæ consuetudinis non quidem omnino tollitur per baptismum, sed multum imminuitur, atque debilitatur, & contraria bene agendi consuetudine, & plenitudine in dies crescentis charitatis penè tollitur.

Quid sit vetus homo.

S. Thomas.

9. Ceterùm Apostolus hoc loco dicens, nos in baptismo mortuos esse peccato, & complantatos siue consitos esse morti CHRISTI, & veterem hominem esse crucifixum, & destruendum esse corpus peccati, & oportere nos in nouitate vitæ ambulare, huiusmodi, inquam, sententiis vtens Apostolus, tanta euidentia demonstrat, in baptismo deleri ac tolli penitus peccata, vt quæ ante baptismum fuerant, post baptismum nulla sint, & non tantum, vt hæretici aiunt, illa quidem maneant, sed non imputentur nobis, & quasi tegantur: vt hac euidentia coacti sint vel ipsi hęretici, cum in suis commentariis, in explanatione loci huius versantur, contra sua ipsorum placita hoc ipsum confiteri. Transferam huc verba Caluini ex commen. eius super hoc loco Pauli. nam exponens illa verba: *Complantati enim sumus morti eius*. Iustitia, inquit, ad quam Paulus hic alludit, non exempli tantùm conformitatem designat, sed arcanam coniunctionem, per quam

Verba Caluini & Bezæ contra imputatiuam ipsorum iustitiam.

cum

cum ipso coaluimus, ita vt nos SPIRITV suo vegetans, eius virtutem in nos transfundat. Sic ille. quæ verba imputatiuam iustitiam, quam ille cum suis mordicus tenet, funditus euertunt. Idem super verbis Pauli positis in titulo huius disputationis: Hæc duo, inquit, inter se indiuiduo nexu cohærent, veterem hominem CHRISTI morte aboleri, vt eius resurrectio CHRISTI mortem restauret, nosque efficiat nouas creaturas. Et certè cum nobis in vitam datus sit CHRISTVS, quorsum referret nos cum ipso emori, nisi vt resurgamus in meliorem vitam? Ideoque non alia ratione, quod in nobis est mortale, occidat, nisi vt verè nos viuificet? Nec mors CHRISTI, exemplaris tantùm vice est, quod Christianis omnibus conueniat imitari: sed hæc est Apostoli doctrina, quod mors CHRISTI efficax est ad nequitiam carnis extinguendam, & profligandam: resurrectio verò ad suscitandam melioris naturæ nouitatem, quia per baptismum in istius gratiæ participationem cooptamur. Hæc item Caluini verba, iustitiam eius imputatiuam: & remissionem peccatorum in nobis post baptismum aperte diserteque confutant. Caluini etiam alumnus & discipulus Beza, hunc ipsum Pauli locum, præsertim autem illa verba: *Quod mortuus est peccato, mortuus est semel*, enarrans, ita scribit: Ostendit ex hac capitis & membrorum collatione Apostolus hoc loco, in iis qui per CHRISTVM verè sanctificati sunt, peccatum semel mori, id est, ita debilitari, vt pristinas illas vires nunquam recipiat, sed quotidie tanquam corpus in sepulchro corrumpatur donec penitus intereat. Quod si perpetuus est mortis peccati progressus, perpetuum est quoque viuificationis incrementum; cum mutua sit inter mortificationem veteris hominis, & instaurationem noui, non modo relatio, sed etiam proportio. Et mox subdit, CHRISTVM iccirco mortuum esse peccato semel, vt semel in nihilũ redigat peccatum in nobis. Hęc ille, quæ, vt superiora verba Caluini, doctrinam ipsorum de iustitia imputatiua validè profligant.

Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem 10.

viuit, viuit DEO. Bifariam poteſt intelligi, CHRISTVM eſſe mortuum peccato: Poteſt enim iſta locutione ſignificari, CHRISTVM mortuum eſſe peccato, id eſt, expiando, & delendo peccato, ſiue vt per mortem ſuam, tanquam Agnus DEI tolleret peccatum mundi. Ad quam ſententiam ſpectat etiã illud eiuſdem Apoſtoli, quod ſcriptum ab eo eſt in 5. cap. poſte. epiſt. ad Cor. *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iuſtitia* DEI *in ipſo*. Dixit: *Peccatum fecit*, pro eo quod eſt, fecit ipſum hoſtiam immolandam pro peccato. Et hac ratione CHRISTVS verè dicitur mortuus eſſe ſemel, vna enim ſui ipſius oblatione per mortem PATRI facta, omnia peccata deleuit: quemadmodum idem Paulus ſcribit in epiſt. ad Hebr. *Vna oblatione confirmauit in ſempiternum ſanctificatos*. Et B. Petrus, *CHRISTVS*, inquit, *ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt*. Poteſt etiam dici CHRISTVS mortuus eſſe peccato, quia mortuus eſt ſecundum carnem ſimilem, quantum ad naturam, peccatrici carni aliorum hominum, id eſt, mortuus eſt vitæ paſſibili, & mortali; nam etiam infrà in cap. 8. huius epiſtolæ Paulus ſcribit, *DEVS FILIVM ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne*. Caro etenim humana, propter peccatum Adæ, mortalis, & paſſibilis facta eſt: talem verò carnem aſſumpſit CHRISTVS, & ſecundum hanc interpretationem, etiam ſemel CHRISTVS mortuus eſt, id etiam teſtante ipſomet Paulo, cum alibi ait: *Et quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium: ſic & CHRISTVS ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata; ſecundo ſine peccato apparebit, expectantibus ſe in ſalutem*. Dicitur autem CHRISTVS per reſurrectionem viuere DEO, id eſt, ad ſimilitudinem DEI, vitam agere immortalem atque impaſſibilem, & vſquequaque beatam.

Ioan. 1. *Ad Heb. 1.* *1. Petr. 3.* *Ad Hebr. 9.*

II. Poſteriorem horum Pauli verborum interpretationem ſequens Auguſtinus, quomodo CHRISTVS mortuus fuerit peccatis, his verbis declarat in Enchiridio: Peccatum CHRISTO non inerat, & tamen quodammodo mortuus

S. Auguſtinus.

eſt

est peccato, dum moritur carne, in qua erat similitudo peccati: vt cùm secundum vetustatem peccati nunquam ipse vixisset, nostram ex morte veteri, qua in peccato mortui fueramus, reuiuiscentem vitam noua sua resurrectione signaret. Ipsum est, quod in nobis celebratur magnum baptismatis Sacramentum; vt quicumque ad istam pertinent gratiam, moriantur peccato, sicut ipse dicitur mortuus peccato, quia mortuus est carne, peccati similitudinem habente: & viuant, de lauacro renascẽdo, sicut ipse de sepulchro resurgendo, quamlibet corporis ætatem gerant. A paruulo enim recenter nato, vsque ad decrepitum senem, sicut nullus prohibendus est à baptismo: ita nullus est, qui non peccato moriatur in baptismo: sed paruuli tantùm originali: maiores verò iis etiam, omnibus moriuntur peccatis, quæcumque malè viuendo, addiderunt ad id, quod traxerunt nascendo. Sic Augustinus.

12. Sciat lector pro illo: *Quòd enim mortuus est*, græcè legi, ὃ γὰρ ἀπέθανε, & illud, ὃ, sicut latinum nostrum (*quod*) potest esse vel coniunctio, vel relatiuum neutrius generis: Latinus interpres accepit tanquam coniunctionem, & verbum ἀπέθανε ad CHRISTVM retulit, & ideo vertit: *Quod enim mortuus est* (CHRISTVS) *peccato, mortuus est semel.* Alij accipientes, non vt coniunctionem, sed vt relatiuum neutrius generis, omninò contendunt ita vertendum fuisse hunc locum: *Quod enim mortuum est, peccato mortuum est semel.* Audiat lector audacem & insolentem latini interpretis censuram à Iacobo Stapulensi factam. Vetus, inquit, interpres, bis hoc loco fecit solœcismum, ita conuertens hunc locum: *Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel*, nam illud, *quod*, in Paulo, indefinitum neutrum est, quare adiectiuum ei bis reddendum est neutrum, & ita vertendum: *Quod enim mortuum est, peccato mortuum est semel.* Sed quid mortuum est peccato? Certè humana duntaxat in CHRISTO natura. Sic iste. Sed hanc calumniam à latino interprete acriter defendit Erasmus: Ego, inquit, in versione

Stapulensis in Latinum interpretem.

Erasmus pro latino interprete.

 nostra,

nostra, à veteris lectionis forma nihil recedo: Sic enim per genus masculinum lego: *Quod mortuus fuit, peccato mortuus fuit semel*, mea enim sententia, melius ad CHRISTVM simpliciter refertur verbum illud ἀπέθανε, id est, mortuus est: vt sit sensus: Hoc ipsum, quod mortuus est CHRISTVS, semel duntaxat mortuus est, idque peccato. Consimili modo dixit in epistola ad Galatas: *Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo FILII DEI.* Nam qui, obsecro, sensus est, si legis: *Quod mortuum est, peccato mortuum est?* Quin potius id agit, & vrget his verbis Paulus, vt quemadmodum CHRISTVS semel mortuus peccato, semper immortalis permanet: ita & nos semel mortui peccato per baptismum, atque in illo ad vitam nouam renati, non vltra in peccatum recidamus. Hac itaque ratione, latinus interpres à gemino solœcismo absoluitur, quem illi Stapulensis impegit. Hactenus ex Erasmo. Nec solùm hanc interpretis latini lectionem, latini patres secuti sunt, vt Ambrosius hoc loco, & super Psalmo centesimo decimo octauo, & Augustinus, cùm aliis pluribus in locis, tum præcipuè libro sexto contra Iulianum capite secundo; sed etiam Græci explanatores huius epistolæ. Nam vt nihil de aliis dicam, Theophylactus certè secũdum nostram lectionem, locum hunc enarrans: CHRISTVS, inquit, non amplius moriturus, viuit in sempiternum: & quòd mortuus est, dicit Apostolus, peccato eum obiisse, hoc est, nostris erratis, tametsi morti non esset obnoxius. Origenes itidem: Hæc, inquit, diximus, quò manifestius claresceret, quemadmodum CHRISTVS semel mortuus est peccato, vt vltra iam non moriatur, & quia quod viuit, viuit DEO.

Ad Gal. 2.

Theophylactus.

Origenes.

TER-

TERTIA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius.

Vers. 12.

13.

HÆC Pauli adhortatio pendet ab eo, quod paulò suprà pluribus verbis ipse disputauit, ostendens, peccatis nos esse per baptismum mortuos; simulque crucifixum esse veterem hominem, vt destruatur corpus peccati, & non vltra iam seruiamus peccato. Nunc docet, in CHRISTO baptizatos, ita mori peccato debere, vt peccatum in illorum corpore amplius non regnet. Neque dixit Apostolus, vt non sit, vel vt non habitet peccatum in corpore nostro mortali: sequenti enim proximè septimo capite ostendet in corpore mortali habitare semper peccatum, id est, fomitem & concupiscentiam; sed non esse in mente, quæ condelectatur legi DEI, & auersatur suggestiones peccati. tunc enim peccatum regnat in homine, cum in eo concupiscentia non solùm pulsat, & delectationis motu titillat mentem, id enim etiam in iustis & sanctis hominibus facit, sed cùm eam ad sui assensum, & obedientiam pertrahit; efficiens, vt id quoque homo secundum voluntatem rationalem velit, quod secundum concupiscentiam improbè concupiscit. Atque hoc modo regnat peccatum in homine: cùm enim dixisset Apostolus: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore*, mox quid sit regnare peccatum, declarans, adiungit: *Vt obediatis concupiscentiis eius.* Tentat & allicit concupiscentia mentem hominis ad peccatum quodpiam faciendum; si illecebram istam motumque concupiscentiæ mens respuit ac repellit, ipsa regnat ac dominatur

Quando peccatum regnet in homine.

con-

concupiſcentiæ, & velut freno rationis iniecto, cogit ſuo ſubeſſe imperio: Sin autem trahi ſe à concupiſcentia patiatur; cupiditatibus eius obſecundans atque obtemperans, regnat tunc concupiſcentia, & tyrannicam in hominem exercet dominationem.

14. Cæterùm ſciat lector, ex veterum Græcorum atque Latinorum tam codicum, quàm interpretum collatione, duplicem horum Pauli verborum lectionem reperiri. Græca enim lectio huius loci, latinè ad verbum reddita, ſic habet: *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore ad obediendum ei, in concupiſcentiis eius.* In qua lectione illud prius pronomen *(ei)* refertur ad peccatum: poſterius autem pronomen illud *(eius)* ſiue *(ipſius)* refertur ad corpus mortale. Quam lectionem interpretans Theophylactus: Tunc, inquit, peccatum potiri videtur imperio, cùm in iis ei obtemperabimus, quæ & voluptatis ſunt, & corporis concupiſcentiæ. Et Tertullianus in libro de reſurrectione carnis, eandem ſequens lectionem: Ne regnauerit, inquit, in corpore veſtro mortali delinquentia ad obediendum illi. Ambroſius, licet in textu habeat lectionem noſtri interpretis, in commentario tamen, interpretationem ſuam declinare ad græcã, quam diximus, lectionem videtur. Altera lectio huius loci nec habet illud prius pronomen (*ei*) nec illam præpoſitionem (*in*) ſed ad verbum ſic habet: *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore ad obediendum concupiſcentiis eius.* Siue vt vertit latinus interpres, clariorem vtique reddens ſententiam: *Vt obediatis concupiſcentiis eius.* Et illud, *eius*, poteſt referri vel ad corpus, vel ad peccatum. Hãc profectò lectionẽ citat S. Hieron. libro decimo quarto commentariorum in Eſaiam ſuper caput Iſaiæ quinquageſimum ſecundum; & Auguſtinus libro primo de nuptiis & concupiſcentia capite vigeſimo tertio & ſequentibus, hanc ipſam lectionem tractans, ſic ait: Non dixit Apoſtolus: Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore ad habenda deſideria eius: ſed dixit, ad obediendũ deſideriis eius; vt in hoc, agonem iuſtitiæ pudicitiæque ſeruemus,

Theophylactus.
Tertullianus.
Ambroſius.
S. Hieronym.
S. Auguſtinus

nemus, ne illis obediamus. Hanc quoque lectionem citat Faustus libro primo de libero arbitrio capite vndecimo. Vtraque porrò lectio hæc, probabilis est, veramque habet sententiam. Peccati verò nomine, quod Paulus non vult regnare in nobis, intelligere oportet fomitem ipsum peccati, & concupiscentiam carnis; de quo, paulò infrà proximè sequenti capite pluribus differet. Nec sine causa dixit Paulus, Ne regnet peccatum in corpore mortali, non autem dixit, Ne sit, vel habitet, quia dum corpus hoc mortale, & corruptibile gestamus, peccatum istud, id est, concupiscentia, manet in nobis: Christianæ autem virtutis est efficere, vt non regnet in nobis. Cùm autem corruptibile hoc induet incorruptionem, tunc omninò peccatum istud esse desinet in nobis. Legenda sunt quæ super hac re piè admodum, doctéq; disputat Augustinus super Psalmũ 35. 50. & 65. & in sermone 12. de verbis Apostoli. Propterea verò Paulus hoc loco, & alibi corpus nostrum vocat mortale, siue corpus mortis huius, quòd ob Adæ peccatum, necessitati moriendi addictum, & obnoxium fuerit.

15. *Quod sit peccati regnum, & qua cius tyrannis.*

In hac porrò Apostolica sententia: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Theodoretus pensitans illud verbum, *Non regnet*, ait, propriè admodum, & apposite Paulum dixisse: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* non autem dixisse: Non tyrannizet vos peccatum. Hoc enim discriminis est inter Regem & Tyrannum, quod Rex voluntariè sibi subditis imperat, libenterque imperium ipsius amplectentibus, iussaque capessentibus: Tyrannus verò repugnantibus, & inuitis imperat: & quos per vim subiecit sibi, suis eos cogit obedire mandatis. Si quis igitur peccato, id est, fomiti & concupiscentiæ voluntariè assensum, & obsequium præbet, & improbas cupiditates libenter sequitur, in hunc verè peccatum habet Imperium, & regnum obtinet. Sin autem impuras cogitationes turpesque cupiditates, quas concupiscentia suscitat, & animo ingerit, repellit, nec eis assentitur, & obsequitur, sed eas quantum in ipso est, auersatur,

tur; non in eo regnat peccatum, licet ipſum tyrannicè infeſtet & vexet. Quale autem ſit tyrannicum Imperium, graphicè deſcripſit Apoſtolus illis verbis: *Non quod volo bonum, hoc ago; ſed, quod odi malum, illud facio. Scio quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonum. Nam velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio. Condelector enim legi DEI ſecundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Igitur ego ipſe mente ſeruio legi DEI, carne autem legi peccati.*

16. *Theodoretus.* Adſcribam hoc loco Theodoreti verba, quæ ſunt huiuſmodi: Regnum in hoc differt à Tyrannide, quod Tyrannis exiſtit inuitis ſubiectis: Regnum autem iis volentibus, quibus imperatur. Suadet ergo Apoſtolus, ne peccati poteſtati amplius aſſentiamur: & ideo non dixit, Ne tyrannizet vos peccatum; ſed, ne regnet in vobis. Illud enim eſt illius proprium; hoc verò, noſtræ mentis, & voluntatis. Animi enim perturbationum motus, & vexatio, ineſt nobis natura; eorum autem, quæ ſunt nobis prohibita, effectio, à noſtra pendet voluntate. Appellans autem corpus mortale, indicat bellum hoc inter ſpiritum & carnem non fore diuturnum: Cùm enim mortis terminum acceperit, ceſſabit etiam animi perturbationum inſultus. Iubet ergo Paulus nos non quidem abiicere peccati tyrannidem, ſed regnum: id autem eſt, Fomiti immodicè inflammāti appetitiones corporis nequaquam cedere. Hactenus ex Theodoreto.

17. *In Bezā quid ſit non regnare in homine peccatum, malè interpretantē.* Sed vide, quæſo, lector, quod Apoſtolus dixit: *Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore*, quàm non ſolùm falsò, & impiè, ſed etiam ineptè atque indoctè, abſurdeque in huius loci commentario interpretatus ſit Beza. Commodum, inquit, hæc à Paulo adhortatio ſubiicitur præcedentibus: vt intelligamus, quatenus ſimus mortui peccatis, quādiu hîc verſamur. Hactenus nimirum, vt reluctetur quidem ſpiritus, ſed tamen non vincat. Sic ille. Ergo ex Bezæ ſententia; peccatum non regnare in iis, qui per CHRISTVM regene-

generati, & iustificati sunt, non est aliud, quàm in eo certamine, quod est inter spiritum, & carnem, spiritum reluctari, & repugnare aliquantisper, non tamen vincere. At enim si spiritus in eo certamine non vincit carnem; ergo spiritus vincitur, & virtus carni cedit & succumbit, & quod est necessariò consequens, caro dominatur spiritui, & in eum obtinet regnum; ergo peccatum non regnare in homine, nō est eum reluctari aliquandiu peccato, & non vincere ipsum, vt Beza interpretatur; sed est, ita reluctari, vt vincat ipsum, & in eo certamine superior euadat. Deinde, si spiritus reluctans peccato, non vincit ipsum, sed victus cedit, & succumbit, ergo concupiscentiis eius obedit: nam si non obedit, præualens vtique vincit ipsum. Si autem obedit, ergo peccatum regnat in ipso: id enim testatur Apostolus dicens hoc loco: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius.* Quibus verbis ostendit, tunc regnare peccatum in homine, cùm is non obedit ei; tunc autem regnare, cùm obedit. Sed enim Beza putans, esse impossibile homini, non obsequi concupiscentiæ, planè inanem & futilem facit hanc Pauli adhortationem, vt quæ fiat ad rem homini prorsus impossibilem. Ad hæc, si ad id, vt peccatum non regnet in homine, satis est, eum reluctari aliquantisper peccato, licet non vincat ipsum, sed victus denique cedat & obediat ei; inde sequeretur, etiam in magnis peccatoribus non regnare peccatum; complures enim eorum, obiecto sibi magno quopiam scelere, primùm dubitant, & hæsitant, & obsistunt; vel reuocante eos à turpitudine, naturali ratione; vel si cognitionem veri DEI habent, metu iudicij, & vindictæ DEI eos deterrente. Pauci verò sunt adeo perditis moribus, extremæque improbitatis, tantaque præditi malitia, qui ad grauissima flagitia patranda, sine vlla dubitatione & hæsitatione promptè, & alacriter ruant.

18. *Beza contradicit Caluino.*

Quin etiam Caluinus ipse, quem Beza parentem, & magistrum suum appellat, in explanatione huius capitis, isti Bezæ sententiæ cōtraria scribit, docens, regeneratis per CHRI-

STVM, virtutem SPIRITVS à DEO subministrari, qua superiores in certamine, victores fiant. Nam super illis Pauli verbis: *Vetus homo noster crucifixus est, vt non vltra seruiamus peccato*, ita scribit: Hinc sequitur, nos, quandiu sumus filij Adæ, nihil aliud quàm homines peccato sic esse mancipatos, vt nihil possimus aliud quàm peccare: CHRISTO verò insitos, hac misera necessitate liberari. Non quod statim desinamus in totum peccare, sed vt simus tandem in pugna superiores. Ecce tibi Caluinus vult regeneratos per CHRISTVM in pugna, repugnante carni, fieri superiores: Beza verò censet, reluctari eos peccato, sed non vincere. Non me fugit, Caluinum in explanando caput proximè sequens, diuersa, & dissona scribere iis, quæ hoc loco dixerat: Sed id mirum videri non debet. Hæreticis enim solemnis est inconstantia sententiarum, dictorumque dissonantia, quod profectò disciplinæ eorum vanitatem arguit, falsitatemque conuincit.

19. Finem ponit huic disputationi B. Gregorius, qui libro decimo quarto Moralium, declarans verba illa Iob capitis decimi octaui: *Euellatur de tabernaculo suo fiducia eius, & calcet super eum, quasi rex, interitus*, hunc Pauli locum luculenter tractat. Cùm enim dixisset, vocabulo interitus, & diabolum, & peccatum significari, & intelligi posse; & primum de diabolo interpretatus esset, subdit deinde, quemadmodum de peccato nomen interitus interpretari liceat ita, scribens: Si interitus nomine non apertè diabolus, sed peccatum debet intelligi, ex quo contingit reprobos ad interitum trahi, talis profectò interitus quasi rex calcat mentem, cùm eam non resistentem possidet. Non enim potest, in hac vita homini posito, tentatio deesse peccati. Sed aliud est peccato tentanti resistere, & aliud dominanti seruire. Quoniam autem vnusquisque resistere peccati suasionibus nescit, nec subiugari eius dominio pertimescit, rectè dicitur: *Calcet super eum, quasi rex, interitus*. Huius quippe interitus regnum à discipulorum cordibus repellebat Apostolus, cùm dicebat: *Non regnet*

B. Gregorius.

gnet peccatum in vestro mortali corpore. Non ait, non sit, sed non regnet: quia non esse non potest: non autem regnare in cordibus bonorum potest. Quoniam igitur cum quælibet culpa cor iniqui pulsauerit, resistens illud non inuenit, sed suo dominio substernit: recte dicitur: *Calcet super eum, quasi rex, interitus.* Vel enim hic vitiis premitur, vel mortis suæ tempore, per hoc quod ad supplicia rapitur, potestati dæmonis subiugatur. Hæc Gregorius.

QVARTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Peccatum vobis non dominabitur: non enim sub lege estis, sed sub gratia.

Versu 14.

NOMEN legis hoc loco, significat statum & conditionem legis Mosaicæ, præcisè ac nudè, id est, ea ratione, vt lex distinguitur à gratia. Qui autem sic erant sub lege, mancipati vtiq; peccatis erant, siquidem lex iubebat quod erat faciendum, sed infirmitatem hominis ad faciendum non adiuuabat: vetabat peccata, & quasi morbos animi demonstrabat; sed remedium, eos morbos sanandi potens & efficax, nullum præbebat: iacebat vtiq; sub iugo legis, peccatis debilitatus, & æger homo. Nomen autem gratiæ, significat statum & conditionem legis gratię, quæ non tabulis inscripta, sed cordibus hominum infusa, mundat ea, & sanat, & roborat, & ad id quod facere iubet, vt plenè ac libenter fiat, adiuuat; delens peccata, viresq; fomitis concupiscentiæ frangens, & ita spiritum roborans, vt ei repugnanti præualeat. 20.

S. Thomas explanans hunc locum docet, dupliciter vsu- 21. *S. Thomas.*

venire posse, vt aliquis sit sub lege. Potest enim obseruationi legis spontè ac voluntariè subiectus esse, sicut Christvs Dominus noster, fuit sub lege, non solùm quantum ad moralia, sed etiam quantum ad ceremonialia. *Devs enim* (vt Apostolus inquit) *misit Filivm suum in hunc mundum, factum sub lege.* Similiter etiam nos Christiani sub lege sumus, non quantum ad ceremonialia, sed quantum ad moralia. Potest etiam sub lege esse aliquis, non sua sponte ac voluntate, sed inuitus, & quasi à lege coactus, cuius obseruationi obstrictus tenetur metu pœnæ, non amore iustitiæ. Quicumque autem ita est sub lege, proculdubio caret gratia: hæc enim si adesset, faceret eum legis voluntarium, & lubentem obseruatorem. Absente porrò gratia, licet homo, legis metu abstineat exterius à peccatis; interius tamen per ipsam legis prohibitionem vehemẽtius peccandi libidine inflammatur. Qui autem gratiam habet, propterea dicitur non esse sub lege, quod non metu legis, sed spontè voluntatis facit quod iustum est; faceretq; per se, tametsi lex id non facientibus nullam infligeret pœnam. Quam etiam ob causam dixit alio loco Apostolus, legem iusto non esse positam. Hactenus ex B. Thoma.

Ad Gal. 4.

1 Tim. 1.

22. Caietanus.

Hanc ipsam Pauli sententiam explicans hoc loco Caietanus, duo tradit obseruatu digna. Primo differre ait inter esse sub lege, & debitorem esse obseruandi legem, quantum ad aliqua præcepta eius. Nam esse sub lege, significat, ex professo subditum esse obseruationi totius legis Mosaicæ, quantum ad moralia, & ceremonialia, & iudicialia præcepta. Debitorem autem esse obseruandi aliqua præcepta legis Mosaicæ, aliunde prouenire potest, quàm ex professione religionis iudaicæ; ex obligatione videlicet legis naturalis, ad quam pertinent præcepta moralia legis Mosaicæ. Gentiles enim, qui non erant subiecti obseruationi legis Mosaicæ, debebant tamen seruare præcepta moralia: non ea quidem ratione, vt erant præscripta in lege Mosis, sed vt ea lex & regula rationis naturalis exigebat. Christiani etiam absoluti sunt ab obseruatione legis Mosaicæ; non tamen liberati sunt ab obseruatio-

ne

ne præceptorum moralium, ea namq; obstricti sunt & quantum ad culpam offensamque DEI, & quantum ad reatum æternæ damnationis. Deinde Caietanus docet, cum dicitur hoc loco, Christianos non esse sub lege, significari nomine legis statum legalem hominum veteris Testamenti, vt distinguitur à statu gratiæ hominum noui Testamenti: Illius porrò status legalis tres fuisse conditiones. Quarum prima fuit obligatio obseruandi vniuersam legem Mosaicam, quæ erat numerosissima, ob idque obseruatio eius valde onerosa. Altera conditio erat, negatio diuinæ gratiæ adiutricis: lex enim iubebat & vetabat, sed non conferebat gratiam: sine qua tamen gratia, legis edicta & interdicta seruari non poterant. Tertia conditio erat, quod homo sub lege constitutus, erat sibiipsi derelictus, vtpote non adiutus interno gratiæ dono: atq; ob has causas lex Mosaica erat Iudæis quasi iugum quoddam durissimum: *Quod*, ait Petrus, *neq; nos, neq; patres nostri portare potuerunt.* Nec verò putandum est, omnes qui fuerunt sub lege, caruisse gratia: sed quicumq; eam habuerunt, non beneficio legis habuisse, sed per quandam participationem noui status gratiæ reuelandi, & præstandi per CHRISTVM: eaque participatio continebatur fide, & deuotione (saltem implicita) erga mediatorem inter DEVM, & hominem, venturum MESSIAM. Ergo esse sub gratia, est nomen status hominum viuentium sub diuinæ gratiæ præsidio, & DEI protectione, per quam gratiam interius viuimus spiritualem vitam: atque in hoc statu non debet regnare peccatum, cum absit & onus legis, & diuinæ gratiæ abundet auxilium. Hactenus ex Caietano.

Tres conditiones eorum, qui erant sub lege.

Act. 15.

23. Ambrosius verò in commentario huius loci, quod sit esse sub lege, ita declarat: Si peccamus, versamur sub lege, & incipiet nobis dominari peccatum. Qui enim facit peccatum, seruus est peccati: & tam diu erimus sub lege, donec remissionem peccati acceperimus. Peccatum enim, auctoritate legis, reum facit peccatorem: quare cui data est remissio peccati, & in posterũ cauet peccata, neq; peccatum ei dominabitur,

Ambrosius.
Ioan. 8.

nabitur, neq; sub lege erit: cessat enim circa eum auctoritas legis, qui liberatus est à peccato: quos enim reos tenet lex, traditi sunt ei à peccato. Qui ergo peccatis exutus est, quandiu talis est, non potest esse sub lege.

S. Augustinus. *Ad Rom. 10.* S. etiam Augustinus in libro de gratia & libero arbitrio cap. 12. loquens de Iudæis, qui vt dixit Apostolus, suam quærentes statuere iustitiam, iustitiæ DEI non erant subiecti, ait illis dominatum esse peccatum, quia non erant sub gratia, sed sub lege; à quo peccato non fit homo liber lege, sed gratia: Non, inquit, quia lex mala erat; sed quia sub illa erant, quos reos faciebat iubendo, & non adiuuando. Gratia quippe adiuuat, vt quisque sit legis factor; *Ad Rom. 2.* sine qua gratia sub lege positus tantummodo erit legis auditor. Talibus itaque idem Apostolus alibi dixit: *Ad Gal. 5.* *Qui in lege iustificamini, à gratia excidistis.*

24. Idem Augustinus in tractatu tertio in Euangelium Ioannis, hunc ipsum Pauli locum fusius pertractans, ita scribit: Interrogamus Apostolum, & dicit nobis. *Quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia. Misit ergo FILIVM suum factum ex muliere, vt eos qui sub lege erant, redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.* *Ad Gal. 4.* Ecce ad hoc venit CHRISTVS vt eos, qui sub lege erant, redimeret, vt iam non simus sub lege, sed sub gratia. Ille autem dedit legem, qui dedit & gratiam; sed legem per seruum misit; cum gratia verò ipse descendit. Sed vnde facti erant homines sub lege? non implendo legem: qui enim legem implet, non est sub lege, sed cum lege: qui autem sub lege est, non subleuatur, sed premitur à lege. Omnes itaq; homines sub lege constitutos, lex faciebat reos, & ad hoc illis super caput erat, vt ostenderet peccata, non autem tolleret. Lex ergo iubet, dator verò legis, miseretur & adiuuat. In eo quod lex iubet, conantes homines implere viribus suis præcepta legis, ipsa sua temeritate, & præcipiti præsumptione ceciderunt, & non fuerunt cum lege, sed sub lege facti sunt rei. Et quoniam suis viribus implere non poterant legem, facti rei sub lege, implorauerunt liberatoris auxilium. Et reatus quidem

quidem legis fecit ægritudinem superbis: ægritudo superborum, facta est confessio humilium. Iam confitentur ægroti quia ægrotant; optant vt medicus veniat, & sanet ægrotos. Medicus autem est Dominus noster IESVS CHRISTVS, qui venit saluum facere quod perierat. Atque hunc in modum declarauit Augustinus quid sit esse sub lege.

Matth.20.

Quid porrò sit esse sub gratia, idem docet in eo libello, in quo exposuit nonnullas propositiones, & sententias Pauli, quę sunt in hac epistola ad Romanos. Nam numero 35. hęc scribit. Quod Apostolus ait: *Peccatum vobis non dominabitur; non enim estis sub lege, sed sub gratia.* ad tertium illud gradum iam pertinet, vbi homo iam mente seruit legi DEI, quamuis carne seruiat legi peccati. Non enim obedit desiderio peccati, quamuis ad hoc sollicitent concupiscentiæ, & prouocent ad consensionem, donec viuificetur corpus hoc nostrum mortale, & absorbeatur mors in victoria. Quia ergo non consentimus desideriis prauis, in gratia sumus, & non sub lege. Qui autem dominatur peccatum, quamuis vult peccato resistere; ad huc tamen sub lege est, & non sub gratia. Sic ibi Augustinus. Quod autem ait, eos qui non sunt sub lege, sed sub gratia, pertinere ad tertium gradum, scire conuenit, cum paulò suprà in eodem libro, numer. 13. distinxisse quatuor gradus hominum viuentium, vel ante legem, vel sub lege, vel sub gratia, vel in pace. Ante legem, inquit, sequebantur homines concupiscentiam carnis: sub lege trahebantur cum sua concupiscentia. Sub gratia nec sequimur concupiscentiam, nec trahimur ab ea: in pace nulla est concupiscentia carnis. Ante legem igitur non pugnamus, quia non solùm concupiscimus & peccamus, sed etiam approbamus peccata. Sub lege pugnamus, sed vincimur: fatemur enim mala esse quæ facimus: & fatendo mala esse vtique nollemus facere; sed quia nondum est gratia, superamur. Isto gradu ostenditur nobis quomodo iacemus; & dum surgere volumus, & cadimus, grauius affligimur, & ideo dixit Apostolus: *Per legem cognitio peccati.* Non enim ablatio peccati est,

25. Quid sit esse sub gratia secundum Augustinum.

Ad Rom.7.

1.Cor.15.

Ad Rom.3.

quia per solam gratiam aufertur peccatum. Bona ergo lex, quia ea vetat quæ vetanda sunt, & ea iubet, quæ sunt iubenda: sed cum quisquam illam viribus suis confidit posse implere, non autem per gratiam liberatoris sui, nihil ei prodest ista præsumptio: immo etiam tantum nocet, vt vehementiori desiderio peccati rapiatur; & in peccatis etiam præuaricator inueniatur. *Vbi enim non est lex, nec præuaricatio est.* Sic ergo iacens, si cognouerit, per seipsum surgere non valere, imploret liberatoris auxilium, à quo datur gratia, quæ donat peccata præterita, & conantem adiuuat, & tribuit caritatem iustitiæ, & metum aufert. Hactenus ex Augustino.

Ad Rom. 4.

26. *Praua Caluini interpretatio eius quod est non esse sub lege.*

Caluinus autem & suo, omniumq; hæreticorum more, diuinæ Scripturæ sententias falsis interpretationibus corrumpentium, & ad sua dogmata detorquentium, falsam & prauam horum Pauli verborum interpretationem in commentario huius loci tradit, quid sit esse sub lege, & quid sub gratia peruersè declarans. Esse, inquit, sub lege, non significat tantùm, mortua littera nobis præscribi, quod nos in reatum adducat, quia sumus ad id præstandum impares: sed etiam significat, amplius nos obnoxios legi nõ esse, quatenus exigit perfectam iustitiam, edicta morte omnibus, qui ab vlla parte eius declinauerint. Sub gratiæ autem nomine, similiter intelligimus vtramq; redemptionis partem, hoc est, remissionem peccatorum, qua iustitiam DEVS nobis imputat; & sanctificationem SPIRITVS, per quam ad bona opera nos reformat. Sic iste. Huiusmodi autem interpretationem eius, quod est non esse sub lege, propterea finxit Caluinus, quòd putauit impossibile esse in hac vita, etiam homini per CHRISTVM regenerato, & iustificato, plenam vniuersæ legis obseruationem; præsertim verò illorum duorum legis præceptorum: *Diliges DEVM ex toto corde tuo*; Et, *Non concupisces.* Sed dixit, CHRISTVM, qui perfectè impleuit vniuersam legem, in regeneratis per ipsum, supplere defectum obseruationis legis, suam ipsis imputando iustitiam, nec eorum iustitiam exigendo ad

do ad exactam regulam iustitiæ legalis; nec remissionem implendi legem, vertere ipsis crimini, nec imputare ad damnationem & pęnam. Ergo, secundum interpretationem Caluini, non est aliud, Christianos non esse sub lege, nisi per CHRISTVM esse liberatos à debito implendi vniuersam legem: & hoc quod non implent legem, non ipsis imputari tanquam peccatum, nec damnationi, ac pœnæ addici.

27. At enimuerò, falsam esse Caluini hanc interpretationem, vel ipsum illud fundamentum, quo ea maxime nititur, apertè demonstrat. Ponit enim Caluinus, quasi solum & fundamentum eius interpretationis, esse in hac vita impossibile homini etiam iusto, & sancto, implere vniuersam legem: quod planè falsum est, diuinæq; contrarium Scripturæ, & copiose à nobis supra confutatum. Nec verò solis Catholicis hæc interpretatio Caluini non probatur: etiam Bezæ, carissimo eius discipulo & alumno, minime placuit. Memorans enim hoc loco supradictam Caluini interpretationem: Putant, inquit, plerique, sub lege non esse, idem declarare, atq; legis maledictioni non amplius esse obnoxium, cum CHRISTVS factus sit maledictio pro nobis. Sed hoc certe pertinet ad peccatorum remissionem: hic verò agitur de mortificatione peccati, & iustitia per CHRISTVM in nobis inchoata. Neque spectatur abominatio peccati, quatenus imputatur, vel non imputatur; sed quatenus viget, aut non viget in nobis. Itaq; alij (sub lege non esse) malunt ita explicare: Non iam estis ea conditione, qua olim cum vos lex reos faceret, iubendo, & non adiuuando, vt explicat Augustinus. Hanc verò sententiam, vt simplicissimam, & maximè accommodatam, amplector. Valet porrò consecutio quam facit Paulus. Nos aduersus peccatum potituros victoria, si non simus sub lege; quatenus lex virtus est peccati, vt eius occasione magis præuaricemur: sed esse nos sub gratia, id est, SPIRITV CHRISTI donatos: cuius freti virtute, reliquias etiam peccati iam inermis penitus profligemus. Atque ita esse locum hunc explicandum, liquet ex altero eiusdem Pauli loco, qui est in capite

Beza super loci huius intellectu, cum Caluino dissentit.

Ad Gal. 3.

pite quinto epistolæ ad Galatas, vbi Apostolus dicit: *Aduersus huiusmodi non est lex. Qui autem sunt CHRISTI, carnem suam crucifixerunt, cum vitiis, & concupiscentiis,* Hæc Beza, Augustinianam huius loci explanationem, interpretationi Caluini meritò anteponens.

Auctoris interpretatio quid sit non esse sub lege.

Nos igitur explanationi Patrum insistentes dicimus; quid sit, non esse sub lege, facile intelligi ex contrario, quod est esse sub lege: hoc autem est, hominem gratia DEI carentem, sibiq; derelictum, debitorem quidem esse implendi legem, sed esse tamen prorsus impotentem: nec legem demonstrando & iubendo quod agendum, & fugiendum est, adiumento ei esse, sed quodammodo magis esse detrimento. Per occasionem enim legis (tanta est humani animi prauitas; & ad malum procliuitas) peiores fiunt homines, plura videlicet & grauiora facientes peccata. Contra verò, esse sub gratia, est, hominem à peccatis liberatum, DEIque gratia donatum, & sub eius præsidio ac protectione manentem, & velle, & posse vniuersam legem implere, atq; in posterum peccata cauere.

QVINTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Versu 9.

Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ. Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Cum enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ.

EXHOR-

28\. EXHORTATVR Apoſtolus his verbis Romanos ad ſtudium, cultumque virtutis: ſed præfatione quadam extenuat id quod poſtulat ab ipſis. Quaſi diceret, Animaduertens infirmitatem carnis veſtræ, humaniter admodum, & indulgenter vobiſcum ago, multumque remitto de meo iure, minus à vobis depoſcens, quàm rei dignitas poſtulat. Cùm enim dicere vobis poſſem, quod Iudæis quondam dixit Baruch: *Sicut fuit ſenſus veſter, vt erraretis à DEO, decies tantùm conuertentes, iterum requirite eum.* Humaniori vtor ratione, id tantùm petens à vobis, vt *ſicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibeatis eadem membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem:* Hoc autem eſt: Quanto tunc ſtudio accommodaſtis membra veſtra ad ſeruiendum omni generi vitiorum; ita nunc eadem membra adhibeatis ad ſeruiendũ iuſtitiæ. Illud: *Iniquitati ad iniquitatem*, ſecundum phraſim hebraicam, ſignificat, ad omne genus iniquitatis: denotat enim, vt ait Theophylactus, peccati ad peccatum additionem, & quaſi cumulum, nomen autem iuſtitiæ hoc loco, generale eſt, complectens omnem virtutem. Illud porrò ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem, hunc reddit ſenſum: vt ſtudio iuſtitiæ ac virtutum dediti, magis ac magis in dies proficiatis in ſanctitate ac bonitate vitæ.

Baruch 4.

29\. S. Auguſtinus in epiſtola quam ſcripſit ad Anaſtaſium, tractans hunc Pauli locum, docet, quam vim habeat iſta proportio, quam facit Apoſtolus inter exhibere ita membra ſua ad ſeruiendum iuſtitiæ, ſicut exhibuerunt ea ad ſeruiendum iniquitati, ita ſcribens: Quid eſt ſicut illud, ita & hoc? niſi, Quemadmodum ad peccandum nullus vos cogebat timor, ſed ipſius libido voluptaſque peccati: ſic ad iuſtè viuendum, non vos ſupplicij metus vrgeat, ſed ducat delectatio, charitaſque iuſtitiæ. Et hæc quidem (quantum mihi videtur) nondum eſt perfecta, ſed quodammodo adulta iuſtitia, ad quam Paulus his verbis Romanos cohortatur. Neque enim fruſtrà præmitteret: *Humanum dico, propter infirmitatem carnis*

Auguſtinus.

nis vestra, nisi quia plus aliquid dicendum fuit, si iam illi ferre potuissent. Plus quippe seruitutis debetur iustitiæ, quàm peccato solent homines exhibere. Nam pœna corporis, etsi non à voluntate, reuocat tamen ab opere peccati; nec facilè quisquam est, qui committat, quo illicitam & immundam percipiat voluptatem, si cruciatus vindictæ, certum ei sit, continuò secuturos. Iustitia verò sic amanda est, vt ab eius operibus, etiam pœnæ corporis nos cohibere non debeant: atque inter manus etiam crudelium iniquorum luceant opera nostra coram hominibus: vt quibus placere possunt, glorificent PATREM nostrum, qui in cœlis est. Hoc est quod ille fortissimus dilector iustitiæ exclamat: *Quis nos separabit à charitate CHRISTI? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius?* Sicut ergo ille iniquissimus est, quem ne pœnæ quidem corporales deterrent ab immundis operibus sordidæ voluptatis: ita iustissimus ille est, qui ne pœnarum quidem corporalium terrore reuocatur à sanctis operibus luminosissimæ charitatis. Sic Augustinus: qui hanc ipsam interpretationem latius exequitur in octogesimo tertio sermone de verbis Apostoli.

Math. 5.

Ad Rom. 8.

30. *S. Gregorius.*

Sanctus etiam Gregorius in libro decimo nono Moralium super illis verbis Iob, capitis vigesimi noni: *In nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies*, declarans differentiam quandam palmæ, atq; cæterarum arborum, spirituales viros similes esse ait palmæ: Mundi verò amatores, vel in via Domini imperfectos comparat aliis arboribus: & ad hoc ipsum illustrandum applicat Pauli sententiam, quam nunc tractamus, hunc in modum scribens: Habet hoc palma, quo à cunctis aliis differt arboribus: omnis enim arbor in suo robore iuxta terram vasta subsistit: sed crescendo, superius angustatur: & quanto paulisper sublimior, tanto in altum subtilior redditur. Palma verò; minor ab imis incipit, & iuxta ramos ac fructus ampliori robore exurgit; & quæ tenuis ab imò proficit, vastior ad summa succrescit. Sunt itaque alia arbusta terrenis mentibus similia, inferius videlicet vasta, & supe-

Notabilis differentia palmæ atq; aliarum arborum, & applicatio eius ad homines.

ſuperius anguſta. Nimirum, omnes ſæculi huius amatores, in terrenis rebus fortes ſunt, in cœleſtibus debiles. Pro temporali quippe gloria vſque ad mortem deſudare appetunt; at pro ſpe perpetua, ne parum quidem in labore ſubſiſtunt. Pro terrenis lucris, quaslibet iniurias tolerant: pro cœleſti autem mercede, vel tenuiſſimi verbi ferre iniurias recuſant. Terreno iudici, toto die aſſiſtere fortes ſunt: in oratione autem coram Domino, vel vnius horæ momento laſſantur. Huiuſmodi autem, quaſi aliarum arborum more, deorſum vaſti ſunt, & ſurſum anguſti: quia fortes ad inferiora ſubſiſtunt, ſed debiles ad ſuperna deficiunt. Contrà verò ex qualitate palmarum deſignatur proficiens vita iuſtorum: qui nequaquam ſunt in terrenis ſtudiis fortes, & in cœleſtibus debiles; ſed amplius ſtudioſos ſe DEO exhibent, quàm ſeculo fuiſſe meminerunt. Nam cum per Apoſtolum quibuſdam dicitur: *Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ: Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.* Eorum proculdubio infirmitati condeſcenditur: perinde enim eſt, ac ſi eis apertius dixiſſet: Si nequaquam amplius poteſtis, ſaltem tales eſtote in fructibus bonorum operum, quales fuiſtis dudum in actione vitiorum: nec debiliores vos habeat ſancta libertas charitatis, quàm in carne validos habuit vſus terrenæ voluptatis. Sic Gregorius.

31. *S. Bernardus.*

Sanctus item Bernardus in epiſtola, ſiue tractatu, quem de vita ſolitaria ſcripſit ad fratres de monte DEI, ait; exhortationem hanc Pauli, dicentis: *Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ*, &c. Pertinere ad homines bonos quidem illos, ſed carnales etiamnum, & imperfectos, & nouitios in ſeruitio DEI. Hoc, inquit, omnibus modis agat & labor, & otium noſtrum, vt nunquam ſimus otioſi: & hoc ſemper ſit negotium noſtrum, vt perfectè conſumetur in nobis, quod dixit Apoſtolus animalibus, & inſipientibus: *Humanum*, inquit, *dico, propter infirmitatem carnis veſtræ: ſicut enim exhibuiſtis*

istis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Audiat hoc attentius amicum corporis sui mancipium, animalis, inquam, homo, qui iam incipit corpus suum subdere spiritui, & adaptare semetipsum ad ea, quæ DEI sunt percipienda, & ad exuendam seruitutis necessitatem, & carnis suæ dominantem consuetudinem. Attendat, inquam, hoc, vt se accingat, necessitatẽ faciens sibi contra necessitatem, & consuetudinem contra consuetudinem, & affectum sibi formãs contra affectũ: donec plenius mereatur accipere delectationẽ contra delectationẽ: vt delectationib. carnis ac seculi, secundum Apostoli consilium, saltẽ tantùm delectet eũ carere, quantũ delectabat eum prius eas habere: tantùm delectet eum mẽbris sui corporis seruire iustitiæ in sanctificationẽ; quantum prius delectabat eum membris illis seruire iniquitati ad iniquitatem. Hæc est perfectio animalis hominis in suo statu, vel nouitij incipientis. Qui, cum hoc animale, vel humanum Pauli consilium consumauerit, si non respexerit retro, sed fideliter in anteriora se extenderit, citò perueniet ad illud spirituale ac diuinum, vt incipiat apprehendere, sicut apprehensus est, & cognoscere sicut cognitus est. Hoc autem opus, non in vno fit momento conuersionis, nec est vnius diei, sed multi temporis, & multi laboris, multique sudoris: secundum gratiam DEI miserentis, & studium hominis volentis, & currentis. Hæc mellifluus Bernardus.

Ad Philip. 3.
1. ad Cor. 13.

32. *Anselmus.*

Sequitur: *Cùm enim serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ.* Hanc Pauli sententiam explanans Anselmus: Ideo, inquit, vult Apostolus Romanos seruire debere iustitiæ, & non immunditiæ: Quia, *cùm essetis*, inquit, *serui peccati*, id est, cùm peccatum dominaretur vobis, & regnaret in vestro mortali corpore, *Liberi fuistis iustitiæ*, id est, subtraxistis vos dominio iustitiæ, ne vobis dominaretur: *Nemo enim potest duobus dominus seruire*, quare quandiu quis peccato seruit, liber est iustitiæ, id est, alienus à iustitia. Notandum porrò est, inueniri

Matth. 6.

niri & libertatem culpabilem, & seruitutem laudabilẽ: nam liberum esse iustitiæ, crimen est, seruum autem esse iustitiæ, laudabile est. Liberum autem arbitrium vsque adeò in peccatoribus non periit, vt per ipsum peccent maximè omnes, qui amore peccati, & cum delectatione peccant. Nam dicente Apostolo: *Cùm essetis serui peccati, liberi fuistis iustitiæ*, satis liquet, etiam peccato eos non potuisse seruire, nisi alia libertate, qua liberi fuerunt iustitiæ, suæ videlicet arbitrio libertatis. Liberi autem à peccato non fiunt, nisi gratia SALVATORIS. Propter quod admirabilis Doctor verba ipsa prudenter discreuit: nam liberos dixit fuisse iustitiæ, non autem liberatos à iustitia, ne peccatum non aliis quàm ipsis tribueretur: à peccato autem non dixit eos fuisse liberos, ne sibi hoc tribuerent; sed vigilantissimè maluit paulò superius dicere liberatos, referens vtique ad illam Domini sententiam: *Si vos FILIVS liberauerit, verè liberi eritis*. Sed hæc volũtas quæ libera est in malis, quia delectatur malis, ideo in bonis libera non est, quia liberata non est ab eo, qui solus eam à peccatis liberam potest facere. Malè profectò libera est, quando eam peccare delectat: Liberaliter enim seruit, qui Domini sui voluntatem libenter facit: ac per hoc ad peccandum liber est, qui peccati seruus est. Vnde ad iustè faciendum liber non erit, nisi à peccato liberatus, seruus iustitiæ esse cœperit. Ipsa est vera libertas, propter rectè facti lætitiam: Ipsa est simul & pia seruitus, propter præcepti obedientiam. Hæc Anselmus: quæ, magnam partem, sumpta sunt ex Augustini Enchiridio, aliisque locis.

Ioan. 8.

33. *Ob peccatum non amitti liberum arbitrium, contra Bezam, falsò id affingentem B. Augustino.*

Sed attentè obseruandum est, quod Anselmus dixit, liberum arbitrium vsque adeò in peccatoribus, qui serui sunt peccati, non periisse, vt per ipsum maximè peccent omnes, qui cum delectatione peccant: hæc enim verba mutuatus est Anselmus ab Augustino, qui contra duas epistolas Pelagianorum libro 1. cap. 2. hæc ipsamet verba habet: Liberum, inquit, arbitrium vsque adeò in peccatore non periit, vt per illud peccent maximè, qui cum delectatione peccant: & amore

 more

more peccati hoc eis placet, quod eis libet. Vnde & Apostolus dixit: *Cùm serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ.* Ecce, ostenduntur, etiam peccato minimè potuisse, nisi alia libertate, seruire. Hæc ibi Augustinus. Et in epistola 47. Fides, inquit, Catholica neque liberum arbitrium negat, siue in vitam bonam, siue in vitam malam: neque tantùm ei tribuit, vt sine gratia DEI valeat aliquid. Hinc apparet, quàm falsò atque impudenter Beza, verba hæc Apostoli explicans dixerit, Peccatores, secundum Augustinum, libero carere arbitrio, dum peccatis mancipati sunt. Hoc, inquit Beza, istis verbis significare vult Paulus: Eratis peccati iugo prorsus mancipati. Quod cùm ita se habeat, miror qua tandem fronte audeant Sophistæ suum liberum arbitrium tueri. Liberum sanè iustitiæ, seruum autem peccati, vt illis toties exprobrat Augustinus. Hæc ille. Sed quid de libero arbitrio peccatorum Augustinus senserit, ex suprà memoratis eius verbis manifestum est: idemque confirmat pluribus aliis locis, vt de correptione & gratia cap. 1. De peccatorum meritis & remissione libro 2. cap. 28. De gratia CHRISTI cap. 47. de gratia & libero arbitrio cap. 4.

34.

Obseruanda B. Thomæ de libero arbitrio sententia & doctrina.

Facit etiam aduersus Bezam, & ad confirmationem liberi arbitrij egregium quoddam B. Thomæ in commentario huius loci Annotamentum. Docet enim, hominem esse liberi arbitrij, propter rationem, & voluntatem: voluntas autem à nullo cogi potest; inclinari tamen potest ad vnum magis, quàm ad aliud. Semper itaque homo, siue in peccato fuerit, siue in gratia, liber est à coactione; non tamen semper liber est ab omni inclinatione. Quandoque enim liberum arbitrium inclinatur ad bonum, propter habitum gratiæ, & iustitiæ, quæ est in ipso: Et tunc habet seruitutem iustitiæ & libertatem à peccato. Quandoque autem inclinatur ad malum, propter habitum prauum & vitiosam peccandi consuetudinem: & tunc seruus est peccati, & liber à iustitia. Seruus, inquam, peccati, quia trahitur ad consentiendum peccato contra iudicium rationis: libertatem autem à

iustitia

iustitia habet, quia homo, iustitiæ freno abiecto, quasi omni lege solutus, totum se præcipitat in peccatum. Hoc autem contingit ex electione, & certo proposito peccantibus; quibus dixit Hieremias: *A sæculo fregisti iugum, rupisti vincula: dixisti, non seruiam.* Et Iob ait: *Vir vanus, in superbiam erigitur; & tanquam pullum onagri, liberum se putat.* Cùm autem ex ignorantia vel infirmitate carnis, vel repentina quapiam & vehementi passione peccant homines, cùm non omninò excusserint iustitiæ frenum, non dicuntur prorsus liberi iustitiæ. Est porrò sciendum, peccatores statim habere veram quidem seruitutem, libertatem verò nō veram, sed fucatam & fallacē. Cùm enim homo, id quod est, præcipuè sit mens, & ratio; tunc verè seruit, cùm rationi dominatur appetitus: quanquam quod ipse nullo freno rationis prohibeatur à persequendo cupiditates suas, propterea putet, eam maximam esse libertatem, quicquid, & quoquo modo vult, sequi, & perficere posse. Hactenus ex B. Thoma. Interroganti quendam Socrati, quem hominem ipse putaret maximè beatum: eum, respondit ille, qui quæcumq; appetit, assequi potest. At enim ego, inquit Socrates, beatiorem puto, qui nihil appetit.

Locus Hieremiæ 2.
Iob. 11.
Aelian. in historia.
Præclarum Socratis dictum.

SEXTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Quem ergo fructum habuistis in illis, in quibus nunc erubescitis?

Versu 21.

SI homines comparationem status peccati cum statu iustitiæ attenta consideratione pertractarēt animo suo, & reputarent, quanta illius sit turpitudo, & hujus pulchritudo, & dignitas: quātamq;

35.

perniciem afferat peccatum, contrà verò, quantas pariat iustitia vtilitates etiam in hac vita, ſed multò maximè in futura: haudquaquam profectò eos pigeret, tantum ſtudij ponere in obſequio cultuque iuſtitiæ, quantum peccatis impenderunt. Quapropter Apoſtolus ponens hoc loco ante oculos & peccati, & iuſtitiæ fructum, ac finem; grauiſſima exhortatione Romanos ad fugiēda peccata, & amplectendam colendamq́; iuſtitiam inflammat. Cùm enim, inquit, mancipati vitiis eſſetis, cepiſtiſne aliquem ex illis ſincerum & ſolidum fructum? Certè nunc non alium veſtrorum præteritorũ peccatorum fructum habetis, niſi erubeſcentiã: breuis enim peccati voluptas, perpetuam relinquit infixam in animis hominum peccati erubeſcentiã atq; pœnitentiã. Celebre eſt illud Demoſthenis dictũ: Qui pro voluptate quapiam qua frui cupiebat, cùm ingens ab eo pretium depoſceretur: *Non tanti*, inquit, *emo pænitere*. Finis porrò peccati, vt hîc ſubdit Apoſtolus, mors eſt: non quod eum finem, qui peccat, intendat, & quærat: ſed quod ad eum finem ſeruitus peccati tandem adducat. Nomine autem mortis, præcipuè intelligere oportet mortem animi, æternoſq́; inferni cruciatus. Fructum autem iuſtitiæ dicit Apoſtolus eſſe in ſanctificationem, finem verò vitam æternam. Iuſtitia etenim facit, vt qui eam habet, purè ſanctéq; viuat; & ſancta, & præclara faciat opera, quibus promereatur, & aliquando adipiſcatur vitam æternam. Cùm autem dicitur iuſtitiæ finis eſſe vita æterna, nomine finis, qui græcè dicitur τέλος, intelligi poteſt, (ipſo etiam adſtipulante Beza, & contra Caluinum ſuum, in commentario huius loci contendente) merces; vt Apoſtolus doceat, peccati fructum, erubeſcentiam eſſe, finem autem & mercedem eſſe mortem: iuſtitiæ autem fructum, eſſe ſanctificationem, finem verò, id eſt, mercedem, vitam æternam: quæ ſententia valet ad probandum, vitam æternam eſſe mercedem iuſtitiæ & bonorum operum; & ipſa bona opera eſſe merita vitæ æternæ. Mira verò eſt Caluini vel inconſtantia, vel impudētia: qui hoc loco, cùm dicitur, iuſtitiæ noſtræ finē eſſe vitã æternam,

Gell. lib. 1. c. 8.

In Caluinum.

æternam, pernegat nomen finis accipi posse pro mercede: In primo autem capite prioris epistolæ B. Petri, vbi dicitur, *Reportantes finem fidei vestræ salutem animarum vestrarum*, non abnuit, nomen finis sumi posse pro mercede. Caluinus itaq; vbi de fide agitur, finem sumit pro mercede: vbi verò de bonis operibus, non vult nomen finis pro mercede accipi posse, constans videlicet, & sui falsi dogmatis de fide propugnator, & Catholicæ doctrinæ de merito bonorum operum oppugnator.

36. Est porrò pulcherrima hæc Pauli Antithesis inter statum peccati & iustitiæ, quæ plurimum sanè confert ad excitandum in animis hominum ardentissimum iustitiæ amorem, odiumq; peccati. Huius autem Apostolicæ sententiæ persimilis est illa apud Græcos & Romanos celebrata sententia, quam Cato ille Censorius, in quadam oratione, quam dixit Numantię apud equites, his fermè verbis explicauit: Cogitate cum animis vestris, si quid vos per laborem recte feceritis; labor ille vobis cito recedet, benefacti à vobis voluptas, dum viuetis, non abscedet. Sed si quid per voluptatem nequiter feceritis; voluptas citò abibit; nequiter facti pœnitentia & dolor apud vos semper manebit. Quam sit autem infructuosum peccatum, declarauit Isaias dicens: *Opera eorum; opera inutilia.* Et Michæas: *Væ qui cogitatis inutilia, & operamini malum in cubilibus vestris.* Erubescentiam verò, quam peccati memoria, & consideratio parit, indicauit Ieremias illis verbis: *Postquam conuertisti me, egi pœnitentiam; & postquam ostendisti mihi, percussi fæmur meum: confusus sum, & erubui, quoniam sustinui opprobrium adolescentiæ meæ.* Ac licet peccatum obiectiue (vt loquimur in scholis) efficiat pudorem & erubescentiam: effectiue tamen, cum eius recordatio & contemplatio ducit hominem ad pœnitentiam, est ab SPIRITV sancto, & connumeratur inter dona, quæ daturus erat DEVS iis, quibus daturum se SPIRITVM sanctum promisit per Ezechielem: qui aliis DEI donis ante commemoratis, subdit: *Et recordabimini viarum vestrarum pessimarum, & studiorum*

Præclara Catonis sententia. Gell. lib. 16. ca. 1.

Isa. 59.

Michea 2.

Locus Ezech. 36.

diorum non bonorum: & displicebunt vobis iniquitates vestræ, & scelera vestra: & confundemini, & erubescetis super vias vestras. Hominem porrò non erubescere, nec peccatorum suorum pudere eum, est argumentum animi iam in malo obfirmati atque obdurati; quare genti Iudæorum, tanquam ingens atque immane scelus exprobrans Hieremias, dixit: *Noluisti erubescere.* Et diuina Scriptura, quos peccati sui non pudet, habere eos dicit frontem meretricis. Sunt porrò amarissimi peccati fructus, pudor siue erubescentia; morsus conscientiæ; perpetuus animi metus ac pauor, ex mortis & diuini iudicij cogitatione; præterea instabilitas mentis; ac deniq; inquietudo animi.

Hierem.6.

Ibidem.

Quinq; fructus peccati in hac vita.

37. Ad hunc etiam Pauli locum illustrandum facit quod B. Gregorius scribit in lib.35. moralium, super illis verbis Iob cap.42. *Et facta sunt ei quatuordecim millia ouium, & sex millia camelorum.* Nomine, inquit, cameli, tortuosa ac plena vitiis gentilitas designatur: sicut per Mosen dicitur, quod inclinata iam die egressum in agro Isaac sedens in camelo Rebecca conspexit; ac protinus de camelo descendit, & sese pallio, ad visionem illius verecundata, cooperuit. Quem autem Isaac alium, in eo quod inclinata iam die in agrum egressus fuerat, designabat, nisi eum qui extremo huius mundi tempore, velut in diei fine veniens, quasi in agrum foras exiuit? quia cum sit inuisibilis, in hoc mundo se visibilem demonstrauit. Quem quidem Rebecca in camelo sedens, conspexit; quia cum ecclesia ex gentibus veniens, dum adhuc vitiis esset innixa, & nec dum spiritualibus, sed animalibus motibus inhæreret, attendit. Sed protinus de camelo descendit: quia vitia, quibus prius fuerat superbè elata, deseruit. Seque etiam pallio operire curauit: quia viso Domino, infirmitatis suæ actiones erubuit, & illa, quæ prius in camelo libera gestabatur, descendens postmodum verecunda tegitur. Vnde eidem ecclesiæ à priori elatione conuersæ, per Apostolicam vocem quasi Rebeccæ de camelo descendenti, sibique pallium superimponenti dicitur: *Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?*

B. Gregorius.

Gen.24.

SEPTI-

SEPTIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Stipendia enim peccati, mors; gratia autem DEI, vita æterna, in CHRISTO IESV Domino nostro.

Versu 23.

PRo vocabulo stipendij, græcè est, ὀψώνια, quod nomen maluit Erasmus hoc loco latinè interpretari authoramentum, erat verò authoramentum, quo alliciebantur olim & obligabantur homines ad militandum: erat itaq; tanquam merces militaris operæ ac laboris. Quodam in loco dixit Cicero, seruis mercedem ipsam esse seruitutis authoramentum: & Seneca dixit, nullum esse vitium sine authoramento: Auaritia, inquit, opes promittit: luxuria voluptates: ambitio purpuram, & plausum ac potentiam; mercede te vitia sollicitant. Est porrò stipendium, quod ex debito persoluitur, quasi debita militiæ merces. Nec vlla profectò ratio fuit, cur Erasmus voluerit hîc græcam hanc vocem vertere authoramentum, & non stipendium: cum Lucæ cap. 3. ibi: *Contenti estote stipendiis vestris*: Et 1. ad Corinth. 9. *Quis militat suis stipendiis vnquam?* (Vtrôque autem in loco hæc ipsa vox græca legitur) ipse quoq; Erasmus in sua translatione reddiderit stipendia, & non authoramenta. Et verò si hoc loco dicas, authoramentum peccati, mors, non constabit sententia Pauli: non enim verum est, peccati authoramentum esse mortem: nemo enim ad peccandum allicitur, & quodammodo obligatur, proposita morte, tanquam mercede; quin potius consideratione mortis, à peccando reuocatur.

38.

Cicero.

Seneca.

Gratia DEI vita æterna. Consequentia orationis & ratio senten-

39.

Cur Paulus nō dixerit, ſtipendium iuſtitiæ eſſe vitam æternam.

Origenes.

ſententiæ poſtulabat, vt ſicut Apoſtolus dixerat, ſtipendium peccati eſſe mortem; ita diceret, ſtipendium iuſtitiæ eſſe vitam æternam: maluit tamen dicere, gratiam DEI eſſe vitam æternam: cuius rei rationem hunc in modum veteres Pauli expoſitores declarant. Origenes quidem ſuper hoc loco ita ſcribit: Benè Apoſtolus metaphoram, id eſt, figuram ab initio propoſitam ſeruat, vt militantibus ſub peccato rege, vel potius tyrannidi eius parentibus, ſtipendia debita mortem dicat exolui: DEVM verò non erat dignum ſuis militibus ſtipendia quaſi debitum aliquod dare; ſed donum & gratiam, quæ eſt vita æterna. Chryſoſtomus in homilia 12. ſuper hanc epiſtolam Pauli: Peccati ſtipendia, inquit, cum nominaſſet Apoſtolus, de bonis verba faciens non eundem ſeruauit ordinem: neque enim dixit: Merces recte factorum veſtrorum, eſt vita æterna: Sed, gratia autem DEI, vita æterna; oſtendens, illos non ſuo marte fuiſſe liberatos, neq; quod debitum eſſet illis accepiſſe, nec id, quod datum illis eſt, aut retributionem, aut remunerationem eſſe laborum; ſed omnia illis, gratia DEI obueniſſe. S. item Hieronymus in lib. 2. commentariorum in Ezechielem, explanans verba illa: *Secundum vias eorum dabo eis.* Sic ait: Peccatoribus dedit DEVS iuxta vias ipſorum, vt teneat iudicij veritatem: ceterùm in ſanctis excedit modum clementia: ſtipendia enim peccati, mors, quam recipit peccator iuxta vias, & opera ſua. At iuſtorum virtus fruitur Domini largitate, de qua Paulus loquitur: *Donum DEI vita æterna.* Theodoretus. Quia, inquit, olim peccatum regnauit, nunc autem tyrannidem exercet; & arma eius, membra quæ male reguntur, appellauit; meritò etiam mercedem, græcè ὀψώνια, dixit; ita enim ſolent appellare teſſeram frumentariam militarem: vnde in epiſtola ad Corinth. dixit: *Quis vnquam militat ſuis ſtipendiis?* Cum verò loquitur de vita ęterna, quę redditur iuſtitię, non dixit eam eſſe mercedem, ſed gratiam, eſt enim DEI donum, vita æterna. Nam licet quiſpiam ſummam & abſolutam iuſtitiam præſtiterit, temporalibus tamen laboribus ęterna; in æquilibrio non reſpondent.

Chryſoſtomus.

S. Hieronymus.

Theodoretus.

1. Ad Corint. 9.

dent. Nec diſſimilia ſunt quæ ſcribit Theophylactus hunc in modum: ὀψώνιον, dicitur cibarium, quod militibus ab Imperatore datur. Nobis igitur ſibi ſeruientibus peccatum largiebatur ſtipendium, mortem, ſeruitutis nimirum mercedem, & compenſationem. Donum autem DEI vocauit vitam æternam, quæ redditur ſeruientibus ipſi, non autem vocauit mercedem: non enim quaſi retributionem & remunerationem laborum dat eam DEVS, ſed ex gratia per CHRISTVM qui hæc omnia nobis promeruit, & operatus eſt.

Theophylact.

40. Sed conſideremus quemadmodum hunc locum intellexerit, & interpretatus fuerit Auguſtinus, accuratius ceteris ipſum pertractans, enucleatiuſque declarans. In Enchiridio cap. 17. ita ſcribit: Ipſam vitam æternam, quæ certa merces eſt bonorum operum, gratiam DEI appellauit Apoſtolus, dicens: *Stipendium peccati mors, gratia autem DEI vita æterna.* ſtipendium pro opere militiæ debitum redditur, non donatur: ideo dixit: *Stipendium peccati mors*, vt mortem peccato non immeritò illatam, ſed debitam demonſtraret. Gratia verò niſi gratis ſit; gratia non eſt. Intelligendum eſt igitur etiam ipſa hominis bona merita, eſſe DEI munera, quibus, cum vita æterna redditur, quid, niſi gratia pro gratia redditur? Sic Auguſtinus. Ait itaque Auguſtinus, vitam æternam eſſe certam mercedem bonorum operum, & bonis reddi meritis hominum: Sed quia bona eorum merita ex DEI gratia ſunt, quæ gratis data eſt ipſis; idcirco B. Paulus vitam æternam appellauit gratiam; vt intelligamus, cum vita æterna redditur bonis hominum meritis, gratiam reddi pro gratia.

S. Auguſtinus.

Ad Rom. 11.

Ioan. 1.

Sed hoc ipſum explicatius diſertiuſq; docet Auguſtinus duobus aliis in locis; quorum prior eſt in libro de gratia & libero arbitrio cap. 8. Naſcitur, inquit Auguſtinus, non parua quæſtio, quæ, Domino donante, ſoluenda eſt. Si enim vita æterna bonis operibus redditur, ſicut apertiſſimè dicit Scriptura, quod, *DEVS reddet vnicuiq; ſecundum opera eius*, quomodo, ſecundum Apoſtolum, *Gratia DEI, eſt vita æterna?* cum gratia non operibus reddatur, ſed gratis detur, ipſo A-

Ad Rom. 2.

Infra 4. postolo dicente: *Ei qui operatur merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum meritum*: Et iterum: *Si autem gratia, iam non ex operibus: alioqui gratia iam non est gratia.* Quomodo igitur gratia est vita æterna, quæ ex operibus sumitur? Ista ergo quæstio nullo modo mihi videtur posse dissolui, nisi intelligamus, & ipsa bona opera nostra, quibus æterna redditur vita, ad DEI gratiam pertinere, propter illud scilicet, quod Dominus dixit: *Sine me nihil potestis facere.* Et ipse Apostolus cum dixisset: *Gratia salui facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, donum enim DEI est; non ex operibus, ne quis fortè extollatur.* Vidit vtique Apostolus posse homines putare, hoc ita dictum esse, quasi necessaria non sint bona opera credentibus, sed eis fides sola sufficiat; & rursus posse homines de bonis operib. extolli, tanquã ad ea facienda sibi ipsi sufficiant: iccirco mox adiunxit: *Ipsius enim sumus figmentum, creati in CHRISTO IESV in operibus bonis, quæ præparauit DEVS, vt in illis ambulemus.* Quid est hoc, quod cum DEI gratiam commendans dixisset: *Non ex operibus, ne quis fortè extollatur*, cur hoc dixerit, rationem continuò reddens, *Ipsius*, inquit, *sumus figmentum, creati in operibus bonis.* Quomodo ergo non ex operibus, ne quis extollatur? Sed audi, & intellige: non ex operibus dictum, tanquam tuis, ex te ipso tibi existentibus; sed tanquam iis, in quibus te DEVS finxit, id est, formauit, & creauit. Itaque vita bona nostra, nihil aliud est quàm DEI gratia: sine dubio & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, DEI gratia est: & ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa, cui datur. Sed illa cui datur, tantummodo gratia est: hæc autem quæ illi datur, quoniam præmium eius est, gratia est pro gratia, tanquam merces pro iustitia; vt verum sit, quoniam verum est, quia *reddet vnicuiq; DEVS secundum opera eius.* de quo dixit Apostolus: *Gratia autem DEI vita æterna.* Cum prius dixisset, *stipendium peccati mors*, meritò enim stipendium, quia militiæ diabolicæ mors æterna, tanquam debitum redditur. Vbi cum potuisset Apostolus dicere, stipendium autem iustitiæ, vita æterna, maluit dicere, *Gratia autem DEI vita æterna.* Vt hinc intellige-

Ioan. 15.
Ad Ephes. 2.

telligeremus, non pro meritis nostris (vt nostra tantùm sunt) DEVM nos ad æternam vitam, sed pro sua miseratione perducere. De quo in Psalmo dicit homo animæ suæ. *Qui coronat te in miseratione, & misericordia.* Numquid non corona bonis operibus redditur? Sed quia ipsa bona opera, ille in nobis operatur, de quo dictum est: DEVS est, *qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate.* Ideo dixit Psalmus: *Coronat te in miseratione, & misericordia*, quia eius miseratione, bona operamur, quibus corona redditur. Non enim quia dixit: *DEVS est, qui operatur in vobis & velle, & operari pro bona voluntate*, ideo liberum arbitrium abstulisse putandus est. Nam si ita esset, non superius dixisset: *Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini.* Quando enim iubetur, vt operentur, liberum eorum conuenitur arbitrium: sed ideo cum timore & tremore, ne sibi tribuendo, quod bene operantur, de bonis, tanquam suis extollantur operibus. Hæc ibi Augustinus.

Psal. 102.

Ad Philip. 2.

41.

Alter eius locus est in epist. 105. quam scripsit ad Sixtum, vbi hæc scribit Augustinus: Quod est ergo meritum hominis ante gratiam, quo meritò percipiat gratiam, cum omne bonum meritum nostrum, non in nobis faciat nisi gratia? & cum DEVS coronat merita nostra, nihil aliud coronat, quam munera sua: Sicut enim ab initio fidei, misericordiam consecuti sumus, non quia fideles eramus, sed vt essemus: Sic in fine, quod erit in vita æterna, coronabit nos DEVS, sicut scriptum est: *In miseratione, & misericordia.* Non vtiq; frustra DEO cantatur: *Et misericordia eius præueniet me.* Et, *Misericordia eius subsequetur me.* Vnde & ipsa vita æterna, quæ vtique in fine sine fine habebitur, meritis præcedentibus redditur: quia tamen eadem merita quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam; etiam ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud, nisi quia gratis datur. nec ideo, quia non meritis datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur. Dixit Apostolus. *Stipendium peccati mors: Gratia autem DEI, vita æterna, in CHRISTO IESV Domino nostro.* Vide, obsecro te, in quanta breuitate, quàm vigi-

Psal. 58.
Psal. 22.

lanter verba posuerit, quibus diligenter consideratis, quæstionis huius aliquantulum dilusceſcat obſcuritas. Cum enim dixiſſet: *Stipendium peccati mors*, quis non congruentiſſimè, & conſequenter addi oportere, iudicaſſet: *Stipendium autem iuſtitiæ, vita æterna?* & id ſanè verum eſt: quia ſicut merito peccati, tanquam ſtipendium, redditur mors; ita merito iuſtitiæ; tanquam ſtipendium redditur vita æterna. Aut ſi nollet dicere, iuſtitiæ, diceret, fidei, quoniam iuſtus ex fide viuit: Vnde etiam vita æterna, merces appellatur in plurimis ſanctarum Scripturarum locis: nuſpiam tamen ipſa iuſtitia, vel fides dicta eſt merces, quia iuſtitiæ ipſi, vel fidei redditur merces: quod eſt autem operanti merces, hoc ipſum eſt militanti ſtipendium. Sed B. Apoſtolus aduerſus elationem, quæ vſq; adeo magis tentat irrepere, vt & ipſi propter ipſam dicat datum Angelum ſatanæ, à quo colaphizaretur, ne verticem præſumptionis erigeret: aduerſus hanc ergo elationis peſtem vigilantiſſime militans: *Stipendium*, inquit, *peccati mors*. Recte ſtipendium, quia debetur, quia retribuitur, quia merito redditur. Deinde ne iuſtitia de humano ſe extolleret merito, ſicut humanum meritum malum non dubitatur eſſe peccatum, non à contrario intulit, dicens: ſtipendium iuſtitiæ vita æterna. Sed, *Gratia DEI, vita æterna*. Et ne iuſtitia hæc, ſiue vita æterna, præter CHRISTVM aliqua alia via quæreretur, adiecit: *In CHRISTO IESV Domino noſtro*. Tanquam diceret; Audito, quod ſtipendium peccati ſit mors, quid te diſponis extollere, ô humana non iuſtitia, ſed nomine iuſtitię plena ſuperbia, quid te, inquam, diſponis extollere, & contrariā morti vitam ęternam, tanquam debitum ſtipendium flagitare? cui debetur vita æterna, vera iuſtitia eſt: ſi autem vera iuſtitia eſt, ex te non eſt, deſurſum eſt, deſcendens à PATRE luminum, vt haberes eam: quam ſi habes, eam profecto accepiſti. *Quid enim habes quod non accepiſti?* Quapropter ô homo, ſi accepturus es vitam æternam, iuſtitiæ quidem ſtipendium eſt, ſed tibi gratia eſt, cui gratia eſt ipſa iuſtitia. Tibi enim tanquam debita redderetur, ſi ex te tibi eſſet iuſtitia, cui debetur.

Habacuc 2.

2. Ad Cor. 12.

1. Cor. 4.

Ioan. 1.

tur. Nunc ergo de plenitudine eius accepimus, non solùm gratiam, sed etiam gratiam pro hac gratia, vt in requie postea sine fine viuamus. Hoc nihil salubrius fides credit, quia nihil verius intellectus inuenit. Sic Augustinus.

42. Augustinus itaque, vt ex suprà memoratis eius sententiis liquidò cernitur, & apertè, & asseueranter ait, vitām æternā esse certam, veramque mercedem bonorum operum, & ipsa bona opera esse condigna merita vitæ æternæ, propter quæ datur illa Sanctis. Propterea tamen vocari à Paulo vitam æternam gratiam, quia licet reddatur bonis meritis, non tamē redditur eis, vt opera sunt propria hominis ipsius, naturali voluntate, & potestate facta; sed quia sunt profecta à gratia DEI, quam DEVS gratis homini donauit: gratia etenim gratis data homini, est principalis causa bonorum meritorum. Considerans igitur Paulus, etiam ipsa bona merita esse gratiam DEI, cùm eorum dignitas & virtus ex gratia DEI gratis homini data proueniat; idcirco vitam æternam appellauit gratiam. Et sicut Paulus dixerat, stipendium peccati esse mortem, poterat itidem (vt Augustinus ait) dicere, vitam æternam esse stipendium iustitiæ: noluit tamen id dicere ne quis putaret, similiter esse mercedem & stipendium iustitiæ vitam æternam, vt est peccati stipendium mors, cùm sit vtriusque dissimilis & dispar ratio. Mors etenim, & damnatio æterna, nulla ex parte gratis redditur peccatori, sed est omninò debita illi, & ex debito redditur malis eius meritis, vt sunt propria ipsius opera, nec à DEO, vt mala sunt & peccata, profecta. Non sic autem se habet vita æterna, respectu bonorum meritorum: licet enim sit debita bonis operibus, est tamen etiam gratis data: nam merita illa principaliter à DEI gratia profecta sunt, quæ gratia fuerat gratis data: cùm mala merita ex libero tantùm arbitrio, non autem à DEO omnem suam habeant malitiam, vimque omnem promerendi mortem æternam. Videtur huius simile quod per Oseam dixit Dominus: *Perditio tua ex te Israël: tantummodo in me auxilium tuum.* (Osea 13.) Ergo, cùm horum Pauli verborum sententia, & intelli-

telligentia, secundum Augustini supradictam interpretationem, plana & aperta sit, ac prorsus enodis; nónne puerilis inscitiæ ac leuitatis est, exultare ac triumphare, vt hoc loco faciunt hæretici, quasi hæc Pauli sententia catholicam doctrinam de meritis bonorum operum, & mercede ipsorum, quæ est vita æterna, funditus demoliatur atq; subuertat? Sed in hæreticos, mox plura dicturi sumus.

43. *Quo sensu dixerit Augustinus, coronare non merita nostra sed dona sua Deum.*

Verùm fortasse mirum cuipiam videri possit, sanctum Augustinum, qui tam apertè, tamque asseueranter dixit, vitam æternam esse mercedem bonorum operum, quibus eam promerentur homines iusti; aliis quibusdam in locis scriptum reliquisse, DEVM in dando vitam æternam iustis hominibus, coronare non eorum merita, sed dona sua. Si enim non coronat merita, ergo non reddit vitam æternam tanquã mercedem debitam meritis. Si dona sua coronat, ergo gratis dat vitam æternam, id est, non ex debito iustitiæ, sed misericordiæ ac liberalitatis dono: donum enim dicitur, quod gratis ex liberalitate, non debitum ex iustitia tribuitur. DEVM autem, dando vitam æternam, coronare non merita nostra, sed dona sua, docet Augustinus super illo versu Psalmi centesimi secundi: *Qui coronat te in misericordia & miserationibus*, hoc modo scribens: Coronat te DEVS in misericordia, quia dona sua coronat, non merita tua. Plus omnibus illis laborauit Apostolus; sed vide quid adiungit: *Non ego autem, sed gratia DEI mecum.* Et post labores omnes, expectat ipsam coronam, & dicit: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. De cætero, reposita est mihi corona iustitiæ, quam mihi reddet Dominus in illa die iustus Iudex.* Sed vnde ô Apostole certasti? vnde cursum consummasti? vnde fidem seruasti? *Non ego*, inquit, *sed gratia DEI mecum.* Ergo & quod coronaris, illius misericordia coronaris. Nusquam sis superbus, semper lauda Dominum & noli obliuisci omnes miserationes eius. Retributio est, cùm peccator & impius, vocatus es vt iustificeris. Retributio est, cùm erectus, & gubernatus es, ne caderes. Retributio est, cùm tibi vires subministratæ

1. ad Cor. 15.

2. ad Tim. 4.

niſtratæ ſunt, vt in finem vſque perſeuerares. Retributio eſt, vt etiam caro iſta tua, qua premebaris, reſurgat, & ne capitis tui capillus vnus intereat. Retributio eſt, vt poſt reſurrectionem coroneris, & in æternum ſine defectu DEVM ipſum laudes. Omnes itaque retributiones noli obliuiſci, ſi vis vt benedicat anima tua Domino, qui coronat te in miſericordia & miſeratione. Sic ibi Auguſtinus. Similia ſcribit in Pſalmum nonageſimum octauum ſuper illis verbis: *Exaltate Dominum DEVM*, & in Pſalmum centeſimum quadrageſimũ quartum ſuper illo verſiculo: *Miſericors & miſerator Dominus*, & in libro quinquaginta homiliarum, homilia decima quarta, & in tractatu tertio in Euangelium Ioannis ſuper illis verbis: *De plenitudine eius accepimus omnes, gratiam pro gratia.* Sic habet: Cùm DEVS iuſtis præmium immortalitatis tribuit, dona ſua coronat, non merita tua. Ergo de plenitudine eius accepimus omnes, id eſt, de plenitudine miſericordiæ, & de abundãtia bonitatis eius accepimus gratiam, id eſt, remiſſionem peccatorum, vt iuſtificaremur ex fide: & pro hac gratia, in qua ex fide viuimus, recepturi ſumus aliam gratiam, in qua ſine fine in cœlis viuamus, & ita gratiam pro gratia accipimus. Nam ſi dixero, quia vita æterna debetur, aliquid mihi aſſigno, quaſi cui debebatur. Coronat autem in nobis DEVS dona miſericordiæ ſuæ; ſed ſi in ea gratia, quam primam accepimus, perſeueranter ambulemus. Hæc Auguſtinus.

Luca 21.

Ioan. 1.

44. Sed enim ſcire conuenit, cùm Auguſtinus dixit, coronare DEVM non merita noſtra, ſed dona ſua, id eum præcipuè in Pelagianos dixiſſe, quorum hæreſis, id temporis vigebat. Iactabant autem Pelagiani, hominem ſuis viribus, ſuiſque operibus à ſolo libero arbitrio profectis, & citra diuinæ gratiæ opem, promereri & conſequi poſſe vitam æternam. Ad horum impiam, & ſuperbam ſententiam reiiciendam, & profligandam Auguſtinus ſupradictis in locis dixit, DEVM coronare in nobis non merita noſtra, ſed dona ſua: noſtra vocans merita, quæ ex libero arbitrio, DEI gratia vacuo proueniunt:

ſua

ſua verò dona appellans, etiam noſtra opera, ſed quæ dignitatem,& pretium coram DEO,& virtutem merendi vitam æternam habent non tam ex poteſtate ac præſtantia liberi arbitrij, quàm ex virtute ac dignitate gratiæ, quam DEVS homini gratis donauit. Hanc porrò eſſe verborum Auguſtini germanam & propriam ſententiam, duobus ex locis eius clariſſimè perſpicitur. In epiſtola enim eius centeſima quinta, ſunt illa verba, quæ paulò ſuprà fuerunt commemorata. Ipſa, inquit, vita æterna, quæ in fine ſine fine habebitur, licet meritis præcedentibus reddatur; tamen quia ea ipſa merita, quibus redditur, non à nobis parata ſunt per noſtram ſufficientiam, ſed à nobis facta per gratiam, etiam ipſa nuncupantur gratia: non ob aliud vtique, niſi quia gratis datur: non ſanè quod meritis non detur, ſed quia data ſunt & ipſa merita quibus datur. Sed hoc ipſum apertius, & copioſius atque expreſſius docet Auguſtinus in libro de gratia, & libero arbitrio capite ſexto & ſeptimo, ita ſcribens: ſed cùm dicunt Pelagiani, hanc eſſe ſolam, non ſecundum merita noſtra, gratiam, qua homini peccata dimittuntur; illam verò, quæ datur in fine, id eſt, æternam vitam, meritis noſtris præcedentibus reddi; reſpondendum eſt eis: Si merita noſtra ſic intelligerent, vt ipſa etiam eſſe dona DEI cognoſcerent, non eſſet reprobanda iſta ſententia: quoniam verò merita humana ſic prædicant, vt ea ex ſemetipſo habere hominem dicant, prorſus reſpondet ipſis Apoſtolus: *Quis te diſcernit? Quid habes quod non accepiſti? Si aũt accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Prorſus talia cogitanti veriſſimè dicitur; Dona ſua coronat DEVS, nõ merita tua; ſi tibi à teipſo,& nõ ab illo ſunt merita tua: hæc enim, ſi talia ſunt, mala ſunt: quæ mala ſunt, non coronat DEVS: Si autem bona ſunt, DEI dona ſunt, dicente Apoſtolo Iacobo: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à PATRE luminum.* Et præcurſor Domini Ioannes ait: *Non poteſt homo accipere quidquam, niſi ei fuerit datum de cœlo.* Vtique de cœlo, vnde etiam venit SPIRITVS ſanctus, quando aſcendit in altum

S. Auguſtinus. *1. Cor. 4.* *Iacob. 1.* *Ioan. 3.*

tum

tum, & captiuauit captiuitatem, & dedit dona hominibus. Si ergo dona DEI sunt bona merita tua, non DEVS coronat merita tua, tanquam merita tua, sed tanquam dona sua. Proinde consideremus merita B. Pauli, quibus ipse dixit coronam redditurum iustum iudicem: & videamus vtrum merita ipsius tanquam ipsius, & ex seipso sibi comparata, an dona fuerint DEI: *Bonum*, inquit, *certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui.* Primò, ista bona opera, si non ea præcessissent cogitationes bonæ, nulla prorsus fuissent. De cogitationibus autem bonis scribens Apostolus, ait: *Non quod idonei simus, cogitare aliquid à nobis, tanquam à nobis ipsis, sed sufficientia nostra ex DEO est.* Deinde, singula eius merita inspiciamus. *Bonum*, inquit, *certamen certaui.* Sed qua virtute certauit, vtrum quæ illi ex semetipso fuit, an quæ à DEO? Sed absit, vt tantus Doctor Gentium, ignorauerit legem DEI, cuius est illa vox in Deuteronomio: *Ne dicas: Fortitudo mea, & potentia manus meæ fecit mihi virtutem magnam hanc: sed memoraberis Domini DEI tui, quia ipse tibi dat fortitudinem, & facere virtutem.* *Cursum*, inquit, *consummaui.* Sed ille hoc dixit, qui alio loco ait: *Non est volentis, neque currentis, sed DEI miserentis.* Postremò ait: *Fidem seruaui.* Sed ille hoc dixit, qui alibi ait: *Misericordiam consecutus sum, vt fidelis essem.* Non dixit: *Misericordiam consecutus sum, quia fidelis erã.* Sed, *vt fidelis essem*, hinc ostendens, etiam ipsam fidem haberi, nisi DEO miserante, non posse; & ipsam esse donum DEI, sicut ipse dixit: *Gratia salui facti estis per fidem; & hoc non ex vobis: DEI enim donum est, non ex operibus, ne fortè quis extollatur:* non quia istis verbis negare, aut euacuare voluerit opera bona, cùm alibi dixerit, DEVM vnicuique redditurum secundum opera eius; sed quia bona opera sunt ex fide, non autem ex operibus fides est: ac per hoc ab illo sunt nobis opera iustitiæ, à quo est ipsa fides, de qua dictum est: *Iustus ex fide viuit.* Homines autem non intelligentes quod Apostolus dixit: *Arbitramur iustificari hominem per fidem sine operibus legis*, putauerunt eum dicere, sufficere homini fidem, etiamsi bona

Psalm. 67. Ephes. 4.
2. ad Cor. 4.
2. ad Cor. 3.
Locus Deut. 8.
Ad Rom. 9.
1. ad Tim. 1.
Ad Rom. 2.
Habac. 2.
Ad Rom. 3.

ſi bona opera non habeat. Quod abſit, vt ſentiret vas electionis: qui quodam loco dixit: *In CHRISTO IESV neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per dilectionem operatur.* Ipſa eſt fides, quæ fideles DEI ſeparat ab immundis ſpiritibus, nam & ipſi ſicut ſcribit Apoſtolus Iacobus: *Credunt, & contremiſcunt.* Sed non bene operantur: non enim habent iſtam fidem, ex qua iuſtus viuit, & quæ per dilectionem operatur, vt reddat ei DEVS vitam æternam, ſecundum opera eius. Sed quia & ipſa bona opera nobis à DEO ſunt, à quo nobis & fides eſt & dilectio: propterea idem ipſe Doctor Gentium, etiam ipſam vitam æternam nuncupauit gratiam, ſcribens: *Gratia autem DEI, vita æterna.* Hactenus ex Auguſtino: qui ſi hoc noſtro vixiſſet tempore, neſcio an magis appoſitè ac diſertè contra noſtrorum hęreticorum vaniſſimam fidem, & impiam bonorum operum oppugnationem ſcribere potuiſſet, quàm ſupradictis verbis ſcripſit in Pelagianos.

Ad Gal. 5.

Iacob. 2.

OCTAVA DISPVTATIO.

Sacram ſcripturam apertè pluribus in locis docere, bona opera eſſe merita vitæ æternæ, & ipſam æternam vitam, eſſe mercedem meritis bonorum operum reddendam: nec huic doctrinæ refragari nonnullas eiuſdem ſcripturæ ſententias, quas hæretici obiiciunt Catholicis.

45. *Teſtimonia ſcripturæ pro meritis bonorũ operum.*

SED, age, manifeſtis diuinæ ſcripturæ teſtimoniis oſtendamus, opera iuſtorum hominum à gratia DEI, quæ in ipſis eſt, profecta, verè dici, ac propriè loquen-

loquendo, esse merita vitæ æternæ apud DEVM. Principiò, scriptura bonis operibus nomen ipsum meriti attribuit, dicens in capite decimo sexto Ecclesiastici: *Misericordia faciet locum vnicuique, secundum meritum operum suorum.* Et Paulus in decimo tertio capite epistolæ ad Hebræos: *Beneficentiæ*, inquit, *& communionis nolite obliuisci: talibus enim hostiis promeretur DEVS.* Vocat etiam diuina scriptura vitam æternam, bonorum operum mercedem: merces autem relationem habet ad meritum: DEVS etenim dixit Abrahæ: *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Et Apocalypsis 22. *Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundum opera sua.* Et Dominus noster apud Matthæum capite quinto, cùm de persecutionibus propter iustitiam tolerandis dixisset, adiunxit: *Gaudete*, inquit, *& exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Et Paulus in capite tertio prioris epistolæ ad Corinthios: *Vnusquisque*, inquit, *propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* Et Ioannes in secunda epistola: *Videte*, inquit, *vosmet ipsos, ne perdatis quæ operati estis, sed vt mercedem plenam accipiatis.* Et Sapientiæ quinto capite: *Iusti in perpetuum viuent, & apud Dominum est merces eorum.* Et Hieremiæ trigesimo primo: *Est*, inquit, *merces operi tuo.*

Genes. 15.

Præterea, viri iusti, propter bona opera sua, dicuntur digni DEO, & vita æterna: ea verò dignitas significat, eos mereri vitam æternam: scriptum etenim est de viris iustis, & per varias tribulationes diu multumque exercitatis, & probatis: *Tentauit eos DEVS, & inuenit eos dignos se.* Et Paulus capite secundo posterioris epistolæ ad Thessalonicenses: *Gloriamur*, inquit, *pro patientia vestra & fide in omnibus persecutionibus vestris, quas sustinetis in exemplum iusti iudicij DEI, vt digni habeamini regno DEI, pro quo & patimini. Si tamen iustum est apud DEVM, retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant; & vobis qui tribulamini, requiem nobiscum.* Scriptura item ait, opera iustorum habere quandam iustitiã apud DEVM, ipsumque reddere viris bonis, ex iustitia, vitam æternam. Ad hoc enim comprobandum valet celebris illa Pauli sententia: *Bo-*

46.

2. ad Tim. 4. *num certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex.* Quid est: *Corona iustitiæ?* Vita vtique æterna, bonis hominum meritis ex iustitia debita. Quid est: *Quam reddet iustus Iudex*, nisi quam reddet Devs sine acceptione vlla personarum, pro merito cuiusque operum. Et idem Paulus: *Non est*, inquit, *Devs iniustus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis quam ei exhibuistis ab initio.* quasi Devs futurus esset iniustus, si iustorum hominum opera & labores ex charitate susceptos, non condignè remuneraret. Et B. Ioannes: *Nemo vos*, inquit, *seducat: qui enim facit iustitiam, iustus est, sicut & ille iustus est.* Quibus verbis significat, sicut nos faciendo iustitiæ opera, iusti sumus, ita Devm in remunerandis illis operibus, iustum esse. Paulus quoque in capite secundo huius epistolæ ad Romanos affirmat, non esse acceptionem personarum apud Devm, sed illum reddere vnicuique secundum opera eius, aliis quidem vitam æternam, aliis verò iram & indignationem. Ergo ex supradictis diuinæ scripturæ sententiis dilucescit, retributionem vitæ æternæ, habere rationem quandam iustitiæ, & condignè meritis bonorum operum respondere.

Ad Heb. 6.

1. Ioan. 3.

47. *Testimonia scripturæ, quibus abutuntur hæretici contra merita bonorũ operum: & vera illorũ testimoniorum interpretatio.*

Cæterùm quia conducit ad maiorem veritatis declarationem, & confirmationem, non solùm rationes exponere, quibus ea propugnatur, sed contrarias etiam, quibus oppugnatur, explicare: visum est, nonnullas excutere sententias diuinæ scripturæ, quibus hęretici nostri temporis doctrinam Catholicam de merito bonorum operum oppugnant, & labefactare conantur. Argumentantur igitur illi, vitam æternam non esse mercedem debitam bonis meritis iustorum hominum, sed gratis à Deo illis dari, ex duabus Pauli sententiis: quarum altera est illa, quam in hoc loco adhuc tractauimus: *Gratia Dei, vita æterna.* Altera est in vndecimo capite huius epistolæ illis verbis à Paulo explicata: *Si autem gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia iam non est gratia.* Ex his duabus sententiis putant illi euidenter cõcludi, vitam æternam

nam

nam gratis dari. Si enim vita æterna est gratia, vt habet prior Pauli sententia, & gratia, vt nomen eius, & notio denotat, gratis datur, & non propter opera, sicut in posteriori sententia Paulus affirmat, ergo vita æterna gratis à DEO datur, & non propter merita bonorum operum. Sic illi.

Verùm haud magni fuerit negotij istam diluere obiectionem. Quemadmodum enim prior illa sententia; *Gratia DEI, vita æterna*, interpretanda sit, & intelligenda, in proximè superiori disputatione, cum ex aliorum Patrum, tum præcipue ex B. Augustini sententia, copiosè docuimus. Augustinus enim (vt alia nunc loca taceam) in libro de gratia, & libero arbitrio cap. 6. & 7. & in epistola 105. quæ scripta est ad Sixtum, hanc ipsam Pauli sententiam curiosè doctèque pertractans ait, propterea dixisse Apostolum vitam æternam esse gratiam, id est, gratis datam, non quod ea non detur propter merita bonorum operum, id enim apertissimè, & affirmatissimè docet multis in locis diuina Scriptura; sed quia bona ipsa merita, sunt quodam modo DEI dona, & gratia. Non enim bona opera hominum habent vim merendi vitam æternam, vt sunt propria opera hominum, & à libero arbitrio profecta: Sed dignitatem, & vim merendi habent à DEI gratia, qua liberum arbitrium sanctificatum, & iustificatum est, & factum potens operandi quæ DEO grata sunt, & accepta ad vitam æternam. Ea verò gratia, gratis data fuit homini, & non propter eius præcedentia opera; ante primam enim gratiam nullum hominis meritum condignum gratia esse potuit. Et quia Paulus ante dixerat. *Stipendium peccati mors.* Et consequentia orationis deposcebat, vt adiungeret: *Iustitia autem stipendium, est vita æterna.* Noluit hoc dicere, etsi verissime dici poterat, sed subiunxit: *Gratia DEI, vita æterna*, ob eam videlicet causam, ne quis fortè putaret, sicut mors æterna est stipendium, & tanquam merces peccati; itidem vitam æternam esse mercedem iustitiæ, ac bonorum operum, cum sit dissimilis vtriusque ratio. Mors enim est merces, & stipendium peccati, omnino ei debitum, prout pecca-

S. Augustinus.

tum est proprium opus hominis, ab eo tantùm prouenieus, & non à DEO, ea ratione vt peccatum est. At verò æterna vita, est merces debita iustitiæ hominis, non vt est propria eius, & ex ipso, sed potissimum vt est donum DEI proueniens ex gratia, qua DEVS hominem primò gratis iustificauit, & sanctificauit, fecitque idoneum ad rectè viuendum & operandum.

48. *Locus epistola ad Romanos cap. 11. accurate explicatur.*

Quod autem ad posteriorem Pauli sententiam attinet, dupliciter responderi potest. Primò cum Paulus ait, gratiam non esse ex operibus, id est, non dari propter opera hominum, loquitur de operibus hominum, vt sunt propria eorum opera per naturalem liberi arbitrij potestatem facta, & prout distinguuntur, & separantur à gratia: hac verò ratione verissimum est, gratiam non esse ex operibus, nec propter opera. Non sunt enim huiusmodi opera, quæ vocantur merita vitæ æternæ: nam licet sint hæc etiam opera hominum, & à libero eorum arbitrio profecta, non tamen ab eo solùm, sed etiam, immo potissimum à gratia, propter quam maxime grata sunt, & accepta DEO, dignaque rependi mercede vitæ æternæ. Deinde illud etiam responderi potest, Paulum eo loco loqui non de gratia, quæ est vita æterna, sed de gratia æternæ electionis, & prædestinationis diuinæ hominum ad salutem: quod non obscurè indicant verba, quæ proximè Apostolus præmisit dicens: *Sic ergo & in hoc tempore reliquia, secundum electionem gratiæ DEI, saluæ factæ sunt.* Et subdit: *Si autem gratia, iam non ex operibus.* Illud porrò: *Secundum electionem gratiæ DEI.* (Sicut interpretantur omnes) non aliud significat, nisi, secundum electionem & prædestinationem gratuitam DEI, quam non esse factam propter bona opera hominis præuisa, rectè tradunt Theologi, & in primis Augustinus.

49. *Huius nominis (gratia) sex vsurpationes in Scriptura, & apud Theologos.*

Sciat autem lector, nomen gratiæ, sex modis in sacris litteris, & à Theologis vsurpari. Primò, vocatur gratia, æterna DEI electio, & prædestinatio sanctorum ad vitam æternam, quæ est fons omnis gratiæ diuinitus hominibus dandæ. Dicitur etiam gratia, vocatio DEI ad pœnitentiam & salutem;

cum,

cum, specialibus quibusdam auxiliis suis misericorditer præueniens hominem, excitat ad resipiscendum, & vocat, vt ad ipsum sese conuertat, & redeat; & præparat, idoneum faciens ad percipiendam gratiam remissionis peccatorum, & sanctificationis. Appellatur etiam gratia, prima iustitia, quam homo accipiens à DEO, mundatur ab omnibus peccatis, & iustus, & sanctus efficitur coram DEO, & ipsi gratus, & acceptus. Hanc gratiam, etsi præcedant nonnulla hominis opera, à libero eius arbitrio, sed potissimum à DEI gratia præueniente profecta; ea tamen non sunt condigna merita hominis, propter quæ gratia iustificans detur tanquam ex debito. Nominatur item gratia, ipsum bonum, siue donum perseuerantiæ, quo fit, vt non solum possit homo perseuerare, sed etiam perseueret vsque in finem in seruitute DEI: quod donum non cadere sub meritum hominis, præclarè docet Augustinus tum alibi, tum præcipuè in libro de bono perseuerantiæ. Atque his quatuor modis nomen gratiæ vsurpatur proprie, pro vt gratia est, id est, gratis data, & non propter condigna hominis merita. Auctus quoq; & incrementum primæ gratiæ, & iustitiæ, vocatur gratia, quam homo iustus acquirit, exercens & frequentans iustitiæ opera, secundum illud Ioannis in Apocalypsi: *Qui iustus est, iustificetur adhuc: & qui sanctus, sanctificetur adhuc.* Hanc gratiam, siue gratiæ incrementum meretur homo iustus exercitatione iustitiæ, & bonorum operum effectione, secundum illam celebrem Augustini sententiam: Charitas meretur augeri, vt aucta mereatur perfici. Postremò, etiam ipsa vita æterna dicitur gratia, sicut hoc loco: *Gratia DEI, vita æterna.* Ac licet posterioribus his duobus modis gratia detur homini propter antecedentia eius merita, nec planè gratis tribuatur: propterea tamen vocatur gratia, quia licet immediatè detur propter merita, mediate tamen datur propter primam gratiam & iustitiam, quæ est quasi radix, & principalis causa omnis meriti: ea verò gratia & iustitia data est gratis homini, & non propter eius merita.

Apocal. cap. 22.

NONA

NONA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS Psalmi 102.

QVI coronat te in misericordia & miserationibus.

50. ALTER Scripturæ locus, quem Catholicis obiiciunt hæretici, continet verba illa Dauidis, quæ sunt in Psalm. 102. *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus.* Quo in loco, *coronare*, significat vitam æternam homini tribuere, quod est supremum, & extremum bonum, & quasi præmium hominis. Si DEVS itaque coronat hominem in misericordia, siue per misericordiam, ergo coronat eum gratis, & non propter eius merita: nam si aliter, ergo non coronat in misericordia, sed secundum iustitiam, reddens vitam æternam quasi mercedem ab homine promeritam. Sic isti. Quasi verò non sicut Dauid retributionem vitæ æternæ appellauit coronam misericordiæ, ita B. Apostolus eandem vocauerit coronam iustitiæ, vt debitam meritis hominum, scribens: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: In reliquo, reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex: non solùm autem mihi, sed & iis qui diligunt aduentum eius.* Verùm isti hæreticorum obiectioni est occurrendum, secundum eam doctrinam, quam scriptam reliquit Augustinus in libro de correctione & gratia cap. 23. docens, misericordiam DEI semper adesse, & adhærere viris iustis, siue cum conuertuntur ad DEVM, siue cum præliantur, siue cum coronantur. Nam quia merita ipsa iustorum, ex gratia DEI per misericordiam eius data ipsis, principaliter promanant; idcirco corona iustitiæ,

2. Ad Tim. 4.

S. Augustinus.

quæ

quæ meritis eorum redditur, nuncupatur misericordia. DEVS etenim propter suam misericordiam vocauit hominem ad pœnitentiam; & vocatum, vt rite atq; idoneè præpararetur ad recipiendam iustitiam, pluribus auxiliis præuenit, & adiuuit: & iam præparato, gratiam suam & iustitiam gratuito donauit; & iustificatum, ad bene operandum subinde excitauit, & singularibus auxiliis suis ad vincendas perarduas tentationes, & facienda heroica virtutum opera animauit, & corroborauit: ac demum perseuerantiæ donum vsq; in finem impertiuit.

51. *Quid in Scriptura non rarò significet coronare.*

Quanquam non dissimulabo, & aliam illius loci Dauidis esse posse sententiam atq; interpretationem. Verbum enim coronandi, secundum phrasim hebraicam, non infrequentem in sacris litteris, significat, vndiq; hominem, ad similitudinem coronæ, circumdare; vel circumtegendo eum, & à malis omnibus seruando: vel omni ex parte bonis eum replendo, & cumulando. Prioris significationis exemplum suppetit nobis ex illis verbis Psalm. 5. *Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos*: Id autem est, Tua bona voluntate, & beneuolentia, quasi firmissimo quodam scuto vndiq; nos protexisti, & ab omnibus incommodis, & malis custodiuisti. Posterioris exemplum habemus in illis verbis Psal. 8. quibus Dauid præstantiam dignitatis & potestatis, qua DEVS hominem ornauit, explanans: *Gloria*, inquit, *& honore coronasti eum*, id est, repleuisti, & cumulasti. Ad eandem igitur sententiam illud: *Qui coronat te in misericordia.* Significat: Qui te sua benignitate circumdat, bonorum suorum copia, omni ex parte animum tuum replens, & cumulans. Vnde subditur: *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Vel coronat te in misericordia, id est, protectione sua, & præsidio vndique circumdat & circumtegit, ne quid mali possit tibi accidere. Vnde proximè antecessit: *Qui redimit de interitu vitam tuam.*

DECIMA DISPVTATIO.

An poßit aliquid homini deberi à DEO secundùm iustitiam.

52. VIDETVR præterea illud aduersari doctrinæ Catholicæ de meritis bonorum operum, quod meritum habet rationem debiti, & iustitiæ: meritò enim debetur merces secundum iustitiam, sicut Paulus dixit suprà: *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum.* At DEVS nemini potest quicquam debere: nam quicquid boni habet homo, id accepit à DEO, & quicquid boni facit, id multis nominibus debitum est DEO, pro beneficio videlicet creationis & conseruationis, & pro generali imperio, & dominio, quod habet DEVS in omnes creaturas. Quod autem DEVS nemini quidquam debere possit, & quod omnia quæ habet homo, bona DEI sint, & DEO sint debita, satis indicant illæ Pauli sententiæ: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Et, *Quid habes quod non accepisti?* Et item illud Dauidis: *Quæ accepimus de manu tua, hæc dedimus tibi.* Et alio in loco: *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Id est, non poterit iusto aliquo nomine tecum contendere, & secundum iustitiam aliquid à te exigere, vt iniustus videaris, nisi reddideris ei. Hoc modo isti argumentantur.

Ad Rom. 4.

Ad Rom. 11.
1. Ad Cor. 4.
1 Paral. ca. vlt.
Psal. 142.

53. Sed enim, negari non potest, quin aliqua sit ratio iustitiæ inter DEVM & hominem, in merendo, & remunerando: id enim multifariam, & apertè docet Scriptura. Paulus enim retributionem vitæ æternæ appellauit coronam iustitiæ, quam viris iustis reddet DEVS tanquam iustus iudex: Et alio in loco, inquit; *Non est iniustus DEVS, vt obliuiscatur operis vestri.*

2. Ad Tim. 4.
Ad Heb. 4.

Et

Et alio item loco: *Non est acceptio personarum apud* DEVM, *qui reddet vnicuique secundum opera eius*: Et Dauid ait: *Retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam.* Verùm scire conuenit, duplex esse meritum, quod vocant de condigno, de quo ad præsens loquimur: alterum omnino perfectum & absolutum, quod nullum supponit donum gratuitum, à quo pendeat omnino meritum, sed ex propria virtute factum, simpliciter meretur apud DEVM. Huiusmodi autem meritum solus CHRISTVS habere potuit: quippe cum opera eius essent DEI, id est, diuinæ personæ VERBI, cui erat vnita illa humanitas, & à persona operante accipiebãt infinitam merendi vim: quam ob rem perfecte, & vt dici solet, ex rigore iustitiæ merebantur apud DEVM. Alterum genus meriti de condigno, est ex suppositione diuinæ gratiæ: posita enim in homine gratia iustificante, & sanctificante ipsum, & faciente opera eius grata & digna DEO; quæ facit homo ex ea gratia, ea sunt merita vitæ æternæ; præsertim verò adiuncta DEI promissione de remunerandis bonis iustorum hominum operibus. Ac licet inter DEVM & hominem non possit esse perfecta ratio iustitiæ, & æqualitatis, aliqua tamen esse potest, sicut & inter patrem, & filium: filius etenim obsequens patris voluntati, & iussis eius obtemperans, etsi non tantum reddit patri, quantum ab eo accepit: nihilominus tamen ius habet, vt alatur & educetur à patre, atque eius bona hæreditatis iure possideat. Consimili ratione homo iustus, factus DEI filius per adoptionem, quam gratuito DEI munere accepit; quæ facit opera ex obedientia & charitate DEI, obsequens ipsi atque inseruiens, iure sunt merita apud DEVM. Quapropter Apostolus infrà benè argumentatur dicens: *Si filij, & hæredes; hæredes quidem* DEI, *cohæredes autem* CHRISTI *si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Ergo quemadmodum res naturales, licet operentur per virtutes à DEO acceptas, ipsoque DEO ad efficiendas operationes earum rerum concurrente; reuera tamen sunt causæ suorum effe-

Ad Rom 2.

Psal.17.

Duplex meritum de condigno.

Ad Rom 8.

ctuum,& operum: ita etiam homines iusti, licet bona opera facere non possint, nisi per gratiam à DEO gratis acceptam, nec nisi DEO ipso ad operandum eos mouente ac iuuante, quam ob causam Isaias dixit: *Omnia opera nostra, operatus es in nobis, Domine.* Et Paulus ait: *Ipse est qui operatur in nobis velle & perficere, pro bona voluntate.* Et CHRISTVS Dominus dixit: *Sine me nihil potestis facere:* Nihilominus tamen, quia per liberum nostrum arbitrium cooperamur gratiæ DEI; & verè sumus causa operum quæ facimus, & opera nostra, verè nostra sunt, & merita sunt apud DEVM. Testimonia porrò Scripturæ supra commemorata, & quæ videntur refragari meritis hominum apud DEVM, concludunt tantum de perfecto illo genere prioris meriti, quod nullum supponit gratuitum donum, à quo pendeat. Illud porrò Dauidis: *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Significat, neminem posse sic agere cum DEO, vt agit & contendit mercenarius cum patrono, cui operam suam, pacta mercede locauit. Is enim cum nihil ei deberet, nihilque ab eo accepisset, eius tamen causa laborauit. Non itidem cum DEO agere possumus: quippe qui & prior dilexit nos, & pluribus auxiliis præuenit, & beneficiis adiuuit, ac demum gratiam sanctificantem tribuit, quæ nos ad bona opera facienda idoneos fecit.

Isa. 25. *Ad Philip. 2.* *Ioan. 15.* *1. Ioan. 4.*

VNDECIMA DISPVTATIO.

Quomodo bona iustorum opera & non sint, & verè sint condigna merita vitæ æterna.

VERVM

VERVM super omnia iactant hæretici, quasi validissimum telum ad destruẽdum meritum quod vocant Theologi de condigno, sententiam illam Pauli: *Existimo, quod non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Si passiones, inquiunt, iustorum, & sanctorum hominum, quæ inter bona eorum opera, ceu principatum tenent, Paulus iudicat non esse condignas futuræ gloriæ retributione; qui omne bonum opus hominis iusti, quamlibet exiguum fuerit, dicunt condignum esse meritum vitæ æternæ, non ne Apostolo euidenter contradicunt? Non sanè contradicunt; immò cum Apostoli sententia, & doctrina maximè consentiunt. Sed scire conuenit, bona opera iustorum tribus modis considerari posse. Si enim considerentur, vt humana quędam sunt opera, & à libero arbitrio hominis profecta, proculdubio nullam habent proportionem ęqualitatis, vel condignitatis ad vitam æternam, illorum enim bonitas, & præstantia, quam à libero arbitrio accipiũt, est quid humanum, & naturale, æterna verò gloria, & vita, est diuinum quippiã ac supernaturale. Hac igitur ratione bonum opus non est condignum æternæ vitæ meritum. Possunt etiam istiusmodi opera æstimari secundum substantiam operum, & proprias quasdam, & naturales eorum conditiones, id est, secundum intentionem actus boni, & secundum durationem, & secundum conditionem materiæ, in qua versatur: & hac item ratione, bona opera nullo modo sunt comparabilia cum vita æterna. Nimirum, hæc est æterna, illa verò opera sunt temporalia, ac breuis temporis: & actus bonus, sæpè est remissus, & imperfectus; Actus autem visionis & fruitionis DEI, in quo est vita æterna, est perfectissimus, continens perfectissimam DEI cognitionem cum perfecto DEI amore coniunctam. Sæpenumero etiam opus virtutis est exiguum, & leue, eiusmodi est, dare potũ aquæ frigidæ propter CHRISTVM: at vita æterna est maximum & præstantissimum bonum, nec simplex tantummodo, & vnum bonum, sed bonorum

54. *Locus ad Roman. 8.*

Triplex consideratio boni operis ex gratia facti.

Matth. 10.

 norum

Locus 2 ad Corinth. 4.

norum omnium perfecta complexio & cumulus. Et ob has duas causas prædictas, sapienter dixit Paulus: *Quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ; supra modum, in sublimitate, sempiternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

55. At enimuerò, si bona iustorum opera spectentur, & pensitentur ea ratione, vt proficiscuntur à SPIRITV sancto per gratiam, iusti hominis animam inhabitantem; ea profectò conuenientem habent proportionem æqualitatis & dignitatis cum præmio ipso vitæ æternæ. Gratia etenim, quæ principalis causa est bonorum operum, & ipsa gloria, quæ est finis, & merces eius, eiusdem sunt ordinis ac dignitatis: vtraque enim est bonum quoddam supernaturale ac diuinum, & participatio quædam diuinitatis, faciens hominem, diuinæ consortem naturæ: ac differre tantùm videntur secundum magis & minus perfectum; quòd gloria sit gratia consummata: & gratia, in hac vita, sit velut quædam inchoata gloria. Quapropter B. Ioannes dixit nos per CHRISTVM accipere gratiam pro gratia. Et Zacharias, Quod ipse exæquabit gratiam gratiæ. Vocat etiam Ioannes gratiam, semen DEI, manens in homine: & Paulus ad Galatas scribens: *Qui seminat*, inquit, *in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Quemadmodum enim semen arboris, actu quidem paruum est & imperfectum, & longè minus arbore; attamen potestate ac virtute, arbori æquale est: habet enim vim producendi vniuersam arborem: Consimiliter, licet in præsenti vita non sit gratia, actu æqualis gloriæ; habet tamen vim quodammodo producendi ipsam gloriam. Hanc item ob causam gratia dicitur fons aquę salientis in vitam æternam secundum illud Domini: *Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Et Paulus dixit quod suprà memorauimus: Quod leue & momentaneum est in præsenti vita operari immensum gloriæ pondus in cœlis. Et infrà scribit: *Si SPIRITVS eius, qui suscitauit IESVM à mortuis, habitat in vobis: qui suscitauit IESVM CHRISTVM à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem SPIRITVM eius in vobis.* Ex quo

Ioan. 1. Zachar. 4. 1. Ioan. 3. Ad Galat. 6. Ioan. 4.

quo apparet quantum poteſtatis & dignitatis accedat homini iuſto ex eo, quod in ipſo per gratiam habitát SPIRITVS DEI. Verum ſuperiori hæreticorum obiectioni ſatis nūc reſponſum ſit: Nam illius ſententiæ Pauli: *Quod non ſunt condigna paßiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitúr in vobis*, ampliorem, exactioremque tractatum facturi ſumus, cùm in explanatione locorum difficilium octaui capitis huius epiſtolæ verſabimur, & in tractatu decimæ diſputationis ſuper illud ipſum caput octauum.

IN CAPVT SEPTIMVM DISPVTATIONES DVÆ ET VIGINTI.

CAPVT VII.

Versu 1. AN ignoratis fratres (ſcientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur, quanto tempore viuit? 2. ✶ Nam quæ ſub viro eſt mulier, viuente viro, alligata eſt legi, ſi autem mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt à lege viri. 3. ✶Igitur, viuente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro. 4. ✶Itaque, fratres mei, & vos mortui eſtis legi per corpus CHRISTI: vt ſitis alterius, qui ex mortuis reſurrexit, vt fructificetis DEO. 5. ✶Cùm enim eſſemus in carne, paſſiones peccatorum noſtrorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, vt fructificarent morti. 6. ✶ nunc autem ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur; ita vt ſeruiamus in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate litteræ. 7. ✶Quid ergo dicemus? Lex peccatum eſt? Abſit. Sed peccatum non cognoui, niſi per legem:

nam

nam concupiſcentiam neſciebam, niſi lex diceret, Non concupiſces. *Occaſione autem accepta, peccatum per mandatum, operatum eſt in me omnem concupiſcentiam. Sine lege autem peccatum mortuum erat. *Ego autem viuebam ſine lege aliquando. Sed cùm veniſſet mandatum, peccatum reuixit. *Ego autem mortuus ſum, & inuentum eſt mihi mandatū, quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem. *Nam peccatum occaſione accepta per mandatum, ſeduxit me, & per illud occidit. *Itaque lex quidem ſancta, & mandatum ſanctum, & iuſtum, & bonum. *Quod ergo bonum eſt, mihi factum eſt mors? Abſit. Sed peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem: vt fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum. *Scimus enim, quia lex ſpiritualis eſt: Ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato. *Quod enim operor, non intelligo. non enim quod volo bonum, hoc ago: ſed quod odi malum, illud facio. *Si autem quod nolo, illud facio: conſentio legi, quoniam bona eſt. *Nunc autem iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. *Scio enim, quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea, bonum: nam velle adiacet

Exod. 20. Deut. 5. | 8. | 9. | 10. | 11. | 12. | 13. | 14. | 15. | 16. | 17. | 18.

19. mihi: perficere autem non inuenio. * Non enim, quod volo bonum, hoc facio; ſed quod o-
20. di malum, hoc ago. * Si autem quod nolo, illud facio: iam non ego operor illud; ſed quod
21. habitat in me peccatum. * Inuenio igitur legem, volenti mihi facere bonum, quoniam mi-
22. hi malū adiacet: * condelector enim legi DEI
23. ſecundum interiorem hominem: * Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in le-
24. ge peccati, quæ eſt in membris meis. * Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mor-
25. tis huius? * Gratia DEI per IESVM CHRISTVM Dominum noſtrum. Igitur ego ipſe mente ſeruio legi DEI; carne autem legi peccati.

PRÆFATIO.

1. QVOD in præcedenti capite docuit Paulus, Chriſtianos per CHRISTI baptiſmum mortuos eſſe peccato, quia non eſſent ſub lege, ſed ſub gratia; hoc ipſum explicatius oſtendit in hoc ſeptimo capite, demonſtrans legem non dominari Chriſtianis: ſimulque cauſam aperiens, cur, cùm lex Moſis fuerit bona, & ſancta, ea tamen data, plura & grauiora, quàm fuiſſent antea, hominum peccata, extiterint. Multa item diſſerit de fomite concupiſcentiæ, quem appellat peccatum, & legem mem-

membrorum repugnantem legi mentis. Quod autem lex non habeat ius, & dominatum in veros Christianos, argumentatur Paulus hunc in modum, lex non habet ius, & potestatem in hominem, nisi dum is viuit: sed Christiani iam non viuunt, sed mortui sunt, ergo lex in eos nec ius, nec dominationem habet vllam. Maior propositio huius syllogismi per se nota est non ignaris legis Mosaicæ: quamobrem initio huius capitis dixit Paulus, se scientibus legem loqui. Probatur nihilominus à Paulo exemplo singularis cuiusdam legis, quæ est de coniugio; secundum quam tam diu vxor alligata est marito, quoad is vixerit: viuente enim eo, si alteri nupserit, adultera censetur: mortuo autem marito, soluta est à lege, & potest alij viro nubere. Minor autem eiusdem Syllogismi nititur communicatione seu communione, quã Christiani habent cum CHRISTO, per quem & ipsi mortui sunt legi, & lex ipsis mortua est. Dicuntur porrò Christiani mortui esse legi Mosaicæ, non solùm quantum ad ceremonialia præcepta, quorum vis & obligatio post CHRISTI mortem prorsus euanuit, sed etiam quantum ad moralia: Paulus etenim in hoc ipso capite commemorat illud legis præceptum: *Non concupisces*, quod est præceptum morale, & vnum ex illis decem, quæ in Decalogo continentur. Lex igitur demonstrans, & vetans peccatum, nec sanans eius concupiscentiam, vehementius hominis animum irritabat, & inflammabat ad peccandi libidinem: ideoque homines tanquam reos terrebat ac premebat, & accusabat, & condemnabat. Quantum ad hoc itaque Christiani mortui sunt legi: nam per mortem CHRISTI, cuius per baptismum participes facti sumus, deleta sunt nobis peccata omnia, simulque donatus est spiritus charitatis, quo quæcumque lex iubet aut vetat, prompto & libenti animo exequi & vitare possimus, & reatum suppliciorum, quæ lex minatur, euadere. Et quantum ad hoc, quod est, legem propter hominum peccata, eos accusare & condemnare, & lex nobis, & nos legi mortui sumus: hanc ob causam Apostolus dicit in hoc capite, Chri-

Exod. 20.

ſtianos eſſe ſolutos lege mortis; legem mortis vocans Moſaicam legem, quæ per occaſionem, & peccandi libidinem incendebat, & peccantibus debitam intendebat mortem; vel reos mortis, ob præuaricationem, faciebat.

PRIMA DISPVTATIO.

An matrimonium ritè contractum, iamq́; conſummatum, poſſit, viuente vtroque coniuge, omninò diſſolui.

SVPER ILLIS VERBIS:

Verſu 2. & 3.

QVÆ ſub viro eſt mulier, viuente viro alligata eſt legi: Si autem mortuus fuerit vir eius, ſoluta eſt à lege viri. Igitur, viuente viro, vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro: ſi autem mortuus fuerit vir eius, liberata eſt à lege viri; vt non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro.

2. EX hoc Pauli loco, & altero illo qui eſt in capite ſeptimo prioris epiſtolæ ad Corinthios: *Iis autem*, (Paulus ait) *qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Et vir vxorem non dimittat.* Ex duobus, inquam, hiſce locis & ſententiis Apoſtoli, duo Catholicæ doctrinæ decreta conſtituunt, & confirmant Theologi. Horum alterum eſt, ſecundas nuptias, per ſe licitas eſſe, & non ſolùm per diſpenſationem, vel permiſſionem, vt ſignificare videtur Chryſoſtomus ſcri-

Decreta Catholicæ doctrinæ ex hoc loco ducta, & probata.

S. Chryſoſtom.

ſcribens: ſicut Moſes propter duritiam cordis Iudæorum permiſit libellum repudij, ita permiſiſſe Apoſtolum ſecundas nuptias Chriſtianis. At enim, ſi per mortem ſoluitur lex matrimonij, vt aperte diſerteq; hoc loco docet Paulus: cur non licebit ſuperſtiti coniugi ad alias nuptias tranſire? Non enim Paulus ideo iuſſit Epiſcopum eſſe vnius vxoris virum, quod ſecundas nuptias damnaret: ſed quod id maximè decebat dignitatem, & Sacramentum epiſcopi, quem decebat eſſe vnius mulieris virum, ſicut CHRISTVS eſt ſponſus vnius eccleſiæ. Hinc etiam liquet, ſi maritus alicuius mulieris mortuus, ad vitam rediret, ſimiliter vt Lazarus, non futuram eius vxorem, quæ antea fuerat, niſi de nouo cum ipſa cõtraheret matrimonium. Nam quod dixit Paulus ſcribens ad Heb. cap. 11. *Acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos*. Id non de maritis, ſed de filiis mortuis intelligendum eſt. Eliſeus enim, & Eſaias reuocauerunt de mortuis ad vitam duarum mulierum filios. Quare Sadducæi illam Domino noſtro quęſtionẽ proponentes de muliere, quæ fuerat vxor ſeptem fratrum, cuius præcipue illorum poſt reſurrectionem fratrum eſſet vxor, inſcienter admodum fecerunt: illa enim mulier nulli eorum iam, iure coniugij, obligata erat. Id verò ob eam cauſam euenit, quòd Sacramentum matrimonij non imprimit characterem, qui eſt conſecratio quædam animæ rationalis & immortalis: omnis autem conſecratio tamdiu manet, quoad manet res conſecrata. Quocirca ſi quis baptizatus, & confirmatus, vel ſacris ordinibus initiatus, à mortuis reſurgeret ad hanc vitam noſtram, non oporteret eum denuo iſtiuſmodi Sacramenta ſuſcipere.

1. Ad Tim. 3. & Tit. 1.

Ioan. 11.

4 Reg 5. 3. Reg. 17. Matth. 19.

3. Alterum doctrinæ Catholicæ decretum, quod à Theologis ex hoc Pauli loco ducitur, & confirmatur, eſt, matrimonium legitime contractum, & iam conſummatum, viuente vtroque coniuge diſſolui, quantum ad vinculum nullam ob cauſam poſſe, licet quantum ad torum, nonnullis ex cauſis relaxari queat. Id enim hoc loco apertiſſimè tradit Apoſtolus, dicens, mulierem, quandiu vir eius viuit, alligatum eſſe

ei, per legem scilicet matrimonialem, nec eo viuente, posse ab eo discedere; aut si discedat, innuptam manere oportere: Si enim alij viro nupserit, fore adulteram. Et in cap. 7. prioris epistolæ ad Corinthios: denuntiat Christianis omnibus præceptum Domini iubentis, mulierem non discedere à viro; si autem discesserit manere innuptam, aut ei reconciliari. Nec dici potest, præceptum hoc Domini, & Apostolicam hanc doctrinam pertinere solùm ad mulieres, non autem ad viros, quasi mulier discedens à viro, ob aliquam causam, non possit alij viro nubere; vir autem possit ob aliquam causam, aliam vxorem ducere. Si enim viro, dimissa vxore, aliquando liceret aliam ducere vxorem, priore viuente; hoc ideo liceret, quia prius matrimonium esset dissolutum; nam si validum esset, nequaquam liceret. Si autem iam nullum esset matrimonium, ergo mulier non esset amplius, secundum legem matrimonialem, alligata viro, quare posset denuo aliud matrimonium inire, sicut & vir. Par quippe est vxoris in virum, & viri in vxorem ius. Et sicut ait Apostolus, quemadmodum vxor non habet potestatem corporis sui, sed vir eius; ita vir non habet potestatem corporis sui, sed vxor eius. Et quemadmodum vxor matrimonialem fidem viro præstare debet, ita vir vxori. Ergo si ob violationem fidei matrimonialis factam à muliere, posset vir ab ea discedere, & aliam ducere vxorem; ob eandem quoque causam idem facere liceret vxori. Nec valet, quod contra hoc obiicit Caietanus, secundum legem Mosaicam licitum fuisse viro repudiare vxorem, non autem vxori repudiare virum: nam vt hoc ita esset, facto tamen repudio, quia vulgo putabatur diremptum esse matrimonium, solebat mulier nubere alij viro; sicut vir aliam vxorem ducere. Quod diximus de pari iure vxoris, ac viri, planè confirmat S. Hieronymus in epist. 30. quam scripsit ad Oceanum de epitaphio Fabiolæ, ita scribens: Præcepit Dominus vxorem non debere dimitti, excepta fornicationis causa: & si dimissa fuerit, manere innuptam. Quicquid viris iubetur, hoc consequenter redundat in fœminas: neq; enim

Par esse ius matrimoniale vxoris atque viri.

1. Ad Cor. 7.

Caietanus.

S. Hieronymus.

enim adultera vxor dimittenda eſt, & vir mœchus retinendus. Si quis meretrici iungitur, vnum corpus facit: ergo & qui ſcortatori impuroque ſociatur, vnum cum eo corpus efficitur. Aliæ ſunt leges Cæſarum, & aliæ CHRISTI: aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcipit. Apud illos, viris impudicitiæ frena laxantur; &, ſolo ſtupro, atque adulterio condemnato, paſſim per lupanaria, & ancillulas libido permittitur; quaſi culpam dignitas faciat, non voluntas: apud nos, quod non licet fœminis, non licet viris: & eadem ſeruitus pari conditione cenſetur. Hæc ibi S. Hieronymus.

1. Ad Cor. 6.

4.

Hoc ipſum comprobatur ex ſententia Domini noſtri, quam referunt Marcus cap. 10. & Lucas cap. 16. ſimpliciter & abſolute dicentis ſecundum Marcum: *Quicumque dimiſerit vxorem ſuam, & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam. Et ſi vxor dimiſerit virum ſuum, & alij nupſerit, mœchatur.* Lucas vero hanc ipſam Domini ſententiam his verbis refert: *Omnis qui dimittit vxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur.* Et addit Dominus apud Marcum: *Quod ergo DEVS coniunxit, homo non ſeparet*: Significans vtique, cum matrimonium iure diuino ſit indiſſolubile, nulla ratione ab hominibus poſſe diſſolui. Licet enim ratione particulari habita ſingulorum coniugum, plura matrimonia non ſint à DEO coniuncta, vt quæ libidinis & laſciuiæ cauſa, prauoque conſilio & propoſito ſunt contracta: habita ratione primariæ illius diuinæ inſtitutionis, qua conſtitutum à DEO eſt, & à CHRISTO renouatum, vt qui mulierem ſibi accipit in matrimonium, ſic illi adhæreat, vt vnam ſecum illam carnem quaſi factam reputet, dicitur matrimonium à DEO coniunctum. Et verò, primæua illa matrimonij conſtitutio in paradiſo terreſtri facta à DEO, ſatis oſtendit, matrimonium prorſus eſſe indiſſolubile: quam inſtitutionem CHRISTVS commemorans apud Matthæum capite 19. Euangelicam ſuper ea legem expreſſit, & ſanciuit. Cum enim Phariſæi tentantes eum, quæſiſſent ex eo, num liceret homini dimittere vxorem ſuam quacumque ex cauſa,

Gen. 4.

ita

ita eis respondit: *Non legistis quia qui fecit hominem ab initio, masculum & fœminam fecit eos? & dixit: Propter quod dimittet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo* DEVS *coniunxit homo non separet.* Quibus verbis tripliciter indicatur non licere, dimissa vxore, aliam ducere: primò cum dicitur, DEVM ab initio vnum duntaxat masculum & vnam fœminam fecisse: ob id nimirum, sicut interpretatur Euthymius, vt vnus vnam haberet: nam si voluisset virum vna relicta vxore aliam ducere, plures vtique formasset ab initio fœminas: sed quia vnam tantùm fecit, voluit profectò virum vna vxore contentum esse, nec ea repudiata aliam ducere. Idem quoq; significauit, dicens, esse duos in carne vna; sicut enim caro & corpus non dissecantur, ita nec coniugium diuidi posse. Idem prçterea ostendit illa orationis Domini conclusio: *Quod*, inquit, DEVS *coniunxit, homo non separet.*

Euthymius.

5. Doctrinæ porrò Euangelicæ, & apostolicæ adhærens, vt par erat, Catholica ecclesia, idem ipsum sanxit, & constituit in Concilio Mileuitano cap. 17. & in Africano cap. 69. & in Florentino in Armenorum instructione, & nouissime in Tridentino sess. 24. can. 7. in hæc verba: Si quis dixerit, ecclesiam errare, cum docuit, & docet iuxta euangelicam, & Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius coniugum, matrimonij vinculum non posse dissolui: & vtrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero coniuge viuente, aliud matrimonium contrahere: mœcharique eum, qui dimissa adultera, aliam duxerit; & eam quæ dimisso adultero, alij nupserit: anathema sit. Quare non satis considerate dictum esse videtur à Caietano in explanatione cap. 19. Matthæi, nullam esse super hac re definitionem ecclesiæ.

Sancta cōcilia, Mileuitanum, Africanum, Florentinum, Tridentinum.

Caietanus.

6. Eadem quoque fuit veterum Doctorum, & Patrum concors sententia; vt videre licet apud Origenem in homilia 7. in Matthęum, & Theodoretum super hoc septimum caput epi-

Sententia veterũ Patrum.

stolæ

pistolæ ad Romanos, & Augustinum in libro de sermone Domini in monte, cap.25.& in libro de bono coniugali,& in primo libro de nuptiis & concupiscentia, cap. 10. & 17. Sed hac de re diligenter atq; erudite copioseque disseruit in duobus libris, quos de Adulterinis coniugiis scripsit ad Pollentium. Idem confirmat S. Hieronymus in explanatione 19. cap. Matthæi, sed multo luculentius in epistol. 147. quam scripsit ad Amandum; qui quæstionem ei posuerat de muliere quadam, quæ viro dimisso adultero, & Sodomita, alij fuerat viro nupta; an ea posset absque pœnitentia communicare ecclesiæ, viuente adhuc viro, quem dimiserat. Cui quæstioni respondens Hieronymus, ita scribit: Legens breuem chartulam adiunctam epistolæ tuæ, recordatus sum illius versiculi: *Ad excusandas excusationes in peccatis.* Omnes enim homines vitiis nostris fauemus, & quod propria facimus voluntate, ad naturæ referimus necessitatem. Respondeo itaq; sorori, quæ à nobis super suo statu quærit, non nostram, sed Apostoli sententiam: *An ignoratis fratres (scientibus enim legem loquor) quoniã lex dominatur homini, quanto tempore viuit? mulier enim, quæ sub viro est, viuente viro, adstricta est legi. Quod si mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri. Ergo viuente viro, adultera erit, si duxerit alterum virum.* Et alio in loco: *Mulier alligata est, quanto tempore viuit vir eius: si autem dormierit vir eius, liberata est, cui vult, nubat, tantùm in Domino.* Omnes igitur causationes Apostolus amputans, apertissime definiuit, viuente viro, adulteram esse mulierem, si alteri nupserit. Nolo mihi proferas raptoris violentiam, matris persuasionem, patris auctoritatem, propinquorum cateruam, seruorum insidias, atque contemptum, damna rei familiaris. Quandiu viuit vir, licet adulter sit, licet Sodomita, licet vitiis omnibus coopertus, & ab vxore propter hæc scelera derelictus, maritus eius tamen reputatur, cui virum alterum accipere non liceat. Hæc Apostolus non propria auctoritate decreuit, sed CHRISTO in se loquente, CHRISTI verba secutus est, qui ait in euangelio, *Qui dimittit vxorem suam, excepta causa fornicationis; facit eam*

Origenes.
Theodoretus.
Augustinus.
Hieronymus

Psalm 140.

1. Ad Cor 7.

mœchari: & qui dimissam acceperit, adulter est. Siue ipsa dimiserit virum, siue à viro dimissa sit, adulter est, qui eam acceperit. Ergo & ista soror, quæ, vt dicit, vim passa est, vt alteri iungeretur, si vult corpus CHRISTI accipere, & non adultera reputari, agat pœnitentiam: ita duntaxat, vt secundo viro, qui non appellatur vir, sed adulter, à tempore pœnitentiæ non copuletur. Hactenus ex Hieronymo.

SECVNDA DISPVTATIO.

An supradictæ doctrinæ contraria fuerit lex Mosis de libello repudij.

7. SED tria, quæ huic sententiæ possunt obiici, diluenda sunt. Ac primò quidem videtur huic doctrinæ aduersari libellus repudij, secundum legem Mosis dari à viro solitus vxori, quam repudiabat: quo dato licebat vxorem dimittere, & aliam ducere, vt videre licet in veteri Scriptura Deuteronomij ca. 24. & Malachiæ cap. 2. Et quanquam id fuisse permissum Iudæis, ob duritiam cordis eorum tradit Dominus in euangelio: credendum tamen est, id esse factum sine peccato, & talem matrimonij dissolutionem fuisse validam: alioqui nunquam, nec Moses, nec Synagoga permisissent, id tanta licentia fieri & publicè, vulgoque; & Iudæos repudiatis vxoribus, alias tanquam veras ducere, & quæ ab ipsis repudiatæ fuerant, aliis viris nubere. Respondeo, per libellum repudij non fuisse tunc solutum matrimonium quantum ad vinculum, tametsi vir vxore repudiata aliam duceret. Nam etsi licebat id fieri sine pœna legali, non tamen fiebat sine peccato & culpa, cum esset per se malum. Id autem satis indicauit Dominus dicens, illam fuisse per-

Matth. 19.

se permissionem ob duritiam cordis eorum; permissionem, inquam, minoris mali ad euitandum maius, hoc est, ad euitandum vxoricidium, ad quod Iudæi satis erant propensi & prompti. Quare Dominus subdit, id fuisse permissum propter duritiam cordis eorum; ab initio autem non sic fuisse; quasi diceret, illam permissionem repudij primæuæ institutioni matrimonij fuisse contrariam. Et verò repudium illud non fuisse licitum Iudæis, vt sine culpa fieret, communior est, & securior Theologorum sententia, quam in quarto sententiarum distinctio. 33. sequuntur S. Thomas, Bonauentura, Altisiodorensis, Ricardus, & ipsemet Magister sententiarum, & Lyranus super caput 19. Matthæi, & 24. Deuteronomij: quin etiam B. Augustinus contra Faustum lib. 19. cap. 26. & in expositione sermonis Domini in monte, & S. Hieronymus super caput 2. Malachiæ.

S. Thomas. Mag. senten. Bonauentura. Altisiodor. Lyranus. S. Augustinus. S. Hieronym.

8. *S. Augustinus*

Lubet hîc adscribere B. Augustini verba, quæ sunt in priore eius libro de sermone Domini in monte. Explanans enim illa verba Domini, quæ sunt apud Matthæum, cap. 5. *Dictum est antiquis: Quicumque dimiserit vxorem suam, det ei libellum repudij:* Hæc est, inquit, iustitia minor Pharisæorum: cui non est contrarium quod Dominus dicit: *Ego autem dico vobis: Quicumque dimiserit vxorem suam excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui solutam à viro duxerit, mœchatur.* Non enim qui præcepit dari libellum repudij, hoc præcepit, vt vxor dimitteretur: sed qui dimiserit, inquit, det ei libellum repudij, vt iracundiam videlicet temerariam proiicientis vxorem, libelli cogitatio temperaret. Qui enim dimittendi moram quæsiuit, significauit quantum potuit, duris hominibus, se nolle dissidium. Et ideo ipse Dominus alio loco interrogatus, ita respondit: *Hoc Moyses propter duritiam cordis vestri fecit.* Quantumuis enim durus esset qui vellet vxorem dimittere, cũ cogitaret, libello repudij dato, iam sine periculo eã posse nubere alteri, facile placaretur. Dominus ergo ad illud cõfirmandum, vt non facile vxor dimittatur, solam causam fornicationis excepit; ceteras autem vniuersas molestias, si quæ

Matth. 5. & 19.

Matth. 19.

fortè extiterint, iubet pro fide coniugali, & pro castitate fortiter sustineri: & mœchum dicit etiam virum, qui eam duxerit, quæ soluta est à viro: Cuius rei Apostolus terminum ostendit, quia tamdiu, obseruandum dicit, quamdiu vir eius viuit: illo autem mortuo dat nubendi licentiam. Hanc enim etiam ipse regulam tenuit, & in ea non suum consilium, sicut in nonnullis monitis, sed præceptũ Domini iubentis ostendit, cum ait: *Eis qui nupti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, mulierem à viro nõ discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari; & vir vxorem non dimittat.* Credo simili forma, vt si dimiserit vxorem suam, non ducat aliam, aut reconcilietur vxori. fieri enim potest, vt vir dimittat vxorem causa fornicationis, quam Dominus exceptam esse voluit. Iam verò si nec mulieri nubere conceditur, viuente adhuc viro, à quo recessit; neque viro alteram ducere, viua vxore, quam dimisit; multo minus fas est, illicita cum quibuslibet stupra committere. Sic ibi Augustinus.

1. Ad Cor. 7.

9. Sed quod breuiter dixit de causa, cur DEVS iussit Iudæos libellum repudij dari vxoribus, quas dimittere volebant; hoc ipsum explicatius docet in cap. 25. libri 19. contra Faustum Manichæum ita scribens: Nam & illud de vxore dimittenda, quod Dominus præcepit, & quod Iudæis mandatum est: *Quicumque dimiserit vxorem suam, det illi libellum repudij.* Si diligenter intueamur, videbimus non esse contrarium. Exposuit enim Dominus quid lex voluerit, cum passim dimittenti, vxori iussit libellum repudij dare. Neque enim ait; Qui voluerit, dimittat vxorem suam, cui sine dubio esset contrarium, non dimittere vxorem suam: sed vtique nolebat dimitti vxorem à viro, qui hanc interposuit moram, vt in dissidium animus mariti præceps, libelli conscriptione refractus absisteret, & quid mali esset vxorem dimittere, cogitaret. Præsertim verò, quia (vt perhibent) apud Hebræos scribere litteras hebræas nulli fas erat nisi scribis solis, qui & excellentiorem profitebantur sapientiam, & qui eorum erant æquitate, ac pietate pręditi, non tantùm profitebantur, verum etiam

Deutero. 24.

Apud Iudæos scribis tantum & litteras hebræas, & libellos repudij scribere ius & fas erat.

etiam sectabantur. Ad hos igitur, quos oportebat esse prudentes legis interpretes, & iustos dissidiorum dissuasores, lex mittere voluit maritum, quem iussit libellum repudij dare, si dimitteret vxorem. Non enim ei poterat scribi libellus repudij, nisi ab illis scribis: qui per hanc occasionem, & necessitatem, veniẽtem quodammodo in manus suas maritũ, bono consilio regerent, atq; inter ipsum & vxorem pacificè agendo, dilectionem, concordiamque suaderent. Quod si tantùm intercederet odium, vt extingui, emendarique non posset: tum vtique scriberetur libellus repudij: quia frustrà non dimitteret, quam sic odisset, vt ad debitam cõiugij charitatem, nulla prudentium virorum persuasione reuocaretur. Si enim non diligitur vxor, dimittenda est: quia ergo dimittenda non est, diligenda est: dilectio autem, monendo atque suadendo componit, non tamen inuitum cogendo imponi potest. Hoc facere scriba debebat, iustus & sapiens, qualem in illa professione esse oportebat: ad quem vt veniret discordia, marito libellus conscribendus præceptus est: quem libellum vir ille bonus prudensque non scriberet, nisi in animo nimis auerso atque peruerso consilium concordiæ non valeret. Hactenus ex Augustino.

10. Non sum nescius, nec paucos, nec ignobiles Theologos in contraria esse sententia, arbitrantes, dato libello repudij, solutum fuisse matrimonij vinculum, & licitum ad alias nuptias transitum. Id enim visum est Scoto, Durando, Paludano in quarto Sententiarum distinctione trigesima tertia, & Paulo Burgensi super caput vigesimum quartum Deuteronomij, & Abulensi super caput decimum nonum Matthæi quæst. quadragesima nona, & quinquagesima prima, atque inibi etiam Caietano; nec non & nostro Riberæ super caput secundum Malachiæ. Sed enim, licet hanc opinionem non prorsus improbabilem ducam; priorem tamen, quam exposui, multò probabiliorem esse censeo. Videat lector eruditam quãdam super hac re disceptationem Pauli Burgensis cum Lyrano super caput 24. Deuteronomij. Lyranus enim

explanans traditum ibi à DEO mandatum de dando libello repudij, ponit quæstionem, vtrum per libellum illum repudij solueretur vinculum matrimonij, & licitum fieret inire alterum coniugium: quam quæstionem in vtramq; agitans partem, denique decernit illam fuisse veram permissionem minoris mali ad euitandum maius, nec solutum fuisse vinculum matrimonij, nec licitum alterum coniugium, & contrarias rationes dissoluit. Ex aduerso autem Burgensis, licet non neget sententiam Lyrani esse communem Doctorum, nec audeat ipse contrariam asseueranter profiteri; ait tamen videri sibi verbis scripturæ magis congruentem:& in eo probando, & soluendis Lyrani rationibus benè longam ponit orationem. Eademque de re copiosius etiam cum eodem Lyrano disceptat super caput decimum nonum Matthæi.

TERTIA DISPVTATIO.

An supradictæ doctrinæ aduersetur lex CHRISTI *de dimittenda vxore ob fornicationis causam.*

II. ALTERVM, quod ostendere videtur posse aliquam ob causam dissolui vinculum matrimonij, est Domini nostri sententia, quam refert Matthæus capite decimo nono. Improbata enim consuetudine Iudæorum quaslibet ob causas repudiandi vxorem, statuit, non licere vxorem dimittere, & ea dimissa, aliam ducere, nisi ob solam fornicationem, ita dicens: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit vxorem suam nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Ex quibus verbis satis apparet, Dominum statuisse, non esse vxorem dimittendam, neque, ea dimissa, esse ducendam aliam,

Locus Matthæi cap. 19. fusè tractatus.

liam, nisi ob solam fornicationem: ex quo sequitur, posita fornicatione, id licere. Nec satis congruum & firmum est responsum quorundam aientium, eo loco esse locutum Dominum de dimissione vxoris, quantum ad torum, nō autem quantum ad vinculum: CHRISTVS namque respondens Iudæis interrogantibus, an liceret ob quascumque causas vxores dimittere, & damnans morem eorum dimittendi vxores per libellum repudij; de tali vtique dimissione vxoris loquitur, de quali à Iudæis interrogatus fuerat, & qualis per libellum repudij fieri apud Iudæos solebat: Hanc verò liquet fuisse non modò quantum ad torum, sed etiam quantum ad vinculum; dimissis quippe prioribus vxoribus, alias ducebant: alioquin CHRISTVS ambiguè vtens nomine dimissionis, interrogationi Iudæorum non planè satisfecisset, nec eorum errorem probè redarguisset. Deinde, si CHRISTVS esset locutus de dimissione vxoris solùm quātum ad torum, non vnam duntaxat dimittendi causam, excepisset, ipsam fornicationem: non enim ob eam solam, sed complures alias ob causas fieri posse coniugum separationem, quantum ad torum, extra controuersiam est.

12. Sed huic obiectioni respondendū est, illa verba DOMINI, *nisi ob fornicationem*, non esse referenda ad vtramque partem sententiæ, ita vt significetur, licere ob fornicationem & vxorem dimittere, & aliam ducere: sed tantum referri debent ad priorem illius sententiæ partem, hunc in sensum: Quicumque dimiserit vxorem suam (quod facere non licet nisi ob solam fornicationem) & aliam duxerit, mœchatur. Hunc autem verum & germanum esse sensum illorum verborum, animaduertere licet ex commemoratione eiusdem sententiæ, quam faciunt Marcus capite 10. & Lucas cap. 16. qui illam exceptionem fornicationis omiserunt. Apud Marcum enim sic est: *Quicumque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam*, apud Lucam verò ita legitur: *Omnis qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam ab illo ducit, mœchatur.* Matthæus porrò in ca-

in capite decimo nono exceptionem illam addidit, quòd eam antea in capite quinto commemorauerat: Cùm enim narrasset, Pharisæos quæsisse à CHRISTO an quacumque ex causa licitum esset repudiare vxorem, adiungit, Dominum respondisse, vnam tantùm esse posse licitam causam dimittendi vxorem, crimen videlicet fornicationis. Atque ita prædictum Matthæi locum interpretatur B. Hieronymus, atque eam interpretationem congruam esse ac probabilem, liquet ex eo, quod mox subiecit Dominus: *Et qui dimissam duxerit, adulterat.* Vbi certũ est: ad illud verbum *(dimissam)* non posse referri exceptionem illam, *nisi ob fornicationem*, quasi verò significetur, eam, quæ dimissa fuerit ob fornicationem, duci posse sine adulterio: nam sic melioris conditionis esset dimissa vxor ob adulterium, quàm quæ nulla sua culpa à viro esset repudiata. Necessum igitur est, illis Domini verbis significari, eum adulterare, quicumque mulierem quocumque modo dimissam à viro, etiam ob fornicationem, vxorem duxerit: quare dimissa mulier ob fornicationem, non est matrimonij vinculo absoluta, alioquin qui eam duceret, adulterium minimè committeret.

13. At enim dicet quispiam, CHRISTVM verba illa dixisse Pharisæis, quibus non erat nota dimissio vxoris alia, nisi quæ soluto matrimonij vinculo fiebat. Adiice, quod si locutus esset Dominus de dimissione vxoris, quæ solùm fit quantum ad torum, non solam fornicationem, eiusmodi dimissionis causam tradidisset, cùm sint aliæ complures. Verùm ad priorem obiectionem ita respondendum est; duplicem fuisse Iudæorum in dimittendo vxores consuetudinem, & vtramque malam: alteram quidem, ob quascumque causas dimittendi vxores: alteram verò, dimissis prioribus, alias ducendi vxores. Vtramque verò damnauit Dominus, & corrigere voluit: & contra priorem quidem ait: *Dico vobis, quod quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, mœchatur.* quia fidem videlicet coniugalem violat, sibique, & vxori periculum affert mœchandi. Contra posteriorem verò Iudæorum

rum

rum consuetudinem adiunxit illud: *Et qui dimissam duxerit, mœchatur.* non aliam certè ob causam, nisi quia quæ dimissa fuerat ob fornicationem, non erat prioris matrimonij vinculo soluta. Caietanus autem, & Erasmus illud verbum, *mœchatur*, non referunt disiunctè ad priorem & posteriorem partem sententiæ Domini, sed coniunctè ad vtramque partem: quo significatur, si adsit causa fornicationis, vtrumque licere, & vxorem dimittere, & aliam ducere. At enim, secundum istiusmodi sensum colligi posset, non esse prohibitum à CHRISTO, quauis alia de causa præter fornicationem dimittere vxorem, dummodo nec vir dimittens, nec vxor dimissa, ad alias transeat nuptias: quod falsum profectò esse constat. Vnde apertius idem Matthæus capite quinto verbum illud, *mœchatur*, vel, *adulterat*, distinctè coniunxit cum eo, quod est dimittere vxorem, & cum eo quod est aliam ducere, dicens: *Ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causâ, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, adulterat.* Licet autem nonnullæ sint aliæ præter fornicationem causæ soluendi coniugium quantum ad torum, illæ tamen generales sunt, & communes aliis: Causa verò ducta ex fornicatione, seu adulterio alterius coniugum, propria est matrimonij, vt quæ per se ac propriè aduersetur matrimonio. Ea quippe violat & peruertit mutuam coniugum fidem, ac planè tollit coniugij rationem, vt doctè Aristoteles disputat in libro septimo Politicorum. Cumque per coniunctionem matrimonij duo quodammodo fiant in vnam carnem, per adulterium vna caro dissecatur in duas: fitque alteri coniugum maxima iniuria, cumq; in zelum, atque furorem inflammat. Nam vt annotauit Euthymius super caput 19. Matthæi, solam Dominus iussit eiici mulierem, quæ adulterium commisit, propter fœtus confusionem, & propter dubitationem eius quod pariendum esset, quasi alia quæuis causâ curari possit, hæc verò sola nullam curationem admittat.

Caietanus. Erasmus.

Aristoteles.

Euthymius.

14. Iam verò secundum legem Euangelicam esse prorsus in-

dissolubile matrimonium, eo potissimùm constat, quod est Sacramentum, hoc est, sacrum signum indissolubilis coniunctionis DIVINITATIS, cum humanitate in CHRISTO Domino, & ipsius CHRISTI cum Ecclesia eius sponsa: idque spectans Paulus, cum in capite quinto epistolæ ad Ephesios cõmemorasset illa verba: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ*, continuò illud adiunxit: *Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in CHRISTO & in Ecclesia.* Ex hac porrò Sacramenti ratione multifariam argumentatur Augustinus matrimonij vinculum inter Christianos esse prorsus indissolubile. Sic enim scribit in capite decimo septimo libri primi de nuptiis & concupiscentia: In nuptiis bona nuptialia diliguntur, proles, fides, & Sacramentum. Sacramentum dico, quod nec separati, nec adulterati, nec spe prolis amissa, amittunt coniuges. Et in capite vigesimo quarto libri de bono coniugali, Sacramentum coniugij comparat cum Sacramento baptismi, & Ordinis, quod non amittunt, etiam qui per excommunicationem seggregati sunt ab Ecclesia.

Genes. 2. Locus epistolæ ad Ephesios capite 5.

S. Augustinus.

QVARTA DISPVTATIO.

An supradictæ doctrinæ contraria sit B. Ambrosij sententia.

15. TERTIVM denique, quod aduersus omninò indissolubile matrimonij vinculum afferri, & opponi nobis posset, est auctoritas B. Ambrosij, quam magnificat Caietanus, tanquam magnum & firmum suæ opinationis fundamentum. Ambrosius etenim in septimum caput prioris epistolæ ad Corinthios illa verba, quibus iubet Paulus mulierem, si à viro suo discesserit,

rit, vel ei reconciliari, vel dum is viuit, innuptam permanere, hæc, inquam, verba explanans Ambrosius, docet, mulieri quidem non licere, secundum doctrinam Euangelicam, & Apostolicam, viuente marito suo, alteri nubere; sicut viro, qui est caput mulieris, concessum est, iustè repudiata vxore, alteram ducere. Ambrosij verba sunt hæc: Non permittitur mulieri vt nubat, si virum suum fornicationis causa dimiserit, aut Apostasiæ; aut si impellēte lasciuia vsum quærat vxoris inuertere: quia inferior non omninò hac lege vtitur, qua potior. Si tamen apostataret vir, aut vsum quæreret vxoris inuertere, nec alij potest nubere mulier, nec reuerti ad illum. Cùm verò Paulus dicit: *Et virum non dimittere vxorem suam*, subaudiendum est, excepta fornicationis causa. Et ideo non subiecit dicens, sicut de muliere: *Quod si discesserit, maneat sic.* quia viro licet ducere vxorem aliam, si priorem dimiserit vxorem peccantem, quia non ita lege constringitur vir, sicut mulier, caput enim mulieris vir est. Hæc Ambrosius. Magister sententiarum hunc Ambrosij locum citans, ita scribit: Ambrosius ait, ideo Paulum non dixisse de viro; quod de muliere dixerat, vt si discesserit ab vxore, non aliam ducat, quia viro aliam licet ducere vxorem. Sed hoc à falsariis in Ambrosij libro positum creditur. Supplendum enim esse in viro, quod de vxore præmisit Apostolus, apertè docet Augustinus. Quare, inquit, non addidit de viro, quod præmiserat de muliere, nisi quia similem formam vult intelligi; vt si dimiserit vxorem (quod causa fornicationis permittitur) maneat sine vxore, aut reconcilietur vxori. Hæc Magister.

1. ad Cor. 11.

Mag. sententiarum.

16. Ad hanc obiectionem ex Ambrosij auctoritate ac sententia ductam variè potest responderi. Magister certè sententiarum in 4. dist. 35. & Gratianus 32. Quæst. 7. respondent, verba illa non esse Ambrosij, sed fuisse à falsariis deprauata, & Ambrosij commentariis inserta. Alij respondent, illam quidem esse Ambrosij sententiam, sed quia est contra doctrinam Ecclesiæ communem, tot Conciliorum, & summo-

illum innocentem occidit, qui peccatum omnino nesciebat. Cum enim hominem peccati causa sibi assereret, & defenderet, inuentus est in eo reus, in quo accusabat. Hinc factum est, vt omnes in CHRISTVM dignè credentes, eruantur à lege, sublato videlicet peccato: quia victum peccatum, & per ipsum etiam victus diabolus, non habet auctoritatem in eos, qui pertinent ad CHRISTVM, à quo ille victus est. Dum enim CHRISTVS non peccat, & occiditur, quasi reus vicit peccatum de peccato, hoc est, diabolum proprio peccato, quod in ipsum admisit, damnauit, & chirographum, quod peccato Adæ decretum erat, deleuit, quando ab inferis resurrexit: data scilicet sibi credentibus simili forma, vt à morte secunda teneri non possent. Hac itaque ratione credentes in CHRISTVM mortui sumus legi per corpus eius. Sic ille.

Ad Coloss. 2.

19. Quod itaque initio huius capitis Apostolus dixit de muliere tam diu per vinculum matrimonij alligata viro suo, quo ad is vixerit; & quod eo mortuo, soluta sit & libera, vt legitime possit alij viro nubere: id nunc supradictis verbis applicat ad legem Mosis, & ad credentes in CHRISTVM, & per ipsum iustificatos. Facit enim legem Mosis quasi virum; vxorem autem eius, eos, qui lege Mosis prius tenebantur: indicans, ante CHRISTI aduentum, & passionem, fuisse homines fideles alligatos legi Mosis: atq; eius potestati subiectos: sed per corporalem CHRISTI passionem & mortem (quod Paulus hoc loco vocat, corpus CHRISTI) solutos esse homines, & liberatos potestate legis, & alteri viro, id est, CHRISTO ex mortuis resurgenti, per spirituale fidei & charitatis matrimonium esse coniunctos. Sicut ipse Paulus alio in loco ait: *Despondi vos vni viro, virginem castam exhibere CHRISTO*. Sed aduertat lector, debuisse Apostolum, secundum rectam rationis, & disputationis consequentiam, dicere, legem esse mortuam nobis per corpus CHRISTI: verùm commutata oratione, maluit dicere, nos esse mortuos, siue mortificatos legi: ob eam nempe causam (vt interpretatur Theodoretus)

2. Ad Cor. 7.

Theodoretus.

doretus) ne Iudæos, nimio tuendæ legis Mosaicæ zelo ardentes, dicendo legem Mosis esse mortuam, vehementius offenderet, acerbaretque. Audi lector Theodoretum super iis ipsis verbis Pauli hæc scribentem: Atqui, inquit, superiori exemplo conuenienter consequens erat dicere: lex mortificata est, hoc est, cessauit: sed Iudæorum imbecillitatis rationem habens, qui legem Mosis valde amplectebantur; nec hæreticis, qui veteri Testamento sunt infesti, eius accusandæ occasionem dare volens, non dixit legem mortificatam esse, sed dixit nos legi mortificatos esse per baptismum salutarem. Deinde cum resurrexissemus, alteri coniunctos esse, qui ex mortuis resurrexit, hoc est, Domini CHRISTI. Et quia coniunctionem & matrimonium nostrum cum CHRISTO fidem in ipsum appellauit, merito quoque eius matrimonij fructum ostendit dicens: *Vt fructificetis DEO*. Sicut enim mulier fructificat viro suo, ita nos CHRISTO desponsatos, ei fructificare conuenit. Ad hanc fermè sententiam Theodoretus.

20. *Quomodo Christiani sint mortui legi, & ab eius potestate liberati.*

Sed Apostoli verba, quibus docet nos esse mortificatos legi, & eius potestate solutos; difficultatem habent minimè dissimulandam. Lex etenim Mosis, quantum ad obseruantiam decalogi, & moralium præceptorum, non minus obligat Christianos, quàm olim Iudæos obligabat. Si quis verò dicere velit, Paulum loqui hoc loco de lege Mosis, non quantum ad moralia præcepta, sed quantum ad ceremonialia, & iudicialia, quorum virtus & obligatio, publicata mundo euangelij luce, prorsus exoleuit: eam profectò interpretationem atque intellectum, planè respuunt, & excludunt verba, quæ mox subiungit Paulus; pro exemplo legis iam mortuæ afferens præceptum illud decalogi de non concupiscendo. Sic enim ait: *Quid ergo dicemus; lex peccatum est? Absit: nam peccatum non cognoui nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces.* Et verò tota fermè disputatio Pauli, quæ in hoc capite tractatur, circa morale istud præceptum decalogi versatur. Vt igitur propositam difficultatem

tatem expediamus, ſcire conuenit, legem Moſis hîc ſumi à Paulo præcisè, vt eſt nuda littera & Scriptura iubens & vetans; atque ea ratione, vt diſtinguitur à ſpiritu, & gratia Dei, per quam quod iubetur, & vetatur, prompte & iucundè ab homine perficitur. Legis porrò ſic acceptæ ſunt aliquot huiuſmodi conditiones. Primum enim lex vetus iubebat quæ fieri oportebat ab homine, ſed nihil hominem iuuabat ad ea perficienda: quamobrem onerabat hominem præceptis ſuis, non autem, quo ei erat auxilio ſubleuabat. Deinde monſtrabat homini peccata ipſius, & quaſi morbos animi indicabat; ſed ad eos ſanandos nullam efficacem medicinam præbebat. Quapropter, miſer homo, quò apertius per legem morbos ſuos cernebat, quod ab ea nullum percipiebat remedium, eo vehementius de ſtatu ſuo dolere poterat. Ad hæc ſeueriſſime vetabat peccata; ſed quia non ſanabat animi concupiſcentiam, quæ eſt fomes peccati, vetando ipſa peccata, ardentius peccandi libidinem, propter humani animi prauitatem inflammabat. Præterea, ſummo rigore exigebat ab hominibus omnium præceptorum ſuorum, quæ numeroſiſſima erant obſeruantiam: quam quia homines, peccatis debilitati, præſtare non poterant, tenebat eos obnoxios maledictis, & ſuppliciis, quæ in præuaricatores legis conſtituta erant. Adde, quod ſub veteri lege homines, gratia Dei carentes, externam tantùm legis obſeruantiam, quæ coram hominibus iuſtificat; non autem internam, quæ verè iuſtos facit, & gratos Deo, exhibebant. Ad extremum, qui erant ſub lege, nec legi, nec Deo obſequebantur, & ſeruiebant pio quodam voluntatis affectu, & amore honeſtatis ac iuſtitiæ; ſed ſeruili quodam animo, metuq; ſuppliciorum.

Sex conditiones legis vbi non eſt ſpiritus & gratia Dei.

21. Hic erat itaque duriſſimus, & miſerrimus ſtatus legis, & vt vocat B. Petrus, iugum quòd portari non poterat. Et quantum ad huiuſmodi ſtatum, lex dicitur fuiſſe mortua iuſtificatis & ſanctificatis per Christvm: quoniam ab eiuſmodi ſtatu per eius gratiam liberati, & in Chriſtianam libertatem aſſerti ſunt. Et hoc ipſum indicant verba illa eiuſdem Pauli,

Act. 15.

quæ

quæ hoc loco proximè ſequuntur: *Cum*, inquit, *eſſemus in carne, paſsiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, vt fructificarent morti: nunc autem ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita vt ſeruiamus in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate litteræ.* Ad eandem ſententiam pertinet, quod ſupra capite ſexto dixit Paulus: *Peccatum*, inquit, *vobis non dominabitur: non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia.* Conſimili propemodum ratione beatus Auguſtinus, quid ſit, nos mortificatos eſſe legi, interpretatur in libro decimo quinto contra Fauſtum, capite 8. hæc ſcribens: Eccleſia CHRISTI ſponſa, dicitur mortua eſſe legi, id eſt, peccato, quod legis prohibitione fit abundantius, cum lex ſine gratia iubet, non iuuat. Ergo lex ſemper eſt bona, ſiue obſit hominibus gratia vacuis, ſiue proſit gratia plenis. Quemadmodum ſol ſemper eſt bonus, quia omnis creatura DEI bona eſt, ſiue dolentibus oculis noceat, ſiue ſanos mulceat. Proinde quod eſt oculis ſanitas ad videndum ſolem, hoc eſt, gratia mentibus ad implendam legem. Et ſicut oculi ſani non delectationi ſolis moriuntur, ſed illis ictibus aſperis radiorum, quibus ægri reuerberati, in denſiores tenebras pellebantur: ita etiam anima, quæ per charitatem ſpiritus ſalua facta eſt, non iuſtitiæ legis mortua dicitur, ſed illi reatui, & præuaricationi, quam lex per litteram, cum gratia defuit, faciebat. Sic Auguſtinus. Ad hoc etiam ſpectare videtur illa B. Ioannis ſententia: *Lex per Moyſem data eſt, gratia & veritas per IESVM CHRISTVM facta eſt.*

S. Auguſtinus.

1. Tim. 4.

Ioan. 1.

SEXTA DISPVTATIO.

An ex supradicta B. Pauli sententia liceat argumentari (sicut argumentantur hæretici huius temporis) Christianos esse per CHRISTVM *à legis obseruatione liberatos.*

22.
Sententia hæreticorum, & Scripturæ testimonia.

QVONIAM hoc loco Apostolus ait, nos esse per corpus CHRISTI mortificatos legi, & lege solutos: & supra capite sexto dixit, Christianos non esse sub lege, sed sub gratia; ex eo argumentantur hæretici huius temporis, Christianos esse per CHRISTVM à legis obseruandæ obligatione absolutos. Loquuntur autem de obseruatione legis non modo quantum ad ceremonialia, & iudicialia, sed etiam quantum ad moralia, ipsumque decalogum. Ad id verò probandum, præter duas Pauli sententias proximè memoratas, congerunt plures alias eiusdem, præsertim verò ex epistola eius ad Galatas, velut est illa: *Priusquam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi: itaq; lex pædagogus noster fuit in* CHRISTO. *At vbi venit fides, iam non sumus sub pædagogo.* Et item illa: *Misit* DEVS FILIVM *suum factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.* Et illa: *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Quo etiam in loco vetus Testamentum, & legem veterem, comparat Agar ancillæ; legem verò, & Testamentum nouum Saræ vxori Abrahæ. Dictum autem fuit Abrahæ: *Eiice ancillam, & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Quam allegoriam concludit Paulus his verbis: *Itaq; fratres non sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate* CHRISTVS *nos liberauit.* Et commemoratis

Ad Gal. 3. 4. 5.

Gen. 21.

ratis fructibus spiritus, subdit: *Aduersus huiusmodi non est lex.* Et posterioris ad Corinthios epistolæ capite 3. Paulus ait: *Vbi est SPIRITVS Domini, ibi libertas.* Præcipue verò vrgent sententiam illam Pauli ad Timotheum 1. *Iusto non est lex posita, sed iniustis & non subditis.* His itaque, aliisque similibus Scripturæ sententiis conclusum putant hæretici, omnes, qui per CHRISTI fidem iustificati sunt, legis vinculo, & obligatione exolutos esse. Quocirca negant CHRISTVM venisse in hunc mundum, vt iudicem atque legislatorem, sed solùm vt redemptorem atque saluatorem.

23. *Caluinus.*

Audiat lector Caluini sententiam super illis Pauli verbis ad Galatas 4. *Misit DEVS FILIVM suum factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.* ô miserabilem, inquit, inscitiam, ô perniciosum errorem prædicantium, CHRISTVM tanquam nouum legislatorem: quasi veterem legem Iudæorum abrogauerit, vt nouam Christianis hominibus legem imponeret. Non id fuit CHRISTI officium, sicut ipse dixit: *Non misit DEVS FILIVM suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Et alio loco: *Ego*, inquit, *non iudico quemquam.* Non habuit profecto CHRISTVS id operis ac muneris, vt nouam institueret legem: sed vt ab hominum ceruicibus seruile illud legis iugum auferret. Hoc illud est quod Paulus clamat, DEVM misisse FILIVM suum factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret. Nostri verò nouitij Theologi, diuino aduersantes consilio, pro liberatore legislatorem, qui nos in durissimam trudat seruitutem, suscipiendum docent. Sic iste.

Ioan 3.

Ioan. 5.

24. *Inconstantia Caluini.*

Quanquam idem Caluinus in hoc septimum caput huius epistolæ super iisdem illis verbis, quę nunc tractamus: *Itaque, fratres mei, & vos mortificati estis legi per corpus CHRISTI*, docet, Christianos liberatos esse ab obseruatione legis, non omnino, sed à lege tantùm ceremoniali, quæ Mosis ministerio propria erat. Sic enim scribit: Tenendum est, Paulum eam duntaxat legis partem, quæ propria est Mosis ministerio, hic attingere. Nam quatenus decem præceptis tradidit

DEVS quid rectum sit, vitamque nostram instituit, nulla somnianda est legis abrogatio, quia vigere perpetuò debet DEI voluntas. Itaq; diligenter meminerimus, non esse hanc à iustitia, quæ in lege docetur, solutionem, sed à rigida exactione, & ab ea quæ inde sequitur, maledictione. Non ergo bene viuendi regula, quam lex præscribit, abrogata est, sed qualitas illa, quæ libertati per CHRISTVM partæ opponitur, nempe dum summam perfectionem requirit, & quia eam non præstamus, constringit nos sub reatu mortis æternæ. Idem quoque super illis verbis Pauli, quæ sunt in capite sexto huius epistolæ: *Sed neque exhibeatis membra vestra, membra iniquitatis peccato; sed exhibete vos DEO, tanquam ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ DEO.* Viderint, inquit, hoc loco, quo iure Christianum nomen fastuosè ostendant, quorum singula membra, tanquam Satanæ prostibula, in omnem fœditatem propetrandam parata sunt. Contra enim nunc iubet Apostolus, vt nos totos sistamus DEO: nempe vt ab omni vagatione mentem atque animum coërcentes, in quam nos abstrahunt carnis cupiditates, vnius DEI nutum intueamur, ad eius excipienda iussa intenti, & ad exequenda eius mandata accincti. Membra quoque nostra illius arbitrio destinata sunt & consecrata, vt nihil quàm eius gloriam spirent omnes animæ ac corporis nostri facultates, quia non frustra Dominus, abolita priori vita, in aliam nos creauit, quam actiones debent imitari. Hæc ille. Verùm quod supra dixi de liberatione Christianorum ab obseruatione legis, commune est & ipsius Caluini pluribus aliis in locis, & Caluinistarum & Lutheranorum dogma.

25. *Christum fuisse legislatorem.*

Sed enim doctrinam hanc, vt falsam, & impiam, condemnarunt Patres concilij Tridentini, condito aduersus eam canone trigesimo primo in decreto de iustificatione: & in sessione sexta, his verbis: si quis dixerit, CHRISTVM IESVM à DEO hominibus datum fuisse vt redemptorem, cui fidant; non etiam vt legislatorem, cui obediant; anathema sit. Ac meritò sanè, eiusmodi doctrina damnatur, cum sit planè

planè contraria doctrinæ Propheticæ veteris Testamenti, & Euangelicæ, & Apostolicæ. Propheticæ quidem, quia Esaias apertis verbis de MESSIA vaticinatus est: *Dominus iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse saluabit nos.* Quib. verbis tria esse futura CHRISTI munera, prænuntiauit Esaias, Iudicis, Legislatoris, & Regis. Idemq; antè cap. 2. loquens de tempore aduentus MESSIÆ: *Erit*, inquit, *in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium; & fluent ad eum omnes gentes, & dicent: Venite ascendamus ad domum Domini & ad domum DEI Iacob, & docebit nos vias suas, ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem.* DEVS etiam per Ieremiam capite 31. pollicetur, se in diebus MESSIÆ, reiecto veteri Testamento, conditurum esse nouum pactum cum hominibus: *Dabo*, inquit, *legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Et per Ezechielem capite 36. loquens item de tempore MESSIÆ: *Dabo*, inquit, *vobis cor nouum, & SPIRITVM meum ponam in medio vestri: & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis & operemini.*

Locus Esa. 33.

26. Aduersatur præterea hæc hæreticorum sententia doctrinæ Euangelicæ. CHRISTVS etenim in eo sermone, quem habuit in monte, satis apertè declarauit, se legislatorem esse; nam cùm diceret: *Audistis quia dictum est antiquis hoc & hoc*, continuò subiungebat: *Ego autem dico vobis*, quo significabat, se leges condere nouas. Et apud Ioannem in illo planè cœlesti sermone, quem habuit post vltimam suam cœnam in terris: *Qui habet*, inquit, *mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me:* Et, *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea:* Et, *Vos amici mei eritis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Cumq; post resurrectionem Apostolos mitteret prædicatum cunctis Gentibus Euangelium, dixit eis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine PATRIS, & FILII, & SPIRITVS sancti: docentes seruare omnia quæcunque mandaui vobis.* Quæ verba explanans sanctus Hieronymus, Iussit, inquit, Apostolos primum docere vniuersas gentes; tum Fidei

Matth. 5.
Ioan. 14.
Infra 16.
Matth. vlt.
S. Hieronym.

dissolubile matrimonium, eo potissimùm constat, quod est Sacramentum, hoc est, sacrum signum indissolubilis coniunctionis DIVINITATIS, cum humanitate in CHRISTO Domino, & ipsius CHRISTI cum Ecclesia eius sponsa: idque spectans Paulus, cum in capite quinto epistolæ ad Ephesios cōmemorasset illa verba: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ*, continuò illud adiunxit: *Sacramentum hoc magnum est: Ego autem dico in CHRISTO & in Ecclesia.* Ex hac porrò Sacramenti ratione multifariam argumentatur Augustinus matrimonij vinculum inter Christianos esse prorsus indissolubile. Sic enim scribit in capite decimo septimo libri primi de nuptiis & concupiscentia: In nuptiis bona nuptialia diliguntur, proles, fides, & Sacramentum. Sacramentum dico, quod nec separati, nec adulterati, nec spe prolis amissa, amittunt coniuges. Et in capite vigesimo quarto libri de bono coniugali, Sacramentum coniugij comparat cum Sacramento baptismi, & Ordinis, quod non amittunt, etiam qui per excommunicationem seggregati sunt ab Ecclesia.

Genes. 2.
Locus epistolæ ad Ephesios capite 5.
S. Augustinus.

QVARTA DISPVTATIO.

An supradicta doctrina contraria sit B. Ambrosij sententia.

15. TERTIVM denique, quod aduersus omninò indissolubile matrimonij vinculum afferri, & opponi nobis posset, est auctoritas B. Ambrosij, quam magnificat Caietanus, tanquam magnum & firmum suæ opinationis fundamentum. Ambrosius etenim in septimum caput prioris epistolæ ad Corinthios illa verba, quibus iubet Paulus mulierem, si à viro suo discesserit,

rit, vel ei reconciliari, vel dum is viuit, innuptam permanere, hæc, inquam, verba explanans Ambrosius, docet, mulieri quidem non licere, secundum doctrinam Euangelicam, & Apostolicam, viuente marito suo, alteri nubere; sicut viro, qui est caput mulieris, concessum est, iustè repudiata vxore, alteram ducere. Ambrosij verba sunt hæc: Non permittitur mulieri vt nubat, si virum suum fornicationis causa dimiserit, aut Apostasiæ; aut si impellēte lasciuia vsum quærat vxoris inuertere: quia inferior non omninò hac lege vtitur, qua potior. Si tamen apostataret vir, aut vsum quæreret vxoris inuertere, nec alij potest nubere mulier, nec reuerti ad illum. Cùm verò Paulus dicit: *Et virum non dimittere vxorem suam*, subaudiendum est, excepta fornicationis causa. Et ideo non subiecit dicens, sicut de muliere: *Quod si discesserit, maneat sic.* quia viro licet ducere vxorem aliam, si priorem dimiserit vxorem peccantem, quia non ita lege constringitur vir, sicut mulier, caput enim mulieris vir est. Hæc Ambrosius. Magister sententiarum hunc Ambrosij locum citans, ita scribit: Ambrosius ait, ideo Paulum non dixisse de viro; quod de muliere dixerat, vt si discesserit ab vxore, non aliam ducat, quia viro aliam licet ducere vxorem. Sed hoc à falsariis in Ambrosij libro positum creditur. Supplendum enim esse in viro, quod de vxore præmisit Apostolus, apertè docet Augustinus. Quare, inquit, non addidit de viro, quod præmiserat de muliere, nisi quia similem formam vult intelligi; vt si dimiserit vxorem (quod causa fornicationis permittitur) maneat sine vxore, aut reconcilietur vxori. Hæc Magister.

1. ad Cor. 11.

Mag. sententiarum.

16. Ad hanc obiectionem ex Ambrosij auctoritate ac sententia ductam variè potest responderi. Magister certè sententiarum in 4. dist. 35. & Gratianus 32. Quæst. 7. respondent, verba illa non esse Ambrosij, sed fuisse à falsariis deprauata, & Ambrosij commentariis inserta. Alij respondent, illam quidem esse Ambrosij sententiam, sed quia est contra doctrinam Ecclesiæ communem, tot Conciliorum, & summo-

rum Pontificum decretis, totque Patrum testimoniis comprobatam, minimè admittendam esse, & vnius Ambrosij opinioni communem tot Patrum, atque adeò ipsius Ecclesiæ sententiam esse anteponendam. Ego propensior sum in opinionem eorum, qui satis multis, & bonis ducti coniecturis, putant commentarios istos in Pauli epistolas, qui vulgo Ambrosij nomine feruntur, non esse sancti Ambrosij. Certè Ambrosium abhorruisse ab ista sententia, quam ex istis commentariis in septimum caput prioris epistolæ ad Corinthios prolatam dudum commemorauimus, multis argumentis persuaderi potest. Principiò, non fit credibile, beatum Ambrosium non intellexisse (quod est tamen apertum, & facilè ad intelligendum) eandem esse rationem, idemque ius viri ac fœminæ circa dissolutionem matrimonij, nec vni licere, quod alteri quoque non sit licitum. Sicut enim mulier (vt Paulus ait) potestatem corporis sui non habet, sed vir: ita quoque vir sui corporis potestatem non habet, sed vxor eius. Deinde sanctus Ambrosius in commentariis in Lucam, quos esse verum ipsius partum & opus, extra dubitationem est, super illis verbis Domini cap. 16. quibus loquitur de dimissione vxoris, probare multis verbis contendit, matrimonium, respectu vtriusque coniugis, nullam ob causam aliam dissolui posse, nisi religionis & fidei gratia, altero coniugum ad fidem conuerso, cùm alter in sua impietate obfirmatus, permaneat. Adhæc, si ea fuisset Ambrosij sententia, B. Augustinus, qui scriptorum Ambrosij studiosissimus fuit, & curiosissimus perscrutator, & obseruator, eam silentio nequaquam præteriisset in duobus illis libris, quos de adulterinis coniugiis scripsit ad Pollentium, in quibus super hac re diligenter & copiosè disputauit: eamque pro se citasset Pollentius, si eo tempore in scriptis Ambrosij fuisset.

Qui vulgo feruntur cōmentarij in epistolas B. Pauli nomine Ambrosij, eos non esse S. Ambrosij.

1. ad Cor. 7.

17\. Adiice, quod in vetustissimis Bibliothecis non alius reperitur Ambrosij commentarius in epistolas Pauli, quàm in solam epistolam ad Romanos: quos tamen commentarios Cassiodorus in libro de diuinis institutionibus affirmat,

Cassiodorus.

mat, ſuo tempore euulgatos fuiſſe ſub nomine Gelaſij Papæ; quos ait erroribus ſcatentes Pelagianorum, à ſe perpurgatos eſſe: alios verò commentarios Ambroſij in reliquas Pauli epiſtolas in omnibus Italiæ bibliothecis diu & multum à ſe conquiſitos, negat inueniri potuiſſe. Si qui autem fuiſſent, eos proculdubio Caſſiodorus, vir, cui omnia abunde ſuppetebant, ad eos perueſtigandos & inueniendos, comperiſſet. Verùm quia de hac noſtra opinione ſuper iſtis Ambroſij commentariis, & ſupra non ſemel diſſeruimus; & infrà ſuper illis Pauli verbis, quæ ſunt in hoc ipſo cap. 7. *Scimus quia lex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato.* nonnihil etiam dicturi ſumus, ſatis lectori hoc loco eſſe debet, quod nunc ſtrictim attigimus.

QVINTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Itaque fratres mei, & vos mortificati eſtis legi per corpus CHRISTI, vt ſimus alterius qui ex mortuis reſurrexit, & fructificemus DEO.

Verſu 4.

HVNC locum explanans Ambroſius ita ſcribit: Quoniam SALVATOR noſter corpus ſuum diabolo crucifigere permiſit, ſciens id pro nobis eſſe, & contra illum: idcirco per corpus CHRISTI ſaluos nos dicit eſſe factos. Mori autem legi, DEO viuere eſt: quia lex dominatur peccatoribus. Cui ergo donantur peccata, moritur legi; hoc autem eſt liberari à lege: per corpus itaque CHRISTI hoc beneficium conſequimur. Tradens enim corpus ſuum SALVATOR mortem vicit, & peccatum damnauit: in ipſum enim peccauit diabolus, cum

18. *Ambroſius.*

illum innocentem occidit, qui peccatum omnino nesciebat. Cum enim hominem peccati causa sibi assereret, & defenderet, iuuentus est in eo reus, in quo accusabat. Hinc factum est, vt omnes in CHRISTVM dignè credentes, eruantur à lege, sublato videlicet peccato: quia victum peccatum, & per ipsum etiam victus diabolus, non habet auctoritatem in eos, qui pertinent ad CHRISTVM, à quo ille victus est. Dum enim CHRISTVS non peccat, & occiditur, quasi reus vicit peccatum de peccato, hoc est, diabolum proprio peccato, quod in ipsum admisit, damnauit, & chirographum, quod peccato Adæ decretum erat, deleuit, quando ab inferis resurrexit: data scilicet sibi credentibus simili forma, vt à morte secunda teneri non possent. Hac itaque ratione credentes in CHRISTVM mortui sumus legi per corpus eius. Sic ille.

Ad Coloss. 2.

19. Quod itaque initio huius capitis Apostolus dixit de muliere tam diu per vinculum matrimonij alligata viro suo, quo ad is vixerit; & quod eo mortuo, soluta sit & libera, vt legitime possit alij viro nubere: id nunc supradictis verbis applicat ad legem Mosis, & ad credentes in CHRISTVM, & per ipsum iustificatos. Facit enim legem Mosis quasi virum; vxorem autem eius, eos, qui lege Mosis prius tenebantur: indicans, ante CHRISTI aduentum, & passionem, fuisse homines fideles alligatos legi Mosis: atq; eius potestati subiectos: sed per corporalem CHRISTI passionem & mortem (quod Paulus hoc loco vocat, corpus CHRISTI) solutos esse homines, & liberatos potestate legis, & alteri viro, id est, CHRISTO ex mortuis resurgenti, per spirituale fidei & charitatis matrimonium esse coniunctos. Sicut ipse Paulus alio in loco ait: *Despondi vos vni viro, virginem castam exhibere CHRISTO.* Sed aduertat lector, debuisse Apostolum, secundum rectam rationis, & disputationis consequentiam, dicere, legem esse mortuam nobis per corpus CHRISTI: verùm commutata oratione, maluit dicere, nos esse mortuos, siue mortificatos legi: ob eam nempe causam (vt interpretatur Theodoretus)

2. Ad Cor. 7.

Theodoretus.

doretus) ne Iudæos, nimio tuendæ legis Mosaicæ zelo ardentes, dicendo legem Mosis esse mortuam, vehementius offenderet, acerbaretque. Audi lector Theodoretum super iis ipsis verbis Pauli hæc scribentem: Atqui, inquit, superiori exemplo conuenienter consequens erat dicere: lex mortificata est, hoc est, cessauit: sed Iudæorum imbecillitatis rationem habens, qui legem Mosis valde amplectebantur; nec hæreticis, qui veteri Testamento sunt infesti, eius accusandæ occasionem dare volens, non dixit legem mortificatam esse, sed dixit nos legi mortificatos esse per baptismum salutarem. Deinde cum resurrexissemus, alteri coniunctos esse, qui ex mortuis resurrexit, hoc est, Domini CHRISTI. Et quia coniunctionem & matrimonium nostrum cum CHRISTO fidem in ipsum appellauit, merito quoque eius matrimonij fructum ostendit dicens: *Vt fructificetis DEO*. Sicut enim mulier fructificat viro suo, ita nos CHRISTO desponsatos, ei fructificare conuenit. Ad hanc fermè sententiam Theodoretus.

20. *Quomodo Christiani sint mortui legi, & ab eius potestate liberati.*

Sed Apostoli verba, quibus docet nos esse mortificatos legi, & eius potestate solutos; difficultatem habent minimè dissimulandam. Lex etenim Mosis, quantum ad obseruantiam decalogi, & moralium præceptorum, non minus obligat Christianos, quàm olim Iudæos obligabat. Si quis verò dicere velit, Paulum loqui hoc loco de lege Mosis, non quantum ad moralia præcepta, sed quantum ad ceremonialia, & iudicialia, quorum virtus & obligatio, publicata mundo euangelij luce, prorsus exoleuit: eam profecto interpretationem atque intellectum, planè respuunt, & excludunt verba, quæ mox subiungit Paulus; pro exemplo legis iam mortuæ afferens præceptum illud decalagi de non concupiscendo. Sic enim ait: *Quid ergo dicemus; lex peccatum est? Absit: nam peccatum non cognoui nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces.* Et verò tota fermè disputatio Pauli, quæ in hoc capite tractatur, circa morale istud præceptum decalogi versatur. Vt igitur propositam difficultatem

tatem expediamus, ſcire conuenit, legem Moſis hîc ſumi à Paulo præcisè, vt eſt nuda littera & Scriptura iubens & vetans; atque ea ratione, vt diſtinguitur à ſpiritu, & gratia DEI, per quam quod iubetur, & vetatur, prompte & iucundè ab homine perficitur. Legis porrò ſic acceptæ ſunt aliquot huiuſmodi conditiones. Primum enim lex vetus iubebat quæ fieri oportebat ab homine, ſed nihil hominem iuuabat ad ea perficienda: quamobrem onerabat hominem præceptis ſuis, non autem, quo ei erat auxilio ſubleuabat. Deinde monſtrabat homini peccata ipſius, & quaſi morbos animi indicabat; ſed ad eos ſanandos nullam efficacem medicinam præbebat. Quapropter, miſer homo, quò apertius per legem morbos ſuos cernebat, quod ab ea nullum percipiebat remedium, eo vehementius de ſtatu ſuo dolere poterat. Ad hæc ſeueriſſime vetabat peccata; ſed quia non ſanabat animi concupiſcentiam, quæ eſt fomes peccati, vetando ipſa peccata, ardentius peccandi libidinem, propter humani animi prauitatem inflammabat. Præterea, ſummo rigore exigebat ab hominibus omnium præceptorum ſuorum, quæ numeroſiſſima erant obſeruantiam: quam quia homines, peccatis debilitati, præſtare non poterant, tenebat eos obnoxios maledictis, & ſuppliciis, quæ in præuaricatores legis conſtituta erant. Adde, quod ſub veteri lege homines, gratia DEI carentes, externam tantùm legis obſeruantiam, quæ coram hominibus iuſtificat; non autem internam, quæ verè iuſtos facit, & gratos DEO, exhibebant. Ad extremum, qui erant ſub lege, nec legi, nec DEO obſequebantur, & ſeruiebant pio quodam voluntatis affectu, & amore honeſtatis ac iuſtitiæ; ſed ſeruili quodam animo, metuq; ſuppliciorum.

Sex conditiones legis ubi non eſt ſpiritus & gratia DEI.

21. Hic erat itaque duriſſimus, & miſerrimus ſtatus legis, & vt vocat B. Petrus, iugum quòd portari non poterat. Et quantum ad huiuſmodi ſtatum, lex dicitur fuiſſe mortua iuſtificatis & ſanctificatis per CHRISTVM: quoniam ab eiuſmodi ſtatu per eius gratiam liberati, & in Chriſtianam libertatem aſſerti ſunt. Et hoc ipſum indicant verba illa eiuſdem Pauli,

Act. 15.

quæ

quæ hoc loco proximè ſequuntur: *Cum*, inquit, *eſſemus in carne, paſsiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, vt fructificarent morti: nunc autem ſoluti ſumus à lege mortis, in qua detinebamur, ita vt ſeruiamus in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate litteræ.* Ad eandem ſententiam pertinet, quod ſupra capite ſexto dixit Paulus: *Peccatum*, inquit, *vobis non dominabitur: non enim ſub lege eſtis, ſed ſub gratia.* Conſimili propemodum ratione beatus Auguſtinus, quid ſit, nos mortificatos eſſe legi, interpretatur in libro decimo quintó contra Fauſtum, capite 8. hæc ſcribens: Eccleſia CHRISTI ſponſa, dicitur mortua eſſe legi, id eſt, peccato, quod legis prohibitione fit abundantius, cum lex ſine gratia iubet, non iuuat. Ergo lex ſemper eſt bona, ſiue obſit hominibus gratia vacuis, ſiue proſit gratia plenis. Quemadmodum ſol ſemper eſt bonus, quia omnis creatura DEI bona eſt, ſiue dolentibus oculis noceat, ſiue ſanos mulceat. Proinde quod eſt oculis ſanitas ad videndum ſolem, hoc eſt, gratia mentibus ad implendam legem. Et ſicut oculi ſani non delectationi ſolis moriuntur, ſed illis ictibus aſperis radiorum, quibus ægri reuerberati, in denſiores tenebras pellebantur: ita etiam anima, quæ per charitatem ſpiritus ſalua facta eſt, non iuſtitiæ legis mortua dicitur, ſed illi reatui, & præuaricationi, quam lex per litteram, cum gratia defuit, faciebat. Sic Auguſtinus. Ad hoc etiam ſpectare videtur illa B. Ioannis ſententia: *Lex per Moyſem data eſt, gratia & veritas per IESVM CHRISTVM facta eſt.*

S. Auguſtinus.

1. Tim. 4.

Ioan. 1.

SEXTA DISPVTATIO.

An ex supradicta B. Pauli sententia liceat argumentari (sicut argumentantur hæretici huius temporis) Christianos esse per CHRISTVM *à legis obseruatione liberatos.*

22. *Sententia hæreticorum, & Scripturæ testimonia.*

QVONIAM hoc loco Apostolus ait, nos esse per corpus CHRISTI mortificatos legi, & lege solutos: & supra capite sexto dixit, Christianos non esse sub lege, sed sub gratia; ex eo argumentantur hæretici huius temporis, Christianos esse per CHRISTVM à legis obseruandæ obligatione absolutos. Loquuntur autem de obseruatione legis non modo quantum ad ceremonialia, & iudicialia, sed etiam quantum ad moralia, ipsumque decalogum. Ad id verò probandum, præter duas Pauli sententias proximè memoratas, congerunt plures alias eiusdem, præsertim verò ex epistola eius ad Galatas, velut est illa: *Prinsquam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi: itaq; lex pædagogus noster fuit in* CHRISTO. *At vbi venit fides, iam non sumus sub pædagogo.* Et item illa: *Misit* DEVS FILIVM *suum factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.* Et illa: *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Quo etiam in loco vetus Testamentum, & legem veterem, comparat Agar ancillæ; legem verò, & Testamentum nouum Saræ vxori Abrahæ. Dictum autem fuit Abrahæ: *Eiice ancillam, & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Quam allegoriam concludit Paulus his verbis: *Itaq; fratres non sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate* CHRISTVS *nos liberauit.* Et commemoratis

Ad Gal. 3. 4. 5.

Gen. 21.

ratis fructibus spiritus, subdit: *Aduersus huiusmodi non est lex.* Et posterioris ad Corinthios epistolæ capite 3. Paulus ait: *Vbi est SPIRITVS Domini, ibi libertas.* Præcipue verò vrgent sententiam illam Pauli ad Timotheum 1. *Iusto non est lex posita, sed iniustis & non subditis.* His itaque, aliisque similibus Scripturæ sententiis conclusum putant hæretici, omnes, qui per CHRISTI fidem iustificati sunt, legis vinculo, & obligatione exolutos esse. Quocirca negant CHRISTVM venisse in hunc mundum, vt iudicem atque legislatorem, sed solùm vt redemptorem atque saluatorem.

23. Caluinus.

Audiat lector Caluini sententiam super illis Pauli verbis ad Galatas 4. *Misit DEVS FILIVM suum factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.* ô miserabilem, inquit, inscitiam, ô perniciosum errorem prædicantium, CHRISTVM tanquam nouum legislatorem: quasi veterem legem Iudæorum abrogauerit, vt nouam Christianis hominibus legem imponeret. Non id fuit CHRISTI officium, sicut ipse dixit: *Non misit DEVS FILIVM suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Et alio loco: *Ego*, inquit, *non iudico quemquam.* Non habuit profectò CHRISTVS id operis ac muneris, vt nouam institueret legem: sed vt ab hominum ceruicibus seruile illud legis iugum auferret. Hoc illud est quod Paulus clamat, DEVM misisse FILIVM suum factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret. Nostri verò nouitij Theologi, diuino aduersantes consilio, pro liberatore legislatorem, qui nos in durissimam trudat seruitutem, suscipiendum docent. Sic iste.

Ioan 3. Ioan. 5.

24. Inconstantia Caluini.

Quanquam idem Caluinus in hoc septimum caput huius epistolæ super iisdem illis verbis, quę nunc tractamus: *Itaque, fratres mei, & vos mortificati estis legi per corpus CHRISTI*, docet, Christianos liberatos esse ab obseruatione legis, non omnino, sed à lege tantùm ceremoniali, quæ Mosis ministerio propria erat. Sic enim scribit: Tenendum est, Paulum eam duntaxat legis partem, quæ propria est Mosis ministerio, hic attingere. Nam quatenus decem præceptis tradidit

DEVS quid rectum sit, vitamque nostram instituit, nulla somnianda est legis abrogatio, quia vigere perpetuò debet DEI voluntas. Itaq; diligenter meminerimus, non esse hanc à iustitia, quæ in lege docetur, solutionem, sed à rigida exactione, & ab ea quæ inde sequitur, maledictione. Non ergo bene viuendi regula, quam lex præscribit, abrogata est, sed qualitas illa, quæ libertati per CHRISTVM partæ opponitur, nempe dum summam perfectionem requirit, & quia eam non præstamus, constringit nos sub reatu mortis æternæ. Idem quoque super illis verbis Pauli, quæ sunt in capite sexto huius epistolæ: *Sed neque exhibeatis membra vestra, membra iniquitatis peccato; sed exhibete vos DEO, tanquam ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ DEO.* Viderint, inquit, hoc loco, quo iure Christianum nomen fastuosè ostendant, quorum singula membra, tanquam Satanæ prostibula, in omnem fœditatem propetrandam parata sunt. Contra enim nunc iubet Apostolus, vt nos totos sistamus DEO: nempe vt ab omni vagatione mentem atque animum coërcentes, in quam nos abstrahunt carnis cupiditates, vnius DEI nutum intueamur, ad eius excipienda iussa intenti, & ad exequenda eius mandata accincti. Membra quoque nostra illius arbitrio destinata sunt & consecrata, vt nihil quàm eius gloriam spirent omnes animæ ac corporis nostri facultates, quia non frustra Dominus, abolita priori vita, in aliam nos creauit, quam actiones debent imitari. Hæc ille. Verùm quod supra dixi de liberatione Christianorum ab obseruatione legis, commune est & ipsius Caluini pluribus aliis in locis, & Caluinistarum & Lutheranorum dogma.

25. *Christum fuisse legislatorem.*

Sed enim doctrinam hanc, vt falsam, & impiam, condemnarunt Patres concilij Tridentini, condito aduersus eam canone trigesimo primo in decreto de iustificatione: & in sessione sexta, his verbis: si quis dixerit, CHRISTVM IESVM à DEO hominibus datum fuisse vt redemptorem, cui fidant; non etiam vt legislatorem, cui obediant; anathema sit. Ac meritò sanè, eiusmodi doctrina damnatur, cum sit planè

planè contraria doctrinæ Propheticæ veteris Testamenti, & Euangelicæ, & Apostolicæ. Propheticæ quidem, quia Esaias apertis verbis de MESSIA vaticinat⁹ est: *Dominus iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse saluabit nos.* Quib. verbis tria esse futura CHRISTI munera, prænuntiauit Esaias, Iudicis, Legislatoris, & Regis. Idemq; antè cap. 2. loquens de tempore aduentus MESSIÆ: *Erit*, inquit, *in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium; & fluent ad eum omnes gentes, & dicent: Venite ascendamus ad domum Domini & ad domum DEI Iacob, & docebit nos vias suas, ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem.* DEVS etiam per Ieremiam capite 31. pollicetur, se in diebus MESSIÆ, reiecto veteri Testamento, conditurum esse nouum pactum cum hominibus: *Dabo*, inquit, *legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Et per Ezechielem capite 36. loquens item de tempore MESSIÆ: *Dabo*, inquit, *vobis cor nouum, & SPIRITVM meum ponam in medio vestri: & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis & operemini.*

Locus Esa. 33.

26. Aduersatur præterea hæc hæreticorum sententia doctrinæ Euangelicæ. CHRISTVS etenim in eo sermone, quem habuit in monte, satis apertè declarauit, se legislatorem esse; nam cùm diceret: *Audistis quia dictum est antiquis hoc & hoc*, continuò subiungebat: *Ego autem dico vobis*, quo significabat, se leges condere nouas. Et apud Ioannem in illo planè cœlesti sermone, quem habuit post vltimam suam cœnam in terris: *Qui habet*, inquit, *mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me:* Et, *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea:* Et, *Vos amici mei eritis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* Cumq; post resurrectionem Apostolos mitteret prædicatum cunctis Gentibus Euangelium, dixit eis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine PATRIS, & FILII, & SPIRITVS sancti: docentes seruare omnia quæcunque mandaui vobis.* Quæ verba explanans sanctus Hieronymus, Iussit, inquit, Apostolos primum docere vniuersas gentes; tum Fidei

Matth. 5.

Ioan. 14.

Infra 16.

Matth. vlt.

S. Hieronym.

tingere Sacramento; & post fidem & baptisma; quæcumque obseruanda essent, præcipere: ac ne putaremus leuia esse & pauca, quæ sint obseruanda, addidit: *Omnia quæcumque mandaui vobis.* Eodem spectat illa Domini sententia: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.*

Matth. 19.

27. Repugnat demùm ista hæreticorum sententia, doctrinæ Apostolicæ. An Paulus non facit CHRISTVM legislatorem, dicens: *Cùm ego sine lege non essem, sed essem in lege* CHRISTI? Nónne ad Christianos scribens cap. 13. *Plenitudo*, inquit, *legis est dilectio?* Et ad Galat. 5. *Omnis lex in vno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Et ad Galatas 6. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem* CHRISTI. Et ad Romanos 3. *Legem ergo destruimus per fidem? Absit: sed legem statuimus.* Et ad Romanos 2. *Non auditores legis iusti sunt apud* DEVM; *sed factores legis iustificabuntur.* Ex his apparet, CHRISTVM fuisse non modò redemptorem, sed etiam legislatorem. Esse porrò Iudicem, multifariam in diuina scriptura, proditum est. *Qui iudicat me*, inquit Paulus, *Dominus est.* Et ad Romanos 2. *Thesaurizas tibi iram in die iræ, & iusti iudicij* DEI. Et ipse Dominus in Euangelio Matthæi cap. 16. declarauit, quemadmodum iudicaturus esset omnes homines. Et apud Ioannem capite quinto: PATER, *inquit, omne iudicium dedit* FILIO; *& potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est.* Et beatus Petrus Actorum 10. *Præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est qui constitutus est à* DEO *iudex viuorum, & mortuorum.* Eandem sententiam dixit Paulus Atheniensibus Actorum 17.

1. ad Cor. 4.

28. Restat vt rationes initio huius disputationis positas, quibus hæretici concludi putant, Christianos esse à legis obseruatione liberatos, dissoluamus. Et quia plures B. Pauli sententiæ ex epistola eius ad Galatas nobis obiectæ sunt, vt earum solutio expeditior sit, scire conuenit, Apostolum illic reiicere obseruationes legis Mosaicæ duplici nomine: tum quantum ad præcepta cæremonialia; eorum namque obseruationem, vnà cum Euangelio necessariam esse ad salutem æter-

Solutio cõtrariarum rationum.

æternam, decepti à Pseudoprophetis Galatæ arbitrabantur, vt ex totius in ea epistola disputationis Pauli decursu manifestum est. Sed ne putarent Galatæ, se per Euangelium ab obseruatione moralium præceptorum esse liberatos, cautè Apostolus adiunxit illa verba: *Vos in libertatem*, inquit, *vocati estis, fratres: tantùm ne libertatem in occasionem detis carnis.* Quæ verba S. Hieronymus in suo commentario explanans docet, ea verba dixisse Paulum contra nonnullos, qui specie obtentuq; libertatis Euangelicæ, profitebantur licere Christianis quicquid liberet, eosque nullius legis & præceptorum vinculis adstrictos teneri. Deinde Apostolus reiicit ibi legem Mosis etiam quantum ad præcepta moralia: non quidem dicens, ea non esse Christianis seruanda, sed ostendens, per solam moralium præceptorum obseruationem, sine fide & gratia CHRISTI factam, non posse hominem iustificari. Deniq;, quia lex Mosis fuit pædagogus, ducens hominem ad CHRISTVM, verum magistrũ & saluatorẽ; docet Paulus præsente iam CHRISTO, eiusq; fide, & gratia homini donata, nõ esse amplius ei opus pędagogo; legemq; suo iam munere perfunctam, deinceps vacare. Affirmat præterea ibi Apostolus, CHRISTVM liberasse nos à maledicto legis, & redemisse eos qui erant sub lege. Eo quod homines sine fide, & gratia CHRISTI, non poterant implere legem, ideoque incurrebant in maledictiones, & supplicia transgressoribus legis constituta: ab hoc autem miserabili statu per CHRISTVM liberati sumus.

29. *Locus 2. epist. ad Cor. cap. 3.*

Illa verò Pauli sententia: *Vbi SPIRITVS Domini, ibi libertas.* Intelligenda est de libertate hominis à seruitute peccati, Diaboli, carnis, & mundi; & à seruili timore, quo legi, & DEO seruitur, non amore iustitiæ, sed metu supplicij. Philosophi sanè definiunt id esse liberum, quod sui gratia est: violentum autem esse id, cuius principium extra est, passo non conferente vim. Quoniam autem iusti homines DEO seruiunt, ipsius causa, & propter ipsum, eiusque præceptis voluntariè ac libẽter obediunt: & quamuis nulla esset lex, nullumque supplicium in legis violatores, nihilominus tamen

tamen facerent libenter, quodcumque DEO gratum acceptumque cognoscerent: verissimè dicuntur liberè agere, & viuere. Nam vt in libro de gratia CHRISTI contra Pelagianos scribit Augustinus: Præceptum liber facit, qui libens facit. In quo vehementer deceptus est Lutherus, existimans pugnare inter se, facere aliquid ex debito, & facere liberè: Facere ex obligatione, & ex amore; cùm tamen hæc inter se optimè congruant, atque cohæreant.

S. Augustinus.

30. Illa porrò celebris sententia Pauli: *Iusto non est lex posita*, quatuor modis intelligi potest; nec vllo eorum causam hæreticorum adiuuat. Prima eius sententiæ interpretatio est Augustini in libro de spiritu, & littera, cap. 10. & item Chrysostomi, Theodoreti, & Theophylacti in eius loci commentariis. Aiunt enim, legis munus, & officium fuisse tanquã vehiculi siue pædagogi, perducendi scilicet homines ad CHRISTVM; & docendi non ex ipsa lege, sed à solo CHRISTO sperandam, & petendam, & accipiendam esse remissionem peccatorum, & gratiam iustificationis: & ad hoc demonstrandum, lex imponitur peccatoribus, vt faciat eos confugere ad CHRISTVM: non autem imponitur iustis: qui cùm iam huc peruenerint, non ad id egent lege: sicut nec vehiculo indiget, qui iã peruenit, quo intẽdebat: nec pædagogo eget, qui ab ipso magistro eruditus est. Et ad hanc interpretationem accommodari posset illud, quod Paulus scripsit ad Galatas capite 2. *Ego*, inquit, *per legem legi mortuus sum*, hoc autem est, per legem Mosis spiritualiter intellectam, ipsamet lege docente, ac dirigente, reliqui ipsam legem, & adhæsi CHRISTO. Lex etenim Mosis spiritualiter intellecta docet, se non fore perpetuam, sed veniente MESSIA, cessaturam esse, nec habituram vigorem: testatur item salutem animi se præstare non posse, sed eam tantùm per gratiam MESSIÆ dandam esse hominibus.

Locus 1 ad Timotheum ca. 1. S. Augustinus.

Prima interpretatio Augustini, Chrysostomi, Theodoreti, Theophylacti.

31. Altera interpretatio est B. Thomæ, & est huiusmodi: *Lex non est imposita iusto*, tanquã onus, sed tanquam iugum quoddam leue ac suaue. Eadẽ quippe lex peccatori videtur onus grauis-

Secũda interpretatio beati Thomæ.

grauiſſimum, & intolerandum: Iuſto autem non eſt oneroſa, ſed leuis & ſuauis, & vt dixit Ioannes: *Mandata eius grauia non ſunt.* Et Dominus dixit: *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Adiutus enim DEI gratia vir iuſtus, non ſentit onus legis, libenti animo faciens quæ lex iubet, & repreſſam atque debilitatam habens vim concupiſcentiæ, repugnantis legi mentis & DEI. Quemadmodum idem pondus vir ſanus, & viribus præualens, magna facilitate portabit; quod qui ægro eſt corpore, atque imbecillus viribus, vix mouere, nedum portare poterit.

1. Ioan. 5. Matth. 11.

32. *Tertia interpretatio Caietani.*

Tertia interpretatio, hæc traditur à Caietano: Finis legislatoris eſt per legem ducere homines ad iuſtitiam. Officium etiam legis eſt iubere quæ bona ſunt, & vitare mala. Medium porrò, quo vtitur legislator vt homines à malè agendo deterreat, eſt comminatio ſuppliciorum in eos, qui malè agunt. Conſtat autem hæc ſuperuacaneè tradi iuſtis: iuſtus quippe iam & iuſtitiam habet, ad quam lex vult hominem perducere: & ſua ſponte agit quæ bona ſunt, fugitque contraria: nec ad ipſum pertinent ſupplicia legis, vt qui amore incenſus iuſtitiæ, benè agat, nō ſupplicij metu compulſus.

33. *Quarta interpretatio quæ eſt communis.*

Quarta interpretatio eſt fermè communis Theologorum docentium, duplicem eſſe vim legis; alteram quidem docendi hominem quæ agenda ſunt, & dirigendi eum ad id, quod fieri oportet: & hæc pertinet ad illuminationem intellectus: alteram verò, quæ terrore & comminatione ſuppliciorum & deterret hominem à malè agendo, & malè agentes punit. Ac prior quidem virtus legis, etiam ad iuſtos pertinet: poſterior autem, eos minimè attingit. Denique intelligendum eſt hoc loco, tria eſſe hominum genera, vt ex ſententia Heſiodi primo libro Ethicorum tradit Ariſtoteles: quidam enim adeò felici ſunt ingenio, tantaque ad benè agendum propenſione, vt per ſe ipſi, quod agendum eſt, nouerint, & ſponte ſuæ voluntatis agant. Sunt alij, qui aliorum quidem egent monitu, & magiſterio ad cognoſcendum quod agere eos oportet: ſed quod nouerunt eſſe agendum, prompto, & li-

Tria genera hominum.

Ariſtoteles.

benti animo agunt. Tertium genus est eorum, qui nec per se cognoscunt quod agere oportet, nec ab aliis docti & admoniti, ad id, quod agere eos oportet, animum applicant; nec in animum inducunt suum benè agere, nisi terroribus, minisque compulsi: atque huic hominum generi propriè lex imponitur.

SEPTIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Versu 7. & 8.

QVID ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit: sed peccatum non cognoui nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces, occasione autem accepta, peccatum per mandatum, operatum est in me oēm concupiscentiam.

34.
Ad Rom. 3. 5. 6. 7.

QVONIAM Apostolus suprà visus est quædam paulò durius de lege Mosis dixisse, vt est illud, Non iustificari hominem ex lege: & quod lex subintrauit, vt abundaret delictū: & quòd Christiani nō sunt sub lege, sed sub gratia: & quod sunt legi mortificati, atque ea soluti: vocauit etiam legem mortis: ne huiusmodi sententiis asperaret Iudæos: simulque prospiciens futuros aliquando hæreticos, qui legem veterem accusarent, ac damnarent, quasi malam, nec à DEO datam; nunc dicta sua mitigans, & aduersus errorem præmuniens, docet antiquam legem, per se non solum non esse peccatum, id est, malam, & reprehensione dignam, nec suadere, aut iubere peccatum; sed esse bonam, & iustam, & sanctam. Ostendit tamen

men esse imperfectam, quod solam habet vim demonstrandi peccata, non autem ea sanandi, & delendi: & ob vitiatam hominis naturam, eiusque magnam ad vitia pronitatem, occasio fuit, vt homines grauius peccarent, concupiscentia contra legem prohibentem quæ homini iucunda sunt, vehementius ad vetita, & illicita exardescente. Hoc igitur loco id præcipuè agit Paulus, vt legem quidem laudet tanquam per se bonam; doceat tamen ex eius occasione, magis quàm erat antea, fuisse multiplicatum auctumque peccatum.

35.

Explanatio huius loci ex Theodoreto.

Audiat lector huius loci vsque ad illum: *Scimus quia lex spiritualis est*, vers. 14. breuem quidem, sed congruum, & concinnum Theodoreti commentarium: Præuidens diuinus Apostolus, inquit Theodoretus, vt qui diuina esset gratia dignus habitus, quod quidam ex hæreticis superiora eius dicta in legem veterem, ad veteris testamenti accusationem essent accepturi, & existimaturi veterem legem malam esse, & non à bono DEO, datam: aduersus hæc necessariò subiunxit: *Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit.* Multa enim dixerat, quæ legem antiquam oppugnare volentibus, occasionem præberent ad eam accusandam. cuiusmodi fuit illud: *Lex subintrauit vt abundaret peccatum.* Et item: *Lex iram operatur.* Et, *Ex operibus legis non iustificabitur coram eo omnis caro.* Et quædam alia horum similia. Aduersus quæ nunc ostendit, blasphemiã esse execrandam dicere, aut sentire, legẽ esse peccatum, id est, esse malam, vel suadere, aut imperare, aut etiam operari peccatum in homine. Ad cuius confutationem dicit illud. *Sed peccatum non cognoui nisi per legem*, quasi diceret Apostolus: Non solùm non est lex peccati magistra: absit hoc: sed contra etiam, peccati accusatrix est: neq; enim cognouissem quàm malum sit peccatum, nisi illa me docuisset. Vnde subiungit: *Nam & concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces.* Vbi scire conuenit, illud, *Non cognoui*, Et, *Nesciebam*, non ignorationem omninò significare, sed insinuare hanc sententiam: Naturalis legis & discretionis exactiorem accepi cognitionem per legem. Sequentibus itidem illis verbis:

Exod. 20. & Deut. 5.

Occasione accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Ostendit legem esse omninò ab accusatione liberam. Quia enim dixit aucta esse peccata per legis impositionem, ne quis existimaret, legem illius mali fuisse causam, necessariò modum ostendit, quo id euenit. Cùm enim peccatum ex lege lata, pugnæ & contentionis occasionem cepisset, imbecilliorem rationem expugnauit. Et addit: *Sine lege enim peccatum mortuum erat.* Nisi enim sit lex, quæ quid sit agendum, iubeat, & quod nõ agendum est, prohibeat, non est locus præuaricationi, & peccato. Nam vt suprà dixit Apostolus: *Vbi non est lex, nec prauaricatio.* Deinde hoc ipsum exemplo manifestum facit: *Ego autem,* inquit, *viuebam sine lege aliquando.* Adam enim ante transgressionem non habebat metum mortis. *Sed cùm venisset,* inquit, *mandatum, reuixit peccatum, ego autem mortuus sum.* Cùm enim Devs de quibus arboribus Paradisi edendum esset, Adamo præceptum statuisset; statim diabolus per serpentem accessit ad mulierem, fallacibus cum ea sermonibus atque promissis vtens. Illa verò inescata, cùm fructus pulchritudinem aspexisset, ab edendi cupiditate & voluptate superata, præceptum Dei transiliuit, & vnà cum Adam, qui etiam vetiti vsus particeps fuerat, mortis decretum accepit. Quocirca subdit Paulus: *Et inuentum est mihi mandatum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem.* Quibus verbis legem & mandatum omninò defendit, peccati autem improbitatem refellit. Mandatum enim, vitam suppeditat: ad id autem quod est deterius, humani animi conuersio, mortem peperit. Apostolus porrò admodum propriè locutus est de mandato Dei, dicens, Inuentum fuisse homini ad mortem quod erat datum ad vitam: ostendens nempe, aliud fuisse legis consilium, & institutum ac finem; & aliud, quod propter hominis peccatum & prauitatem humani animi accidit.

Ad Rom. 4.

Genes. 2.

Infra 3.

36\. Rursus in laudem legis subdit: *Quare lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum.* Legem hoc loco appellat eam, quæ dicitur Mosis: mandatum vocat, quod Adamo

Adamo datum eſt: quod pluribus laudibus ornauit, vt quod à pluribus etiam accuſaretur. Qui enim otio ſe totos dedunt, & virtutis labores refugiunt, DEVM etiam accuſare non verentur, quod legem & mandatum homini dederit. Si enim, inquiunt, DEVS præuidit fore, vt data lege, & mandato, magis etiam increſcerent peccata, & deteriores exiſterent homines dando ipſam legem, & mandatum, cauſa videtur fuiſſe iſtius mali. Sed iſtos cogitare oportuit, quod facultas diſcernendi boni atque mali, propria eſt, vnius cunctorum animalium hominis: Cetera enim animalia, ſicut ratione carent, ita etiam tali facultate diſcernendi bonum à malo: quocirca nec ſenſum habent peccati, nec conſcientiam, quæ à malefactis purgatur. Homo autem etiam in ſolitudine ac tenebris, de ſuis malefactis erubeſcit & timet; conſcientia ipſum accuſante. Oportuit igitur hominem tali natura præditum, non eſſe ſine lege, vt & propriam naturam agnoſceret; & legislatorem reuereretur ac timeret. Si autem homines non ſeruantes præcepta, mortis decreto ſubiiciuntur: non eſt hoc eius qui legem dedit, culpa; ſed eius qui legem tranſgreſſus eſt. Neque enim medicus, qui iubet ægrotum à frigidæ potu abſtinere, id facit, ei inuidens, aut non bene volens, ſed eius ſanitati conſulens. Si autem ille; non ſeruato medici præcepto, frigidam biberit, ſui eſt ipſe ſibi auctor exitij. Appellat porrò Apoſtolus mandatum DEI & ſanctum, & iuſtum, & bonum. Sanctum quidem, quia id quod fieri oportet, hominem docet: iuſtum autem, quia in tranſgreſſores iuſtam ſupplicij ſententiam profert: bonum verò, quia iis, qui ſeruant ipſum, vitam comparat.

Gen. 2.

Obſeruanda doctrina in calumniatores Diuinæ prouidentia.

Sed quod ſubdit Apoſtolus. *Sed peccatum vt appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem*, obſcurum habet intellectum, propter nimiam breuitatem. Eſt autem eorum verborum ſenſus huiuſmodi: *Per bonum*, hoc eſt, per legem & mandatum, oſtenditur mihi peccatum, ſcilicet eius malitia, & turpitudo. Intelligitur autem operari mortē ex effectu & fructu eius: ſicut ex fructu arborem agnoſco: dum enim vi-

37.

deo mortem, eius matrem odi peccatum: lex autem est horum magistra. Non ergo lex mala est, quæ hæc docet; sed peccatum, quod mortis causa est. Ad id autem, quod est deterius, inclinatio, facit vt peccatum in nostra sit electione. Sed quid est illud quod adiungit Paulus: *Vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatum?* Hoc videlicet dicere vult: Etsi natura ipsa, peccati malitiam ostendit; lex tamen scripta perfectius ostendit, quàm sit peccati insignis improbitas & turpitudo. Sed aduertat lector, illi verbo: *vt fiat*, deesse aliquid, & subaudiri oportere nomen apertum vel manifestum. Sic enim antea dixerat: *Sed peccatum vt appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem.* Sed quid est illud: *Vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatum*? Hoc nempe, vt per mandatum manifestetur, peccatum supra modum peccare, hoc est, valde malum esse, & multo peius, quàm putabatur ante legem. Atque hic fermè est totius huius loci commentarius Theodoreti.

38. Sed nos hunc Pauli locum paulo distinctius, & copiosius denuo retractemus. Super illis verbis: *Lex peccatum est? Absit.* Videat lector S. Augustinum in sermone quarto de verbis Apostoli, vbi late hunc locum tractans disputat aduersus Manichæos calumniantes legem Mosis, tanquam malam, & non à bono DEO datam. Quemadmodum verò intelligendum sit illud: *Concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret, non concupisces.* Quasi ante legem Mosis nescirent homines concupiscentiam rerum malarum esse malam, supra docuimus, cum disputaremus super illis verbis capitis 3. *Per legem cognitio peccati.* Illud porrò: Nisi lex diceret, *Non concupisces*, sumptum est ex cap. 20. libri Exodi, & ex cap. 5. Deuteronomij, & positum est hic à Paulo ad ostendendum, non ita fuisse notum ante legem peccatum concupiscentiæ, vt fuit post legem. Coucupiscentia quippe non exiens in actum externum, neque nocens aliis, nulla lege humana vetita est; multique iam obscurato naturalis rationis lumine, non putabant esse peccatum, cum ne simplicem quidem fornicationem peccatum putarent.

S. Augustinus.

Quid

39. *Quid hoc loco significet concupiscentia.* *S. Hieronym.*

Quid autem hoc loco Apostolus intelligat nomine concupiscentiæ, non vna est omnium interpretatio. Sanctus Hieronymus in epistol. 151. quam scripsit ad Algasiam, in responsione ad octauam eius quęstionem, hunc in modum interpretatur: Prius, inquit, quæramus, quæ sit ista cõcupiscentia, de qua lex dicit, *Non concupisces.* Et alij quidem putant illud esse mandatum, quod in decalogo scriptum est: *Non concupisces rem proximi tui.* Nos autem per concupiscentiam omnes perturbationes animæ significatas putamus, quibus mœremus, & gaudemus, timemus, & concupiscimus. Hæc autem dicens Apostolus, non de se loquitur, qui dicebat: *Viuo ego, iam non ego; viuit verò in me* CHRISTVS. Sed de eo homine, qui vult post peccata pœnitentiam agere: & sub persona sua fragilitatem describit conditionis humanæ, quæ duorum hominum, interioris & exterioris, pugnantium inter se bella perpetitur. Sic Hieronymus.

Ad Gal. 2.

40.

Augustinus verò, ex quo sumpsit Glossa, ait, nomine concupiscentiæ hoc loco designari eam, quæ est generale peccatum. Bona, inquit, est lex, quæ dum concupiscentiam prohibet, omnia peccata prohibet. Concupiscentiam porrò esse peccatum generale, dupliciter potest intelligi, vel quia in omni peccato continetur concupiscentia alicuius rei illicitæ: vel quia concupiscentia bonorum temporalium, ad vitium auaritiæ pertinens, est fons omnium malorum, Paulo id testante illis verbis: *Radix omnium malorum est cupiditas.* Sicut enim dixit Salomon: *Pecuniæ omnia obediunt.* Et simile dici potest de concupiscentia carnis. Paulus certè citat hîc præceptum legis, dicentis: *Non concupisces*, quod non ita præcisè est positum in lege, sed cum adiunctione illa: *Non concupisces rem proximi tui*, quibus præceptis lex prohibere voluit interiorem actum concupiscentiæ circa adulterium & furtum: nam externum actum separatim & distinctè interdixerat illis præceptis: *Non mæchaberis.* Et, *Non furtum facies.* Dicitur quidem in libro Ecclesiast. ca. 10. *Initium omnis peccati esse superbiam*; Sed sciendum est, superbiam esse initium & radicem

1 Ad Tim. 6. *Eccles. 10.* *Exod. 20.* *Locus Ecclesiastici cap. 10.*

cem omnis peccati quantum ad auersionem ab incommutabili bono, qui est DEVS, quæ auersio in omni peccato reperitur: concupiscentia autem, de qua nunc loquimur, radix est & initium omnis peccati, quantum ad conuersionem peccantis ad bonum creatum & commutabile.

41. Illud verò: *Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Explanans B. Hieronymus in epistola ad Algasiam, quam supra memorauimus, hunc in modum scribit: Quemadmodum medicina non est causa mortis, si ostendat venena mortifera, licet his mali homines abutantur ad mortem, vt vel se interficiant, vel insidientur inimicis: ita lex data est, vt peccatorum venena monstraret & hominem malè sua libertate vtentem, qui prius ferebatur improuidus, & per præcipitia labebatur, freno legis retineat; & compositis doceat incedere gressibus, vt seruiamus DEO in nouitate spiritus, & nō in vetustate litteræ: id autem est, vt viuamus sub præcepto, qui prius in modum brutorum animalium dicebamus: *Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur.* Quod si subintrante lege, quæ docet quid facere, & prohibet quod non facere debemus, vitio nostro & incontinentia feramur contra scita legalia: videtur lex causa esse peccati: quippe dum prohibet concupiscentiam, quodammodo eam inflammare cognoscitur. Secularis apud Græcos sententia est: Quicquid licet, minus desideratur: ergo à contrario, quicquid non licet, fomētum & incentiuum accipit desiderij. Vnde & Tullius de parricidarum suppliciis apud Athenienses Solonem scripsisse negat, ne non tam prohibere, quàm commonere videretur. Igitur lex apud contemptores, & legum præcepta violantes, videtur esse occasio delictorum: dum prohibendo quod non vult fieri, ligat eos vinculis mandatorum: qui prius absque lege peccantes, non tenebantur criminibus. Hæc Hieronymus.

S. Hieronym. | *1. Ad Cor. 15.* | *Tullius.*

42. Augustinus autem hunc ipsum Pauli locum interpretans in libro, in quo explanat nonnullas huius epistolæ sententias Pauli, numero 39. Propterea, inquit, dictum est, peccatum occa-

S. Augustinus.

occaſione accepta per legem fuiſſe ingrauatum magis, quia deſiderij prohibiti fructus dulcior eſt. Vnde etiam quæcunque peccata occultè fiunt, dulciora ſunt, quamuis mortifera iſta dulcedo ſit. Inde eſt, quod apud Salomonem fallacis doctrinæ imagine ſedens mulier, & inuitans, vt ad ſe veniant inſipientes, ſcribitur dicere: *Panes occultos libenter edite, & aquam furtiuam dulcem bibite.* Iſta autem dulcedo eſt occaſio, per mandatum inuenta, peccati, quæ cum appetitur, vtique fallit, & in maiores vertit amaritudines.

Locus Prouerbiorum 9.

Caietanus etiam huius loci & doctam, & ſententiæ verborum Apoſtoli ſatis congruentem, aptamque interpretationem tradens, verba Pauli ſingulatim ita declarat. *Occaſione accepta.* Non dicit, occaſione data, quia lex non dat occaſionem peccandi: Sed dicit: *Occaſione accepta*, quia ex notitia per legem habita, occaſionem accepimus amplius & grauius peccandi. *Peccatum.* Nomine peccati, ſignificatur fomes internus, hoc eſt, inferior pars animi, tendens ad bonum delectabile ſecundum ſenſum, ſiue mundum. Hæc enim pars appellatur peccatum multiplici ratione; tum cauſaliter, quia eſt cauſa peccati, vel quia eſt effectus peccati primi parentis: tum formaliter, in quantum eſt pars peccati originalis. Hæc, inquam, pars animi appellata peccatum, eſt illa, quæ accepit occaſionem. *Per mandatum.* Non vt inſtrumentum, neque vt medium ad hoc adhibitum; ſed vt per contrarium à ſe depellendum. Quod vt clarius intelligatur, aduertendum eſt, naturale eſſe vnicuique inſurgere in ſuum contrarium approximatum ſibi, vt patet in rebus naturalibus, in calore ſcilicet & frigore. Lex autem vetans concupiſcere, eſt quaſi contrarium quoddam approximatum parti animi concupiſcenti: repræſentatur enim concupiſcenti animo præceptum legis, vt contrarium libertati eius: quamobrem occaſionem accipit irruendi contra præceptum, & nitẽdi ad concupiſcentiam vetitam per mandatum. Ex quo apparet quod concupiſcens animus non vtitur mãdato vt inſtrumento, aut medio ad concupiſcendum: ſed occaſionem ex eo accipit concupiſcendi,

Caietanus.

tanquam defendens libertatem suam, cui contrarium esse apprehendit mandatum. *Operatum est in me omnem concupiscentiam.* Id est, omne genus concupiscentię, habet enim concupiscentia multas partes: vnde & in Exodio dicitur: *Non concupisces vxorem proximi tui, non bouem, non asinum, non ancillam &c.* Est autem sermo de concupiscentia actuali: nitente enim animo pro sua libertate, à nullo frenatur, eius concupiscentia: sed quandoque quod prius non concupiscebat, ægrè ferens per mandatum coërceri, incipit concupiscere: Hæc Caietanus.

Exodi 20.

43. Sed quam vocat Apostolus omnem concupiscentiam, dicens, peccatum esse operatum in ipso omnem concupiscentiam? S. Hieronymus interpretatus est omnes passionum & perturbationum species, vt ex verbis eius supra memoratis manifestum est. S. Augustinus in loco proximè citato, omnem concupiscentiam interpretatur summam & consummatam: nam ante legem concupiscebat homo quæ erant mala, post legem autem concupiscit non solùm quæ sunt mala, sed etiam quæ sunt prohibita: & ita accedente pręuaricatione legis, crimen augetur. Augustini verba sunt hæc: Intelligendum est, non omnem fuisse concupiscentiam, antequam legis prohibitione aucta esset: augetur enim prohibitione concupiscentia, quando deest gratia liberatoris. Et ideo nondum est omnis concupiscentia, antequam per legem prohibeatur. Cum autem prohibita fuerit, desistente, vt diximus, gratia, tantum crescit concupiscentia, vt ita in suo genere, omnis, id est, consummata fiat: vt etiam contra legem faciat, & præuaricatione crimen accumulet. Sic Augustinus. Alij omnem concupiscentiam dici putant concupiscentiam omnis rei illicitæ. Alij secundum omnes gradus concupiscentiæ, id est, in cogitatione, delectatione, consensu, & opere: Vel secundum omnes gradus intentionis, quia vehementius concupiscuntur prohibita.

OCTA-

OCTAVA DISPVTATIO.

In hæreticos huius temporis.

QVALEM concupiſcentiam lex prohibuerit dicens: Non concupiſces. *Et an hoc præceptum impleri ab hominibus poßit in hac vita.*

ILLVD præceptum legis: *Non concupiſces*: hoc loco citatum ab Apoſtolo, ſatis grauem & litigioſam excitauit controuerſiam inter Catholicos & hæreticos huius temporis. Hæretici etenim cenſent motus concupiſcentiæ ad res illicitas, quibus incitatur homo ad concupiſcendum aliquid contra legem DEI, & regulam rationis, verè ac propriè peccata eſſe, etſi eis non adſit rationis, & voluntatis conſenſus. Catholici verò id pernegant, affirmantes, tantùm prohiberi concupiſcentiam ex deliberata ratione, & voluntatis electione prouenientem; nam ſine deliberato conſenſu voluntatis, propriè dictum peccatum eſſe non poſſe. Id porrò validiſſimis hiſce argumentis confirmant. Principiò, quod eſt homini naturale, non poteſt rationem habere mali, vel boni moralis, vel peccati: ſed concupiſcentia eſt naturalis homini ex eo proueniens, quod homo duabus ex partibus eſt conſtitutus, multum inter ſe differentibus, ratione, & ſenſu; & appetitu rationali, atque ſenſitiuo: nec minus naturale eſt homini concupiſcere ſecundum ſenſum delectabilia, quàm ſit eſurire, ſitire, ægrotare. Quocirca, ſi quis homo crearetur ex nihilo à DEO in puris, vt vocant, naturalibus, hoc eſt, & ſine peccato originali, & ſine gratia, is proculdubio ſimiliter haberet ac ſentiret concupiſcen-

44.

Motus concupiſcentiæ ad illicita, inuoluntarios, non eſſe peccata.

piſcentiæ motus, rationi minime obſequentes, vt nos ſentimus. Deinde, peccatum vſq adeo neceſſe eſt voluntariũ eſſe, vt nullo modo eſſe poſſit peccatum propriè dictum, ſi voluntarium non fuerit, vt docet S. Auguſtinus in libro de vera religione, cap. 14. & primo libro retractationum cap. 13. Sed eiuſmodi motus concupiſcentiæ, non ſunt in arbitrio, & poteſtate hominis, vt in hoc ipſo capite paulò infrà oſtendit Apoſtolus, illis verbis: *Non quod volo bonum, hoc ago; ſed, quod odi malum, illud facio: nunc autem iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.* Et in cap. 5. epiſtolę ad Galatas: *Caro,* inquit, *concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem: hæc enim ſibi inuicem aduerſantur, vt, non quæcumque vultis, illa faciatis.* Si motus igitur concupiſcentiæ præuenientes iudicium, & arbitrium hominis, non ſunt in eius poteſtate; rationem propriè dictam peccati habere non poſſunt. Adhæc, quicquid habet rationem peccati propriè dicti, omnino tollitur per gratiam baptiſmalem, per quam nempe, vt Paulus præcedenti capite docuit, Chriſtiani mortui ſunt peccatis, & deſtructum eſt corpus peccati: ſed poſt baptiſmum in hominibus, etiam iuſtis, & ſanctis, manent iſtiuſmodi motus concupiſcentiæ repugnantes rationi; non igitur peccata dici poſſunt. Poſtremò, quod eſt homini ineuitabile, non poteſt eſſe peccatum: non enim DEVS iubet hominem facere aliquid, vel vitare, quod ſit ei impoſſibile, etiam per gratiam ipſius adiuto: alioqui non dixiſſet CHRISTVS Dominus. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata,* (DEI) Nec Ioannes dixiſſet, mandata eius grauia non eſſe: nec dixiſſet Dominus: *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Quocirca B. Hieronymus merito execratur blaſphemiam eorum, qui DEVM impoſſibile aliquid præcepiſſe homini dicunt: & mandata DEI non omnia à ſingulis hominibus, ſed in commune tantùm ab omnibus ſeruari poſſe: ſubditque, tam eos errare, qui cum Manichæo dicunt, non poſſe hominem vitare peccata; quàm qui cum Iouiniano affirmant, poſſe hominem in hac vita, eo peruenire, vt peccare non poſſit. Huius non abſimile eſt,

B. Auguſtinus.

Matth. 19.
1. Ioan. 4.

Matth. 11.
S. Hieronym.

est, quod ait S. Augustinus in sermone sexagesimo primo de tempore: Quia, inquit, mentiri non potest ipsa veritas; iam vanas excusationes suas relinquat humana fragilitas. Nam nec impossibile aliquid DEVS imperare homini potuit, qui iustus est: nec damnaturus est hominem pro eo, quod non potuit vitare, qui pius est. Quid tergiuersamur incassum? Nemo, quantum possumus, melius nouit, quàm qui nobis ipsum posse donauit. Sic Augustinus.

S. Augustinus.

45. Hanc ipsam Catholicam doctrinam tradiderunt & confirmarunt Patres in nouissimo generali Concilio Tridentino: in cuius decreto de originali peccato decernitur, concupiscentiam, quæ manet in baptizatis, non esse peccatum propriè dictum: eamque, fortiter ipsi reluctantibus non solùm non obesse, sed prodesse etiam plurimum. Beatus certè Augustinus quàm plurimis in locis idem confirmat, docens: quicquid in concupiscentia est peccati, totum id penitus auferri per baptismum. Audi breuem eius hac de re sententiam in capite vigesimo quinto primi libri de ciuitate DEI his verbis comprehensam: Si illa concupiscentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter nostræ voluntatis legem, quasi lege sua mouetur: quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis? Idem apertius dixit in sermone quarto de verbis Apostoli: Noli, inquit, mirari, quisquis es, qui carnalibus concupiscentiis cedis, atque consentis, qui eas vel bonas putas ad explendam libidinis saturitatem; vel certè licet esse malas agnoscas, eis tamen cedendo, consentis, & quo ducunt sequeris, & ea quæ malè suggerunt, perpetras: totus es tu carnalis; tu quisquis es, totus carnalis es. Si autem concupiscis quidem quod lex vetat dicens: *Non concupisces*, seruas tamen aliud, quod item lex iubet dicens: *Post concupiscentias tuas non eas.* mente spiritalis es, licet carne sis carnalis. Aliud est enim non concupiscere, aliud, post concupiscentias suas non ire: non concupiscere enim omninò, perfecti est: post concupiscentias autem suas non ire, pu-

Concilium Tridentinum.

S. Augustinus.

Eccli. 18.

gnantis est, luctantis est, laborantis est: vbi feruet pugna, quare desperatur victoria? sed quando erit victoria? quando absorbebitur mors in victoria? tunc enim vox erit triumphantis, non sudor pugnantis, quando futura est vox ista triumphantis? *Cùm corruptibile hoc induerit incorruptionē, & mortale hoc induerit immortalitatem.* Vide victoriam, audi exultantem, expecta triumphantem: *Tunc fiet sermo, qui scriptus est, Absorpta est mors victoria tua: vbi est mors victoria tua? vbi est mors contentio tua? vbi est mors aculeus tuus?* Ecce, erat, & iam non est. Contentio autem & stimulus, mortis, peccatum est, de quo Paulus hoc loco: *Non quod volo*, inquit, *bonum, hoc ago: Si autem quod nolo, illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Sic ibi Augustinus.

1. Ad Cor. 15.

Ibidem.

46. Idem in libro contra duas epistolas Pelagianorum capite 13. repellens calumniam, qua Pelagiani calumniabantur Catholicos, quasi dicentes per baptismum non penitus auferri peccata, sed tantùm radi, quia dicebant post baptismum manere etiam in iustificatis concupiscētiam, hoc modo scribit: Dicunt etiā (Catholici vt eis affingebant Pelagiani) baptisma non dare oēm indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, sed radere, vt omnium peccatorum radices in mala carne teneantur. Quis hoc aduersus Pelagianos nisi infidelis affirmet? Dicimus enim baptisma dare homini indulgentiā peccatorū, & auferre crimina, non radere: nec peccatorū radices in mala carne teneri, quasi rasorū in capite capillorum, vnde crescant iterum resecanda peccata. Verùm de ista concupiscētia carnis, quæ manet etiā in baptizatis, propter quam scilicet istam calumniā Pelagiani Catholicis intendebant, falli eos credo, vel fallere alios velle: cū qua cōcupiscentia necesse est, vt etiā baptizatus, etiāsi diligētissimè proficiat, & SPIRITV DEI agatur, pia tamē mente cōfligat. Sed hæc concupiscētia, etiāsi vocatur peccatū, non vtiq; peccatū est; sed vocatur peccatum, quia peccato facta est: sicut scriptura, manus cujusq; dicitur, quod manus eam fecerit: peccata aūt sunt, quæ secundum carnis concupiscentiā, vel per ignorātiam illicitè fiunt

fiunt, dicuntur, cogitantur: quæ, etiam transacta, reos terret, si non remittantur, & ista ipsa carnis concupiscentia, in baptismo sic dimittitur, vt quanquam tracta sit à nascentibus, nihil tamen noceat renascentibus. Nec propter ipsam concupiscentiã, cuius iam reatus lauacro regenerationis absumptus est, dicunt in oratione Dominica baptizati: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Sed propter peccata, quæ fiunt siue in eius concupiscentiæ consensu; siue cùm per ignorãtiam malum quasi bonum placet. Illud sanè, quod in oratione Dominica dicitur: *Nec nos inferas in tentationem; Sed libera nos à malo*, propter ipsam concupiscentiam dicitur. Nam vt ait sanctus Iacobus Apostolus: *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus: deinde concupiscentia cùm conceperit; parit peccatum: peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Sic eo loci Augustinus. Ex verbis autem Apostoli Iacobi proximè memoratis manifestum fit, eum distinguere primos illos motus concupiscentiæ aduersus rationem à peccato, quod deinde ab ea paritur, cùm ei voluntas rationalis assentitur. Nam illud: *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus*, denotat motus illos concupiscentiæ, insurgentes aduersus rationem, in quibus nondum est peccatum. Illud porrò quod adiũxit, *Cõcupiscentia cùm conceperit, parit peccatum.* Significat, cùm concupiscentia trahit ad se assensum voluntatis, hoc enim vocat S. Iacobus conceptum concupiscentiæ, tunc ex concupiscentia nascitur peccatum.

Matth. 6.

Ibidem.

Iacobi 1.

Locus epist. Iacobi cap. 1.

47. *An concupiscẽtia qua lege vetatur, sit appetitus sensitiui, an rationalis qua voluntas dicitur.*

Cæterùm illud quæstionem habet, huic loco minimè alienam, An concupiscentia, de qua lex præcepit. *Non concupisces*, sit concupiscentia carnalis, & sensitiua, communis homini cum brutis, & pertinens ad sensitiuum appetitum, qui diuiditur in concupiscibilem & irascibilem: an verò sit concupiscentia rationalis, quæ propriè nominatur voluntas: verbũ enim concupiscẽdi, de vtroq; appetitu, tam rationali, quàm sensitiuo vsurpari solet à laudatis præsertim latinæ linguæ scriptorib⁹. Intelligimus porrò ad præsens, vocabulo con-

concupiſcentiæ, non ipſam naturalem concupiſcendi facultatem, ſiue potentiam; ſed actum ipſum concupiſcendi ab ea facultate prouenientem. Et quod concupiſcentia per legem prohibita, ſit carnalis & ſenſitiua concupiſcentia, eo probari argumento poſſet, quod Apoſtolus hoc loco diſſerens ſuper iſto legis præcepto, loqui videatur de concupiſcentia carnali, & ſenſitiuâ: id enim non obſcurè indicant verba illa: *Condelector legi DEI ſecundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis, repugnãtem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Igitur ego ipſe mente ſeruio legi DEI, carne autem legi peccati. Et ſcio quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonum.* Eôdem ſpectat illud eiuſdem Apoſtoli: *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem.* Ex aduerſo autem, videtur lex non hanc prohibuiſſe concupiſcentiam ſenſitiuam, ſed rationalem, quæ eſt propria hominis, id eſt, prauas cupiditates, quas mala voluntas hominis parit. Præcepta enim legalia pertinent ad voluntatem rationalem hominis, per quam homo liber eſt & indifferens ad eligendum bonum, vel malum; ideoque legem ſeruando, laudem & præmium; non ſeruando, reprehenſionem, & pœnam iuſtè meretur. Adiice, quod motus ſenſitiuæ concupiſcentiæ non ſunt in arbitrio, & poteſtate hominis, non igitur lege prohibentur: nulla enim lex iubet hominem aliquid facere, quod ſit homini facere impoſſibile, vel ineuitabile. His accedit, quod in capite vigeſimo libri Exodi, vbi traditur iſtud præceptum legis, non dicitur præcisè, Non concupiſces, ſed cum multiplici adiunctione: *Non concupiſces domum proximi tui, nec deſiderabis vxorem eius, non ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt.* Iſtiuſmodi autem rerum concupiſcentia, magis pertinet ad volũtatem rationalem, quàm ad appetitum ſenſitiuum.

Ad Gal. 5.

48. *Auctoris ſententia.*

Videtur igitur dicendum, concupiſcentiam lege prohibitam, intelligi poſſe concupiſcentiam carnalem, & ſenſitiuam, non quidem ſimpliciter, & præcisè, ſed vt à ratione approba-

probatam & placitam voluntati: siue vt concupiscentia carnalis ad sui assensum & obsequium pertrahit voluntatem hominis. Illud quoque dici potest, & verò rectius dictu videtur, atque probabilius, prohiberi lege concupiscentiam rationalem, non simpliciter, sed conformem concupiscentiæ carnali, & tendentem ad eas delectationes & voluptates, quæ propriè sunt carnalis concupiscentiæ. Quod si Apostolus illud præceptum legis referat ad concupiscentiam carnalem, id propterea fecit, quia concupiscentia rationalis prohibetur, vt consentiens, & conformis carnali: & quia rationalis concupiscentia excitatur & inflammatur à carnali, & ad obtinendum id quod concupiscit, vtitur carnali concupiscentia tanquam instrumento. Vtraque autem hæc interpretatio elici potest ex eo quod Paulus suprà dixit: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius.* *Ad Rom. 6.* Vocabulo peccati, Apostolus, intellexit fomitem siue concupiscentiam, è peccato natam, & incitantem ad peccatum. Vetat igitur Apostolus concupiscentiam, non quidem non esse in nobis, id enim fieri non potest, dum vitam hanc mortalem viuimus: sed vetat eam regnare in nobis, id autem est, ne præualeat, & sibi assentiri & obsequi faciat rationalem hominis voluntatem. Et quod præcipuè vetetur id, quod est proprium rationalis voluntatis, satis ostendit, quod proximè adiungit, *Vt obediatis concupiscentiis eius.* Hoc est profectò, quod lex vetat, voluntatem nempe hominis non velle, neque cupere quod vult concupiscentia carnis, nam id est obedire ei.

NONA DISPVTATIO.

An huic doctrinæ Catholicæ contraria hæreticorum sententia, vllam vel ex rationibus, vel ex auctoritate probabilitatem habeat.

49. HÆRETICI nostri huius temporis, vt in aliis, per deuia errorum, & præcipitia cœci feruntur; ita etiam in eo, quod lex diuina præcepit: *Non concupisces*, & ab Apostolo commemoratum est, toto, vt aiunt, cœlo, à veritate aberrant. Arbitrantur enim, quod profectò absurdum, non modò Catholicis doctoribus, sed etiam optimis quibusq; philosophis visum est, ipsos per se motus concupiscentiæ, rationi repugnantis, etiam citra assensum voluntatis, esse peccata propriè dicta, æternisque digna suppliciis, ea tamen hominibus iustificatis per CHRISTVM, non imputari à DEO ad damnationem. Esse autem istiusmodi concupiscentiæ motus, licet inconsultos & inuoluntarios, peccata, tribus huiusmodi rationibus probare, ac persuadere contendunt. Prima ratio est hæc. Quod lege diuina prohibetur, id si fiat, peccatum est: Sed lex diuina simpliciter & præcisè vetat concupiscentiam, non autem cum illa adiunctione, cõcupiscentiam tantùm deliberatam, vel voluntariam, dicens: *Non concupisces*, & Apostolus in hoc loco dixit: *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces.* Ergo ipsi concupiscentiæ motus, per se prohibiti sunt, & ideo si fiant, peccata sunt. Quod autem lege diuina prohibita sit omnis concupiscentia, etiam quæ homini est ineuitabilis, confirmant testimonio Augustini, affirmantis in libro de spiritu & littera, cap 36. ad vitam illam immortalem pertinere, vt impleatur præceptum illud, *Non concupisces*, ad

Hæreticorum sententia, & argumenta.

ad præſentem autem vitam pertinere, vt ſeruetur illud, quod in libro Eccleſiaſtici cap. 18. ſcriptum eſt: *Post concupiſcentias tuas non eas*. Et in libro de nuptiis & concupiſcentia cap. 23. & cap. 29. idem confirmat: Multum, inquiens, boni facit, qui facit quod ſcriptum eſt: *Post concupiſcentias tuas non eas*, ſed non perfectum bonum facit, quia non implet quod ſcriptum eſt: *Non concupiſces*. Ad hoc igitur dixit lex: *Non concupiſces*, vt nos in hoc morbo inuenientes, medicinam gratiæ quæreremus, & in eo præcepto ſciremus, & quo debeamus in hac mortalitate proficiendo conari; & quo poſſit à nobis in illa immortalitate perueniri. Niſi enim quandoque iſtud perficiendum eſſet, nunquam iubendum fuiſſet. Sic ibi Auguſtinus: idemq; tradit in ſermone 4. de verbis Apoſtoli, & in lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum, cap. 13.

50. *Reſponſio ad 1. rationem hæreticorum.*

Sed iſti rationi reſpondeo, illo præcepto legis non prohiberi quoslibet concupiſcētiæ motus, ſed deliberatos tantùm & voluntarios, vt paulò ſuprà docuimus in poſtrema parte ſuperioris diſputationis. Nam dicere, diuina lege prohiberi, & eſſe peccatum propriè dictum, etiam id quod non poteſt ab homine vitari, & præcipi à DEO homini, quod is ſeruare non queat, non modò falſum eſt, ſed abſurdum atq; impium.

Quo ſenſu dixit Auguſtin. illud præceptū, (Non concupiſces) nō impleri in hac vita.

Quod autem Auguſtinus dixit, præceptum illud, *Non concupiſces*, non impleri in hac vita; ſic eſt interpretandum: non vt ſignificet non poſſe impleri ab homine in hac vita, quatenus eo præcepto obligatur, & quatenus, niſi ſeruet ipſum, præuaricator exiſtat: Sic enim, vt diximus, DEVS præciperet impoſſibile homini; & homo peccaret, & damnaretur de eo, quod vitare non poteſt. Sed voluit Auguſtinus dicere, ſi illud: *Non concupiſces*, accipiatur præciſè, & vt ipſa ſonant verba, tanquam excludens omnem malum concupiſcendi actū, ſiue placitum rationali voluntati, ſiue non placitum; non poſſe in hac vita impleri, ſed tunc impleri, cùm corruptibile hoc, induet incorruptionem. Hac tamen ratione nō eſt præceptum obligans hominem in hac vita, & niſi ſeruetur, præuaricatorem faciens, & reum mortis æternæ.

1. Ad Cor. 15.

51. *Secunda ratio hæreticorum.* Secunda hæreticorum ratio, eſt huiuſmodi: Concupiſcentia carnalis obſtat, quo minus impleri poſſit ab homine in hac vita illud maximum legis præceptum: *Diliges Dominum DEVM tuum ex toto corde tuo,* à quo præcepto vniuerſa lex pendet, ergo concupiſcentia, quæ impedit obſeruationem iſtius præcepti, peccatum eſt. Non poſſe autem præceptum diligendi DEVM ex toto corde in hac vita impleri, affirmat *S. Auguſtinus.* S. Auguſtinus in libro de ſpiritu, & littera, capite vltimo, dicens implendum eſſe in æterna vita, vbi videbimus DEVM *1. Ioan. 1.* facie ad faciem, & ſicuti eſt. Ob id verò, etiam nunc illud nobis præcipi, vt admoneamur quid fide expoſcere, quo ſpē *Ad Philipp 3.* præmittere, & obliuiſcendo quæ retrò ſunt, in quæ anteriora nos extendere debeamus. Idem etiam expreſſius docet in libro de perfectione iuſtitiæ, ſcribens, hoc præceptum in illa plenitudine charitatis patriæ tãtummodo impleri poſſe. Et quia ei poterat obiici: Cur igitur præcipitur in hac vita, ſi ſeruari in ea non poteſt? Reſpondens, cur, inquit, non præciperetur in hac vita iſta perfectio, quamuis in hac vita eam nemo habeat? Non enim rectè curritur, ſi quo currendum eſt, neſciatur: quomodo autem ſciretur, ſi nullis præceptis oſtenderetur? Sic Auguſtinus.

52. *Secũda rationis ſolutio.* Huius ſecundæ rationis ſit hæc ſolutio: Licet concupiſcentia obſtet, quo minus omninò purè ac perfectè poſſimus diligere DEVM ex toto corde, ita vt vellemus; non tamen impedit, ne præceptum dilectionis, ea ratione vt nos obligat, impleamus: nec talis concupiſcentia reddit nos eius præcepti tranſgreſſores atque præuaricatores. Alioqui DEVS præcepiſſet homini aliquid ſeruandum in hac vita, quod is tamen ſeruare nullo modo poſſet: & quia Dominus noſter dixit: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata DEI,* ſequere- *Matth. 19.* tur, neminem mortalium, etiam iuſtificatum, poſſe vitam æternam adipiſci: præſertim verò cùm Dominus noſter de hoc præcepto diligendi DEVM, propriè loquens dixerit cui- *Infra 22.* dam: *Hoc fac, & viues.* Dare autem DEVM homini etiam in hac vita gratiam ſeruandi hoc præceptum diligendi ipſum

ex toto

ex toto corde, apertè ostendit Moses in cap. 30. Deuteronomij illis verbis: *Circumcidet Dominus DEVS tuus cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas Dominum DEVM tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, vt possis viuere.* Quò planius autem intelligatur, quemadmodum præceptum hoc diligendi DEVM, ex toto corde, & possit, & non possit impleri in hac vita, scire conuenit, tribus modis posse DEVM ex toto corde diligi ab homine: & primus modus est perfectionis, possibilis tantùm in altera vita beatis: alter modus est præcepti obligantis omnes in hac vita: tertius modus est consilij, non obligantis, sed inuitantis. Atq; hos tres modos egregiè declarat S. Thomas in 2.2. quæst. 44. art. 4. dicens: Dupliciter contingit, ex toto corde DEVM diligere. Vno quidem modo in actu, id est, vt totum cor hominis semper actualiter in DEVM feratur, & ista est perfectio patriæ. Altero modo vt totum cor hominis habitualiter in DEVM feratur, ita scilicet, vt nihil contra DEI dilectionem cor hominis recipiat: & hæc est perfectio viæ, cui non contrariatur peccatum veniale, quia non tollit habitum charitatis, cum non tendat in oppositum obiectum, sed solùm impedit charitatis vsum. Perfectio autem charitatis, ad quam ordinantur consilia, est media inter duas prædictas perfectiones, vt scilicet homo quantum possibile est, se abstrahat à rebus temporalibus, etiam licitis, quæ occupando animum, impediunt actualem motum cordis in DEVM. Hæc S. Thomas.

Locus Deuteronomij cap. 30.

Tres modi diligendi DEVM ex toto corde.

S. Thomas.

53.

An præceptum dilectionis DEI possit impleri in hac vita.

Quod autem S. Augustinus dixit, præceptum dilectionis DEI non posse impleri in hac vita, B. Thomas in eadem quæstione, articulo sexto, ad hanc sententiam interpretatur: Præceptum, inquit, aliquod dupliciter potest impleri: vno modo perfectè, altero modo imperfectè. Perfectè quidem impletur, quando peruenitur ad finem, quem intendit præcipiens: impletur autem, sed imperfectè, quando etsi non pertingat ad finem præcipientis, non tamen receditur ab ordine ad finem. Sicut si dux exercitus præcipiat militibus vt pugnēt, ille præceptum perfectè implèt, qui pugnando, hostem vin-

cit, quod dux intendit. Ille autem implet, sed imperfectè, cuius pugna ad victoriam non pertingit, non tamen contra disciplinam militarem agit. Intendit autem DEVS, vt homo totaliter DEO vniatur, quod fiet in patria, quando DEVS erit omnia in omnibus. Et ideo plenè, & perfectè in patria implebitur hoc præceptum: in via autem impletur; sed imperfectè: & tanto in via vnus alio perfectius implet, quanto magis accedit per quandam similitudinem, ad patriæ perfectionem. Nec quia non perfectè impletur in via, ideo peccatur in obseruando ipsum, quia sequeretur, quod nullus posset esse in vita ista sine peccato mortali: quod est contra id, quod dixit Apostolus: *Confirmabit vos vsque in finem sine crimine.* Verùm sicut miles, qui legitimè pugnat, licet non vincat, non ideo tamen culpatur, aut pœnam meretur: ita etiam qui in hac vita præceptum hoc non perfectè implet, nihil tamen agens contra diuinam dilectionem, non peccat mortaliter. Hactenus ex S. Thoma.

1. Ad Cor. 15.

1. Ad Cor. 1.

54. Quod autem B. Augustinus senserit, præceptum illud diligendi DEVM ex toto corde, ita posse in hac vita seruari, vt non tanquam transgressores, rei simus peccati mortalis æternæque damnationis; apertis verbis docuit ipse in libro de spiritu & littera, cap. vltimo hunc in modum scribens: Præceptum diligendi DEVM ex toto corde, in illa vita beata complebitur, cum videbimus DEVM facie ad faciem. Sed ideo nobis hoc etiam nunc præceptum est, vt admoneremur, quid fide exposcere, quo spem præmittere, & obliuiscendo quæ retro sunt, in quæ anteriora nos extendere debeamus. Ac per hoc quantum mihi videtur, in ea, quæ perficienda est iustitia, multum in hac vita ille profecit, qui quàm longe sit à perfectione iustitiæ, proficiendo cognouit. Sed dici potest quædam iustitia minor huic vitæ competens, qua iustus ex fide viuit, quamuis peregrinus à Domino, & ideo per fidem ambulans, nondum per speciem: ad quam iustitiam non absurdè dicitur peruenire, ne iustus peccet. Neque enim si esse nondum potest tanta dilectio DEI, quanta illi cogni-tioni

Secundum B. Augustinum, præceptum diligendi DEVM, prout obligat hominem, posse impleri in hac vita.

Ad Philip. 3.

Habac. 2.
2. Ad Cor. 5.

tioni plenæ ac perfectæ debetur, iam culpæ deputandum est. Aliud est enim totam nondum assequi charitatem; & aliud, nullam sequi charitati contrariam cupiditatem. Quamobrē debet homo, quamuis longè minus amet DEVM, quàm eum potest amare conspectum; nihil tamen appetere illicitum: quemadmodum etiam in iis quę adiacent sensibus corporis, potest oculus nullis tenebris delectari, quamuis non possit in fulgentissima luce defigi. Hæc Augustinus. Cauenda est igitur æquiuocatio illius verbi (implere præceptum) dupliciter enim sumi potest, vel vt opponitur transgressioni, siue omissioni præcepti; vel vt idem valet, quod plenè, & secundum absolutam perfectionem illud præstare. Ac priori quidem modo, præceptum diligendi DEVM, impletur à sanctis in hac vita: posteriori autem modo, nequaquam, sed tantùm post hanc vitam à beatis in cœlesti patria.

DECIMA DISPVTATIO.

An quia B. Paulus & Augustinus malos concupiscentiæ motus, etiam inuoluntarios, simpliciter vocant peccatum, ideo sint peccatum propriè dictum: Caluini quoque super hac ipsa re sententia, minimè proba, & recta discutitur.

TERTIA ratio, qua hæretici Catholicos vrgent, ex eo ducta est, quod Apostolus in hoc capite concupiscentiam simpliciter & præcise appellat peccatum, dicens: *Si quod nolo, illud facio; iam non* 55.

ego

ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Ecce Apostolus concupiscentiam repugnantem voluntati rationali, simpliciter appellauit peccatum: aduersantur igitur ei, qui negant talem concupiscentiam esse peccatum propriè dictum: sed aiunt impropriè dici peccatum, quia sit peccati effectus, & pœna, & causa. Istis enim manifestè contradicit S. Augustinus in libro 5. contra Iulianum cap. 3. scribens, concupiscentiam contra quam pugnat spiritus, & esse peccatum, & pœnam peccati, & causam peccati; quibus verbis apertè indicat S. Augustinus, concupiscentiam non solum esse pœnam, vel causam peccati, sed ipsum etiam per se peccatum esse. Audiat lector verba ipsa Augustini: Sicut, inquit, cœcitas cordis, quam solus remouet illuminator DEVS, & peccatum est, quo in DEVM non creditur; & pœna peccati, qua cor superbum digna animaduersione punitur, & causa peccati, cum mali aliquid cœci cordis errore committitur: ita concupiscentia carnis, aduersus quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis; & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientis; & causa peccati est, defectione consentientis, vel contagione nascentis.

S. Augustinus.

56. *Solutio rationis hæreticorũ.*

Respondent Catholici, non esse inusitatum B. Paulo simpliciter appellare peccatum, quod reuera non est peccatum: Is enim loquens de CHRISTO, quem DEVS PATER fecit quasi piacularem hostiam pro peccatis nostris, ait: *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Haud dubiè, nomine peccati, significans hostiam pro peccato. qua significatione alibi etiam vtitur Scriptura, dicens, Sacerdotes comedere peccata populi, id est, hostias oblatas à populo pro suorum expiatione peccatorum. Augustinum porrò sensisse, concupiscentiam non esse peccatum propriè dictum, sed ita vocari, quòd sit effectus peccati, sicut Scriptura dicitur manus eius à quo facta est; & quia cum præualet & vincit, parit peccatum, quemadmodum frigus dicitur pigrum, quia facit pigritiam in homine; manifestum est legenti quæ scripsit libro 6.

2 Ad Cor. 5.

Osee 4.

bro 6. aduersus Iulianum capite 11. & lib. 1. de nuptiis, & concupiscentia cap. 13. in libro autem sexto contra Iulianum capite 5. distinguens malum à peccato, ait, concupiscentiam quidem esse malum quoddam, sed non esse peccatum, ita enim scribit: Tu qui putas, quod si malum esset concupiscentia, careret ea, qui baptizatus est, multum erras: omni enim peccato caret qui baptizatus est, non omni malo: quod planius ita dicitur, omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis caret. Numquid enim caret corruptione corporis? ea non est malum, quod aggrauat animam? Et errauit qui dixit: *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam*? Numquid caret ignorantiæ malo, per quod à nescientibus innumerabilia perpetrantur mala. Horum itaque malorum præteritus omnis reatus sacro baptismi fonte diluitur. Remittuntur ergo in renascentibus, minuuntur in proficientibus. Ignorantia minuitur veritate, magis, magisque lucente: Concupiscentia minuitur charitate, magis magisque feruente. Ex hoc autem concupiscentia peior est quàm ignorantia, quia ignorantia sine concupiscentia, minus peccat: concupiscentia verò sine ignorantia grauius peccat. Et nescire malum, non semper est malum. Bonum quoque ipsum vtiliter aliquando ignoratur, vt oportunè sciatur. Nullo autem modo fieri potest, vt carnali concupiscentia bonum hominis concupiscatur; quandoquidem nec ipsa proles, libidine corporis, sed voluntate animi concupiscitur, quamuis non sine libidine corporis seminetur. Hæc Augustinus.

Augustinus concupiscentiã citra voluntatis assensum, ait esse malum quoddam, non autem peccatum.

Sap. 9.

Caluinus porrò super hoc Apostoli loco tractans illud legis præceptum: *Non concupisces*, & docens, eo præcepto vetari ipsos per se malos concupiscentiæ motus, etiam inuoluntarios, ita scribit: Hoc vltimo præcepto. *Non concupisces*, tantam à nobis integritatem DEVS exigit, vt nulla nos vitiosa cupiditas ad malum sollicitet, vtcumq; non accedat consensus. Et quidem superioribus decalogi præceptis damnauerat haud dubiè DEVS, quoscumque prauos affectus, animi nostri concipiunt: hoc autem præcepto damnauit

57. Caluini sententia refellitur.

uit ipſos etiam appetitus quibus titillamur. Paulus autem ex hoc latenti concupiſcentiæ morbo dicit, ſe reatum ſuum deprehendiſſe: vnde ſequitur, quicumque eo morbo laborant, minime eſſe excuſabiles, niſi quatenus culpam DEVS ignoſcit. Tenenda interim tamen eſt illa diſtinctio inter prauas libidines, quæ ad conſenſum vſque perueniunt; & concupiſcentiam quæ ſic corda titillat, & afficit, vt in medio impulſu ſubſiſtat. Sic ille. Caluinus itaque ipſos concupiſcentiæ motus, etiam inuoluntarios, & rationi repugnantes cenſet eſſe peccata prohibita illo legis præcepto: *Non concupiſces*: idque probat, eo quod in duobus aliis ſuperioribus legis præceptis: *Non mœchaberis*. Et, *Non furtum facies*, iam fuerat prohibita, & damnata deliberata voluntas, & cupiditas alienæ vxoris, & rei alienæ. Cum igitur deinde adiungit duo illa præcepta. *Non concupiſces rem proximi tui, non vxorem, &c.* Non obſcurè ſignificauit, etiam ipſam iſtarum rerum concupiſcentiam, licet non placentem, vel etiam diſplicentem rationali voluntati, eſſe peccatum, ideoque prohiberi.

58. Verùm & Caluini ſententiam, iam ſatis ſupra oſtendimus falſam eſſe, & ratio qua eam fulcire, & firmare vult, perinfirma eſt. Lex enim in ſuperioribus illis præceptis: *Non mœchaberis*. Et, *Non furtum facies*, tantùm prohibuit externos actus adulterandi, & furandi: cum verò addidit: *Non concupiſces rem proximi tui, nec vxorem proximi tui*, prohibere voluit interiorem etiam animi concupiſcentiam, ſed voluntariam, & deliberatam iſtiuſmodi rerum. Voluit enim huiuſmodi præceptorum diſtinctione docere homines, non ſolum eſſe peccatum, & fugiendam, externam iſtarum rerum effectionem, ſed etiam interiorem animi cupiditatem rationali aſſenſu approbatam. Enimuerò, hoc eſt diſcriminis inter legem diuinam, & leges humanas: quòd humana lex, quia internas animi affectiones, & actiones ſiue bonas, ſiue malas videre non poteſt; idcirco nec interna cordis humani peccata punire, iudicare, aut prohibere poteſt. Lex verò diuina, quoniam eius conditor, DEVS eſt, quem nullum mentis humanæ

Diſcrimen legis diuinæ atque humanæ.

manæ latet ſecretum, ius & poteſtatem habet etiam in ea, quæ ſunt intra hominis animum, tam iubendo, quàm vetantando: & finis eius eſt, vt per obſeruantiam legis, bonus efficiatur homo abſolutè, & coram DEO. Et quamuis interna peccata debitis ſuppliciis in hac vita lex diuina non puniat: docet tamen ea nequaquam fore impunita, ſed poſt mortem meritis à DEO pœnis eſſe plectenda.

59. *Cur in decalogo non ſit diſtincte vetita cupiditas homicidij, ſicut prohibita eſt furti & adulterij.*

Si quis porrò de me quæret, cur non etiam in lege diuina de homicidio duplex datum ſit præceptum, alterum de externo homicidij opere, alterum autem de interna concupiſcentia faciendi homicidij, ſicut datum eſt duplex pręceptum de furto, & de externo actu furandi, & de interiori concupiſcentia rei alienæ, & item datum eſt duplex præceptum de adulterio, de externo ſcilicet actu, & de interna concupiſcentia. Equidem reſponderem, propterea id eſſe factum, quod multo maior eſt humani animi procliuitas ad carnalem libidinem, & voluptatem, & ad auaritiam, quàm ſit ad cędes hominum faciendas. Quò fit, vt frequentior, & acrior, ardentiorque ſit in homine concupiſcentia earum rerum, minuſque vitioſa, immo quaſi naturalis vulgo putetur, tanquam pertinens ad conſeruationem ſpeciei humanæ, & indiuidui. Ea quoque ſæpius foras prorumpit ingenti cum hominum iniuria, & damno. Quocirca vt tantum hoc malum radicitus ex animis hominum euelleretur, duplici fuit præcepto prohibendum. Non autem ita ſæpe in tantam ira excedit acerbitatem animi, tantoq; inflammatur furore, vt præceps homo ruat in cædes hominum.

60. *Error Iudæorũ circa intelligẽtiam præceptorum decalogi.*

Pleroſque autem Iudæorum putaſſe, præceptis illis decalogi, non interna peccata, ſed externa fuiſſe prohibita, manifeſtum facit indicium, quod SALVATOR noſter dixit in ſuo ſermone, quem habuit in monte. Volens enim veram legis præceptorum ſententiam docere Iudæos, & falſam eorum intelligentiam, qua illi erant imbuti, corrigere; apertis verbis oſtendit, præceptis illis legalibus non ſolum externa peccata fuiſſe interdicta, ſed interiorem etiam eorum concupiſcen-

Locus Matt.5. tiam. Huc nempe ſpectant illæ Domini ſententiæ: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non occides. qui autem occiderit, reus erit iudicij. Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicij*. Ea item: *Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non mœchaberis: ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Nec qui de vulgo erant Iudæorum, ita vt diximus tantum ſentiebant, ſed grauiores etiam, & ſapientiores. Hebræus certe Ioſephus, vir ceteroqui grauis, & doctus, non abhorruiſſe ſe ab iſta vulgari Iudæorum opinione, non obſcurè ſignificauit in lib. 12. Antiquitatum cap. 13. Polybium hiſtoricum eo nomine reprehendens, quod regem Antiochum ideo miſerabili exitu periiſſe ſcripſerit, quia templum Dianæ voluerit diripere. Nam voluiſſe, inquit, tantùm, & non etiam perfeciſſe ſacrilegium non videtur res digna ſupplicio. Ecce quod iſte dixit de ſacrilegio, idem de homicidio, furto, adulterio, aliiſq; ſentiebant vulgo Iudæi. Atque hæc quidem ad præſens carptim dicta ſint in Caluinum.

Ioſephus.

61. *Explicatur quod dixit Auguſtinus, concupiſcentiam per ſe peccatum eſſe.*

Illa porrò B. Auguſtini ſententia, ex cap. 3. lib. 5. contra Iulianum ab hæreticis prolata, nobiſque oppoſita, in qua docet Auguſtinus, concupiſcentiam etiam per ſe peccatum eſſe, nō ſolum effectum, vel cauſam, vel pœnam peccati, ad hunc modum intelligenda eſt. Nomine peccati Auguſtinus intelligit, non peccatum morale, ſed peccatum naturæ corruptæ: quemadmodum vitia quæ ſunt contraria integritati, & perfectioni naturæ, vocantur à Philoſophis errata, & peccata naturæ, vt ſunt monſtra, & vt eſt naturalis cœcitas, vel ſurditas, vel mutitas. Quoniam autem integritas, & perfectio hominis eſt, vt potior eius pars, quæ eſt mens, & ratio, dominatum teneat: inferior autem, quæ eſt ſenſus, & appetitus, ſit illi ſubiecta, & obediens: cum carnalis concupiſcentia, quæ ad partem inferiorem pertinet, rebellis eſt, & repugnans rationi, cui tanquam ancilla reginæ, famulari deberet, hoc ipſum appellatur peccatum, non quidem morale, ſed naturale. Maneat igitur, concupiſcentiam, cui abeſt voluntatis aſſenſus, ſiue conſen-

consensus, non esse peccatum propriè dictum, sed figuratè dici peccatum, quinque modis: Primum, eo modo quo proximè dictum est, deinde quia est peccati effectus. Tum quia est pœna peccati: Adhæc, quia vehementer incitat ad peccatum: Postremò, quia est instrumentum, quo per actum generationis, peccatum originale propagatur & transfunditur in posteros Adæ.

Licet concupiscentia propriè non sit peccatum, quinque tamen modis vocatur peccatum.

VNDECIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Sine lege enim peccatum mortuum erat: ego autem viuebam sine lege aliquando. Sed cùm venisset mandatum, peccatum reuixit: ego autem mortuus sum, *& cætera quæ sequuntur, vsque ad illud:* Scimus enim quod lex spiritualis est.

Versu 9. vsque ad 14.

HORVM verborum Apostoli breuem interpretationem in libro primo contra dúas epistolas Pelagianorum capite nono, S. Augustinus tradit huiusmodi: Quod ait: *Sine lege peccatum mortuum est.* hoc significat: Peccatum sine lege tanquam non sit, latet, non apparet, penitus ignoratur, tanquam in nescio quibus ignorantiæ tenebris sit sepultum. Et quod ait: *Ego autem viuebam aliquando sine lege.* non aliud significat nisi viuere mihi videbar. Et in eo quod adiungit: *Adueniente mandato peccatũ reuixit*, quid est illud, *reuixit*, nisi eminuit, & apparuit. Nec tamen ait, vixit, sed reuixit: vixerat enim aliquando in Paradiso, quando contra datum præceptum, satis appare-

62.

S. Augustinus.

parebat admissum. Cùm autem à nascentibus trahitur, tanquam mortuum sit, latet: donec repugnans iustitiæ, malum eius, prohibitione legis sentiatur: cùm aliud iubetur atque approbatur; aliud delectat, atque dominatur: tunc peccatum quodammodo in notitia nati hominis reuiuiscit, quod in notitia primi facti hominis aliquando vixerat. Hæc Aug.

63. Sed in illis verbis, *sine lege enim, peccatum mortuum erat*, coniunctio illa *(enim)* denotat verba hæc referri oportere ad superiora: paulò autem suprà dixerat Paulus, per legem peccatum esse manifestatum, & cognitum; nec hoc tantùm, sed ex occasione legis, etiam peccatum fuisse amplificatum, & ingrauatum. Sensus igitur erit, ante legem peccatum fuisse mortuum, id est, fuisse occultum, & abditum, & quasi sopitum, vt ipsum non aduerterent, nec æstimarent homines. Erat præterea peccatum eo nomine mortuum ante legem, quia tunc non ita exerebat vires suas, & minus inflammabat animum libidine peccandi; eratque minus graue ac damnabile, vt cui nondũ esset legis adiuncta præuaricatio. Quod autem subdit Apostolus: *Ego autem viuebam sine lege*, interpretatur Augustinus: Viuere mihi videbar: quia peccatum ante legem non sic agnoscebam. *Post legem autem peccatum reuixit*, id est, apparuit, & innotuit. *Ego aũt mortuus sum*, id est, mortuum me esse cognoui, agnoscens peccatum ex legis prohibitione, & præuaricatione. Illud porrò: *Peccatum reuixit*. alij interpretantur: acrius exeruit vires suas, cùm prius quasi sopitum esset. Frequenter enim in nobis ipsi experimur, fomitem aliquandiu latere in nobis tanquam sopitum, deinde magno velut impetu exurgere, & inardescere, & ad res prauas vehementer incitare.

64. S. Hieronymus in epistola centesima quinquagesima prima, quam scripsit ad Algasiam, in responsione ad octauam eius quæstionem proximè memoratam, verba Pauli refert ad quemlibet hominem, & ad ætatem, quam ante vsum rationis degit: tunc enim homo viuit sine lege, & peccatum est in eo mortuum; licet enim faciat ea, quæ sunt peccata, ea

tamen

tamen ipsi non imputantur vt peccata. Post vsum autem rationis, peccatum reuiuiscit, id est, quæ facit peccata, etiam vt peccata imputantur ipsi, & ipse tanquam peccati reus, & mortis damnatur. Ponam hîc verba Hieronymi. Cùm enim proximè antè differuisset de lege naturali, quam DEVS in omnium hominum mentibus scripsit, nec vlli mortalium ignotam esse voluit, subdit hæc verba: Hanc legem nescit pueritia, ignorat infantia; & peccans absque mandato, non tenetur lege peccati. Maledicit patri, & matri, & parentes verberat? sed quia nondum accepit legem sapientiæ, mortuum est in eo peccatum. Cùm autem mandatum venerit, hoc est, tempus intelligentiæ appetentis bona, & vitantis mala; tunc incipit peccatum reuiuiscere, & ille mori, reusque esse peccati. Atque ita fit, vt tempus intelligentiæ, quo DEI mandata cognoscimus, vt perueniamus ad vitam, operetur in nobis mortem, si agamus negligentius: & occasio sapientiæ, seducat nos atque supplantet, & ducat ad mortem. Non quod intelligentia, peccatum sit: Lex enim intelligentiæ sancta, & iusta, & bona est: sed per intelligentiam peccatorum atque virtutum, mihi peccatum nascitur, quod priusquam, peccatum esse non noueram. Atque ita factum est, vt quod mihi pro bono datum est, meo vitio mutetur in malum, & vt hyperbolicè dicam, nouoque verbo vtar ad explicandum sensum meum, peccatum, quod priusquam haberem intelligentiam, absque peccato erat, per præuaricationem mandati, incipiat mihi esse peccantius peccatum. Hactenus ex B. Hieronymo.

S. Hieronym.

65. *S. Augustinus.*

Nec dissimiliter B. Augustinus proximè dicto loco interpretatur hæc Apostoli verba: Per illud, inquit: *Ego viuebam aliquando sine lege*, ætatẽ suam prima ab infantia, ante rationales annos voluit intelligi. Per id verò quod adiungit: *Adueniente mandato peccatum reuixit, ego aũt mortuus sum*, iam se præcepti capacem, sed nõ efficacem, & ideo præuaricatorem legis ostendit. Nec moueat quod ad Philippenses scripsit, se conuersatũ esse sine querela secundum iustitiam, quæ in lege est: potuit

potuit enim esse intus in affectionibus prauis præuaricator legis, & tamen conspicua opera legis implere, vel timore hominum, vel ipsius DEI; sed pœnæ formidine, non dilectione, ac delectatione iustitiæ. Talem verò se fuisse sciens Apostolus ante gratiam DEI, quæ per CHRISTVM Dominum est, alibi hoc apertissimè confitetur, ita scribens Ephesiis: *In quibus & nos omnes aliquando conuersati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & affectionum: & eramus naturaliter filij iræ, sicut & cæteri. DEVS autem, qui diues est in misericordia, propter multam dilectionem qua dilexit nos; cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos CHRISTO, cuius gratia sumus salui facti.* Hæc Augustinus. Sed quod ait, Paulum non fuisse antequam CHRISTI fidem, & gratiam accepisset, verè iustum, sed peccatorem coram DEO, indiget consideratione. Posset enim opponi Augustino illud quod ipsemet Paulus de se affirmat in capite primo posterioris epistolæ ad Timotheum, scribens: *Gratias ago DEO, cui seruio à progenitoribus meis in conscientia pura.* Et alio loco: *Ego*, inquit, *omni conscientia bona conuersatus ante DEVM vsque in hodiernum diem.*

Ad Ephes. 2.

An Paulus antequā Christi fidem & gratiam acciperet, fuerit aliquando verè iustus.

Actorum 23.

66\. Sed non est silentio inuoluenda hoc loco, noua quædam horum Pauli verborum interpretatio Caietani, referentis ista verba ad primum hominem Adamum, statim vt is à DEO creatus est, & priusquam acciperet præceptum non edendi fructum arboris scientiæ boni & mali: id enim vult significari illis verbis: *Ego autem viuebam aliquando sine lege*, illis autem verbis: *Sed cùm venisset mandatum, peccatum reuixit, & ego mortuus sum.* ait significari statum Adami post violatum illud DEI præceptum. Verba Caietani sunt huiusmodi: Creatis primis parentibus, priusquam DEVS daret eis mandatum de non comedendo fructum illius arboris vetitæ, homo sine lege viuebat, & peccatum mortuum erat. Quod enim tunc viueret vita boni moris, & sine lege, ex eo patet, quod erat in statu gratiæ & innocentiæ, & nec dum legem vllam particularem acceperat. Peccatum etiam tunc in eo mortuum erat:

Noua quadā, sed acuta Caietani, & Theodoreti interpretatio.

Genes. 2.

erat: quia fomes peccati, qui est causa peccati in nobis, & ideo peccatum nominatur, mortuus erat quantum ad hoc, quod est exire in actum peccati, erat enim velut ligatus per donum iustitiæ originalis, in qua creatus est homo. Ex primo itaque statu hominis, per locum à maiori probat Apostolus intentum suum, dicendo: *Sine lege enim*, hoc est, ante mandatum aliquod positiuum, *Peccatum*, hoc est, fomes, siue inferior pars animi, quatenus ad peccandum inclinat. *Mortuum erat*, id est, tanquam mortuum, erat sopitum per iustitiam originalem. *Ego autem*, in persona sua Paulus intelligi vult statum primi hominis, *Viuebam*, vita nempe spiritus & corporis sine necessitate moriendi, & vita, quæ est contraria vitæ peccati. *Sine lege aliquando*, in illo scilicet primæuo statu, cùm nondum lex aliqua positiua data esset homini. *Sed cùm venisset mandatum*, illud nimirum DEI præceptum: *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris. Peccatum reuixit.* Sopita enim pars inferior animi, reuixit ad peccandum, non quod antea vixisset in homine peccatum, sed quia dixerat, peccatum fuisse in eo mortuum, conuenienter adiunxit ipsum reuixisse. Verificatur autem quod reuixerit, sicut verificatur quod mortuum fuerit; per priuationem scilicet vitæ actualis peccati, non quam habuerat, sed quam habuisset: nisi enim adfuisset ei donum originalis iustitiæ, sensualitas hominis exisset in actum peccandi, quod est actuale viuere peccati. Reuixit autem in homine peccatum, audito à serpente præcepti nomine: *Cur præcepit vobis DEVS*, &c. *Ego autem mortuus sum*, id est, fui: vita siquidem peccati, fuit mors mea: nam actualiter peccare, fuit mors & animæ, & corporis: anima enim mortua est spiritualiter, & corpus mortuum est, quia propter peccatum incurrit in necessitatem moriendi. Hactenus ex Caietano.

Genes. 2.

Genes. 3.

67. Nec videtur dissimile quod super eisdem istis verbis Pauli, scribit Theodoretus. Adam, inquit, ante transgressionem, non habebat metum mortis. Cùm autem DEVS præceptum ei dedisset de non edendo fructum vnius arboris, statim dia-

Theodoretus.

Genes. 2.

bolus per serpentem accessit ad mulierem, & fallacibus cum ea sermonibus vsus est. Illa verò inescata, cùm fructus pulchritudinem aspexisset, à voluptate superata, præceptũ transgressa est: & vnà cum Adamo, qui etiam particeps eius fuit, mortis decretum accepit. Sic Theodoretus. Sed profectò interpretatio ista Caietani, non solùm duriuscula est, nec verbis Apostoli commodè applicabilis; sed etiam consilio & proposito Pauli in hoc loco minimè apta neque congruens est. Paulum enim hoc in loco, non loqui de illa singulari lege, quæ Adamo data est in Paradiso, sed de lege, quæ per Mosen à DEO data est Hebræis, præcipuè autem de ea parte illius legis, quæ vocatur Decalogus, eo manifestè constat indicio, quod Apostolus totius disputationis, quam tractat in hoc loco, suprà initium fecit, &, quasi fundamentum quoddam iecit, illud Decalogi præceptum, *Non concupisces*, dicens: *Sed concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces.* Hinc porrò deinceps, quasi religata & connexa, subsequens à Paulo contexitur disputatio.

Infra 3.

Refellitur proximè dicta interpretatio Caietani.

68. Sed cur Paulus mandatum siue legem, appellauit sanctam, & iustam, & bonam? Theodoretus sanctam interpretatur, quia docet bona quæ agere, & mala quæ fugere hominem, oporteat: Iustam, quòd in transgressores iustam animaduersionis sententiam ferat: bonam, quod iis qui eam seruant, vitam præparet. B. Thomas, & Caietanus aiunt, vocari sanctam, propter præcepta ceremonialia, quæ ad sanctitatem diuini cultus pertinent: iustam autem, propter præcepta iudicialia: bonam verò, propter moralia præcepta. Sed quid est illud, quod deinde subdit Paulus: *Vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatum?* Sciat lector, pro illo: *peccans peccatum*, græcè legi, *ἁμαρτωλὸς ἡ ἁμαρτία*, nec nomen illud *ἁμαρτωλὸς* est participium respondens latino illi participio, peccans, quo vsus est Latinus interpres: sed est nomen adiectiuum, quasi dicas, scelestum scelus, vel si fingere licet, peccaminosum peccatum. Sanctus Hieronymus in epistola ad

Cur lex dicitur sancta, iusta, et bona. Theodoretus. S. Thomas. Caietanus.

S. Hieronym.

la ad Algasiam expressit, peccantius peccatum. Si latinè nomẽ peccati esset generis masculini, vt velut de homine liceret dicere, peccatũ vehementer peccator, minus esset dura locutio. Græcè fœminini generis est nomen peccati ἁμαρτία, quam vocem si latinè liceret reddere peccãtiam, dici posset, peccatrix peccantia. Augustinus lib. primo ad Simplicianum quæstione prima dixit, supra modum peccator peccatum. Annotauit Origenes Paulum inducere hoc loco peccatum quasi personam quandam; per eam figuram quæ dicitur à Rhetoribus Prosopopœia. Sensus igitur horum Pauli verborum, est huiusmodi: Vt peccatum illud, quod in me erat, sed latebat, id est, fomes peccati, fieret supra modum, peccatum, id est, ingens, & exuperans peccatum: dum non modò mala concupiscendo delinquit, verùm etiam præuaricationis reatum addit per occasionem legis.

S. Augustinus.

Origenes.

69.

Iuuat in extrema parte huius disputationis indicare lectori sententiam quandam, planè Pelagianam, Auctoris commentariorum in hanc epistolam ad Romanos, qui falsò nomen fert B. Hieronymi. Is enim superiora illa Pauli verba explanans: *Sine lege enim peccatum mortuum erat*, hæc scribit: Si, cùm lex non esset, peccatum mortuum est: insaniunt, qui de Adam per traducem asserunt venire peccatum. Sic iste, secundum dogma Pelagiani, negans propagationem originalis peccati ex Adamo in posteros eius. Idque videtur paucis illis verbis sic argumentari voluisse: Vbi non est lex, ibi peccatum esse non potest, vt quod semper sit transgressio alicuius legis: sed infantes nullius obseruatione legis tenentur, cùm rationis & liberi arbitrij vsum habere non possint: ergo nullum in eis peccatum esse potest. Sed argumentatio ista vim & locum haberet in peccato actuali, quod propria voluntate cõmittitur: non habet aũt in originali peccato, quod propria infantis voluntate nõ admittitur, sed per generationẽ carnalẽ ab Adamo trahens naturam humanã peccato eius actuali vitiatã, & iustitia originali spoliatam;

Cõfutatur sententia quædã Pelagiana auctoris commentariorum in hanc Pauli epistolam, qui falsò nomen fert S. Hieron.

Ad Rom. 4.

ff 2 tam;

tam; vnà quoque trahit peccatum originale. Sicut autem Apostolus suprà dixit, capite quinto, omnes homines peccasse in Adamo, ita dicendum est, omnes homines in Adamo violasse legem, quæ data illi fuerat à DEO. Vel vnus itaque hic locus istius Auctoris, satis ostendit, commentarios illos non in Catholica B. Hieronymi officina, sed in hæretica Pelagianorum schola esse confectos.

Genes. 2.

DVODECIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

SCIMVS enim quia lex spiritualis est, ego autem carnalis sum venundatus sub peccato.

Versu 14.

70.

QVONIAM suprà initio huius capitis dixerat Apostolus: *Scientibus enim legem loquor:* idcirco nunc ait: *Scimus quia lex spiritualis est.* quasi dixerit: Nouimus omnes quicumque diuinarum rerum non sumus ignari, quod lex spiritualis est, loquitur autem de lege Mosis. Eam porrò legem, spiritualem fuisse, octo modis licet interpretari. Primò dicta est spiritualis secundum Chrysostomum, & Theophylactum, quia quæ sunt hominis spiritualis, præscribit, docens virtutes amplecti, & vitia fugere. Deinde, secundum Theodoretũ, quia est à DEO qui spiritus est, profecta & digito DEI, qui est SPIRITVS DEI, in tabulis scripta est, & per Mosem, virum spiritualem, Hebræis promulgata: Tum, secundum appellatũ vulgo Ambrosium in commentario huius loci, quia dirigebat hominẽ ad notitiã, & cultũ vnius DEI, purissimi spiritus & omninò incorporei, vetito cultu falsorũ deorum corporaliũ. Adhæc secundum Augustinũ in eo libro, in quo explanat nonnullas huius

Lex Mosis octo modis dici potuit spiritualis.
Chrysostomus.
Theophylactus.
Ioan. 4.
Ambrosius.
S. Augustinus.

huius epistolę sententias, numero 41. Lex Mosis, dicta est spiritualis, quia non poterat impleri, nisi ab homine spirituali, id est, sanato, & renouato in spiritu per gratiam SPIRITVS sancti: Dicens Apostolus (inquit Augustinus) legem esse spiritualem, satis ostendit, non posse impleri nisi à viris spiritualibus, quales sola facit DEI gratia. Similis enim quisque factus ipsi legi, facile implet quod ea præcipit; nec erit sub illa, sed cum illa, vel etiam supra illam: is autem est, qui iam non capitur temporalibus bonis, nec malis corporalibus terretur. Præterea secundum B. Thomam, lex vocatur spiritualis, quia congruit & concordat cum spiritu hominis, id est, cum ratione, secundum quam rationem mox dicet Apostolus: *Consentio legi DEI, quia bona est.* Et paulò infrà: *Condelector legi DEI secundum interiorem hominem.* Præter hæc, secundum Caietanum dicitur spiritualis, quia est regulatiua, & directiua spiritualis partis hominis, interius iuuando spiritum hominis; dicendo videlicet quid eum agere, & quid non agere oporteat. Vel dicitur spiritualis, quod hominem bene dirigeret, & ordinaret; per ceremonialia præcepta erga DEVM excitando eum ad pietatem, & religionem, & continendo eũ in cultu veri DEI, ne delaberetur ad idololatriam: per iudicialia verò præcepta, bene ordinando eum erga proximum, docendo vtique in omnibus seruare iustitiam. Per moralia demùm præcepta, bene instituendo eum erga seipsum, simulque erga DEVM, & proximum Postremò legem Mosis spiritualem fuisse propterea intelligere possumus, quod ea secundum nudam litteram intellecta, erat infructuosa: spiritualiter autem accepta, multum iuuabat, quin etiam erat velut quædam præparatio ad legem euangelicam. Lex autem euangelica non solùm spiritualis est, sed vocatur etiam lex spiritus, & vitæ, quia non solùm à SPIRITV sancto lata est, sed eam quoq; SPIRITVS sanctus imprimit cordi, quod inhabitat, ipsum sanans, & mundans, & roborans, & spiritualibus bonis locupletans.

S. Thomas.

Caietanus.

Ioan. 6.

Sequitur illud: *Ego autem carnalis sum venundatus sub pec-* 71.

Quid sit esse hominem carnalem.

cato. Dupliciter potest dici homo carnalis: vel quia subditur, & seruit carni, consentiens, & obediens prauis eius cupiditatibus: & ita dicitur de homine nondum per gratiam DEI sanato, & iustificato. Vel appellatur carnalis, quia, secundum naturam humanam, originali peccato vitiatam, quam traxit ex Adamo, procliuis est ad concupiscendum ea quæ carnis sunt, non tamen eiusmodi cupiditatibus deliberate assentitur, & obsequitur: & hac ratione dicitur hoc etiam de homine iusto, reluctante carni, & spiritu facta carnis mortificante. Quoniam autem vtraque carnalitas prouenit ex peccato; subdit Apostolus. *Venundatus sub peccato*. Posterior etenim carnalitas habens solùm rebellionem contra spiritum, prouenit ex Adæ peccato: pertinet enim ad fomitem, cuius corruptio ex Adæ peccato ad omnes eius posteros permanauit. Prior verò carnalitas, significans hominem obedientem concupiscentiis carnalibus, non solum ex originali peccato prouenit, sed etiam ex peccatis actualibus, per quæ homo seruus efficitur peccati; seipsum quasi vendens in seruum; eo nempe pretio, vt suas expleat cupiditates. Huc pertinet illud Isaiæ. *Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis*.

Ad Rom. 8.

Isa. 59.

72\. Significat autem, venundatum esse sub peccato, idem quod, esse addictum peccato, & quasi in seruitutem, & iugum peccati traditum. Hac ipsa locutione vsus Elias, dixit regi Achab: *Venundatus est, vt faceret malum in conspectu Domini*. Hoc ipsum etiam Augustinus in libro proxime citato, numero 42. explicat his verbis. Intelligendum est, quod vnusquisque peccando, animam suam diabolo vendit, accepta, tanquam pretio, dulcedine temporalis voluptatis. Vnde & Dominus noster dictus est redemptor, quia nos eo modo, quo dictum est, venditi eramus. Eodem spectat etiam illud Isaiæ capite 52. *Gratis venundati estis, & sine argento redimemini*. Id enim propter quod homo peccans animam suam vendit diabolo, nullius est pretij, comparatum dignitati hominis; ideoque verè dicitur homo gratis esse venditus: nam vt Dominus in Euangelio dixit: *Quid prodest homini, si mundum vniuersum*

Locus 3. Reg. cap. 21.

S. Augustinus.

Locus Isaiæ cap. 52.

Matth. 16.

uersum lucretur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Gratis porrò redempti sumus (hoc enim significat, *sine argento redimemini*) quia nullis meritis nostris, nulloq; pretio à nobis exhibito hæc nostra redemptio facta est. Non tamen redempti sumus gratis respectu CHRISTI; clamat enim Paulus: *Empti estis pretio magno: glorificate, & portate DEVM in corpore vestro.* Et B. Petrus ait, nos esse redemptos ex vana nostra conuersatione non corruptibilibus auro, vel argento, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati CHRISTI, & incontaminati.

1. Ad Cor. 6.

1. Pet. 1.

Beatus Augustinus supradicta verba Apostoli: *Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato.* Quemadmodum non solum de iustis hominibus, verum etiam de ipsomet Apostolo Paulo verè intelligi queant, in lib. 1. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 10. docet his verbis: Non satis expeditum videtur, quomodo quæ hîc dicuntur, de ipso Paulo intelligi possint. Non enim dixit Apostolus: *Ego carnalis fui.* Sed dixit: *Ego carnalis sum.* Numquid ergo Paulus, cum hæc scriberet, carnalis erat? an secundum corpus mortale hoc dixit? Adhuc enim erat in corpore mortali, nondum facto spirituali, de quo alibi dixit: *Seminatur corpus animale, resurget spirituale.* Tunc enim totus homo spiritualis erit, quando etiam corpus ipsum erit spirituale. Quid enim mirum, fore tunc carnem spiritalem, cum nunc in iis qui carnalia sapiunt, etiam spiritus ipse sit carnalis? Sic igitur dixit Paulus: *Ego carnalis sum.* cum nondum spiritale corpus haberet, sicut dicere potuisset, ego mortalis sum: quod vtiq; nonnisi secundum corpus intelligeretur dixisse, nondum immortalitate vestitum. Quod verò addidit: *venundatus sub peccato*, ne quispiam eum nondum CHRISTI sanguine redemptum dixisse existimet: etiam intelligi potest secundum id, quod ipsemet dixit: *Et nos, inquit, primitias habentes SPIRITVS, & ipsi in nobis ipsis ingemiscimus adoptionem expectantes, redemptionem corporis nostri.* Dixit ergo se venundatum sub peccato, quia nondum habebat corpus à corruptione redemptum. Vel quia in prima

73.

Secundũ B. Augustinum posse supradicta verba in ipsum etiam Paulum verè dici.

1. Ad Cor. 15.

Ad Rom. 8.

ma transgressione præcepti ab Adamo facta in Paradiso, ita venundatus fuit sub peccatum, vt corpus haberet corruptibile, quod aggrauat animam. Propter duo superiora, & tertium illud quod sequitur: *Captiuantem me in lege peccati.* potest videri Apostolus describere eum, qui sub lege adhuc viuit, & nondum sub gratia: sed quemadmodum illa duo priora rectè de ipso Paulo exposuimus, propter carnem adhuc corruptibilem dicta: sic & hoc potest intelligi, vt captiuantem me dixerit, carne scilicet non mente, motione, non consensione: & ideo captiuantem me, quia in ipsa carne non est aliena natura, sed nostra. Hactenus ex Augustino.

Sap. 9.

DECIMATERTIA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Versu 15.

QVOD enim operor, non intelligo: non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio.

74

HÆC verba continent probationem, & confirmationem proximè superioris illius sententiæ: *Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato.* Ex hoc enim apparet, hominem esse carnalem, quasi mancipatum peccato, quod is operatur id, quod intelligit non esse operandum: & quod vult bonum non facit; quod autem odit malum, id facit. Verùm ante omnia ponamus horum Apostoli verborum interpretationem, quam variis in locis tradit Augustinus. in primo libro contra duas epistolas Pelagianorum cap. 11. ita habet: Quod ait Apostolus: *Quod operor, ignoro*, quid est, *ignoro*, nisi nolo, non approbo, non consentio, non facio? Alioquin contrarium est iis, quæ superius

S. Augustinus.

Ad Rom. 3. et 7.

rius

rius dixit: *Per legem cognitio peccati.* Et, *Peccatum non cognoui nisi per legem.* Quomodo enim peccatum per legem cognouit, quod ignorat? Sic ergo dictum est, *ignoro*, quia non facio, quia nulla consensione id ego ipse committo: Quemadmodum Dominus impiis dicturus est: *Non noui vos.* quem proculdubio latere nihil potest. Et sicut Apostolus dixit: *Eum, qui non nouerat peccatum, &c.* id est, non fecerat: neq; enim non nouerat, quod ipse arguebat. Sic ibi. Idem similia scribit in eo libro, in quo nonnullas huius epistolæ sententias carptim explanat. nam in numero 43. sic ait: Quod Apostolus inquit, *Quod operor, ignoro*, potest videri minus intelligentibus contrarium illi sententiæ, quam paulò antè dixerat: *Peccatum vt appareat peccatum, per bonum mihi operatum est mortem.* Quo modo enim appareret, si ignoratur? sed, *ignoro*, sic dictum est hoc loco, vt intelligatur, non approbo. Sicut enim tenebræ non videntur, sed lucis comparatione sentiuntur; hoc est enim sentire tenebras, quod non videre lucem: ita & peccatum, quod non illustratur luce iustitiæ, non intelligendo dignoscitur: Et ad hoc pertinet, quod dicitur in Psal. 18. *Delicta quis intelligit?* Hæc ibi.

Matth. 7.

1. Ad Cor. 5.

75\. *Quid sit secundum Augustinum, non agere bonum, quod volumus, & facere malum, quod odimus.*

Idem Augustinus aliquanto latius locum hunc Apostoli tractans in 43. sermone de tempore. Non ergo, inquit, quod vult, agit Apostolus: quia vult non concupiscere, & tamen concupiscit, ideoq; quod non vult, agit. Sed numquid illa concupiscentia mala trahebat Apostolum subiugatum ad fornicationem, vel adulterium? Absit. Luctabatur Apostolus, non subiugabatur. Sed quia nolebat & hoc habere contra quod luctaretur, ideo dicebat: *Non quod volo ago.* Concupiscere nolo, & concupisco: sed tamen concupiscentiæ non consentio: alioqui non dixisset ipse Galatis: *Concupiscentias carnis ne perfeceritis.* Si eas ipse perficeret. Sed Apostolus constituit tibi ante oculos pugnā suam; ne tu timeas tuam. Si enim hoc non dixisset Apostolus, quando videres, moueri concupiscentiam in membris tuis, tametsi non ei consentires, fortasse desperares de te, & diceres, si ad DEVM pertinerem, sic turpi-

Ad Gal. 5.

ter non mouerer. Sed vide Apostolum pugnantem, & noli te facere desperantem. *Video aliam legem*, inquit, *in membris meis repugnantem legi mentis meæ*. Et quia volo vt repugnet (caro enim mea est, ego ipse sum,) pars mea est, quod odi malum, hoc ago, quia concupisco. Quod igitur bonum ago, quia concupiscentiæ malæ non consentio, ago bonum, sed non perficio bonum, quia concupisco. Et concupiscentia, hostis mea, agit malum, sed non perficit. Ego bonum ago, quia malæ concupiscentiæ non consentio: sed non perficio bonum, vt omnino non concupiscam. Similiter, hostis meus, concupiscentia agit malum, quia mouet in me desiderium malum: sed non perficit malum, quia me non trahit ad malum. Et in isto bello, est tota vita sanctorum: & in hoc bello semper homo periclitatur, quousq; moriatur. Nunc ergo fratres, tenete istum modum. Mente seruite legi DEI: carne legi peccati: sed ex necessitate, quia concupiscitis, non quia consentitis. Aliquando verò ista concupiscentia sic insidiatur sanctis, vt faciat dormientibus, quod non potest vigilantibus. Vnde omnes acclamastis, nisi quia omnes agnouistis? Pudet hic inmorari, sed non pigeat inde DEVM precari. Hactenus ex Augustino.

Pollutio nocturna.

76. Sed nos paulo distinctius hæc ipsa Pauli verba per partes explanemus. Possunt hęc verba referri & ad hominem peccatorem, concupiscentiæ suæ obedientem atq; seruientem: & item ad hominem iustum pugnantem cum sua concupiscentia, nec ei assentientem, atque obsequentem. Si verba hæc referantur ad hominem peccatorem, hunc habent sensum: *Quod operor, non intelligo*: Id est, facio peccatum, quod non esse faciendum, intelligo in vniuersali, per naturale rationis lumen, atq; iudicium, & dictamen conscientiæ: sed in particulari, & vt dici solet, hic, & nunc, peccatum facio, victus tentatione diaboli, vel ardore concupiscentiæ, vel praua consuetudine peccandi. Ergo illud, *quod operor, non intelligo*, idem significat atque, quod operor malum, non intelligo esse operandum, siue intelligo non esse operandum. In eo quod sequitur,

Auctoris distinctior & latior interpretatio superiorum verborum Apostoli.

quitur, *Non quod volo, hoc ago*, illud, *ago*, accipiendum eſt de actione completa, quæ externo opere per interiorem rationis conſenſum exercetur. Illud, *volo*, accipiendum eſt non de voluntate perfecta, quæ in particulari & hic & nunc, eſt faciendi operis præceptiua, ſed de voluntate quadam imperfecta, qua homines in vniuerſali bonum volunt; ſicut etiam in vniuerſali rectum habent iudicium de agendis & fugiendis; quod tamen, propter vſum peccandi, vel propter vehementem paſſionem inſurgentem, infuſcatur, & peruertitur, vt non agat homo, quod in vniuerſali iudicauerat eſſe agendum, & quandam habuerat voluntatem agendi. Similiter illud quod adiungitur, *ſed quod odi, illud facio.* denotat odium quoddam imperfectum, quo videlicet omnes homines in vniuerſali oderunt malum. Illud autẽ verbum, *facio*, ſignificat actionem completam, per operis executionem à rationis deliberatione, & voluntatis electione profectam: nam illud odium mali, quod vniuerſaliter odit peccator, deinde tollitur in particulari, cum ei offertur aliquid, delectabile admodum, vel vtile, quod propter inclinationem praui habitus, vel alicuius vehementis paſſionis, amplectitur.

77. Sin autem hæc ipſamet Apoſtoli verba referantur ad hominem iuſtum, repugnantem concupiſcentiæ ſuæ, is dicitur operari malum, non quidem actu ipſum exequens, nec mente conſentiens, ſed tantummodo per appetitum ſenſitiuum concupiſcens: & illa concupiſcentia, eſt præter rationem atque intellectum, quia præuenit iudicium, quo adueniente, talis operatio impeditur: & ob id dicitur, *non intelligo*, quia intellectus deliberationem præueniens, inſurgit talis concupiſcentiæ operatio. Vel quemadmodum Auguſtinus interpretatur. *Non intelligo*, id eſt, non approbo, non conſentio, nolo: Facere, inquit Auguſtinus, ſiue operari malum ſe dicit Paulus, non affectu conſentiendi, ſed ipſo motu concupiſcendi. Deinde, quod ait: *Non quod volo, illud ago*, illud, *volo*, ſignificat in homine iuſto voluntatem completam permanentem in electione particularis agibilis boni. Per

S. Auguſtinus.

illud, *ago*, significatur actio imperfecta, quæ tantùm consistit in appetitu sensitiuo, non perueniens ad rationis & voluntatis consensum. Vir etenim iustus vult quidem mentem suam à prauis etiam concupiscentiis puram & liberam seruare; sed hoc efficere non potest propter inordinatos concupiscentiæ motus, in appetitu sensitiuo exurgentes, qui non sunt in eius arbitrio & potestate. Simile huius est, quod scribit Paulus ad Galatas capite quinto: *Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem, vt non quacumque vultis, illa faciatis.* Iam verò in eo quod sequitur: *Sed quod odi, illud facio.* Verbum, *facio*, significat actionem imperfectam, id est, actum concupiscendi per appetitum sensitiuum, citra rationis assensum. Per illud: *odi*, intelligi debet odium perfectum, quo vir iustus improbat, & auersatur peccatum.

78. Nec verò quia hoc loco Apostolus ait: *Non quod volo, ago; sed quod odi, facio*, propterea quispiam suspicetur, per hæc verba tolli liberum hominis arbitrium; isti enim suspicioni occurrens sanctus Augustinus in explanatione quarundam sententiarum huius epistolæ numero 44. ita scribit: Cauendum est, ne quis propter hæc verba Apostoli, putet auferri nobis liberum voluntatis arbitrium, quod non ita est. Sic enim homo describitur sub lege positus ante gratiam: tunc autem peccatis vincitur, dum viribus suis iustè viuere conatur sine adiutorio liberantis gratiæ DEI. In libero autem arbitrio habet vt credat liberatori, & accipiat gratiam vt non peccet: atque ita desinat esse sub lege, sed sit cum lege, vel in lege, implens eam charitate DEI quod timore non poterat.

S. Augustinus.

DECI-

DECIMAQVARTA DISPVTATIO.

In Caluinum, hæc Pauli verba malè interpretantem.

CALVINVS in commentario huius loci declarans quemadmodum viri iusti & pij (hos enim putat in sua persona Paulum describere hoc loco) verè vsurpent verba ista: *Non quod volo, ago, sed quod odi, illud facio*, ait, virum pium non agere quod vult, quia cuperet exacta, & perfecta obseruatione legem DEI implere; quod tamen non præstat, sed eam transgreditur, in illis præsertim duobus præceptis. *Non concupisces*. Et, *Diliges DEVM ex toto corde*, quæ non possunt in hac vita impleri. Facit porrò vir pius id quod odit, quia odit transgressionem legis, & facit eam tamen: odit alia etiam peccata, & facit ea; non enim sine peccatis, etiam damnabilibus, esse potest, licet propter fidem CHRISTI, per quam iustificatus est, ea non imputentur ipsi ad damnationem. Sed quia vidit Caluinus, illud sibi posse obiici, si vir iustus, & pius transgreditur legem, & facit peccata; quanam igitur re vir iustus, & pius interest ac præstat iniusto, & impio? Huic ipse obiectioni, quasi dissimulanter, tecteque occurrens, differentiam hominis iusti, & pij, atque iniusti & impij, tradit huiusmodi: homo pius habet timorem DEI: habet studium rectè agendi, & voluntatem implendi legem, quin etiam nonnullum ad id conatum & contentionem adhibet: in eo tamen claudicat, & deficit, propter fragilitatē carnis, & præualidam concupiscētiæ vim: cui quidē concupiscentiæ reluctatur aliquantisper, sed eam tamen vincere non potest. At verò iniusti & impij homines, nihil istorum habent: nec enim DEVM timent, nec student

79.

Exod. 20.

benè agere, nec legem obseruare curant; vltro libenterque obsequuntur concupiscentiæ. Et hæc quidem Caluinus.

80. *Verba Caluini* Hanc verò Caluini esse, quam dixi, sententiam, ex propriis eius verbis, hîc à me subiectis, planè lector intelliget. Sunt autem hæc eius verba: Queritur Apostolus, se, quod cupit, non posse præstare, vt ea qua decet alacritate, bonum prosequatur; quia tenetur quodammodo alligatus: rursum deficere se, in quo minimè vellet, quia carnis imbecillitate claudicat. Non facit igitur bonum, quod vult pium pectus, quia nō iusta strenuitate insistit: facit malum quod non vult: quia stare desiderat, & labitur, vel saltem vacillat. Paulus autem sub transgressione legis, omnes piorum lapsus intelligit, qui nec DEI timorem, nec studium rectè agendi illis excutiunt. Itaque negat se facere quod lex exigit, quia non præstat omnibus numeris, sed quodammodo fatiscit in suo conatu. Corda porrò piorum hominum, in lege DEI acquiescunt, & oblectantur eius iustitia, ideoque transgressionem ipsius odio habent. At impij homines coacti subscribunt in in DEI iustitiam, à qua sunt aliôqui prorsus aliena voluntate. Vir autem pius serio & promptissimo pectoris desiderio consentit legis bonitati, quia nihil mallet, quàm in cœlum euolare. Sic ille.

81. *Breuis confutatio interpretationis Caluini.* At enimuerò, ista Caluini sententia & interpretatio, tribus ex causis prorsus improbanda & abiicienda est. Primùm enim, falso nititur fundamento: sumit enim pro certo, quod & falsum & impium est, legem DEI à iustis & sanctis hominibus impleri non posse in hac vita, sed omnes esse transgressores, & præuaricatores legis diuinæ; contrà quod suprà copiosè à nobis disputatum est. Deinde, licet non esset (vt est) falsa isti Caluini interpretatio, est tamen consilio, & proposito Pauli in hoc loco admodum incongrua & aliena, nec inhæret sententiæ verborum eius, sed eam detorquet eo, quo minimè spectat: hoc autem manifestum est ex interpretatione horum verborum Apostoli, quam paulò supra ex Augustini sententia tradidimus, & quam nos fusius explicauimus:

Adhæc

Adhæc ſecundum Caluini definitionem, iuſtorum & piorum hominum nomine cenſendi ſunt etiam homines iniqui, multis magniſque ſceleribus inquinati; dummodo timorem DEI aliquem habeant, & ſtudium aliquod rectè agendi, nonnullumque legem implendi conatum. Soli autem cenſendi ſunt iniuſti, & impij, qui iſta non habent: id autem eſt, qui ſunt peſſimi omnium, & perditiſſimi: quos nempe Salomon deſcripſit illis verbis: *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contẽmnit.* Hanc porrò Caluini doctrinam, quis, obſecro, alius, approbare & amplecti in animum inducet ſuum, niſi qui ex numero fuerit iſtorum ſceleratiſſimorum, & impiiſſimorum hominum?

Prou. 18.

DECIMAQVINTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

SCIO quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea bonum: nam velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio.

Verſu 18.

ILLVD *(ſcio)* Hoc ſignificat, tum ratione ipſa, tum quotidiano vſu & experientia plus ſatis notum, & compertum habeo. Nomen autem carnis, ſignificat hoc loco non carnem, & diſtinguitur ab anima: hac enim ratione caro nec motum, nec ſenſum habet vllum; Paulus verò hîc loquitur de carne concupiſcente, & pugnante contra ſpiritum. Poſſet igitur ſignificare animam ipſam carnalem, quæ carnis cupiditatibus obedit, voluptateſque conſectatur; vel totum ipſum hominem, vt eſt carnalis, ſapiens, & cupiens, quæ carnis ſunt; & vt ab Adamo, per carnalem generationem vitiatam, & corruptam

82.
Quid hoc loco ſignificet nomẽ carnis.

ptam trahit carnem atque naturam. Sed rectius dictu fuerit, & magis congruens consilio, & verbis Apostoli, si dicamus, nomine carnis hoc loco significari partem inferiorem hominis, in qua sedem habet sensitiuus, & carnalis appetitus, bipartito diuisus in concupiscibilem, & irascibilem. Paulus etenim & hic, & in epistola ad Galatas apertè distinguit carnem à mente, & spiritu hominis, hæc ipsa inter se opponens quasi inuicem contraria. Hîc enim ait: *Mente seruio legi DEI, carne autem legi peccati.* Illic autem scribit: *Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem.*

83. Sed quod est illud bonum, quod Apostolus ait non habitare in carne sua? Est sanè bonum tum morale, tum supernaturale, DEO placitum, & ad salutem animæ, æternamque vitam pertinens. Quanquam autem in appetitu sensitiuo sedem habent duæ virtutes morales, fortitudo, & temperantia, illa quidem in appetitu irascibili, hæc autem in concupiscibili, in quibus non modò est bonum morale, verùm etiam moralis perfectio ipsius hominis: habitus tamen istarum virtutum, vt sunt in appetitu sensitiuo, non habent plenam moralis boni rationem, nisi vt pendent à superiori parte hominis, rationem dico, & voluntatem. Rationalis enim pars hominis per istos habitus inhærentes in appetitu sensitiuo, frenat, & regit, & moderatur, & menti & voluntati subiectos & obedientes facit motus appetitus sensitiui, ad iustum quēdam redigens modum, secundum rationis præscriptum. Principale itaque istarum virtutum & bonum, & perfectio, in parte hominis superiori & rationali residet.

Quomodo virtus moralis sit in appetitu sensitiuo.

84. Manichæi porrò ex istis Apostoli verbis: *Non habitat in carne mea bonum*, argumentabantur, naturam humanæ carnis esse malam, & à malo principio profectam. Cùm tamen Paulus alibi dixerit, omnem creaturam DEI bonam esse, carnem verò, & corpus hominis esse factum à DEO, non secus quàm spiritum & animam eius, liquidò patet ex libro Genesis, & Iob, & Psalmis, & Paulus ait: *Nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fouet eam,* nec VERBVM DEI æternum

Contra Manichæos.

2. ad Tim. 3.

Gen. 1. & 2.

Iob. 10.

Ad Ephes. 5.

num, factum esset caro, ne ipsa CHRISTI caro oblata fuisset DEO PATRI, tanquam pretium nostræ redemptionis; nec homini data in Sacramento in spiritualem eius cibum & alimentum æternitatis. Paulus igitur non loquitur hîc de carne secundum bonum naturale, sed secundum bonum morale, vel supernaturale.

Ioan. 1.

Caluinus autem vafrè corrumpens germanam verborum Apostoli sententiã, & malitiosè detorquens ad falsa & impia sua dogmata, docet, hoc loco nomine carnis intelligi debere ipsam hominis mentẽ, & superiorem animi partem: quæ in hominibus, etiam per CHRISTVM iustificatis, partim est spiritualis consentiens DEI legi, eiusque iustitia gaudens: partim verò est carnalis, concupiscens mala, & quæ cõtraria sunt legi DEI; ideoq; in eâdem ipsa parte animæ esse interiorem pugnam contrariis inter se affectibus inuicem pugnantibus: ex quo fit, sicut diximus, vt vir iustus, etiã secundum mentẽ, partim sit spiritualis, partim carnalis. Hæc porrò interpretatio Caluini latenter eò dirigitur, vt enotescat, etiam à viris in CHRISTO regeneratis, & iustis, nec legem impleri posse, nec vitari peccata, nec ex operibus bonis, legisq; obseruantia posse veram, coram DEO, iustitiam comparari: & illud quod iustus (secundũ Apostolum) nolens, & cum odio facit, quod est concupiscere, esse peccatum mortiferũ & damnabile, sed non imputari tamẽ ei propter fidem, & gratiã iustificationis.

85.
Caluini sententia, & praua verborum Pauli interpretatio confutatur.

Ponam hic verba ipsa Caluini, sunt autem huiusmodi. Cùm ait Paulus: *Non quod volo bonum, ago, sed quod odi malũ, hoc facio,* ad spiritum referre oportet, qui primas in fidelibus tenere debet. Est quidem & sua carni volũtas; sed Paulus quod præcipuo cordis affectu appetebat, vocat voluntatem; quod cum eo pugnabat, id vocat suæ voluntati cõtrarium. Dicens porrò, *Iam, non ego operor illud,* negat se totum à peccato occupari, immò ab eius seruitute se eximit; ac si diceret, in aliqua tantum animæ suæ parte residere peccatum. Iam verò cùm ait Paulus: *Non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum,* nomine carnis semper comprehendit omnes naturæ humanæ do-

86.

tes, & omne, quicquid in homine est, excepta Spiritus san-ctificatione: quemadmodũ spiritus vocabulo, quod illi opponere solet, significat partem animę, quam SPIRITVS DEI à malitia repurgatam sic refinxit, vt in ea refulgeret DEI imago. Vtrumque igitur nomen tam scilicet carnis, quàm spiritus, in animam competit; sed alterum, qua parte est regenerata; alterum, quâ naturalem adhuc affectum retinet. Sic ille.

87. Refellitur Caluini sententia.

Sed Caluino apertè contradicit Apostolus, expresse discernens ac distinguens carnem à mente, illis verbis: *Ego ipse mente seruio legi* DEI; *carne autem, legi peccati.* Ergo nomine carnis, in qua dixit non habitare bonum sed peccatum, intelligi vult partem inferiorem hominis, distinctam à parte superiori, id est, à mente. Et paulò antè dixerat: *Condelector legi* DEI, *secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Ecce tibi, repugnantiam, quæ est in homine inter carnem, & spiritum, propter quam dixerat, non habitare bonum in carne sua, ponit in membris suis, distinguendo hæc ab homine suo interiori, & à mente sua. Atque idem ipsum conceptis verbis dixit in epistola ad Galatas cap. 5. *Caro*, inquit, *concupiscit aduersus spiritum; spiritus autem aduersus carnem.* Videsne, Apostolum repugnantiã concupiscentiæ ponere in carne; non autem ponere in mente, quasi contrarios quosdam affectus inuicem pugnantes in ipsa mente? Hoc etiam B. Augustini auctoritate firmatur, in sermone quinto de verbis Apostoli declarantis illud: *Nunc autem iam non ego operor illud.* Nunc, inquit Apostolus, accepta iam gratia, non ego operor illud. libera est mens, caro captiua. Facit itaque Augustinus hominis iusti mentem liberam, captiuitatem autem assignat carni. Caluinus contrà, mentem ipsam hominis regenerati partim facit liberam, partim captiuam; & qua est captiua, appellari à Paulo nomine carnis. Quid? quod si, vt Caluinus vult, homo secundum mẽtem concupiscit consentiendo, & obsequendo suis concupiscentiis, quomodo verè dixisset Paulus, istud malum con-

[margin: ...: Augustinus.]

cupi-

cupiſcentiæ non habitare in ſe, ſed in carne ſua? Nam ſi habitat in mente, in ipſo vtique homine habitat; homo enim eſt homo propter rationem, & mentem. Quomodo etiam verè dixiſſet Paulus: *Iam non ego operor illud?* Si enim per mentem & voluntatem rationalem, malum concupiſcentiæ operabatur, ipſe profectò id operabatur; homo enim dicitur ſimpliciter facere, quod per rationem & voluntatem facit. Audi, lector, Auguſtinũ lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum, cap. 10. id ipſum confirmantem his verbis: Quid eſt, *Non ego operor illud,* niſi quia nõ conſentit exhibere membra ſua arma iniquitatis peccato? Nam ſi & concupiſcit, & conſentit, & agit, quomodo non ipſe illud operatur, etiamſi ſe operari doleat, & vinci grauiter ingemiſcat? Sic Auguſtinus. Nihil apertius contra Caluinum dici potuit, quàm eſt hoc dictum ab Auguſtino.

S. Auguſtinus.

88. *Quomodo ſupradicta verba Pauli conueniant viris iuſtis.*

Cæterùm deinceps breuiter indicandum eſt, quemadmodum verba iſta Pauli: *Scio quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea, bonum,* etiam de viris iuſtis, & iniuſtis atq; peccatoribus verè intelligi poſſint. Et quemadmodum in viros quidẽ iuſtos quadrent, perfacilem habet intellectum. Cùm enim mens viri iuſti iam ſanata ſit per gratiam, verè dicitur, in ipſo habitare bonum; quia bonum gratiæ habitat in eius mente. Sed quia caro eius, etiam tunc manet infirma & ægra, & ad malum inclinans eum, idcirco verè dicitur non habitare bonum in carne eius. Ad hoc ipſum declarandum, ſimulque illuſtrandum valet, quod ſcribit Auguſtinus aduerſus Iulianũ lib. 6. cap. 11. his verbis: Hoc, inquit, modo non viuimus nos, ſed viuit CHRISTVS in nobis, ſi & ad pugnam contra concupiſcentias exercendam, & ad victoriam, vſq; ad conſumptionem eorundem hoſtium, capeſſendam, in illo fidimus, & nõ in nobis. Ipſe quippe factus eſt nobis ſapientia à DEO, & iuſtificatio, & ſanctificatio, & redemptio, vt quẽadmodum ſcriptum eſt: *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Non eſt ergo cõtrarium, ſicut putas, vt qui dicit: *Viuo ego, iam non ego, viuit aũt in me CHRISTVS.* Dicat etiam: *Scio quia nõ habitat in me, hoc eſt,*

S. Auguſtinus.

1. ad Cor. 7.

Ibidem.
Ierem. 9.
Ad Galat. 2.

in carne mea bonum. In quantũ quippe, in illo viuit CHRISTVS, in tantùm expugnat, & superat, quod non habet bonum in carne sua, sed malum. Neque enim rectè cuiusquam spiritus concupisceret aduersus carnem suam, nisi habitaret in illo SPIRITVS CHRISTI. Absit ergo vt dicamus, quod nos dicere insimulas, Apostolum sic ista dixisse, quasi qui se vellet intelligi renitẽtem, in scortum aliquod, manu pestiferæ voluptatis abduci, cùm ipsemet dicat: *Non ego operor illud,* ostendens vtique concupiscentias carnis solùm impulsu libidinis operari, sine consensione peccati. Hæc Augustinus.

89. *An ea verba possint commode intelligi de hominibus flagitiosis.*

Quemadmodum verò hæc ipsa verba de hominibus improbis & flagitiosis verè, apteq; intelligi queant, non æquè facilem habet explicatũ. Nam quo modo flagitiosus homo potest verè dicere illud: *Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum?* Illud enim, *Hoc est,* denotans exceptionem quandam siue correctionem, posuit Apostolus, vt significaret, in seipso quidem, hoc est, in mente sua, bonum esse; in carne tamen sua, non esse bonum. At neq; in mente, neque in carne hominis flagitiosi habitat bonum; totus enim, animo pariter atque carne, impurus & contaminatus est. Sed enim, responderi posset, Paulum hic non agere de quouis bono, sed propriè de eo tantùm, quod pertinet ad concupiscentiam carnis, de qua nempe, omnis in hoc loco, eius disputatio contexitur. Est porrò duplex bonum, & item duplex malum in concupiscentia. Est vnum quidem bonum, nihil concupiscere secundum carnem contra rationem; quod profectò bonũ in hac vita optari magis, quàm sperari potest. Alterum bonũ est, prauos concupiscentiæ motus non peruenire ad effectionem mali, quod concupiscitur: & hoc bonũ, est in hac vita possibile, & habent omnes iusti, & sancti viri. Homo autem flagitiosus, neutrum bonum habet, sed habet duplex malum oppositum: nam & prauas habet concupiscentias, & ipsas perducit ad effectum: quamobrem verè potest dicere, non habitare in se, hoc est, in carne sua, bonum.

DECI-

DECIMASEXTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Nam velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio. *Versu 18.*

90. *S. Augustinus.*

HÆc verba B. Augustinus in libro 1. de nuptiis, & concupiscentia, cap. 29. interpretatur hoc modo: Quod Apostolus dixit: *Velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio*: hoc ideo dictum est, quia tunc perficitur bonum, quando desideria mala nulla sunt; sicut tunc perficitur malum, quãdo malis desideriis obeditur, nec bonum perficitur, quia sunt adhuc mala desideria: sed fit ex aliqua parte bonum, quia concupiscentiæ malæ non consentitur, & ex aliqua parte remanet malum, quoniam adhuc concupiscitur malum: & ideo non dixit Apostolus, quod inueniret facere bonum, sed quod non inueniret perficere bonum. Multum certe boni facit, qui facit quod scriptum est: *Post concupiscentias tuas non eas*. Sed non perficit, quia non implet quod scriptum est: *Non concupisces*. Quod ideo lex præcepit, vt nos in hoc morbo iacere inuenientes, medicinam gratiæ quæreremus: & in eo præcepto sciremus, & quo debeamus in hac mortalitate proficiendo conari; & quo possit à nobis in illa immortalitate beatissima perueniri: nisi enim quandoque perficiendum esset, nunquam iubendum esset. Sic Augustinus. Ergo, secundum Augustinum, illud, *velle*, quod sibi adiacere dixit Apostolus, erat, velle bonum, non concupiscendi quidquam contra rationem. Sed istud bonum, quanquam aliqua ex parte faciebat, quia tali concupiscentiæ nequaquam obediebat; omnino tamen bonum istud non perficiebat, quia concupiscebat malum, etiamsi ei concupiscentiæ ratione ac voluntate repugnaret. *Eccles 18.* *Exodi 20.*

91. *Falsa, & impia interpretatio Caluini refellitur.*

At verò Caluinus in commentariis suis hæc Apostoli verba tractans, ea trahit & detorquet ad sua dogmata, falsa videlicet & impia; illa dico dogmata, etiam iustos in hac vita non posse implere legē DEI, sed eius esse præuaricatores: nec posse vitare peccata, nec bonum opus vllum facere, in quo non peccent. Nam quod Apostolus dixit: *Velle adiacet mihi*, interpretatur ipse bonam voluntatem, quam habent iusti legem implendi, & studium recte agendi, & nonnullum conatum vitandi peccata, ac reluctandi concupiscentiæ, perficere autem bonum non inueniunt iusti; quia voluntas illa eorum, est inefficax, & deficiens studium, & inualidus conatus: cum neq; legem non transgredi possint, & labantur in peccata, & omnia eorum opera, peccato aliquo sint inquinata. Quod eis contingere ait propter infirmitatem carnis, & vim repugnantis concupiscentiæ; quæ non solùm eos recte agere studentes & conantes remoratur atq; retardat; sed etiam multa eis opponit obstacula, ad quæ impingant, & cadant. Verba ipsa Caluini hæc sunt: Cum Apostolus dicit; *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio*, efficaciam operis negat respondere voluntati; quia remoram iniicit caro, ne exacte faciat quod facit. Facit malum quod non vult, quia non modo impedit sua fideles caro, ne celeriter currant; sed opponit etiam multa obstacula, ad quæ impingunt. Non faciunt igitur, quia non implent, qua decet alacritate. Illud porrò, *velle*, cuius meminit Paulus, fidei promptitudo est: dum pios format SPIRITVS sanctus, vt prēsto sint, suaque membra exhibere studeant ad præstandum DEO obsequium. Sed quia impar est facultas; ideo se reperire negat Paulus, quod optandum esset, nempe boni desiderij effectum. Eodem quoque spectat quæ proximè sequitur confessio, eum non facere bonum quod cupit, sed potius malum, quod non vult: quia scilicet fideles quamlibet recte animati sint, propriæ tamen infirmitatis sibi conscij, nullum à se opus proficisci culpa vacuum censent. Nam cùm Paulus, non de paucis delictis piorum hic agat, sed in genere totum vitæ eorum cursum designet, colligimus optima

ptima ſemper eorum opera, aliqua vitij macula fœdari, vt nulla ſperanda ſit merces, niſi quatenus illis DEVS ignoſcit. Hactenus fuêre Caluini verba.

92. At enimuero, iſta ſunt planè contraria doctrinæ, quam hoc in loco tradit Apoſtolus. Principio, ſi Paulus, ſecundum Caluinum, non poterat non facere malum, quod concupiſcebat, non tantùm ſentiendo in carne appetitum mali, ſed ei quoq; per mentem & voluntatem aſſentiendo, & obſequendo: quomodo Paulus dixit de iſto malo: *Iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum?* aperte his verbis oſtendens, ſe, id eſt, mentem, & voluntatem ſuam non operari malum concupiſcentiæ, ſed id operari peccatum, quod in ipſo habitabat, id autem eſt, fomes peccati, qui erat in carne eius. Deinde, ſi nec iuſti homines, nec ipſe Paulus implebat legem, quomodo ipſe dicebat, & in ſua, & in iuſtorum perſona, vt etiam vult Caluinus: *Condelector legi DEI ſecundum interiorem hominem?* neque enim vera legis delectatio in ea mente eſſe poteſt, in qua eſt ipſius legis tranſgreſſio. Et item paulò pòſt ait: *Mente ſeruio legi DEI, carne autem legi peccati.* Quomodo autem mens tranſgrediens legem DEI, verè dici poteſt, ſeruire ipſi legi? Ad hæc, ſi, ſecundum Caluinum, Paulus faciebat, ſecundum mentem, malum, quod ſecundum carnem concupiſcebat, vt fornicationem, adulterium, aliaq; flagitia, quo modo ipſe de iſtiuſmodi flagitiis, Corinthios iuſte reprehēdebat, tanta eis aſſeueratione ſcribens illa verba: *Nolite errare: neq; fornicarij, neq; idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neq; fures, neq; auari, neq; ebrioſi, neq; maledici, neque rapaces, regnum DEI poſſidebunt. Et hæc quidem aliquando fuiſtis: ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri IESV CHRISTI, & in SPIRITV DEI noſtri.* Æſtima, lector, in quantam excedat non modo falſitatem, ſed & blaſphemiam, impura & impia Hæreticorum doctrina.

Locus 1. ad Corinth. 6.

93. Verùm contra iſtam Caluini blaſphemiam, audi ſententiam Auguſtini, pietatis, & veritatis plenam. Is enim in ſermone

S. Auguſtinus.

mone 5. de verbis Apostoli, tractans illa eius verba: *Non quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio.* Ita scribit: Quid sumus intellecturi fratres mei? Itáne Apostolus nolebat, verbi gratia, facere adulterium, & faciebat adulterium? nolebat esse auarus, & erat auarus? Quis nostrum audeat se induere tali blasphemia, vt de Apostolo hoc sentiat? Non sic intelligamus quod dixit, quasi vellet esse castus, & esset adulter: aut vellet esse misericors, & esset crudelis: aut vellet esse pius, & esset impius. Non sic accipienda sunt eius verba. Sed quo modo? volo non concupiscere, & concupisco. Vnde & subdit: *Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio.* Non dixit (facere) sed *perficere*, non enim nihil facit, qui rebellanti concupiscentiæ non consentit, multum facit; magnum est quod facit; sed tamen non perficit. Quid est enim non perficere? omni concupiscentiæ contentione carere, à qua sola mors liberat. Idem Augustinus libro 1. de nuptiis & concupiscentia cap. 27. & 28. & 29. hæc scribit: Agit aliquid concupiscentia carnis, etiam quando non exhibetur ei, vel cordis assensus, vbi regnet, vel membra quibus impleatur quod iubet. Agit autem desideria mala & turpia. Hinc Apostolus velut ex suæ personæ introductione nos instituens, dixit: *Non quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio,* id est, concupisco: quia & hoc nollet facere, vt esset omni ex parte perfectus. Verùm quia concupiscere nolebat, & tamen concupiscebat, & eidem concupiscentiæ nequaquam consentiendo seruiebat; adiunxit illud: *Nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum:* Multum autem fallitur homo ille, qui consentiens concupiscentiæ carnis suæ, & quod illæ desiderāt, decernens facere, & statuens, putat sibi adhuc dicendum illud: *Non ego operor illud*: etiam si oderit; quia concupiscit. Simul enim est vtrumque: & ipse odit, quia malum esse nouit; & ipse facit, quia facere decreuit. Qui ergo dicit: *Iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Si tantummodo concupiscit, verum dicit: non dicit autem verum, si cordis consensione decernit, aut etiam corpori mini

Notabile dictū S. Augustini in Caluinum.

ministerio perficit. Sic Augustinus. Et hæc quidem in huius loci tractatu, explicatuque, breuiter dicta sint in Caluinum.

94. Sed nos denuo retractantes supradictam Apostoli sententiam. *Velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio.* Verba eius perpendamus. *Velle adiacet mihi.* Vt sententia hæc sit absoluta, supplenda est vox illa, *bonum*, quam proxime subdit, dicens. *Perficere autem bonum, non inuenio.* Vt integra hæc sit sententia. *Velle bonum, adiacet mihi; sed perficere bonum, non inuenio.* Dixit, *adiacet*, pro eo quod est, in promptu est mihi, in mea est potestate. Bonum autem quod vult, non est aliud, nisi non concupiscere quidquam contra rationem & legem DEI; sed hoc bonum perficere non inuenit, quia non habet naturam omnino sanam, & integram; sed habet tantùm mentem sanam per DEI gratiam, carnem verò ægram, & ad malum procliuem: ideoque repugnantem legi mentis, & DEI. Perpetua enim naturę humanę corruptio, & vitiosa cupiditas tracta ab Adamo, adhæret homini inseparabiliter, ei adnata, obstans, quo minus bonum non concupiscendi, quod mens sana & recta optat, obtinere possit. Vnde Augustinus in 1. lib. contra duas epist. Pelag. cap. 10. Hoc est, inquit, perficere bonum, vt ne concupiscat quidem malum homo: imperfectum enim bonum est, quando concupiscit, etiamsi concupiscentiæ non consentit ad malum.

Gen. 6. & 9.

S. Augustinus.

95. Ex hac porrò sententia Pauli: *Velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio.* Argumentabantur Pelagiani, initium boni operis, quod est velle bonum, esse à nobis, & à nostro libero arbitrio. Quibus apertè contradicit idem Apostolus in epist. ad Philippenses cap. 1. & 2. illis verbis: *Qui cœpit in vobis bonum opus ipse perficiet vsq. in diem CHRISTI IESV.* Et, *DEVS operatur in vobis velle & perficere, pro bona voluntate.* Et in epist. ad Cor. *Non sumus*, inquit, *sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex DEO est.* Cogitare autem bonum, & prius est, & facilius, quàm velle bonum. Illud porrò velle, de quo hîc loquitur Apostolus, est velle non concupiscere: quod in homine iusto eatenus perfectum est, quia licet con-

In Pelagianos, asentes initiũ boni operis esse à nobis.

Locus epist. ad Philippenses cap 1 & 2.

2. Ad Cor. 3.

cupiſcentiam ſentiat, ei tamen aſſenſum, & obſequium minime præſtat: & hoc velle, à gratia, per quam eſt iuſtus, potiſſimum eſt. In homine autem peccatore, iſtud velle, eſt omnino imperfectum, atque inefficax boni vllius operis, quod ſit acceptum DEO.

DECIMASEPTIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Verſu 22. 23.

Condelector enim legi DEI ſecundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.

96. CONDELECTOR, id eſt, non ſolùm lex DEI videtur mihi bona, & iuſta; verum etiam eſt mihi delectabilis & iucunda. *Legi DEI*, legem ſignificat à DEO per Moſem datam: nam legem à DEO naturaliter inditam homini, diſtinguere videtur hoc loco, appellans legem mentis ſuæ. *Secundum interiorem hominem.* B. Petrus vocat abſconditum hominem. Significat autem interior, vel abſconditus homo, ſuperiorem hominis partem, rationem ſcilicet, & voluntatem, quæ non patet hominum ſenſibus. Non autem ita dicitur, quaſi ſit anima rationalis figurata ſecundum formam & effigiem hominis, vt ſenſit Tertullianus: nec quod ſola mens, ſit homo ipſe, vt arbitratus eſt Plato: ſed quia, vt diximus, id, quod eſt principalius in homine; appellatur homo. Illud: *In membris meis.* Idem valet atq; in appetitu ſenſitiuo, qui eſt corporalis, & certa habet organa corporea: præcipua tamen vis concupiſcentiæ viget in membris

1. Pet. 3.

Lib. de anima.

Plato.

bris generationi destinatis. Licet porrò concupiscentia propriè sit in appetitu sensitiuo; diffunditur tamen ad omnia membra, quatenus ea seruiunt explendæ concupiscentiæ. Illud, *repugnantem*, significat, incitantem ad ea, quæ contraria sunt legi DEI, tam scriptæ, quàm naturali, quam vir iustus impressam gerit in corde. *Captiuantem me*. Secundum carnem videlicet, non autem secundum mentem; secundum motionem ad malum, non secundum consensionem. *In lege peccati*, quam supra vocauit legem membrorum, nunc vocat legem peccati, & intelligit fomitem, qui, etiam hominem iustum tanquam captiuum, seruire sibi cogit secundum carnem, quia velit, nolit, excitat in eo mala desideria.

Cur fomes peccati appelletur lex.

Fomes porrò concupiscentiæ, appellatur lex dupliciter: vel propter similes effectus, quia sicut lex dirigit, & ducit hominem ad bonũ faciendum, ita fomes ad peccandum: vel dicitur lex, relatione ad suam causam. fomes autẽ, quoniam est pecati pœna, duplicem causam habet; alteram, ipsum peccatum, quod in eum qui peccat, tanquam ius & imperium habet, atq; ei legem imponit, quæ est concupiscentiæ; sicut dominus seruo, & victor victo legem imponit. Altera causa fomitis & rebellionis concupiscentiæ aduersus hominem est DEVS, qui hanc pœnam peccanti homini inflixit: vt quia ipse inobediens fuit DEO, habeat concupiscentiam rationi, & voluntati suæ inobedientem atq; repugnantem: quæ inobedientia, & ipse fomes concupiscentiæ, dicitur lex, quia per legem diuinæ iustitiæ impositus est homini. Lex autem peccati dupliciter captiuat hominem: vel per consensum, & executionem concupiscentiæ, & hæc est captiuitas peccatoris: vel per prauum motum, & sensum concupiscentię, citra consensum; & huiusmodi captiuitatem, ne iusti quidem possunt effugere.

Duplex captiuitas peccati.

97\.

Caietani docta interpretatio.

Caietanus horum verborum Apostoli, satis congruam & germanam (doctam certè ac theologicam) interpretationem tradit huiusmodi: *Condelector legi DEI secundum interiorem hominem*. Id est, secundum mentem, & spiritum: hæc e-

nim ſuperior hominis pars vocatur homo interior, eo quod operationes ſuas perficit intus, in ſeipſa ſcilicet abſque organis corporeis: intellectus enim & voluntas ſupereminent ſeparati ab vniuerſo corpore. Ex oppoſito autem, exterior homo vocari poteſt, homo ſecundum partes ſenſitiuas, tam interiores quàm exteriores; eo quod carnalibus officiis immerſæ ſunt. Et has partes mox vocat membra ſua dicens: *Video aliam legem in membris meis*, ex quibus ſcilicet componatur exterior homo, continens membra carnalia tam interna quàm externa. *Repugnantem legi mentis meæ.* Lex Dei, & lex mentis humanæ, ſunt concordes: per legem autem mentis, intelligi debet lex naturalis mentibus hominum indita. Lex verò exiſtens in membris, non eſt aliud, niſi ordinatio affectuum carnalium ad delectabilia, & vtilia ſecundum ſenſum: huiuſmodi enim inclinatio, lex nominatur, quia eſt tanquam lex naturalis partis ſenſitiuę prout ſenſitiua eſt. Repugnat autem hæc lex legi mentis; quia inclinatio partis ſenſitiuæ, tendit ad bonum vtile ac delectabile ſecundum ſenſum: inclinatio verò mentis & ſpiritus tendit ad bonum ſecundum rationem, & ſpirituale. Conſtat autem, quod hæc duo bona ſæpe ſibi inuicem aduerſantur, vt experientia teſtatur: quare Paulus, licet iuſtificatus, & ſanatus, verè dixit: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Illud porrò quod ſequitur: *Et captiuantem me in lege peccati quæ eſt in membris meis*: Pertinet ad expoſitionem, & confirmationem illius ſuperioris ſententiæ: *Ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato.* Eſt autem hic conſiderandum, ſicut ex parte ſuperiore animi nominauit duas leges, Dei ſcilicet, & mentis ſuæ: ita ex parte quoque inferiori memorauit duas leges, legem nimirum membrorum, & legem peccati: vt lex membrorum è regione legis mentis; & lex peccati, è regione legis Dei locetur. Sicut enim lex mentis ſubdit hominem legi Dei; ita lex carnis, ſubdit hominem legi peccati. Quamuis autem tam lex carnis quàm peccati ſit in membris hominis: eo tamen differunt, quod lex carnis eſt inclinatio naturalis virium inferio

feriorum ad propria bona: lex verò peccati eſt pœna peccati originalis, & eſt deordinatio earundem virium, derelicta ex amiſſione iuſtitiæ originalis. Ergo lex carnis, & lex peccati diſtinguuntur inter ſe, non quidem materialiter, & ſubiectiuè, ſed formaliter, & penes principia: quia illa eſt à natura; hęc eſt à peccato: illa eſt inclinatio, hæc priuatio: vnde illa captiuum hominē reddit ſub hac, vt Paulus ait: quia inclinatio naturalis partis ſenſitiuæ ad bonū delectabile ſecundū ſenſum, cùm præualet rationi, reddit hominem captiuū ſub peccato. Scrutare modum, quo peccauerunt primi parentes, & videbis, nos etiam ſimiliter peccare: Illos enim naturalis inclinatio ſenſus ad bonum delectabile, duxit in ſeruitutem peccati. Conuenit autem legis nomen huic pœnæ peccati; quia tanquam lex à peccato poſita, ducit ad peccandum; illo tamen modo, quo priuatio freni ducit, ſcilicet licentiando, ſeu remouendo prohibens. Senſualis enim inclinatio captiuum ducit hominem iuſtum ſub lege peccati, dum inuitum malis appetitionibus ſubiicit, in primis motibus inuoluntariis. Hactenus ex Caietano.

Differentia legis carnis, ſiue membrorū à lege peccati.

98.

S. Auguſtinus ſuper huius loci B. Pauli interpretatione contrarias in diuerſis temporibus ſententias habuit.

Propter hæc verba: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, &c.* B. Auguſtinus cum ſcripſit eum librum, in quo explanat nonnullas huius epiſtolę ſententias, putabat hæc Apoſtoli verba non de homine iuſto, ſed de iniquo & peccatore, qui ſub lege poſitus, gratia DEI caret, & ideo peccatum ei dominatur, intelligi debere. Sic enim in eo libro ſcribit, numero 45. Quod ait Paulus: *Video aliam legem in membris meis.* Legem peccati dicit, qua quiſque, carnis conſuetudine implicitus aſtringitur; hanc repugnare ait legi mentis ſuæ, & ſe captiuare ſub lege peccati: ex quo intelligitur ille homo deſcribi, qui nondum eſt ſub gratia. Si enim repugnaret tantùm conſuetudo carnis & non captiuaret, nō eſſet damnatio: in eo enim eſt damnatio, quod obtemperamus, & ſeruimus prauis deſideriis carnalibus. Quamuis autem exiſtant talia deſideria: ſi tamen eis non obediamus, nō captiuamur, & ſub gratia iam ſumus: de qua gratia loquitur,

cum exclamauit liberatoris auxilium, vt possit per gratiam charitas, quod per legem timor non poterat, dicens: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Et subiecit: *Gratia DEI per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum.* Sic ibi Augustinus.

99. At enim idem postea in primo libro contra duas epistolas Pelagianorum capite decimo, posthabita priori sententia, quam proximè retulimus, arbitratus est his verbis describi ab Apostolo, non hominem peccatorem, sed iustum, & repugnantem concupiscentiis suis: eius verò captiuitatem sub lege peccati, non esse aliud, quàm necessitatem sentiendi, & patiendi malas concupiscentias in carne sua. Pertinere autem hæc verba Pauli ad hominem iustum, probat ex prioribus illis verbis huius sententiæ: *Condelector legi DEI secundum interiorem hominem.* Delectari enim lege DEI, est hominum non mediocrium, sed excellenter iustorum, & perfectorum, qualis scilicet erat Dauid, qui, quàm esset delectabilis & iucunda sibi lex DEI, satis declarauit in Psalmo centesimo decimo octauo, dicens: *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitiis. Hæreditate acquisiui testimonia tua, quia exultatio cordis mei sunt. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua? super mel ori meo. Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa.* Verba B. Augustini sunt huiusmodi: Visum aliquando mihi fuerat, hominem sub lege, isto Apostoli sermone describi: Sed vim mihi fecerunt postea illa verba: *Nunc autem iam non ego operor illud.* Et quia non video quomodo diceret homo sub lege positus: *Condelector legi DEI secundum interiorem hominem,* cùm ipsa delectatio boni, qua etiam non consentit ad malum non timore pœnæ, sed amore iustitiæ (hoc est enim condelectari) non nisi gratiæ deputanda sit. Hæc Augustinus eo loci. Idem porrò Augustinus luculente declarans quid sit condelectari legi DEI, in libro primo de nuptiis, & concupiscentia capite 30. ita scribit. Ista condelectatio legi DEI secundum interiorem hominem, de magna venit nobis gratia DEI: in ea quippe cōdelectatione, interior

Delectari lege Dei est hominum perfectorum.

Locus Psal. 118.

Quid sit secundum B. Augustinū condelectari legi Dei. 2. ad Cor. 4.

interior noster homo renouatur de die in diem, cùm in ea proficit perseueranter. Non enim timor est torquens, sed amor libens: ibi sumus veraciter liberi, vbi non delectamur inuiti. Verùm illud quod adiungit: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Ipsa est, de qua nunc loquimur, concupiscentia, lex peccati in carne peccati. Dixit *captiuantem me*, id est, captiuare conantem, & ad consentiendum, implendumque cogentem: aut potius (quod non habet controuersiam) captiuantem secundum carnem, quã nisi teneret carnalis cõcupiscentia, quam legem peccati vocat, non vtique in ea vllum illicitum desiderium, cui mens obedire debeat, commoueret. Hactenus ex Augustino.

100. *Quinque status hominis, & quomodo in singulis habeat se concupiscentia erga rationem.*

Cæterùm ad hanc B. Pauli de concupiscentia disputationem illustrandam satis conducet, si distinctè contemplemur quinque status hominis, in quibus variè admodum & dissimili ratione concupiscentiam habere se aduersus rationem, cernere licet. Primus status fuit innocentiæ, in quo creatus est primus homo, & fuit quoad peccauit. In eo statu erat quidem concupiscentia carnalis, & cibi, & potus, & coniugalis actus, qui naturalem & sensibilem habet coniunctam voluptatem: & item aliarum rerum, quæ ad sensibilem vtilitatẽ, & delectationem vitæ corporalis, & animalis, quam tunc agebat homo, pertinebant. Sed ea concupiscentia omninò erat sub rationis arbitrio: eius enim imperio excitabatur, intendebatur, remittebatur, finiebatur, tota scilicet à mentis pendens regimine. Secundus status hominis fuit post peccatum, & ante legem Mosis: in quo, amissa iam originali iustitia, quæ carnis concupiscentiam in mentis obsequio, ductuque continebat; cœpit ipsa concupiscentia esse rationi non solùm inobsequens, sed etiam repugnans, & tanquam equus, excusso freno, huc, illucque discursans, sessorem vexans, & quo non vult ducens. Quæ paulatim, naturali rationis lumine, obscurato, & vigore mentis debilitato, & notitia legis naturalis in mentibus hominum, magnam partem, obliterata; tantùm inualuit, vt eam homines vltrò sequerẽtur,

tur, bona putantes, quæcumque eis suggerebat. Tertius status hominis fuit sub lege Mosis; in quo, per legem cognito, concupiscentiam esse malam, homo ei repugnabat; Sed quia carebat gratia, victus ab ea trahebatur ad malum. Quartus status fuit sub gratia CHRISTI: in quo sanata per gratiam, & roborata hominis mente, non solùm homo repugnat cōcupiscentiæ, sed etiam vincit eam, subiiciens (quantum ad consensum attinet) rationi & legi DEI. Quintus status erit in cœlis, post gloriosam corporis resurrectionem: in quo non modò nullus erit cōcupiscentiæ motus aduersus rationem, sed nec vlla erit prorsus cupiditas bonorum, & voluptatum sensibilium, vt quib. corpus hominis tunc non iam animale, sed quodammodo spiritale, nec indigebit, nec afficietur. Ergo post peccatum Adæ, ante legem Mosis, non pugnabat homo cum concupiscentia, sed eam sequebatur: sub lege, ab ea doctus & admonitus, & eius minis territus, pugnabat; sed carens gratia, vincebatur & trahebatur ab ea, & cùm surgere volebat, grauius cadens, magis affligebatur. Sub gratia pugnat, & vincit. In cœlesti gloria, nulla erit pugna, sed perfecta hostium parta victoria, perpetuò triumphabit.

DECIMAOCTAVA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Versu 24. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?

101. APOSTOLICA hæc exclamatio, pertinet ad homines iustos, propter certamen continuum, quo dimicant cum suis concupiscentiis, ingemiscentes, optantesque à tam misera, & molesta seruitute, in

te, in libertatem perfectam filiorum DEI, extincto peccati fomite, appetituque carnali subiecto rationi vindicari. Similis est altera illa eiusdem Apostoli sententia: *Sed & nos ipsi primitias SPIRITVS habentes, & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum DEI expectantes, redemptionem corporis nostri.* Vix autem aptè commodeque referri hæc verba possunt ad hominem peccatorem,& carnali concupiscentię obsequentem atque seruientem. Hîc etenim Apostolicus affectus, hominis suspirantis, atque ægrè ferentis statum carnis aduersantis rationi, proculdubio affectus est hominis non modò iustificati, sed etiam sancti, & propè perfecti, qui præ ingenti desiderio perfectè adhærendi DEO, molestissimè fert præsentem statum corporis corruptibilis, atque eius vinculorum resolutionem ardenter concupiscit, sicut Paulus cupiebat dissolui, & esse cum CHRISTO. Homo autem concupiscentiis suis, & peccatis mācipatus, nec naturaliter, vt homo est, nec, vt est peccator, cupit ex hoc corpore decedere, sed potius carnem suam diligit, & nutrit, & fouet. Nec verò secundum rationem id optabile est peccatori, vt peccator est; sic enim suam optaret ipse damnationem; cùm post mortem, sempiterna cum maneant supplicia. Illud autem optare potest, & debet, liberari à seruitute peccati. Sed enim vulgo dictus Ambrosius, in commentario huius loci, etiam hæc verba adaptat peccatori, dicēs, corpus mortis, significare hoc loco vniuersitatem vitiorum, quemadmodum suprà capite sexto Apostolus dixit, corpus peccati, destructum esse per baptismum. Certum autem est, interdum peccatores, vitam, & mores suos, & flagitia pertæsos, optare à tam misero statu liberari.

Ad Rom. 8. *Ad Philip. 1.* *Ad Ephes. 5.* *Ambrosius.*

102. *Caluini execranda interpretatio.*

Nec Caluini est dissimilis interpretatio huius loci. Mortē, inquit, corporis, Paulus vocat massam peccati, vel congeriē, ex qua totus homo conflatus est: nisi quod in Paulo tantùm manebant reliquiæ peccati, quarum vinculis captiuus detinebatur. Subdens verò: *Mente seruio legi DEI, carne autem legi peccati*, fatetur se ita esse DEO addictum, vt reptans in ter-

ra, multis sordibus inquinetur, hæc Caluinus. O hominei impurum atque impium, qui non est veritus dicere istu in Paulum, talem nempe, tantumq; Apostolum; qui vas el ctionis erat CHRISTO; cuius conuersatio erat in cœlis; qu de se dicebat: *Viuo ego iam non ego, viuit verò in me CHRISTV* qui etiam hoc loco dixit: *Mente seruio legi DEI.* Et, *Condel ctor legi DEI secundum interiorem hominem.* Si enim mente se uiebat legi, & condelectabatur ei, ergo mens eius munda e rat à sordibus peccatorum, quæ contraria sunt legi. Immò ne in carne quidem sordes erant peccati; nam licet malas ha beret concupiscentias in carne, eis tamen ita repugnabat, v non solùm non seruiret eis, sed contrà seruire eas rationi, & legi DEI cogeret: sicut ipse dixit alio loco: *Castigo corpus me um, & in seruitutem redigo.* Non igitur Paulus; vt blasphem dixit ore Caluinus, reptabat in terra sordibus inquinatus. N etsi datus est ei stimulus carnis, qui eum colaphizaret, is ta men, nulla peccati labe animum eius inficiebat, sed magi virtutem perficiebat: sicut ei dictum est à DEO: *Sufficit tib gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Nec illa vexa tio carnis, ei quicquam nocebat ad inquinandum puritaten mentis; sed proficiebat ad custodiendam humilitatem, ar cendamque superbiam, ne vt ipsemet ait, magnitudo reue lationum extolleret eum. Sed nimirum, vt quisque impu rissimus, & pessimus est, ita neminem castum, & probum esse putat: & Caluinus ex se de aliis existimabat, neminem mor talium ratus meliorem fuisse vnquam, quàm ipse esset.

Act. 9. *Ad Philip. 3.* *Ad Galat. 2.* *1. ad Cor. 9.* *2. ad Cor. 12.* *Ibidem.*

103. Sed persequamur cœptam verborum Apostoli explana tionem. Iustus vir cupit liberari à corpore; non vt corpus est subiectũ, & materia animę, & pars substantiæ humanæ; Sic. n naturalis est coniunctio animæ cum corpore, tanquã forma cum materia, ideoq; naturaliter amatur ab homine; sicut ex aduerso, dissolutionẽ corporis & animæ, naturaliter omnes odimus, ac refugimus. Vnde Apostolus dixit: *Nolumus ex poliari, sed superuestiri.* Et animæ beatæ quæ sunt in cœlis, ex optant & postulant à DEO glorificationem corporis sui, vt

Locus 2. ad Corinth. 5.

scriptum

ſcriptum eſt in Apocalypſi. Cupit itaque vir iuſtus liberationem à corpore, propter eius corruptionem, propter quam animus prægrauatur, & ſubiacet multis malis. Illud autem: *A corpore mortis huius*, idem valet, quod à corpore moribundo, & obnoxio corruptioni. Licet enim corpus noſtrum, ſecundum naturam ſit mortale & corruptibile, triplex tamen eius conſiderari debet ſtatus: primus ante lapſum Adæ, in quo poterat non mori, & perpetua frui vita, primum in terris, animali; tum in cœlis, ſpirituali, ſi tamen Adam diuinis mandatis obedire perſeueraſſet. Alter corporis ſtatus fuit poſt Adæ peccatum, in quo non poteſt mortem effugere: Propter peccatum etenim factus eſt homo obnoxius neceſſitati moriendi, ſicut DEVS ei fuerat interminatus, dicēs: *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris.* Tertius corporis ſtatus erit poſt glorioſam reſurrectionem, in quo non poterit mori: Tunc enim, vt Paulus dixit; *Mortale hoc, induet immortalitatem; & corruptibile hoc induet incorruptionem;* nec erit iam animale, ſed quodam modo ſpirituale corpus. In eo autem quod dicitur: *Mortis huius*, illud pronomen, *huius*, poteſt referri ad corpus, vt eo ſignificetur, Paulum velle liberari à corpore non ſimpliciter, ſed à corpore, vt eſt in hoc miſero ſtatu corruptionis. Poteſt etiam referri ad Genitiuum illum, *mortis*, vt ſenſus ſit, Paulum cupere liberari à corpore ſubiecto rebellioni, & moleſtiis concupiſcentiæ; hæc enim ſentire & pati, eſt homini iuſto, & ſpirituali peracerbū, & inſtar mortis. Quid ſit autem liberari à corpore mortis huius, breuiter declarans S. Auguſtinus in capite vndecimo primi libri contra duas epiſtolas Pelagianorum: Hoc, inquit, eſt, omni ſanato languore concupiſcentiæ carnis, nō ad pœnam corpus recipere, ſed ad gloriam: non enim à corpore mortis impij liberabuntur vnquam, quibus in reſurrectione, eadem corpora ad æterna tormenta reddentur.

Apoc. 6.

Triplex ſtatus humani corporis, quantum ad eius corruptionem.

Geneſ. 2.

1. ad Corint. 15.

S. Auguſtinus.

DECIMANONA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

GRATIA DEI per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum.

104.

HVIVS loci duplex est lectio: altera, ea, quam hi commemorauimus, & quam habet Latinus interpres, & in commentario huius loci sequitu vulgo dictus Ambrosius, & verus Ambrosius i oratione funebri de obitu Theodosij Imperatoris, & Irenæu lib. 3. cap. 22. vt patet ex modo quo citat hunc locum: ex O rigenis item commentario huius loci apparet, eum ita quo que legisse, sicut legit etiam Chrysostomus super illo vers Psalmi 121. *Fiat pax in virtute tua.* Et Hieronymus libro pr mo aduersus Iouinianum, & Cassianus in collatione 2: Augustinus etiam ita legit, vbicumque citat hunc locum. Se cundum hanc porrò lectionem, verba hæc cōtinent respon sum ad illam interrogationem Apostoli: *Quis me liberab de corpore mortis huius?* Respondet enim: *Gratia DEI.* Hæ enim in præsenti vita liberat hominem à corruptione corpo ris, ne dominetur menti, sanans eam & roborans, & poten tem faciens subiiciendi sibi concupiscentias carnis. In re surrectione autem, gratia DEI liberabit hominem ab omn prorsus corruptionis sensu, faciens corpus incorruptibile & spirituale. Istis autem verbis videtur hoc significare volui se Apostolus: Non lex Mosis, non Philosophia, non virtu moralis & humana, non vlla vis & potestas liberi arbitri, non vlla hominum diligentia, & industria; sed sola DE gratia potest hominem à corpore mortis huius liberare.

Ambrosius. Irenæus. Origenes. Chrysostomus. Hieronymus. Cassianus. Augustinus.

Alter

105.

Altera lectio huius loci est ea, quam nunc habent codices græci, in quibus ita legitur: Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ, id est, gratias ago DEO: vel χάρις τῷ Θεῷ, id est, gratia DEO, quod in eundem recidit sensum. Hanc lectionem Chrysostomus & Theophylactus, & Theodoretus, & Occumenius habent in commentario huius loci, & Hieronymus in epist. 151. ad Algasiam, respondens ad octauam eius quęstionem. Secundum hanc porrò lectionem, sententia horum verborum Apostoli est huiusmodi: etsi scio, me, dum hanc viuo mortalem vitam, minime liberatum iri à corpore mortis huius, sed perpetuò decertandum mihi esse cum eius concupiscentiis: ago nihilominus tamen gratias DEO, cuius gratia factum est, vt non solùm acriter & perseueranter concupiscentiis carnis resistam, sed etiam vt vincam eas & legi DEI subiectas contineam; & vt earum rebellio, & vexatio multum proficiat mihi ad conseruationem, exercitationemque, & perfectionem virtutum, & ad incrementum meriti, & gloriæ. Sed pro eo potissimum ago gratias DEO, quod certam habeo spem, fore aliquando, vt per eius gratiam ab omni sim prorsus carnalis concupiscentiæ molestia liberandus. Licet autem proba sit & recta hæc interpretatio; negari tamen non potest, quin prior lectio, quam latinus habet interpres, aptior sit & congruentior proxime antecedentibus Apostoli verbis. Nam illi quam fecerat Paulus, interrogationi: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* peraptum est, maximeq; congruens responsum: *Gratia DEI per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum.* Non æquè autem illud: *Gratias ago DEO.*

106. S. Augustinus.

Non est silentio prætereundum hoc loco, quemadmodum S. Augustinus hæc Apostoli verba explanet in serm. 45. de tempore. In hoc, inquit, bello mentis cum carnis concupiscentiis, tota versatur Sanctorum vita; & in hoc bello semper homo periclitatur, quousq; moriatur. In hoc bello Paulus strenuus fuit miles, & tam exercitatus, vt & aliorum dux esset. In hoc ille bello fortiter laborans, & pugnans contra hostem dicebat: *Video aliam legem in membris meis repugnan-*

tem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. Legem profectò fœdam, legem miserã, vulnus, tabem, languorem. Et ideo adiunxit: *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Sed ita gementi subueniendo responsum est: *Gratia DEI per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum.* Sed quando istud erit, vt corpus habeas ab omni liberum concupiscentia? nempe tunc, cum mortale hoc corpus induerit immortalitatem, & incorruptionem. Verùm interea, quid tu agis Apostole? *Ego ipse*, inquit, *mente seruio legi DEI, carne autem legi peccati.* Mente quidem seruio legi DEI, non consentiendo concupiscentiis; carne autem legi peccati, concupiscendo; secundum carnem delector, & concupisco, sed non vincor: titillat illa, & insidiatur, & pulsat, & trahere conatur. *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Nolo semper pugnando vincere: sed volo aliquando tandem ad pacem venire. Sic ibi Augustinus. Idem verò in lib. 6. contra Iulianum Pelagianum, declarans quomodo gratia DEI liberet hominem: Gratia, inquit, DEI perfectè hominem nouum facit, quandoquidem & ad corporis immortalitatem, plenamq; felicitatem ipsa perducit. Nunc etiam perfectè innouat hominem, quantum attinet ad liberationem ab omnibus omnino peccatis; non quantum attinet ad liberationem ab omnibus malis, & ab omni corruptione mortalitatis, qua nunc corpus aggrauat animam, sicut scriptum est in libro Sapientiæ: *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Vnde est gemitus, quem suum quoq; confitetur Apostolus, dicens: *Et ipsi in nobismet ipsis ingemiscimus, expectantes redemptionem corporis nostri.* Hæc Augustinus.

1. Ad Cor. 15.

Sap. 9.

Ad Rom. 8.

107. *Quomodo gratia DEI liberet hominẽ in hac vita à corpore huius mortis.*

Verùm quod Augustinus presse dixit, id nos paulo distinctius, expressiusq; dicamus, & declaremus, quemadmodum gratia DEI, in hac vita, liberet hominem à corpore mortis huius, id est, à malo concupiscentiæ, quod sedem & potentiam suam obtinet in hoc nostro corpore, & carne corruptibili. Duplex est malum concupiscentiæ: alterum est

malum

malum culpæ, alterum eſt malum pœnæ. Malum culpæ, eſt ipſum peccatum, ad quod concupiſcentia perducit hominem, trahens eum ad ſui aſſenſum & obſequium. Ab hoc malo gratia DEI liberat hominem, ſanans eius mentem atq; roborans, potentemque faciens non ſolùm reſiſtendi malæ concupiſcentiæ, ſed eam quoque ſub rationis obſequium, & ſeruitutem ſubiiciendi. Alterum malum concupiſcentiæ, quod diximus malum pœnæ, eſt ipſum concupiſcere mala, & contraria legi DEI, etiamſi non perueniat ad effectum peccati: hoc enim grauis eſt moleſtia, & ingens vexatio hominis iuſti, & ſpiritualis, & eſt pœna peccati originalis, quod trahimus ab Adamo. Ab hoc malo concupiſcentiæ, gratia DEI liberat hominem in præſenti vita non quidem ex toto, & omnino, ſed ex parte, debilitans in dies magis ac magis, & eneruans vim concupiſcentiæ, atque eius vexationem in dies leuiorem faciens. Ad huius rei confirmationem valet quod ſcribit S. Auguſtinus in libro 6. contra Iulianum cap. 5. diſputans de ignorantia, & concupiſcentia; quæ duo mala etiam poſt baptiſmum, & iuſtificationem manent in homine, nec in hac vita radicitus euelli poſſunt, licet quotidie magis extenuari, & minui poſſint. Sic autem ait: Concupiſcentiam verò quis ambigat in hac vita poſſe minui, non autem poſſe conſumi? Horum itaq; duorum malorum (ignorantiæ & concupiſcentiæ) præteritus omnis reatus ſacro fonte diluitur. Remittuntur ergo in renaſcentibus, minuuntur in proficientibus. Ignorantia minuitur veritate magis magiſque lucente: concupiſcentia minuitur charitate magis magiſq; feruente. Sic Auguſtinus.

S. Auguſtinus.

Sed quæri dignum eſt, quomodo gratia DEI agere queat in concupiſcentiam, minuendo, & debilitando eam, cum inter gratiam, & concupiſcentiam non ſit (vt loquimur in ſcholis) formalis contrarietas, & repugnantia, & ſint in diuerſis ſubiectis: gratia enim eſt in ſpiritu, & ſuperiore parte hominis; concupiſcentia verò in parte inferiore, hoc eſt in appetitu ſenſitiuo, & carnali: quæ autem verè ſunt inter ſe contra-

108. *Quomodo gratia agat in concupiſcentiam, reprimendo & debilitando eam.*

contraria, circa idem subiectum, vt docent Philosophi, versari debent. Ad hæc ita respondet Scotus in Quarto sententiarum distinct. 4. quæst. 7. Gratiam per se non remittere, ac reprimere fomitem concupiscentiæ, cum sint in diuersis subiectis, nec sit inter ipsa formalis repugnantia: sed dici fomitem minui, & debilitari à gratia, quantum ad effectum eius, quod est peccatum. Gratia etenim facit, vt homo à concupiscentia non pertrahatur ad peccatum: & vt qui antea concupiscentiæ succumbebat, & seruiebat; per gratiam foriter ei resistat, & vincens eam, in rationis, & legis diuinæ redigat seruitutem, Hoc ipsum declarat Scotus exemplo lapidis alligati alis aquilæ. Si enim cresceret virtus motiua aquilæ, licet non minueretur grauitas, & pondus lapidis, diceretur tamen quantum ad effectum minui, quia minus videlicet impediret ac tardaret ascensum, ac volatum aquilæ. Non solùm autem hac ratione, quam tradit Scotus, minuitur concupiscentia per gratiam DEI; sed ea quoque ratione, quia praui vitiorum habitus acquisiti, & mala peccandi consuetudo, quibus rebus concupiscentia fit acrior, atq; robustior, paulatim debilitantur, ac deniq; tolluntur assidua contrariarum exercitatione virtutum. Detrahuntur etiam fomenta libidinis, tanquam igni materia combustibilis, nimium dico potum atq; cibum, lasciua spectacula, & colloquia, aliaque id genus, oblectamenta turpia, quæ sunt efficaces ipsius concupiscentiæ illecebræ & incitabula.

Scotus.

109. *Præclara B. Gregorij sententia.*

B. Gregorius in libro 19. Moralium, capite 4. luculentè tractat hunc locum Pauli, quem nunc in manibus habemus, ad morale ac salutare documentum, vt ipse solet, conuertens & accommodans ipsum. Super illis enim verbis Iob cap. 28. *Et aquas appendit in mensura*, disputat, sanctorum hominum virtutes, & facta DEVM certa quadam velut mensura, & salubri quodam temperamento ita moderari, vt sæpe eximias eorum virtutes, inuictamq; fortitudinem, & constantiam, & præclara facta, ingenti cum hominum admiratione ostentet: nonnumquam verò demonstret eorum infirmitates & timores,

timores, grauesq; tentationes, turpium etiam vitiorum: quibus oppugnantur & vexantur: eo nempe consilio, vt & ipsis sanctis & aliis pernotescat, & quales illi sint DEI gratia; & quales ipsos faciat humanæ naturæ, ac virtutis infirmitas, & imbecillitas liberi arbitrij. Sed præstat, verba ipsa Gregorij lectorem audire: sunt autem huiusmodi. Sancti ipsi, qui diuino eos SPIRITV subleuante, ad summa rapiuntur, qnamdiu in hac vita sunt, ne aliqua elatione superbiant, quibusdam tentationibus reprimuntur, vt nequaquam tantum proficere valeant, quantum volunt: Sed ne extollantur superbia, fit in eis, ipsarum quędam mensura virtutum. Hinc est enim quod Elias dum tot virtutibus in alta profecisset, quadam mensura suspensus est, dum Iezabelem, quamuis rẹginam, tamen mulierculam fugit. Et Apostolus Paulus; vas electionis, ad tertium vsque cœlum raptus, vbi audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui, patiebatur Angelum satanæ, & stimulum carnis, qui eum colaphizaret, grauiterq; vexaret. Cui optanti & petenti à DEO, vt ab ea vexatione liberaretur, responsum est: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Aperta igitur DEI voce ostenditur, quia custos est virtutis infirmitas. Tunc quippe interius custodimur, cùm per dispensationem DEI tolerabiliter tentamur exterius, aliquando vitiis, & aliquando pressuris. Nam eis quoque, quos viros nouimus fuisse virtutum, tentationes atque certamina non defuêre vitiorum. Hinc est enim, quod ad consolationem nostram, idem prædicator egregius de se quædam talia prodere dignatur, dicens: *Video aliam legem in membris meis, repugnantē legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Ad ima quippe pertrahit caro, ne extollat spiritus: & ad alta sustollit spiritus, ne prosternat caro. Spiritus leuat ne iaceamus in infimis: Caro aggrauat, ne extollamur ex summis. Si enim, non subleuante spiritu, nos caro tentaret, perfectione proculdubio tentationis suæ in ima deiiceret. Rursum verò, si non tentante carne, ad summa nos spiritus subleuaret, in superbiæ casum, ipsa nos prius subleuatione

3. Reg. 19.

Act 9.
2. Ad Cor. 12.

Ibidem.

Ad Rom. 7.

ne prosterneret: sed fit certo moderamine, vt dũ vnusquisq; sanctorum iam quidem interius ad summa rapitur, sed adhuc tentatur, nec desperationis lapsum, nec elationis incurrat; quoniam nec tentatio exterior culpam perficit, quia interior intentio sursum trahit: nec interior subleuatio in superbiam eleuat, quia exterior tentatio humiliat dum grauat. Sicq; magno ordine cognoscimus, in interiori quidem profectu quid accipimus: in exteriori autem defectu, quid sumus. Et miro agitur modo, vt nec de virtute quisquam extolli debeat, nec de tentatione desperare: quia dum spiritus trahit, & caro retrahit, subtilissimo iudicij interni moderamine, infra summa, & supra infima, in medio quodam anima libratur. Bene ergo dixit S. Iob: *Et aquas appendit in mensura.* Hæc beatus Gregorius.

VIGESIMA DISPVTATIO.

Super quadam singulari, multumque ab aliis diuersa, sed acuta, & docta, & pia, superiorum Apostoli verborum interpretatione, quæ est apud Cassianum.

110\. CASSIANVS in collatione 23. sub persona Theonis Abbatis, diuersam admodum ab ea, quæ dudum exposita est, superiorum Pauli verborum interpretationem tradit, minime profecto aspernandam, neque hic in præteritis relinquendam: cuius nos summam, & præcipua quædam capita, hoc loco cursim attingamus. Principiò bonum illud, quod Paulus ait se facere velle, & non posse, ait esse puram & perpetuam DEI contemplatio-

plationem: vellent enim homines perfecti sine intermissione, DEO contemplando, fruendoq; vacare. hoc autem simpliciter & præcisè appellat bonum, per excellentiam videlicet: quia si ei bono comparentur cætera, vix æstimabuntur bona, quemadmodum plumbum comparatione auri vel gemmarum, vilissimum, & nullius propemodum pretij ducitur. Hoc nempe est illud bonum, de quo loquens Dominus dixit Marthæ: eam sollicitam esse & turbari circa plurima, cum tamen vnum hoc bonum sit maxime necessarium: quod quia Maria, ceteris posthabitis, omni studio complexa fuerat, dixit eam elegisse optimam partem, nullo ei tempore auferendam. Hoc ipsum spectans Dauid, dixit: *Mihi adhærere* *DEO bonum est.* Malum porrò illud, quod Paulus ait se facere, & tamen odit, & nollet facere, interpretatur traductionem mentis à contemplatione DEI, ad cogitationes, & curas, & solicitudines rerum carnalium, atq; terrenarum, etiamsi vel necessitate aliqua, vel respectu alicuius vtilitatis suscipiantur. Vnde illud: *Scio quia non habitat in carne mea bonum.* Explicat bonum contemplationis DEI, & iugis animæ tranquillitatis. Factum enim est in nobis, post Adæ peccatum, hoc pessimum & lugubre diuortium, vt cum mente legi DEI seruire velimus, nunquam scilicet volentes à charitate diuina amouere conspectum; tamen carnalibus tenebris circumfusi, quadam lege peccati, ab eo quod bonũ nouimus, cogamur auelli; nimirum ad curas, & cogitationes terrenas, ab illa mentis altitudine decidentes.

Locus Lucæ 10.

Psal. 72.

III.

Iam verò illud: *Condelector legi secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* Sententiam habere dicit huiusmodi: Mens quidem hominum perfectione visibilia cuncta transcendens, conatur soli DEO semper vniri: sed alia lex, naturæ humanæ conditioni inserta, compellit eam, relicto illo principali bono, terrenæ cogitationi submitti. Hęc autem distractio hominis in varias curas & sollicitudines rerum terrenarum, vocatur à Paulo lex peccati; quo-

112.

RESTAT etiam nunc tractanda celebris illa quæstio, cuius explicationem consulto nos extremo huic loco reseruauimus: An supradicta verba dixerit Apostolus de se ipso, & de se intelligi voluerit; an potius in persona sua dixerit ea, & intelligi voluerit de aliis hominibus vel peccatorib. aliquantisper quidem repugnantibus concupiscentiæ suæ, sed tandem ei cedentibus, atque obsequentibus: vel de viris iustis, imperfectis tamen adhuc, & graui ac molesto certamine, cum sua concupiscentia depugnantibus. Græci fermè omnes Doctores arbitrati sunt, ista verba dixisse Apostolum, sub persona sua, de hominibus nondum gratia CHRISTI liberatis à seruitute peccati. Ita senserunt Origenes, Chrysostomus, Theophylactus in commentariis suis super hoc Pauli loco. Ad eandem sententiam interpretatur Apostoli verba: S. Basilius in regulis breuioribus in responsione ad decimam sextam interrogationem, quæ est huiusmodi; Quid est quod nonnunquam humanus animus, etiam nullo præmisso studio, sed sponte sua compungitur: interdum autem adeo languidus est, vt cùm maximè conetur compungi, non possit? Huic interrogationi respondens Basilius, ita scribit: Est profectò talis compunctio donum DEI datum nobis, vel ad stimulandum mentis nostræ desiderium, vt animus gustata dulcedine huiusmodi compunctionis, eam perpetuò studeat retinere; vel ad id manifestè demonstrandum, posse animum, si obnixe studeat & curet assiduè in compunctione esse, ad eripiendam excusationem negligentiæ, iis videlicet, qui illam amiserint. Illud autem conari, & non posse compunctionem habere, simul & negligentiam nostram, qua alio tempore vsi sumus, manifestè arguit: simul etiam indicio est, animum esse in dominatu aliorum vitiorum, à quibus non permittitur, vt ad ea, quæ vellet, liber sit. Quod quidem & vidit, & docuit Apostolus illis verbis: *Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Non enim quod volo, hoc ago; sed quod odi, hoc facio. Nunc autem non iam ego operor illud, sed quod habitat in me*

Prima sententia, Origenis, Chrysostomi, Theodoreti, Theophylacti, Oecumenij, Basilij, Augustini, Hieronymi.

S. Basilius.

pecca-

peccatum. quippe cum DEVS hoc etiam nobis ad vtilitatem nostram euenire permiserit, quo videlicet, si fieri possit, per ea quæ animus inuitus patitur, in cognitionem veniat peccati & diaboli, in cuius potestate est: & vbi ad seipsum redierit, cognoueritq; quibus in rebus præter voluntatem suam, seruiat peccato, resipiscat ex laqueo diaboli, paratam inueniens misericordiam DEI ad eos adiuuandos, qui verè pœnitentes sunt. Hæc S. Basilius.

113. Nec verò Græci duntaxat ita censuerunt, sed etiam Latini. Ambrosius certè, vel vulgo putatus Ambrosius in commentariis suis super hoc Pauli loco id ipsum tradit. Nec solùm Catholici auctores, sed etiam Peligiani eodem modo Apostoli verba intelligebant atque interpretabantur, vt de Iuliano, Pelagianorum, in tempore B. Augustini, principe, refert ipsemet Augustinus in libro sexto contra ipsum. Immò verò ipse Augustinus, aliquando eandem habuit sententiam, camq; pluribus in suis libris scriptam, testatamque reliquit; vt in libro octogintatrium quæstionum, in tractatu quæstionis sexagesimæ, & in primo libro ad Simplicianum, quæstione prima, & in eo libro, in quo nonnullas sententias ad Romanos interpretatur, numero quadragesimo quarto, & quadragesimo quinto, & in libro primo contra duas epistolas Pelagianorum capite decimo testatur, sibi aliquando esse visum, quæ à Paulo dicuntur hoc loco, non posse intelligi de ipso Paulo, præsertim verò tria illa eius dicta, quorum vnum est illud: *Ego autem carnalis sum.* Alterum est illud: *Venundatus sub peccato.* Tertium est illud: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* Hæc enim nullo modo conuenire videntur perfectissimæ virtuti ac sanctitati, qua præditus erat Apostolus Paulus.

S. Augustinus.

114. Hanc ipsam porrò sententiam & interpretationẽ profitetur, disertisq; verbis tradit S. Hieron. in epist. centesima quinquagesima prima ad Algasiam in respõsione ad octauam eius quæstionem tractans ista ipsa verba Pauli, & hunc in modum

S. Hieronym.

scribens

DECIMANONA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

GRATIA DEI per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum.

104.

HVIVS loci duplex est lectio: altera, ea, quam hîc commemorauimus, & quam habet Latinus interpres, & in commentario huius loci sequitur vulgo dictus Ambrosius, & verus Ambrosius in oratione funebri de obitu Theodosij Imperatoris, & Irenęus lib. 3. cap. 22. vt patet ex modo quo citat hunc locum: ex Origenis item commentario huius loci apparet, eum ita quoque legisse, sicut legit etiam Chrysostomus super illo versu Psalmi 121. *Fiat pax in virtute tua.* Et Hieronymus libro primo aduersus Iouinianum, & Cassianus in collatione 22. Augustinus etiam ita legit, vbicumque citat hunc locum. Secundum hanc porrò lectionem, verba hæc cōtinent responsum ad illam interrogationem Apostoli: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* Respondet enim: *Gratia DEI.* Hæc enim in præsenti vita liberat hominem à corruptione corporis, ne dominetur menti, sanans eam & roborans, & potentem faciens subiiciendi sibi concupiscentias carnis. In resurrectione autem, gratia DEI liberabit hominem ab omni prorsus corruptionis sensu, faciens corpus incorruptibile & spirituale. Istis autem verbis videtur hoc significare voluisse Apostolus: Non lex Mosis, non Philosophia, non virtus moralis & humana, non vlla vis & potestas liberi arbitrij, non vlla hominum diligentia, & industria; sed sola DEI gratia potest hominem à corpore mortis huius liberare.

Ambrosius. Irenæus. Origenes. Chrysostomus. Hieronymus. Cassianus. Augustinus.

Altera

Altera lectio huius loci est ea, quam nunc habent codices græci, in quibus ita legitur: Εὐχαριστῶ τῷ Θεῷ, id est, gratias ago DEO: vel χάρις τῷ Θεῷ, id est, gratia DEO, quod in eundem recidit sensum. Hanc lectionem Chrysostomus & Theophylactus, & Theodoretus, & Oecumenius habent in commentario huius loci, & Hieronymus in epist. 151. ad Algasiam, respondens ad octauam eius quęstionem. Secundum hanc porrò lectionem, sententia horum verborum Apostoli est huiusmodi: etsi scio, me, dum hanc viuo mortalem vitam, minime liberatum iri à corpore mortis huius, sed perpetuò decertandum mihi esse cum eius concupiscentiis: ago nihilominus tamen gratias DEO, cuius gratia factum est, vt non solùm acriter & perseueranter concupiscentiis carnis resistam, sed etiam vt vincam eas & legi DEI subiectas contineam; & vt earum rebellio, & vexatio multum proficiat mihi ad conseruationem, exercitationemque, & perfectionem virtutum, & ad incrementum meriti, & gloriæ. Sed pro eo potissimum ago gratias DEO, quod certam habeo spem, fore aliquando, vt per eius gratiam ab omni sim prorsus carnalis concupiscentiæ molestia liberandus. Licet autem proba sit & recta hæc interpretatio; negari tamen non potest, quin prior lectio, quam latinus habet interpres, aptior sit & congruentior proxime antecedentibus Apostoli verbis. Nam illi quam fecerat Paulus, interrogationi: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* peraptum est, maximeq; congruens responsum: *Gratia DEI per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum.* Non æquè autem illud: *Gratias ago DEO.* 105.

Non est silentio prætereundum hoc loco, quemadmodum S. Augustinus hæc Apostoli verba explanet in serm. 45. de tempore. In hoc, inquit, bello mentis cum carnis concupiscentiis, tota versatur Sanctorum vita; & in hoc bello semper homo periclitatur, quousq; moriatur. In hoc bello Paulus strenuus fuit miles, & tam exercitatus, vt & aliorum dux esset. In hoc ille bello fortiter laborans, & pugnans contra hostem dicebat: *Video aliam legem in membris meis repugnantem* 106. *S. Augustinus.*

tem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. Legem profectò fœdam, legem miserã, vulnus, tabem, languorem. Et ideo adiunxit: *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Sed ita gementi subueniendo responsum est: *Gratia* DEI *per* IESVM CHRISTVM *Dominum nostrum*. Sed quando istud erit, vt corpus habeas ab omni liberum concupiscentia? nempe tunc, cum mortale hoc corpus induerit immortalitatem, & incorruptionem. Verùm interea, quid tu agis Apostole? *Ego ipse*, inquit, *mente seruio legi* DEI, *carne autem legi peccati.* Mente quidem seruio legi DEI, non consentiendo concupiscentiis; carne autem legi peccati, concupiscendo; secundum carnem delector, & concupisco, sed non vincor: titillat illa, & insidiatur, & pulsat, & trahere conatur. *Miser ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Nolo semper pugnando vincere: sed volo aliquando tandem ad pacem venire. Sic ibi Augustinus. Idem verò in lib. 6. contra Iulianum Pelagianum, declarans quomodo gratia DEI liberet hominem: Gratia, inquit, DEI perfectè hominem nouum facit, quandoquidem & ad corporis immortalitatem, plenamq; felicitatem ipsa perducit. Nunc etiam perfectè innouat hominem, quantum attinet ad liberationem ab omnibus omnino peccatis; non quantum attinet ad liberationem ab omnibus malis, & ab omni corruptione mortalitatis, qua nunc corpus aggrauat animam, sicut scriptum est in libro Sapientiæ: *Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Vnde est gemitus, quem suum quoq; confitetur Apostolus, dicens: *Et ipsi in nobismet ipsis ingemiscimus, expectantes redemptionem corporis nostri.* Hæc Augustinus.

[...]d Cor. 15.

9.

Rom. 8.

107.
[...]modo gratia DEI liberet [...]nẽ in hac à corpore [...] mortis.

Verùm quod Augustinus presè dixit, id nos paulo distinctius, expressiusq; dicamus, & declaremus, quemadmodum gratia DEI, in hac vita, liberet hominem à corpore mortis huius, id est, à malo concupiscentiæ, quod sedem & potentiam suam obtinet in hoc nostro corpore, & carne corruptibili. Duplex est malum concupiscentiæ: alterum est

malum

malum culpæ, alterum est malum pœnæ. Malum culpæ, est ipsum peccatum, ad quod concupiscentia perducit hominem, trahens eum ad sui assensum & obsequium. Ab hoc malo gratia DEI liberat hominem, sanans eius mentem atq; roborans, potentemque faciens non solùm resistendi malæ concupiscentiæ, sed eam quoque sub rationis obsequium, & seruitutem subiiciendi. Alterum malum concupiscentiæ, quod diximus malum pœnæ, est ipsum concupiscere mala, & contraria legi DEI, etiamsi non perueniat ad effectum peccati: hoc enim grauis est molestia, & ingens vexatio hominis iusti, & spiritualis, & est pœna peccati originalis, quod trahimus ab Adamo. Ab hoc malo concupiscentiæ, gratia DEI liberat hominem in præsenti vita non quidem ex toto, & omnino, sed ex parte, debilitans in dies magis ac magis, & eneruans vim concupiscentiæ, atque eius vexationem in dies leuiorem faciens. Ad huius rei confirmationem valet quod scribit S. Augustinus in libro 6. contra Iulianum cap. 5. disputans de ignorantia, & concupiscentia; quæ duo mala etiam post baptismum, & iustificationem manent in homine, nec in hac vita radicitus euelli possunt, licet quotidie magis extenuari, & minui possint. Sic autem ait: Concupiscentiam verò quis ambigat in hac vita posse minui, non autem posse consumi? Horum itaq; duorum malorum (ignorantiæ & concupiscentiæ) præteritus omnis reatus sacro fonte diluitur. Remittuntur ergo in renascentibus, minuuntur in proficientibus. Ignorantia minuitur veritate magis magisque lucente: concupiscentia minuitur charitate magis magisq; feruente. Sic Augustinus.

S. Augustinus.

108.

Quomodo gratia agat in concupiscentiam, reprimendo & debilitando eam.

Sed quæri dignum est, quomodo gratia DEI agere queat in concupiscentiam, minuendo, & debilitando eam, cum inter gratiam, & concupiscentiam non sit (vt loquimur in scholis) formalis contrarietas, & repugnantia, & sint in diuersis subiectis: gratia enim est in spiritu, & superiore parte hominis; concupiscentia verò in parte inferiore, hoc est in appetitu sensitiuo, & carnali: quæ autem verè sunt inter se contra-

contraria, circa idem subiectum, vt docent Philosophi, versari debent. Ad hæc ita respondet Scotus in Quarto sententiarum distinct. 4. quæst. 7. Gratiam per se non remittere, ac reprimere fomitem concupiscentiæ, cum sint in diuersis subiectis, nec sit inter ipsa formalis repugnantia: sed dici fomitem minui, & debilitari à gratia, quantum ad effectum eius, quod est peccatum. Gratia etenim facit, vt homo à concupiscentia non pertrahatur ad peccatum: & vt qui antea concupiscentiæ succumbebat, & seruiebat; per gratiam foriter ei resistat, & vincens eam, in rationis, & legis diuinæ redigat seruitutem, Hoc ipsum declarat Scotus exemplo lapidis alligati alis aquilæ. Si enim cresceret virtus motiua aquilæ, licet non minueretur grauitas, & pondus lapidis, diceretur tamen quantum ad effectum minui, quia minus videlicet impediret ac tardaret ascensum, ac volatum aquilæ. Non solùm autem hac ratione, quam tradit Scotus, minuitur concupiscentia per gratiam DEI; sed ea quoque ratione, quia praui vitiorum habitus acquisiti, & mala peccandi consuetudo, quibus rebus concupiscentia fit acrior, atq; robustior, paulatim debilitantur, ac deniq; tolluntur assidua contrariarum exercitatione virtutum. Detrahuntur etiam fomenta libidinis, tanquam igni materia combustibilis, nimium dico potum atq; cibum, lasciua spectacula, & colloquia, aliaque id genus, oblectamenta turpia; quæ sunt efficaces ipsius concupiscentiæ illecebræ & incitabula.

109. *Præclara B. Gregorij sententia.*

B. Gregorius in libro 19. Moralium, capite 4. luculentè tractat hunc locum Pauli, quem nunc in manibus habemus, ad morale ac salutare documentum, vt ipse solet, conuertens & accommodans ipsum. Super illis enim verbis Iob cap. 28. *Et aquas appendit in mensura*, disputat, sanctorum hominum virtutes, & facta DEVM certa quadam velut mensura, & salubri quodam temperamento ita moderari, vt sæpe eximias eorum virtutes, inuictamq; fortitudinem, & constantiam, & præclara facta, ingenti cum hominum admiratione ostentet: nonnumquam verò demonstret eorum infirmitates & timores,

timores, grauesq; tentationes, turpium etiam vitiorum: quibus oppugnantur & vexantur: eo nempe consilio, vt & ipsis sanctis & aliis pernotescat, & quales illi sint DEI gratia; & quales ipsos faciat humanæ naturæ, ac virtutis infirmitas, & imbecillitas liberi arbitrij. Sed præstat, verba ipsa Gregorij lectorem audire: sunt autem huiusmodi. Sancti ipsi, qui diuino eos SPIRITV subleuante, ad summa rapiuntur, quamdiu in hac vita sunt, ne aliqua elatione superbiant, quibusdam tentationibus reprimuntur, vt nequaquam tantum proficere valeant, quantum volunt: Sed ne extollantur superbia, fit in eis, ipsarum quędam mensura virtutum. Hinc est enim quod Elias dum tot virtutibus in alta profecisset, quadam mensura suspensus est, dum Iezabelem, quamuis reginam, tamen mulierculam fugit. Et Apostolus Paulus; vas electionis, ad tertium vsque cœlum raptus, vbi audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui, patiebatur Angelum satanæ, & stimulum carnis, qui eum colaphizaret, grauiterq; vexaret. Cui optanti & petenti à DEO, vt ab ea vexatione liberaretur, responsum est: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.* Aperta igitur DEI voce ostenditur, quia custos est virtutis infirmitas. Tunc quippe interius custodimur, cùm per dispensationem DEI tolerabiliter tentamur exterius, aliquando vitiis, & aliquando pressuris. Nam eis quoque, quos viros nouimus fuisse virtutum, tentationes atque certamina non defuêre vitiorum. Hinc est enim, quod ad consolationem nostram, idem prædicator egregius de se quædam talia prodere dignatur, dicens: *Video aliam legem in membris meis, repugnantē legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Ad ima quippe pertrahit caro, ne extollat spiritus: & ad alta sustollit spiritus, ne prosternat caro. Spiritus leuat ne iaceamus in infimis: Caro aggrauat, ne extollamur ex summis. Si enim, non subleuante spiritu, nos caro tentaret, perfectione proculdubio tentationis suæ in ima deiiceret. Rursum verò, si non tentante carne, ad summa nos spiritus subleuaret, in superbiæ casum, ipsa nos prius subleuatione

3. Reg. 19.

Act. 9.
2. Ad Cor. 12.

Ibidem.

Ad Rom. 7.

ne prosterneret: sed fit certo moderamine, vt dũ vnusquisq; sanctorum iam quidem interius ad summa rapitur, sed adhuc tentatur, nec desperationis lapsum, nec elationis incurrat; quoniam nec tentatio exterior culpam perficit, quia interior intentio sursum trahit: nec interior subleuatio in superbiam eleuat, quia exterior tentatio humiliat dum grauat. Sicq; magno ordine cognoscimus, in interiori quidem profectu quid accipimus: in exteriori autem defectu, quid sumus. Et miro agitur modo, vt nec de virtute quisquam extolli debeat, nec de tentatione desperare: quia dum spiritus trahit, & caro retrahit, subtilissimo iudicij interni moderamine, infra summa, & supra infima, in medio quodam anima libratur. Bene ergo dixit S. Iob: *Et aquas appendit in mensura.* Hæc beatus Gregorius.

VIGESIMA DISPVTATIO.

Super quadam singulari, multumque ab aliis diuersa, sed acuta, & docta, & pia, superiorum Apostoli verborum interpretatione, quæ est apud Cassianum.

110\. CASSIANVS in collatione 23. sub persona Theonis Abbatis, diuersam admodum ab ea, quæ dudum exposita est, superiorum Pauli verborum interpretationem tradit, minime profecto aspernandam, neque hic in præteritis relinquendam: cuius nos summam, & præcipua quædam capita, hoc loco cursim attingamus. Principiò bonum illud, quod Paulus ait se facere velle, & non posse, ait esse puram & perpetuam DEI contemplatio-

plationem: vellent enim homines perfecti sine intermissione, DEO contemplando, fruendoq; vacare. hoc autem simpliciter & præcisè appellat bonum, per excellentiam videlicet: quia si ei bono comparentur cætera, vix æstimabuntur bona, quemadmodum plumbum comparatione auri vel gemmarum, vilissimum, & nullius propemodum pretij ducitur. Hoc nempe est illud bonum, de quo loquens Dominus dixit Marthæ: eam sollicitam esse & turbari circa plurima, cum tamen vnum hoc bonum sit maxime necessarium: quod quia Maria, ceteris posthabitis, omni studio complexa fuerat, dixit eam elegisse optimam partem, nullo ei tempore auferendam. Hoc ipsum spectans Dauid, dixit: *Mihi adhærere DEO bonum est.* Malum porrò illud, quod Paulus ait se facere, & tamen odit, & nollet facere, interpretatur traductionem mentis à contemplatione DEI, ad cogitationes, & curas, & solicitudines rerum carnalium, atq; terrenarum, etiamsi vel necessitate aliqua, vel respectu alicuius vtilitatis suscipiantur. Vnde illud: *Scio quia non habitat in carne mea bonum.* Explicat bonum contemplationis DEI, & iugis animæ tranquillitatis. Factum enim est in nobis, post Adæ peccatum, hoc pessimum & lugubre diuortium, vt cum mente legi DEI seruire velimus, nunquam scilicet volentes à charitate diuina amouere conspectum; tamen carnalibus tenebris circumfusi; quadam lege peccati, ab eo quod bonũ nouimus, cogamur auelli; nimirum ad curas, & cogitationes terrenas, ab illa mentis altitudine decidentes.

Locus Lucæ 10.

Psal. 72.

III.

Iam verò illud: *Condelector legi secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* Sententiam habere dicit huiusmodi: Mens quidem hominum perfectione visibilia cuncta transcendens, conatur soli DEO semper vniri: sed alia lex, naturæ humanæ conditioni inserta, compellit eam, relicto illo principali bono, terrenæ cogitationi submitti. Hęc autem distractio hominis in varias curas & sollicitudines rerum terrenarum, vocatur à Paulo lex peccati; quo-

niam, propter primi hominis noxam, lata est in eum, omnesque eius posteros, æquissima iusti iudicis sententia illa: *Maledicta terra in operibus tuis, spinas & tribulos germinabit tibi: & in sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Hæc sententia, fuit membris nostris inserta: quæ, simul atq; boni ac mali agnitionem nacti sumus, cogitationum spinas, ac tribulos incipit germinare, quorum aculeis naturalia virtutum semina corrumpuntur. Illud autem: *Ego carnalis sum, venundatus sub peccato.* Hunc in modum interpretatur: Ego à contemplatione DEI, cui semper adhærere cuperem, inuitus abstrahor mole carnis prægrauatus & depressus ad curas rerum temporalium, sicut in libro Sapientiæ ca. 9. scriptum est: *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & sensum multa cogitantem deprimit terrena inhabitatio.* Dicitur homo venundatus sub peccato, ipsius Adæ videlicet; cuius nempe damnosa negociatione, infelicique commercio, vili esus pomi vetiti pretio, se, omnemq; suam prolem, serpentis persuasione seductus, miserè vendidit, iugoq; perpetuæ seruitutis addixit. Perfecti igitur homines, experti, se præcipuo illi, summoque bono non posse, secundum cordis sui desiderium, coniungi, sed ab eius intuitu, captiuos ad humana traduci, ingemiscentes exclamant: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Quæ verba satis indicant, hæc non dixisse Paulum sub persona hominis peccatoris: is enim non de felicitatis amissione, sed innocentiæ conquereretur; nec diceret, infelix ego homo, sed infelix, & scelestus ego homo: nec à conditione mortalis corporis liberari, sed à flagitiis atque criminibus carnis vellet absolui. Denique, vt intelligeretur, dixisse hoc Paulum de perfectis, suiq; simillimis viris, quasi digito seipsum designans, continuò infert: *Itaq; ego ipse mente seruio legi DEI*, quod genus locutionis, perquàm familiare est Paulo, cùm vult seipsum propriè designare: quemadmodum in ca. 10. posterior. epist. ad Corinth. *Ipse ego Paulus obsecro vos.* Et ca. 12. *Nisi quod ego ipse non grauaui vos.* Et ad Gal. cap. 5. *Ego ipse Paulus dico vobis, si circumcidamini, CHRISTVS vobis nihil proderit.* Et ad Rom. cap. 9.

Gen. 3.

Locus libri Sapientiæ cap. 9.

Genes. 3.

Optabam

Optabam ego ipse anathema esse à CHRISTO *pro fratribus meis.* Posset tamen etiam hoc accipi, tanquam emphaticῶs scriptum à Paulo in hanc sententiam: *Ego ipse*, id est, ille, quem vos nostis esse Apostolum CHRISTI, quem vos tota veneratione suscipitis, & tanquam virum perfectum colitis: iste ipse Paulus distensione conditionis humanæ, interdum de cœlestibus ad terrena deuoluitur, & ad curas humilium rerum mentis eius celsitudo deiicitur. Postremo illud: *A corpore mortis huius*, hanc vult habere sententiam: Hoc est corpus mortis, quod viros spirituales à cœlestium meditatione retrahens, ad terrena deducit: quod psallentes eos, atque in oratione prostratos, vel humanas effigies, vel sermones, vel negocia, vel actus facit superfluos retractare. Hoc est corpus mortis, propter quod sancti viri, & Angelicam æmulantes puritatem, volentesque Domino iugiter inhærere, perfectionem tamen huius boni, quia corpus mortis obsistit, inuenire non possunt: sed faciunt malum, quod nollent, id est, traducuntur mente ad illa, quæ ad profectum virtutum, perfectionemque non pertinent. Hæc, tantùm non ad verbum, ex Cassiano super huius loci explanatione, referre libuit hoc loco.

VIGESIMAPRIMA DISPVTATIO.

An illa verba: Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. *Et item illa:* Video aliam legẽ in membris meis repugnantẽ legi mentis meę, & captiuantem me in lege peccati, *putandũ sit dixisse Apostolum de seipso, an potius de aliis hominibus, vel iustis, sed imperfectis adhuc tamen, vel de peccatoribus & flagitiosis.*

112.

RESTAT etiam nunc tractanda celebris illa quæstio, cuius explicationem consulto nos extremo huic loco reseruauimus: An supradicta verba dixerit Apostolus de se ipso, & de se intelligi voluerit; an potius in persona sua dixerit ea, & intelligi voluerit de aliis hominibus vel peccatorib. aliquantisper quidem repugnantibus concupiscentiæ suæ, sed tandem ei cedentibus, atque obsequentibus: vel de viris iustis, imperfectis tamen adhuc, & graui ac molesto certamine, cum sua concupiscentia depugnantibus. Græci fermè omnes Doctores arbitrati sunt, ista verba dixisse Apostolum, sub persona sua, de hominibus nondum gratia CHRISTI liberatis à seruitute peccati. Ita senserunt Origenes, Chrysostomus, Theophylactus in commentariis suis super hoc Pauli loco. Ad eandem sententiam interpretatur Apostoli verba: S. Basilius in regulis breuioribus in responsione ad decimam sextam interrogationem, quæ est huiusmodi; Quid est quod nonnunquam humanus animus, etiam nullo præmisso studio, sed sponte sua compungitur: interdum autem adeo languidus est, vt cùm maximè conetur compungi, non possit? Huic interrogationi respondens Basilius, ita scribit: Est profectò talis compunctio donum DEI datum nobis, vel ad stimulandum mentis nostræ desiderium, vt animus gustata dulcedine huiusmodi compunctionis, eam perpetuò studeat retinere; vel ad id manifestè demonstrandum, posse animum, si obnixe studeat & curet assiduè in compunctione esse, ad eripiendam excusationem negligentiæ, iis videlicet, qui illam amiserint. Illud autem conari, & non posse compunctionem habere, simul & negligentiam nostram, qua alio tempore vsi sumus, manifestè arguit: simul etiam indicio est, animum esse in dominatu aliorum vitiorum, à quibus non permittitur, vt ad ea, quæ vellet, liber sit. Quod quidem & vidit, & docuit Apostolus illis verbis: *Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato. Non enim quod volo, hoc ago; sed quod odi, hoc facio. Nunc autem non iam ego operor illud, sed quod habitat in me pecca-*

Prima sententia, Origenis, Chrysostomi, Theodoreti, Theophylacti, Oecumenij, Basilij, Augustini, Hieronymi.

S. Basilius.

peccatum. quippe cum DEVS hoc etiam nobis ad vtilitatem nostram euenire permiserit, quo videlicet, si fieri possit, per ea quæ animus inuitus patitur, in cognitionem veniat peccati & diaboli, in cuius potestate est: & vbi ad seipsum redierit, cognoueritq́; quibus in rebus præter voluntatem suam, seruiat peccato, resipiscat ex laqueo diaboli, paratam inueniens misericordiam DEI ad eos adiuuandos, qui verè pœnitentes sunt. Hæc S. Basilius.

113. Nec verò Græci duntaxat ita censuerunt, sed etiam Latini. Ambrosius certè, vel vulgo putatus Ambrosius in commentariis suis super hoc Pauli loco id ipsum tradit. Nec solùm Catholici auctores, sed etiam Peligiani eodem modo Apostoli verba intelligebant atque interpretabantur, vt de Iuliano, Pelagianorum, in tempore B. Augustini, principe, refert ipsemet Augustinus in libro sexto contra ipsum. Immò verò ipse Augustinus, aliquando eandem habuit sententiam, eamq; pluribus in suis libris scriptam, testatamque reliquit; vt in libro octogintatrium quæstionum, in tractatu quæstionis sexagesimæ, & in primo libro ad Simplicianum, quæstione prima, & in eo libro, in quo nonnullas sententias ad Romanos interpretatur, numero quadragesimo quarto, & quadragesimo quinto, & in libro primo contra duas epistolas Pelagianorum capite decimo testatur, sibi aliquando esse visum, quæ à Paulo dicuntur hoc loco, non posse intelligi de ipso Paulo, præsertim verò tria illa eius dicta, quorum vnum est illud: *Ego autem carnalis sum.* Alterum est illud: *Venundatus sub peccato.* Tertium est illud: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* Hæc enim nullo modo conuenire videntur perfectissimæ virtuti ac sanctitati, qua præditus erat Apostolus Paulus.

S. Augustinus.

114. Hanc ipsam porrò sententiam & interpretationẽ profitetur, disertisq́; verbis tradit S. Hieron. in epist. centesima quinquagesima prima ad Algasiam in respõsione ad octauam eius quæstionem tractans ista ipsa verba Pauli, & hunc in modum

S. Hieronym.

scribens

ſcribens: Hæc verba Paulus Apoſtolus vas electionis, cuius corpus templum erat SPIRITVS ſancti: qui dicebat: *Viuo ego, iam non ego, viuit autem in me CHRISTVS*: non de ſe loquitur, ſed de eo, qui vult poſt peccatum agere pœnitentiam: & ſub perſona ſua, fragilitatem deſcribit conditionis humanæ, quę duorum hominum, interioris, & exterioris, pugnantium inter ſe bella perpetitur. Interior homo conſentit & ſcriptæ, & naturali legi, quod bona ſit, & ſancta, & iuſta, & ſpiritualis. Exterior, inquit: *Ego carnalis ſum, venundatus ſub peccato: quod enim operor, neſcio: & non quod volo, hoc ago, ſed quod odi, illud facio.* Si autem exterior homo facit, quod non vult, & operatur quod odit, oſtendit bonum eſſe mandatum; & non ſe operari quod eſt malum, ſed habitans in ſua carne peccatum, hoc eſt, vitia corporis, & deſideria voluptatis, quæ propter poſteros & ſobolem, inſita eſt humanis corporibus, & ea ſi fuerit fines egreſſa, vertitur in peccatum. Cumque videretur extrema deſperatio, immò aperta confeſſio, omnem hominem diaboli laqueis irretiri; conuerſus in ſe Apoſtolus, imo homo, ſub cuius perſona loquitur, agit gratias SALVATORI, quod redemptus ſit ſanguine eius, & ſordes in baptiſmo depoſuerit, & nouum CHRISTI aſſumpſerit veſtimentum: & mortuo veteri homine, natus ſit homo nouus qui dicat: *Miſer ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratias ago DEO per IESVM CHRISTVM Dominum noſtrum, qui me de corpore mortis liberauit.* Quod ſi cui non videtur, ſub perſona ſua, hoc Apoſtolus de aliis dicere, exponat, quomodo Daniel, quem iuſtum fuiſſe nouimus, quaſi de ſe dicat, cùm pro aliis deprecatur DEVM: *Peccauimus, iniquè fecimus, impiè egimus, receſſimus à mandatis, & iudiciis tuis: non cuſtodiuimus ſeruos tuos Prophetas, qui locuti ſunt in nomine tuo ad reges noſtros, & principes, & patres, & ad omnem populum terræ. Tibi Domine, iuſtitia; nobis autem confuſio.* Totus hic Apoſtoli locus, & in conſequentibus, immò omnis epiſtola eius ad Romanos, nimiis obſcuritatibus inuoluta eſt. Quod ſi voluero cuncta diſſerere, nequaquam mihi vnus liber, ſed multa; &

Galat. 2.

Dan. 9.

Qualis ſit epiſtola ad Rom.

ta; &

ta; & magna erunt ſcribenda volumina. Hæc ſanctus Hieronymus.

115. *Altera ſententia quod iſta Paulus dixerit de ſe.*

Altera eſt ſententia & horum Pauli verborum interpretatio, referens ſupradicta Apoſtoli verba ad ipſummet Paulum, & ad viros ſanctos & perfectos; quorum perpetuum certamen, & pugna aduerſus concupiſcentiam, omneſque prauos affectus carnales, hoc loco deſcribitur; habet multos, & in primis graues ac nobiles auctores, & probabilibus admodum nititur argumentis. Ita locum hunc intellexiſſe B. Gregorium, declarant illa eius verba, quæ ſunt in libro decimo nono Moralium, vbi tractat verba illa Iob capitis 18. *Et aquas appēdit in menſura.* Hinc eſt, inquit Gregorius, quod ad cōſolationem noſtram, Paulus, prædicator egregius, de ſe quædam talia prodere dignatur, dicens: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ eſt in membris meis.* Beatus certè Auguſtinus, poſthabita priore interpretatione, quam prius, cùm eſſet presbyter, & initio ſui Epiſcopatus approbauerat, & pluribus in libris ſuis prodiderat, hāc poſteriorem interpretationem, tanquam longè meliorem, & ſententiæ verborum Pauli congruentiorem amplexus eſt, & multifariam in poſterioribus ſuis libris tradidit. Videat ipſum lector in capite vigeſimo ſeptimo primi libri de nuptiis & concupiſcentia, & in capite decimo primi libri contra duas epiſtolas Pelagianorum, & capite primo libri ſecundi, & item in capite decimo, & vndecimo libri ſexti contra Iulianum Pelagianum; vbi hāc interpretationem ſuam confirmat auctoritate priorum Patrum, & Doctorum Eccleſiæ, ad hunc modum ſcribens: Non ego ſolus, aut primus ſic iſtum Pauli locum intellexi: immò verò ego prius eum aliter intellexeram, vel potius non intellexeram, quod mea quædam illius temporis etiam ſcripta teſtantur. Non enim mihi videbatur Apoſtolus de ſeipſo dicere potuiſſe: *Ego autem carnalis ſum*, cùm eſſet ſpiritalis: & quod captiuus duceretur ſub lege peccati, quæ erat ſub mēbris eius. Ego enim putabam, iſta non poſſe dici, niſi de iis,

S. Gregorius.

S. Auguſtinus.

mm quos

quos ita haberet carnis concupiſcentia ſubiugatos, vt facerent quicquid illa compelleret: quod de Apoſtolo, dementis eſt credere; cùm etiam innumerabilis multitudo Sanctorum, ne concupiſcentias carnis perficiat, contra carnem ſpiritu concupiſcat. Sed poſtea melioribus, & intelligentioribus ceſſi, vel potius ipſi, quod fatendum eſt, veritati: vt viderem, in illis Apoſtoli vocibus gemitum eſſe Sanctorum, contra carnales concupiſcentias dimicantium. Qui, cùm ſint mente ſpiritales, adhuc tamen, iſto corruptibili corpore, quod aggrauat animam, rectè intelliguntur eſſe carnales; quia erunt & corpore ſpiritales, quando ſeminatum fuerit corpus animale, & reſurget ſpiritale. Et rectè adhuc intelliguntur ea parte captiui ſub lege peccati, quæ deſideriorum, quibus non conſentiunt, motibus ſubiacet. Hinc factum eſt, vt ſic iſta intelligerem, quemadmodum intellexit Hilarius, Gregorius, Ambroſius, & cæteri Eccleſiæ ſancti notique Doctores: qui & ipſum Apoſtolum aduerſus carnales concupiſcentias, quas habere nolebat, & tamen habebat, ſtrenuè conflixiſſe, eundemque conflictum ſuum illis ſuis verbis cõteſtatum fuiſſe ſenſerunt. Sic ibi Auguſtinus.

[margin: ...p. 9. ... Cor. 15.]

116\. *[margin: ...mmẽtarios ...epiſtolã ad ...manos no... ...ne Ambro... ...praenotatos ...n eſſe B. Am... ...ſij.]*

Monet me hic locus Auguſtini, vt id etiam nunc admoneam lectorem, cuius non ſemel ſuprà eum admonui; commentarios in hanc epiſtolam Pauli ad Romanos ſub nomine B. Ambroſij in vulgus editos, & ab hinc vſque annis quingentis, eius habitos, reuera non eſſe B. Ambroſij Epiſcopi Mediolanenſis. Auctor etenim iſtorum commentariorum in explanatione huius loci ſolam priorem interpretationem ſequitur: cùm Auguſtinus tamẽ in verbis proximè commemoratis affirmet ſolam B. Ambroſio poſteriorem interpretationem placuiſſe. Iulianus certè Pelagianus, qui cum dimicatio fuit B. Auguſtino, qui ſtudiosè, curioſeque Ambroſij ſcripta ſcrutabatur, vt eius auctoritate ac teſtimoniis dogmata ſua confirmaret, cùm ipſe priorem duntaxat interpretationem approbaret, ſi eam in ſcriptis B. Ambroſij legiſſet, proculdubio eam Ambroſij auctoritate comprobaſſet. Sed hoc obiter dictum ſit. Augu-

Auguſtinus porrò in capite decimo primi libri contra duas epiſtolas Pelagianorum, declarans, quibus ipſe rebus adductus fuerit, vt priori poſthabita interpretatione, quam antea ſecutus fuerat, totum hunc locum de ipſomet Paulo, aliiſque eius ſimilibus ſanctis & perfectis viris intelligendum eſſe, & interpretandum arbitraretur, hunc in modum ſcribit: Viſum aliquãdo etiam mihi fuerat, hominẽ ſub lege conſtitutum, iſto Apoſtoli ſermone deſcribi: ſed vim mihi fecerunt poſtea illa eius verba: *Nunc autem iam non ego operor illud,* ad hoc enim pertinet illud, quod ait & poſtea: *Nulla ergo condemnatio eſt nunc iis, qui ſunt in CHRISTO IESV.* Et quia non video quemadmodum diceret homo ſub lege poſitus: *Condelector legi DEI ſecundum interiorem hominem.* cùm ipſa delectatio boni, qua etiam non conſentit ad malum, nõ timore pœnæ, ſed amore iuſtitiæ (hoc eſt enim condelectari) non niſi gratiæ deputanda ſit. Illud præterea, quod ait: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?* eôdem ſpectat. Quis enim negat, Apoſtolum, cùm hæc diceret, adhuc fuiſſe in corpore mortis huius? à quo vtique non liberantur, quibus eadem corpora ad tormenta æterna reddentur. Liberari ergo à corpore mortis huius, eſt, omni ſanato languore concupiſcentiæ carnis, non ad pœnam corpus recipere, ſed ad gloriam. Hactenus ex Auguſtino. Eadem fuit ſententia Theonis Abbatis apud Caſſianum in collatione vigeſima tertia; cuius hæc ſunt verba: Denique, vt intelligeretur, dixiſſe hæc Apoſtolum de ſeipſo, ſuique ſimillimis perfectis viris, quaſi digito ſeipſum deſignans, illud intulit: *Igitur ego ipſe mente ſeruio legi DEI.* Quod genus locutionis, familiare eſt Paulo, ſiquando vult propriè ſignanterque ſeipſum indicare: vt in poſteriori ad Corinthios capite decimo: *Ipſe ego Paulus obſecro vos.* Et in capite duodecimo: *Niſi quod ego ipſe non grauaui vos.* Et in epiſtola ad Galatas capite tertio: *Ego ipſe Paulus dico vobis.* Et in hac ipſa epiſtola ad Romanos capite nono: *Optabam ego ipſe anathema eſſe à CHRISTO pro fratribus meis.*

117.

Ad Rom. 8.

Caſſianus.

118. *Auctoris sententia.*

Mea, super hac quæstione, & in hac varietate opinionum, atque interpretationum, tripartita est sententia. Primò enim arbitror, licet in istis Apostoli verbis quædam sint, quę intelligi optimè queant de homine peccatore ac flagitioso, vt est illud: *Ego carnalis sum, venundatus sub peccato.* Et illud: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* Plura tamen esse alia, quæ flagitiosis hominibus verè accommodari non queant. Huius generis est illud: *Iam non ego operor illud; sed quod habitat in me peccatum.* Quomodo enim, qui victus à concupiscentia, sciens, & volens facit adulterium; verè dicere possit, se non facere adulterium, sed operari illud concupiscentiam, quæ est in carne sua? Deinde, qui concupiscentiæ suæ obsequitur, & seruit, non potest verè dicere illud: *Condelector legi DEI secundum interiorem hominem.* quippe cùm is delectetur rebus planè contrariis legi DEI. Denique illud, *Mente seruio legi DEI*, manifestum est, verè ab homine peccatis dedito dici non posse. Nam qui mente seruit legi DEI, legem ipsam implet & seruat: qui autem peccatum facit, legi aduersatur, & concupiscentiæ suæ ac peccato seruit. Et verò, etiam B. Thomas, qui vtramque supradictam interpretationem in commentario huius loci tractat, cùm verba illa explanat: *Iam non ego operor illud, &c.* apertè fatetur, non posse hæc intelligi de peccatore, nec nisi admodum extortè applicari ad ipsum posse.

S. Thomas.

119. Deinde censeo, totum hunc, Apostoli locum congruè, commodeque intelligi posse de viris iustis, etiam sanctis, & perfectis. In illos enim verè competunt & quadrant illæ Apostoli sententiæ: *Iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum: Condelector legi DEI secundum interiorem hominem: Ego ipse mente seruio legi DEI.* Neque huic intelligentiæ officiunt verba illa: *Ego carnalis sum, venundatus sub peccato.* Dupliciter enim quispiam dici potest carnalis: vel secundum carnem viuendo, & carnali cōcupiscentiæ obsequendo & seruiendo; & hac ratione vir iustus non est carnalis;

Quomodo etiā vir sanctus dū in terris viuit, verè dici queat esse carnalis, venundatus sub peccato.

nalis; immo quia eſt mente pura, & fortiter carnalibus concupiſcentiis repugnat, dicitur ſpiritualis. Vel dicitur carnalis, quia geſtat carnem adhuc corruptibilem, & in ea illicitos concupiſcentiæ motus, prauaque deſideria, nolens ſentit & patitur; & hoc iuſtitiæ & virtuti Chriſtianæ haudquaquam repugnat. Dicitur etiam vir iuſtus venundatus ſub peccato, non à ſe ipſo, ſed à primo omnium parente, ob cuius peccatum omnes eius poſteri obnoxij, & quaſi venditi ſunt, & peccato originali, & rebellioni carnis aduerſus rationem. Neq; obſtat etiam huic interpretationi illud: *Video aliam legem in membris meis, captiuantem me in lege peccati.* Duplex etenim captiuitas eſt hominis: altera eſt ſub reatu, & culpa proprij peccati, & propria voluntate admiſſi; & hæc eſt captiuitas peccatoris, non autem hominis iuſti. Altera eſt captiuitas ſub pœna peccati originalis contracti à peccato primi parentis: & per carnalem generationem in vniuerſos eius poſteros transfuſi. Eſt autem eius peccati pœna, carnis inobedientia, & rebellio aduerſus rationem; ſub cuius ſeruitute & captiuitate ſunt etiam homines iuſti, quoad in terris viuunt.

VIGESIMASECVNDA DISPVTATIO.

An B. Paulus graues carnis tentationes paſſus ſit.

ILLVD denique affirmo, mihi quidem videri admodum probabilem ſententiam B. Auguſtini, & Gregorij arbitrantium, beatum Paulum omnia hæc verba, quæ de certamine inter mentem & concupiſcentiam hoc in loco dixit, de ſe ipſo locutum eſſe, & de ſe intelligi ab aliis voluiſſe; ipſumq; graues carnis tentationes paſſum, cum illis fortiſſimè dimicaſſe. Sanctum e- 120.

nim Apostolum fuisse tentationibus carnis infestatum, & vexatum, non quidem virtutis defectu, vel infirmitate spiritus, sed mirabili DEI consilio, salubriq; temperamento, ne tantarum virtutum, & donorum, quæ à DEO acceperat, & cœlestium magnitudine reuelationum, in superbiam animo efferretur; ipsemet in cap. 12. posterior. epist. ad Corint. confitetur illis verbis: *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus satanæ, qui me colaphizaret.* Ac licet illum carnis stimulum, Græci explanatores in commentariis suis super eo loco, interpretentur persecutiones inimicorum, & infirmitates corporis; aiunt enim quidam, eum frequenter, & grauiter dolore capitis, & iliaco afflictari solitum: complures tamen alij intelligunt de tentationibus carnis, idq; in commentario eius loci, auctoritate B. Augustini confirmat B. Thomas. Et verò, valde adiuuat hanc interpretationem & intelligentiam, quod ipsemet Apostolus alio loco scripsit dicens: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cum aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Quæ verba commemorans B. Hieronymus in epist. 22. quam de custodia virginitatis scripsit ad Eustochium, ita scribit: Si Apostolus vas electionis, & separatus in Euangelium CHRISTI ob carnis aculeos, & incentiua vitiorum, reprimit corpus suum, & seruituti subiicit, ne aliis prædicans, ipse reprobus inueniatur; Et tamen videt aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & captiuum se in legem duci peccati; si post nuditatem, ieiunia, fames, carcerem, flagella, supplicia, in semetipsum reuersus, exclamat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Tu te putas securum esse debere? Hæc Hieronymus. Graues autem, & frequentes carnis tentationes pati, non semper arguit virtutem imperfectam, atq; infirmum, ac tepidum spiritum. Viris etenim, etiam sanctis & perfectis eiusmodi tentationes, nonnunquam accidunt, vel ex suggestione diaboli, ad eos contristandos, & confundendos, & tarditores ac languidiores in seruitio DEI reddendos: vel benigna DEI voluntate; salutariq; consilio,

Locus 2. epistola ad Corinth. cap. 12.

[1]. Ad Cor. 9.

B. Hieronymus.

Roman. 7.

[Q]uatuor cau[sæ], ex quibus [tu]rpes tētatio[n]es accidunt [sa]nctissimis [vi]ris.

ad

ad conseruandum eos in humilitate, arcendamque superbiam: vel in exemplum atq; consolationem infirmorum, & imperfectorum hominum, ne in eiusmodi tentationibus ipsi desperent, vel ad heroicæ virtutis sanctorum, per eiusmodi tentationes, declarationem & testificationem, atq; illustrationem, atq; hoc cernere licet in grauissimis carnis tentationibus, quas passi sunt sanctissimi viri, Hieronymus, Benedictus, & Franciscus.

121. Illustrissimum porrò, & admirandum exemplum, à tentationibus carnis maiorem in modum vexati, & cum carnali concupiscentia, laborioso admodum molestoq; certamine fortissime dimicantis, atq; ea tandem debellata, dulcissimam mentis tranquillitatem, & cœlestium gaudiorum ac deliciarum participationem adepti, esse potest omnibus sanctissimus, simulq; doctissimus Hieronymus: cuius de se ipso loquentis hæc sunt verba, ingenti profecto admiratione dignissima. O quoties ego ipse in eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus, horridum Monachis præstat habitaculum; putabam me Romanis interesse deliciis. Sedebam solus, quia amaritudine repletus eram. Horrebāt sacco mēbra deformia, & squalida cutis situm Æthiopicæ carnis obduxerat. Quotidie lacrymæ, quotidie gemitus, & siquando repugnantē somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebā. De cibis verò, & potu taceo; cum etiam languentes Monachi, aqua frigida vtantur, & coctum aliquid accepisse, luxuria sit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum, tali me carcere ipse damnaueram, scorpionum tātum socius, & ferarum, sæpe choris intereram puellarum. Pallebant ora ieiuniis, & mens desideriis æstuabat in frigido corpore; & ante hominem, sua iam carne præmortuum, sola libidinum incentiua bulliebant: Itaq; omni auxilio destitutus, ad IESV iacebam pedes; rigabam lacrymis, crine tergebam; & repugnantem carnem, hebdomadarum inedia subiugabam. Memini, me clamantem crebrò diem iunxisse cum nocte; nec prius à pectoris cessasse verberibus,

Hieronymus in epist. 22.

quàm

quàm rediret, Domino increpante, tranquillitas. Ipſam quoque cellulam meam, quaſi cogitationum mearum conſciam, pertimeſcebam, & mihimet iratus & rigidus, ſolus deſerta penetrabam; ſicubi concaua vallium, aſpera montium, rupium prærupta cernebam, ibi meæ orationis locus, ibi illud miſerrimæ carnis ergaſtulum. Et, vt ipſe mihi teſtis eſt Dominus, poſt multas lacrymas, poſt cœlo hærentes oculos, nonnunquam videbar mihi intereſſe agminibus ANGELORVM; Et lætus gaudenſque cantabam illud: *Poſt te, in odorem vnguentorum tuorum curremus.* Si autem hoc ſuſtinent illi, qui exeſo corpore, ſolis cogitationibus oppugnantur, quid patitur puella, quæ deliciis fruitur? Nempe illud Apoſtoli: *Viuens mortua eſt.* Hactenus fuerunt verba beati Hieronymi.

Cant.1.

1.Tim.5.

IN CAPVT OCTAVVM
DISPVTATIONES VIGINTI OCTO.

CAPVT VIII.

Versu

NIHIL ergo nunc damnationis est iis qui sunt in CHRISTO IESV, qui non secundum carnem ambulant * Lex enim Spiritus, vitæ in CHRISTO IESV, liberauit me à lege peccati, & mortis. * Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: DEVS FILIVM suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, * vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. * Qui enim secundum carnem sunt: quæ carnis sunt, sapiunt. qui verò secundum Spiritum sunt, quæ carnis sunt, sentiunt. * Nam prudentia carnis, mors est; prudentia autem Spiritus, vita, & pax. * Quoniam Sapientia carnis inimica est DEO: legi enim DEI non est subiecta: nec enim potest. * Qui

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

autem in carne ſunt, DEO placere non poſ-
9. ſunt. * Vos autem in carne non eſtis, ſed in ſpiritu: ſi tamen SPIRITVS DEI habitat in vobis. Si quis autem SPIRITVM CHRISTI
10. non habet: hic non eſt eius. * Si autem CHRISTVS in vobis eſt; corpus quidem mortuum eſt propter peccatum: Spiritus verò viuit pro-
11. pter iuſtificationem. * Quod ſi SPIRITVS eius, qui ſuſcitauit IESVM à mortuis, habitat in vobis; qui ſuſcitauit IESVM CHRISTVM à mortuis, viuificabit & mortalia corpora veſtra, propter inhabitantem SPIRITVM eius
12. in vobis. * Ergo fratres debitores ſumus, non
13. carni, vt ſecundum carnem viuamus. * Si enim ſecundum carnem vixerimus, moriemini: Si autem Spiritu facta carnis mortificaueritis, vi-
14. uetis. * Quicumque enim SPIRITV DEI
15. aguntur, ij ſunt filij DEI. * Non enim accepiſtis Spiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in
16. quo clamamus ABBA PATER. * Ipſe enim SPIRITVS teſtimonium reddit Spiritui no-
17. ſtro quod ſumus filij DEI. * Si autem filij, & hæredes: hæredes quidem DEI; cohæredes autem CHRISTI? Si tamen compatimur, vt & con-
18. glorificemur. * Exiſtimo enim quod non ſunt

con-

condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. * Nam expectatio creaturæ, reuelationem filiorum DEI expectat. * Vanitati enim creatura subiecta est, non volens: sed propter eum, qui subiecit eam in spe: * Quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum DEI. * Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc. * Non solùm autem illa, sed & nos ipsi primitias Spiritus habentes: & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum DEI expectantes, redemptionem corporis nostri. * Spe enim salui facti sumus: spes autem quæ videtur, non est spes; nam quod videt quis quid sperat? * Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus. * Similiter autem & SPIRITVS adiuuat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse SPIRITVS postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. * Qui autē scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus: quia secundum DEVM postulat pro sanctis. * Scimus autem, quoniam diligentibus DEVM, omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. * Nam quos præsciuit, & prædestinauit

19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29.

conformes fieri imaginis FILII sui, vt sit ipse
30. primogenitus in multis fratribus. * Quos autem prædestinauit, hos & vocauit. Et quos vocauit, hos & iustificauit: quos autē iustificauit,
31. illos & glorificauit. * Quid ergo dicemus ad
32. hæc? Si DEVS pro nobis, quis contra nos? * Qui etiam proprio FILIO suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quo modo non
33. etiā cum illo omnia nobis donauit? * Quis accusabit aduersus electos DEI? DEVS qui iustifi-
34. cat, quis est qui cōdēnet? * CHRISTVS IESVS qui mortuus est, immo qui & resurrexit, qui est ad dexterā DEI, qui etiam interpellat pro nobis.
35. * Quis ergo nos separabit à charitate CHRISTI? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? (sicut
36. scriptum est. * Quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis.)
37. * Sed in his omnibus superamus propter eum,
38. qui dilexit nos. * Certus sum enim quia neque mors, neq; vita, neq; Angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; instantia, neq; futura, neque
39. fortitudo, * neq; altitudo, neque profundum, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate DEI quæ est in CHRISTO IESV Domino nostro.

PRÆ-

PRÆFATIO.

IN hoc capite octauo Apostolus mirificè describit præclarum statum hominis iustificati per CHRISTVM, multa, & eximia bona ei à DEO data commemorans. Primò enim remissis ac deletis omnibus eius peccatis, nihil est in eo damnabile. Secundò, non iam subiacet & seruit, sed præualet atque dominatur, fomiti & concupiscentiæ. Tertiò, quod antè non poterat, iam nunc potest implere legem, non timore supplicij, sed amore iustitiæ. Quartò, non secundum carnem viuit, obediens concupiscentiis eius; sed secundum spiritum viuit, vigore spiritus, facta carnis mortificans. Quintò, propter inhabitantem in ipso SPIRITVM sanctum, corpus eius immortali vita donandum est. Sextò, factus est DEI filius, & hæres, & cohæres CHRISTI: SPIRITV sancto ei testimonium reddente, quod sit filius DEI. Septimò, non seruit DEO vt Domino formidabili, timore seruili: sed vt benignissimo Patri, affectu filialis amoris. Octauò, pro breui, & leui tribulatione, quam nunc patitur, incomparabilem æternæ felicitatis gloriam adepturus est. Nonò, SPIRITVS sanctus iuuat eum, & docet, idoneè, ac dignè, atque efficaciter orare DEVM. Decimò, exponit Paulus maximum illud bonum prædestinationis æternæ Sanctorum ad vitam æternam. Vndecimò, docet omnia electis cooperari in bonum. Duodecimò, cùm viri sancti sint sub DEI protectione, nihil eis, quamuis aduersum & asperum, nocere potest, nec vllis rebus aduersis amoueri, & separari possunt à charitate DEI.

I. *Duodecim bona iustorũ hominum, præsertim autem electorum.*

PRIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Versu 1. NIHIL ergo nũc damnationis est iis, qui sunt in CHRISTO IESV, qui non secundum carnem ambulant.

2. EX eo, quod præcedenti capite Apostolus in sua persona de iustificatis omnibus per CHRISTVM dixerat, eos mente quidem seruire legi DEI, carne verò legi peccati; & iccirco non agere ipsos malum concupiscentiæ, sed quod in carne eorum habitabat peccatum; ex hoc, inquam, infert Apostolus initio huius capitis, hanc veluti conclusionem: *Nihil ergo damnationis est iis, qui sunt in CHRISTO IESV*, propter illos videlicet motus impuros, prauaque desideria, quæ ebulliunt ex concupiscentia carnis: hæc enim in illis iustis absorbentur tum ob imperfectionem actus, quia sunt motus nec deliberati, nec voluntarij: tum crebritate, bonitateque laudabilium actionum, quas viri iusti exercere non desistunt. Ergo motus illi concupiscentiæ aduersus rationem, & legem DEI, non sunt damnabiles iis, qui sunt in CHRISTO, id est, qui per baptismum CHRISTVM induerunt, eique per fidem, & dilectionem incorporati sunt, factique tanquam viua eius membra, & tanquam palmites CHRISTO, vt viti sunt insiti. Huiusmodi enim similitudine vsus est Dominus noster, vt refert Ioannes capite decimoquinto, vt declararet coniunctionem suam cum sanctis suis, eorumque ab ipso dependentiam. *Sicut palmes*, inquit, *non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos nisi in me manseritis.* Nam qui non sunt in CHRISTO, sed secundum carnem ambulãt, propterea illis damna-

damnabiles ſunt affectus carnales, quia illi pertrahunt eos ad peccatum. Vnde eo quo dixi loco, poſt ea verba, quæ commemoraui, protinus adiunxit illud Dominus: *Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Poſt illa verba: *Qui non ſecundum carnem ambulant*, in græcis codicibus adiicitur illud: *Sed ſecundum ſpiritum.* Et ita legunt hunc locum Origenes & Theophylactus: ſed iſtud non eſt in latinis codicibus: quanquam paulò infrà in hoc ipſo capite iſtud ipſum additamentum eſt in latinis libris.

3. *An praui motus concupiſcētiæ, quæ sūt inuoluntarij, ſint peccata mortalia in homine infideli. S. Thomas.*

Ex hoc porrò Apoſtoli loco argumentari, & concludere nonnulli volunt (vt refert in commentario huius loci S. Thomas, primos concupiſcentiæ motus illicitos, etiam indeliberatos atque inuoluntarios, eſſe peccata mortalia in infidelibus. Id autem iſti hunc in modum argumentantur: Paulus in hoc loco ait, iſtiuſmodi concupiſcentiæ motus nō eſſe damnabiles iis, qui ſunt in CHRISTO: ergo iis qui non ſunt in CHRISTO, erunt damnabiles; non eſſent autem damnabiles, niſi eſſent peccata mortalia. Confirmant prætere id ipſum hoc argumento: Neceſſe eſt eos actus eſſe damnabiles, qui proueniunt, ex habitu damnabilis peccati: Sed iſti motus concupiſcentiæ proueniunt ex peccato originali, quod eſt damnabile, vtpote hominem priuans æterna vita: originale autem peccatum manet in homine infideli: ergo motus concupiſcentiæ ſunt in eo damnabiles, & peccata mortalia.

4. Verùm nec ſententia iſtorum vera eſt, & ratio, qua eam firmânt, inualida eſt. Primus etenim motus concupiſcentiæ ideo non eſt peccatum in homine infideli, quia non attingit rationem, per cuius conſenſum completur ratio peccati; non enim poteſt eſſe peccatum, niſi fuerit voluntarium. At ratio hæc valet etiam in primis motibus infidelium: Si non ſunt igitur peccata in homine fideli, nec erunt in infideli: præſertim verò, cùm in eádem ſpecie peccati grauius aliquo modo peccare videatur fidelis, quàm infidelis.

Nec

Nec sanè locus hîc Apostoli sententiam istorum adiuuat. Non enim Paulus dixit propriè ac signanter, huiusmodi primos motus non esse damnabiles in iustificatis; sed in vniuersum dixit, iis, qui sunt in Christo Iesv nihil esse damnabile. Quod si quis contendat, esse hoc propriè referendum ad motus concupiscentiæ, de quibus paulò antè locutus fuerat Paulus: dicemus, Paulum disseruisse de motu concupiscentiæ, qui non inuadit, & obtinet rationis assensum, sed manet in carne, sana, & munda ab eo, hominis mente. Nec verò istiusmodi motus in infidelibus aliter damnabiles sunt, quàm ratione peccati originalis, vnde scaturiunt: cuius diuersa est damnatio, quàm peccati actualis, & mortalis. Nec denique vera est illa eorum ratio, omnes actus prouenientes ex habitu damnabilis peccati, esse peccata damnabilia: illi enim actus dũtaxat sunt damnabiles ex habitu peccati prouenientes, qui sunt actus humani, ex plena deliberatione, atque electione profecti. In eo enim, qui habet furandi habitum, non quælibet furandi cupiditas est peccatum mortale, si ei plenus rationis assensus non accedat.

5. *In Caluinum & tria eius dogmata.*

Sed videamus quemadmodum hunc Apostoli locum interpretatus sit Caluinus. Inter alia Caluini dogmata planè contraria doctrinæ Catholicæ, ac sacræ Scripturæ, tria sunt, quæ ad rem præsentem faciunt, falsa nimirum, & impia. Horum vnum est, eadem peccata manere in baptizatis, & iustificatis per fidem Christi, quæ prius erant in ipsis, nec eos à propriis peccatis verè mundari, ac liberari: sed ad hoc eis proficere regenerationem, & iustificationem in Christo quòd ea peccata, licet in eis sint, perinde tamen, quasi non essent, non eis à Deo imputantur ad damnationem. Quare quod Apostolus ait hoc loco, nihil damnationis esse iis qui sunt in Christo, sic ipse interpretatur, quod licet in eis maneant peccata per se damnabilia, non tamen ea imputantur ad damnationem iis, qui per fidem sunt insiti Christo. Alterum dogma est, prauos concupiscentiæ motus, etiam inconsultos atque inuoluntarios, esse peccata mortalia & damnabi-

mnabilia, quoniam ſint contraria illi præcepto legis diuinæ, *Non concupiſces*, eiuſmodi tamen motus propter fidem in CHRISTVM, non imputari ad damnationem regeneratis, & iuſtificatis in CHRISTO. Tertium dogma eſt, renouationem ſpiritus & vitæ, & ſanctificationem, quam in viris iuſtis facit SPIRITVS ſanctus, ex parte hominis nõ eſſe aliud, quàm inchoatum quiddam, & imperfectum, aliquem ſcilicet timorem DEI, & aliquod ſtudium pietatis, & benè agendi, & voluntatem aliquam, licet inefficacem, ſeruandi legem DEI, & nonnullum conatum reluctandi concupiſcentiæ, licet in prædictis omnibus iuſti deficiant, nec ea poſſint complere, & vt oportet, ad effectum perducere. Hæc ſunt præclara, ſcilicet, & admiranda Caluini dogmata, non de cœlo miſſa, ſed de Orco excitata.

Exod. 20.

6. His itaque dogmatibus ſuis conuenienter hæc Apoſtoli verba interpretans Caluinus, ita ſcribit: Quemadmodum fruſtrà ſibi blandiatur homo carnalis, ſi de emendanda vita nihil ſolicitus, CHRISTI gratiæ prætextu, impunitatem ſibi promittat: ita habent trepidæ piorum conſcientiæ inuictum propugnaculum, quod dum in CHRISTO manent, ſciunt ſe eſſe extra omne damnationis periculum, qui in domanda, & mortificanda carne ſedulò laborant, vt appareat ſtudium pietatis in ipſis regnare. Sic ille. Sed quid eſt ſecundum Caluinum, manere in CHRISTO, quod ipſe vocat inuictum propugnaculum trepidæ conſcientiæ piorum hominum? non aliud nempe, niſi credere in CHRISTVM, diuiniſque confiſum promiſſionibus, certiſſima perſuaſione putare, vnumquemque, remiſſa ſibi eſſe peccata, ſeque adoptatum eſſe in filium DEI, & admiſſum ad participationem hæreditatis æternæ. At enim diuina ſcriptura manſionem hominis in CHRISTO, & CHRISTI in homine, potiſſimum aſſignat charitati, & fructificationi bonorũ operũ. Apoſtol. enim Ioannes in prima ſua epiſtola ſcripſit: *DEVS charitas eſt, & qui manet in charitate, in DEO manet, & DEVS in eo.* Et item alio loco: *Qui dicit ſe in CHRISTO, manere, debet ſicut ille ambulauit*

Quid ſit eſſe vel manere in Christo.

1. Ioan. 4

Infra 5.

bulauit, & ipse ambulare. Et ipse Dominus apud eundem Ioannem in Euangelio eius dixit: *Quis diligit me, sermonem meum seruabit, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Et item: *Manete in me, & ego in vobis. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere.* Iam verò studium illud pietatis, quod Caluinus ait in viris iustis regnare, quam inefficax, & infructuosum ipse faciat, satis ostendit in explanatione superioris capitis septimi huius epistolæ, scribens, virum iustum licet cupiat benè agere, non inuenire tamen eum boni desiderij effectum, quia impar ad hoc facultas ei adest: studet tamen is membra sua ad obsequium DEO præstandum exhibere: & in omnibus suis lapsibus timorem DEI, & studium rectè agendi non prorsus ex animo suo excutit. Ex his apparet quàm malè senserit Caluinus de gratiæ CHRISTI efficacia in tollendis peccatis, & renouando atque sanctificando, & cœlestibus donis ornando iustificati hominis animo, & reddendo eum potentem implendi legem DEI, & vitandi omnia peccata mortalia, & bona opera faciendi, quibus promereatur vitam æternam. S. Augustinus breuissimè hanc Pauli sententiam explanat, ita scribens in capite decimo libri primi contra duas epistolas Pelagianorum: Nulla est condemnatio iis, qui sunt in CHRISTO IESV: non enim damnatur, nisi qui concupiscentiæ carnis consentit ad malum. Contra duo autem Caluini priora dogmata, paulò suprà memorata, disputauimus suprà partim super caput quartum partim septimum huius epistolæ.

Ioan. 14.

Infra 15.

S. Augustinus.

SECVN-

SECVNDA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Lex enim ſpiritus vitæ in CHRISTO IESV, liberauit me à lege peccati, & mortis.

7. SATIS congruè & doctè hanc B. Pauli ſententiam Ambroſius in commẽtario huius loci explanans: Lex, inquit, ſpiritus vitæ, ipſa eſt lex fidei. Lex ſanè Moſis, etiam ſpiritalis fuit, quia prohibebat peccare; non tamen fuit lex ſpiritus vitæ, quia reis mortis peccata remittere nõ potuit, vt viuificaret mortuos. Lex verò fidei, quia & peccare hominẽ vetat, & peccatis mortuum reuocat ad vitam, rectè appellatur lex ſpiritus vitæ. Et dicitur lex ſpiritus, quia non in litera eſt poſita, ſed in ſpiritu, quo creditur ad iuſtitiam; & quia in quem creditur, & quod creditur, ſpiritus eſt. Hæc itaque lex in CHRISTO, hoc eſt, per fidem, & gratiam CHRISTI, liberat dignè credentem, à lege peccati & mortis. Eſt autem lex peccati, quam ſuprà dixit in membris habitare, ſuadens praua, & contraria legi mentis, & DEI: Lex verò mortis, ipſa eſt lex Moſis, quia mortificat peccatores; vnde & alibi dixit Apoſtolus: *Si miniſtratio mortis litteris formata in lapidibus, fuit in gloria, &c.* Nec mirum videri debet, ſi lex Moſis, quæ dicta eſt ſpiritalis, vocetur lex mortis; cum & ipſum Euangelium, & vitæ & morti eſſe homini dicatur, teſtante id Apoſtolo: *Aliis,* inquit, *eſt odor mortis in mortem; aliis autem odor vitæ in vitam.* Quos enim fama virtutum, aut rerum geſtarum viſus vel auditus attrahebat ad fidem, iis odor vitæ erat Euangelium: illis verò, quorum prauum ſenſum & animum, admiranda virtus & facta inflammabant magis ad contradicendum, mor-

Ambroſius.

Ad Rom. 7.

Locus 2. ad Cor. 3.

2. ad Cor. 2.

tis erat odor, prædicatio fidei. Vna itaque cùm ſit fides, tantam, vt diximus, diuerſitatem præſtat hominibus: ſicut & ſol cùm ſit vnus, & idem, ceram tamen reſoluit, & lutum reſtringit. Qua ergo quis mente odoratus fuerit fidem, ſic & proficiet illi. Verum dicetur fortaſſe: Si eadem præſtat fides, quæ & lex Moſis, cur non & ipſa vocatur lex mortis, cùm ipſa mortificet non credentes? Sed non ita eſt, fides enim data eſt, quæ iuſtificat dignè ipſam recipientes, vt peccata remittat eis; quos lex tenet reos; & agentes ſub fide liberi ſint à peccato, cui obnoxij ſunt ſub lege conſtituti. Qui ergo non obediunt fidei, non occidentur a fide, ſed à lege, quia non accedentes ad fidem, rei peccati ac mortis tenentur & damnātur à lege: ideoque omnes, qui malo animo odorantur verba fidei, remanent in morte. Sed videamus quid interſit, cùm dicitur lex ſpiritalis, & lex ſpiritus vitæ. Hoc intereſt, quod lex vocatur ſpiritalis, quia præcepta dat, per quæ non peccetur: qui enim non peccat, rectè ſpiritalis dicitur, tanquam æmulus ſpirituum cœleſtium. Lex autem fidei dicitur lex ſpiritus, quia DEVS, cuius fides eſt, ſpiritus eſt. Illic ergo verba ſunt, hîc res: illic quæ DEI ſunt, hîc DEVS ipſe. Sic ille.

Ioan. 4.

8. *Quid ſit lex ſpiritus vitæ.*

Sed nos diſtinctè Apoſtoli verba, verborumque ſententiam perpendamus. Illud, *Spiritus vitæ*, more hebraico dictum eſt, pro eo quod eſt, ſpiritus viuifici, ſiue viuificantis: & eſt periphraſis legis gratiæ, quam SPIRITVS ſanctus renouator, & viuificator mentis humanæ, ſcribit in cordibus, quę inhabitat. Annotauit in commentario huius loci B. Thomas, legem ſpiritus vitæ dupliciter intelligi poſſe. Poteſt enim ea locutione intelligi ſanctus ipſe Spiritus: Lex enim datur, vt homo fiat bonus; ad quod lex conducit dirigendo tantùm hominem ad id, quod bonum eſt, & docendo quid agere, & quid fugere oporteat. At SPIRITVS ſanctus inhabitans hominem, non ſolùm intus mentem illuminat docendo quæ ſunt agenda & fugienda; ſed etiam inclinat voluntatem, & affectū ad benè agendum, ſicut Dominus dixit Ioan.

Ezech. 36. Hierem. 31. S. Thomas.

Ioan.14. *PARACLETVS autem SPIRITVS sanctus, quem PATER mittet, in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumq; dixero vobis.* Poteſt etiam lex Spiritus vitę ſignificare ipſam gratiam, id eſt, fidem, quæ per dilectionem operatur, quæ eſt effectus SPIRITVS ſancti. Hæc enim & docet interius quæ agenda ſunt, ſecundum illud 1. Ioann. cap. 2. *Vnctio eius docet vos de omnibus*, & inclinat voluntatem ad agendum, ſecundum illud 2. ad Corinth. 5. *Charitas CHRISTI vrget nos.* Atq; hæc eſt illa lex noua, quam daturum ſe DEVS in cordibus ſuorum, tempore MESSIÆ promiſit per Hieremiam, & Ezechielem. Apud Ieremiam etenim cap. 31. ſic eſt: *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in cordibus eorum ſcribam eam: & ero eis in DEVM, & ipſi erunt mihi in populum*, &c. Apud Ezechielem verò ſunt hæc verba cap. 36. *Dabo vobis cor nouum, & SPIRITVM meum ponam in medio veſtri: & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum. Et SPIRITVM meum ponam in medio veſtri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea cuſtodiatis & operemini.*

Locus Hieremiæ cap 31. & Ezechielis cap 36.

9\.

Sequitur illud: *In CHRISTO IESV, liberauit me à lege peccati & mortis.* Illud, *in CHRISTO IESV*, referri poteſt tam ad Genitiuum illum, *vitæ*, quàm ad verbum illud, *liberauit*, merito enim ac virtute paſſionis, & mortis CHRISTI, & SPIRITVS viuificans datur homini, & fit liberatio eius à lege peccati & mortis. Sed qua ratione lex Spiritus vitæ, id eſt, CHRISTI gratia liberat hominem à lege peccati & mortis? Dupliciter hoc interpretatur Auguſtinus: vno modo in libro 1. de nuptiis & concupiſcentia ca. 32. quia gratia CHRISTI liberat hominem à concupiſcentiæ reatu, & facit ne praui eius motus imputentur nobis ad culpam, & mortis damnationẽ. Quomodo, (inquit Auguſtinus) liberauit, niſi quia concupiſcentiæ reatum, peccatorum omnium facta remiſſione, lex Spiritus vitæ in CHRISTO diſſoluit, vt quamuis adhuc maneat concupiſcentia, & de die in diem magis magiſq; minuatur, in peccatum tamen non imputetur. Altero modo idem interpretatur, propterea per legem Spiritus vitę, liberari homi-

Quid ſit liberari à lege peccati & mortis, tres interpretationes.

S. Auguſtinus

nem à lege peccati, & mortis, quia per gratiam CHRISTI liberatur à consensu, & obsequio & obedientia concupiscentiæ, ne præualeat ei, atque dominetur. Lex Spiritus vitæ in CHRISTO IESV (ait Augustinus lib. 1. contra duas epist. Pelagianorum, cap. 10.) liberauit te à lege peccati, & mortis, ne scilicet consensionem tuam sibi vindicans carnis concupiscentia, in peccatum te ac mortem pertrahat. Posset etiam per legem peccati, & mortis intelligi lex Mosis, de qua supra dixerat Paulus cap. 7. nos solutos esse à lege mortis, & legem esse mortuam nobis, siue nos esse mortificatos legi: dicebatur enim lex peccati, & mortis, quia cum eam, sine gratia, non seruarent, & implerent homines, tenebat eos peccati, & mortis reos: à quo miserabili statu legis, liberati sunt Christiani per legem Spiritus vitæ in CHRISTO.

S. Augustinus.

10. Caluinus porrò & Beza in huius loci explanatione, primò quidem non male hanc sententiam Apostoli interpretantur: sed mox eam corrumpunt, detorquentes ad illud suum dogma de iustitia imputatiua, falsum nēpe, & à nobis supra satis confutatum. Primum itaque quid sit lex Spiritus vitæ, non inscitè sic interpretantur: Legem, inquit Caluinus, Spiritus vitæ, id est, viuificam, vocat Paulus, Spiritum, qui animum nostrum CHRISTI sanguine aspergit, non tantùm vt à peccati labe emundet, sed vt in veram quoq; puritatem sanctificet. Et Beza: Spiritum, inquit, vitæ intelligo, SPIRITVS sancti efficaciam, qua peccatum, ipsaq; adeo mors mortificatur: denique regenerationis gratiam intelligo, cui opponitur carnis corruptio. Legem autem peccati, & mortis appellat Paulus carnis imperium, & quæ inde sequitur, mortis tyrannidem. Sententia igitur horum Pauli verborum est: Quod lex DEI homines condemnet, eo fit, quia quantisper sub legis obligatione manent, peccati seruitute premuntur, atq; ita rei sunt mortis. SPIRITVS autem CHRISTI, dum carnis cupiditates corrigendo legem peccati in nobis abolet, simul à reatu mortis nos vindicat. Hactenus isti, vt dixi, non male.

Discutitur loci huius interpretatio, quæ est apud Caluinum, & Bezam.

11. Sed ecce, mox adiungunt, quo bene dicta peruertant. SPI-

RITVM

RITVM enim viuificantem, & perfectam sanctitatem, & gratiam efficacem, qua liberantur homines à lege peccati, & mortis interpretantur, non gratiam infusam homini, sed gratiam, & iustitiam, & sanctitatem, quæ est in CHRISTO, prout ea nobis à DEO imputatur, & applicatur; nec est alia, quàm hæc, causa, vt vocatur formalis iustificationis, & sanctificationis hominum, & remissionis peccatorum. Ex parte autem hominis, esse quid inchoatum, & imperfectum, quod vocant studium pietatis, id autem est, timor quidam DEI, & voluntas seruandi legem, & nonnullus conatus in reluctando concupiscentiæ: Sed ista dicunt esse inefficacia, nec vnquam ad plenum effectum peruenire: nec esse causam iustificationis, nec sanctificationis: sed testimonium quoddam siue modũ, coniunctum illum quidem semper cum imputatione & applicatione iustitiæ, & sanctitatis CHRISTI, quæ fit nobis à DEO. Audi lector, istorum verba: Si quis, (inquit Caluinus) obiiciat, venia ergo, qua sepeliuntur nostra delicta, à regeneratione pendet? Facilis solutio est, non assignari causam à Paulo, sed modum tradi duntaxat, quo soluimur à reatu. Negat autem Paulus legis doctrina id nos consequi, sed dum SPIRITV DEI renouamur; simul etiam iustificari gratuita venia, ne peccati maledictio in nos amplius recumbat. Perinde ergo valet hæc sententia, ac si dixisset Paulus, regenerationis gratiam, ab imputatione iustitię non disiungi. Et Beza, post verba, quæ paulo supra memorauimus, subdit: Explico, inquit, ista de reliqua iustificationis nostræ parte, quæ consistit in sanstificatione ipsa IESV CHRISTI, nobis imputata: vt opponat Apostolus legem Spiritus vitæ, quæ in CHRISTI carne est perfecta & absoluta, nostræ illi, quæ, cum in nobis sit inchoata, non potest esse salutis nostræ causa, sed testimonium potius dici debet. Sic isti.

12. Et sententiam quidem istorum de iustitia imputatiua, multis rationibus supra super caput tertium huius epistolæ refutauimus: quod attinet autem ad præsentem locum, satis aperte interpretationem istorum explodit Apostolus verbis illis,

Locus epist. ad Titum cap. 3.

illis, quæ scripsit ad Titum, cap. 3. *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis & renouationis SPIRITVS sancti, quem effudit in nos abunde per IESVM CHRISTVM saluatorem nostrum.* Ecce tibi SPIRITVM regenerationis & renouationis, Paulus non facit eum, qui est in CHRISTO, sed quem DEVS per IESVM CHRISTVM in nos effudit, id est, gratiam datam nobis, & in nobis manentem. Et multis ante Paulum seculis idem prædixerat Hieremias cap. 31. referens illa verba DEI: *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in cordibus eorum scribam eam.* Et paulò pòst subdit: *Propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.* Et Ezechiel cap. 36. *Dabo,* inquit, *vobis cor nouum; & Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini.* Ergo secundum Hieremiam, & Ezechielem, Spiritus DEI, per quem propitiatur peccatis nostris DEVS, & per quem nos seruamus legem DEI: non est Spiritus iustitiæ, quæ est in CHRISTO, & imputatur nobis, sed est Spiritus, qui datur in visceribus nostris, & ponitur in medio nostri, id est, secundum phrasim hebraicam, in nobis ipsis.

TERTIA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Versu 3.

NAM quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, DEVS FILIVM suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis,

qui

qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum Spiritum.

13. HÆC Apoſtoli grauiſſima, & ſanctiſſima verba, quò apertius & plenius Apoſtoli ſententia ſit nota lectori, diſtinctè per partes explananda ſunt. *Nam quod impoſſibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem.* Lex Moſaica vim habebat illuminandi, & erudiendi intellectum, ſed non ſanandi affectum: indicabat morbum animi noſtri, & vnde petenda eius medicina eſſet, quam tamen ipſa dare non poterat. Per illam itaque legem nec prǫterita peccata elui poterant, nec præcaueri futura; nec frenari concupiſcentia, & rationis imperio ſubiugari; nec homo fieri verè iuſtus coram DEO. Vt legem vniuerſam implere poſſet, ac deniq; ad vitam æternam peruenire. Hæc autem omnia præſtitit nobis DEVS per corporalem paſſionem, & mortem FILII ſui, quem ad hoc ipſum perficiendum miſit in mundum. Ergo ſenſus horum Pauli verborum eſt huiuſmodi: Lex vetus demonſtrando peccatum, & quid agere, quid fugere oporteret, conata eſt quodammodo auferre hominibus peccata: ſed infirmata eſt tamen, & defecit in conatu ſuo propter carnalem concupiſcentiam, cui homo ſuccumbens, legis prǫcepta ſeruare non poterat, licet mens eius ſatis eſſet per legem de iis, quæ agenda, & fugienda erant, inſtructa. Huic autem impotentiæ legis DEVS opem attulit, præſtando nobis per FILIVM ſuum, quod lex ipſa præſtare non poterat. Illud: *In quo infirmabatur per carnem.* Significat, legem fuiſſe imbecillam, & inualidam ad iuſtificandum hominem. *Per carnem*, id eſt, propter carnalem concupiſcentiam, quæ repugnans legi DEI, ita præualebat in homine, vt licet is per legem edoctus, videret meliora, probaretque, victus tamen à concupiſcentia tractuſque, deteriora ſequeretur. Huc pertinet quod ſcribit Paulus ad Hebræos: *Nihil ad perfectum adduxit lex.* Ex quo liquidò intelligitur neceſſitas aduentus CHRISTI: qua de re diſertè Apoſtolus diſputat in epiſtola quam dixi, ad Hebræos.

Ad Hebræos. 7.

14. Sequitur: *DEVS FILIVM suum mittens in similitudinem carnis peccati.* Illud: *Carnis peccati*, phrasi hebraica positum est, pro eo quod est, carnis peccatricis siue obnoxiæ peccato. Caro autem hominis, post Adæ peccatum, duobus malis erat obnoxia: tum peccato, atque impuris concupiscentiæ motibus; tum morti, ac multis & variis ærumnis ac miseriis; quæ duo malorum genera, ex Adę peccato humanæ carni acciderunt. CHRISTVS autem Dominus accepit carnem humanam, secundum substantiam quidem, talem omninò, qualis est ceterorum hominum: respectu verò eorum malorum, quæ diximus, partim similem, partim dissimilem. Similem quidem accepit, quia mortalem & passibilem; dissimilem autem, quoniam ab omni peccato tam actuali, quam originali perfectè mundam. Auctor commentariorum in hanc epist. ad Rom. appellatus vulgo S. Hieronymus, explanans hunc locum, ait, CHRISTVM accepisse carnem, in qua erat procliuitas ad peccandum, licet esset ab omni peccato munda; & ob id dixisse Apostolum esse à DEO missum CHRISTVM in similitudinem carnis peccati: Verba eius sunt hæc: Legem hoc loco vocat non præcepta sacrificiorum, & cetera, quæ erant vmbra, vsque ad tempus CHRISTI data: Sed illam, quam Dominus ipse docuit dicens: *Omnia quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis: ista enim est lex, & Prophetæ* Cùm autem ait DEVM misisse FILIVM in similitudinem carnis peccati, demonstrat ante incarnationem fuisse FILIVM, contra Photinum, qui negabat CHRISTVM fuisse ante carnem. Suscepit autem FILIVS carnem, quæ ad peccandum esset procliuior: ipse tamen absque peccato eam suscepit. Et idcirco dicitur venisse in similitudinem carnis peccati. Sic ille. Sed enim quod ait CHRISTVM assumpsisse carnem, in qua erat procliuitas ad peccandum, planè falsum est. Caro etenim CHRISTI, virtute SPIRITVS sancti formata in vtero Virginis, sicut nullum peccatum habuit, aut etiam habere potuit; ita nullum habere potuit fomitem peccati, nullamq; ad peccandum propensionem. Liceret tamen dictum istius Aucto-

Auctoris qui falsò appellatur vulgo S. Hieronymus in epist. ad Rom. falsa sententia.

Ad Hebr. 10.

Matthæi 7.

Auctoris in bonam partem accipere, interpretando ipsum esse locutum de carne CHRISTI non indiuidualiter sumpta, sed specificè, id est, de massa carnis humanæ (vnde sumpta est caro CHRISTI) quæ post Adæ peccatum per se, sicut vitiosa, & infecta est peccato, ita in omnibus, (nisi cui singulare aliquod diuinæ gratiæ priuilegium adfuerit) insitum habet fomitem, & procliuitatem ad peccandum.

15. *In Manichæos negantes Christum habuisse veram carnem humanam.*

Manichæi porrò admodum inscienter atque ineptè, istud Apostoli dictum, venisse CHRISTVM in mundum in similitudinem carnis peccati, detorquebant ad probandum falsum quoddam suum dogma, quo arbitrabantur CHRISTVM non habuisse veram carnem humanam, sed speciem duntaxat quandam & similitudinem carnis humanæ, ad cuius etiam rei confirmationem adferebant illud ex capite 2. epist. ad Philippenses, FILIVM DEI esse factum in similitudinem hominum, & habitu inuentum esse vt hominem. Sed isti non animaduertebant, Apostolum non dixisse hoc loco CHRISTVM venisse in similitudinem carnis, præcisè, sed in similitudinem carnis peccati: Similitudinem itaque non refert Apostolus ad carnem humanam simpliciter, sed ad carnem peccatricem, vt scite aduersus istos argumentatur Basilius in epistola 65. *S. Basil.* Certe Dominus noster veritati carnis suæ, etiam post resurrectionem, iam immortalitate donatæ, fidem adstrinxit certissimam, dicens discipulis suis; *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* *Luca. 24.* Enimuero; si CHRISTVS non habuit veram carnem, sed tantùm carnis similitudinem; nec vera itidem fuisset eius conceptio, nec natiuitas, nec conuersatio cum hominibus, nec passio, nec mors, nec resurrectio, nec Euangelium, nec Sacramenta nostræ salutis, nec fides, nec spes nostra veritatem haberet.

16. *Obseruanda Basilij doctrina.*

Iuuat hîc adscribere extremam partem eius disputationis, quam in ea, quam dixi epistola, in istos, Basilius tractat: valet enim satis non modo ad istos confutandos, sed ad hunc etiam locum illustrandum. Sic autem scribit: Quod isti di-

cunt, in ipsam DEITATEM humanos affectus incidere; eorum est, qui parum compotes mentis existunt: neque sciunt, alios esse affectus carnis, & alios carnis animatæ, & alios animę, quę corpore vtitur. Carnis affectus est secari, vri, dissolui. Carnis animatæ affectus sunt, fatigari, dolere, esurire, sitire, dormire. Animæ corpore vtentis affectus sunt, tristari, gaudere, solicitudines, curæ. Horum aliqua sunt naturalia, & necessaria animanti; alia verò nonnisi ex voluntate praua, quæ scilicet propter vitæ intemperantiam, & neglectum virtutis vsum inuehuntur. Vnde apparet, Dominum nostrum alios naturales affectus ad veritatis confirmationem suscepisse, non autem iuxta imaginationem assumptæ humanitatis. Prauas autem affectiones, quæ puritatem vitæ nostræ inquinant, tanquam immaculata DEITATE indignas, abiecit. Ob hoc enim dictus est, in similitudine natus carnis peccati: non enim dicitur natus in similitudine carnis, vt istis videtur, sed in similitudine carnis peccati: carnem enim vestram cum naturalibus suis affectibus induit, peccatum autem non fecit. Sed quemadmodum mors in carne per Adam ad nos transmissa, à DIVINITATE absorpta est, ita & peccatum per Adam ad nos deriuatum iustitia CHRISTI consumptum est. Quare nos in resurrectione carnem sumemus neq; morti subditam, neq; peccato obnoxiam. Hæc sunt, fratres Ecclesię mysteria: hæ Patrum traditiones. Prædicimus autem nos cuilibet Dominum timenti, & DEI iudicium expectanti, ne variis perperam commoueantur disciplinis. Si quis aliter docet, nec credit sanis fidei sermonibus, sed SPIRITVS oracula contemnens, propriam doctrinam euangelica potiorem statuit, vos talem vitetis. Hactenus ex Basilio. Cum autem DEI FILIVS dicitur esse factus in similitudinem hominum, nomen similitudinis significat similitudinem secundum substantiam specificam, non autem accidentariam tantum & externam quandam speciem & similitudinem hominis, qualem habuerunt tres illi ANGELI, qui apparuerunt Abrahæ. Nam & Genesis 4. dicitur Adam genuisse filium

Gen. 18.

um

um suum Seth ad similitudinem suam, vtiq; substantialem, & non tantùm accidentalem, & externam.

QVARTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS EIVSDEM SENTENTIAE verbis proximè subsequentibus:

De peccato damnauit peccatum in carne.

Versu 3.

ORIGENES libro tertio commentariorum in epistolam ad Romanos, & S. Augustinus libro 2. de consensu Euangelistarum capite 30. annotarunt, moris esse in sacra Scriptura, vt in eodem sermone, atq; adeò etiam in eâdem sententia, idem vocabulum & propriè & figuratè ponatur; exempli gratia: In illis verbis Domini Ioannis 4. *Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum:* priore loco nomen, *aqua*, & verbum, *sitio*, propriè sumuntur: posteriori autem loco, metaphoricè ac figuratè. Et eodem loci paulò pòst, nomen, messis, primò sumitur propriè à Domino, & mox figuratè. Ad eundem igitur modum & hoc loco, cùm Paulus dixit, CHRISTVM de peccato damnasse peccatum in carne; priori loco, nomen peccati nō propriè sed figuratè sumptum, significat hostiam, seu victimam, quæ immolatur pro expiatione peccati: qua significatione dicitur: Leuitici decimo: *Cur non comedistis peccatum in loco sancto?* Sic enim est in hebræo: pro quo latinus interpres reddidit, *hostiam pro peccato*, sicut etiam verterant LXX. interpretes. Consimili etiam significatione eius nominis vsus est Apostolus in capite quinto posterioris epistolæ ad Corinthios scribens de CHRISTO, quem DEVS Pater

17. Origenes. S. Augustinus. Consuetudo scripturæ.

Locus 2. ad Cor. 5.

hostiam fecerat pro expiatione omnium peccatorum humani generis: *Eum*, inquit, *qui peccatum non nouerat, pro nobis peccatum fecit.* Huius porrò significationis perillustre videtur exemplum, illa Domini sententia apud Oseam capite quarto de sacerdotibus: *Peccata populi mei comedent.* Dicuntur autem Sacerdotes, secundum interpretationem Cyrilli, Theodoreti, & Theophylacti, aliorumque complurium peccata comedere, quia hostias à populo pro expiatione suorum peccatorum oblatas comedebant sacerdotes. Quanquam secundum explanationem B. Hieronymi in eo loco, & S. Gregorij in homilia 17. in Euangelia, & S. Bernardi in sermone 77. in Cantica, Sacerdotes comedere peccata populi, est, peccata populi dissimulare, vel etiam fouere, ac laudare, ne amittant vtiles sibi eius oblationes, & corporalia stipendia; sicut Dominus in Euangelio dixit de hypocrita, qui excolant pulicem in aliis, & in se deuorant camelum. Alexander porrò Pontifex huius nominis Primus in sua epistola secunda, quæ refertur 1. Quæstione 1. cap. (Ipsi Sacerdotes) interpretatur, eò dici Sacerdotes comedere peccata populi, quia suis precibus & oblationibus delent ea, atque consumunt. Solet enim scriptura vsurpare verbum comedere pro consumere, vt Psalmo 66. *Quia comederunt Iacob, & locum eius desolauerunt.* Et Hieremiæ 10. *Comederunt Iacob, & deuorauerũt eum, & consumpserunt illum, & decus eius dissipauerunt.*

Quid sit sacerdotes comedere peccata populi triplex interpretatio.

Hieronymus. Gregorius. Bernardus.

Matth. 23.

Verbum comedere in scriptura pro destruere, et consumere.

18. Hoc igitur loco illud, *de peccato*, significat, CHRISTVM obtulisse se hostiam viuentem, & placentem DEO pro peccatis nostris. Contrarius autem est vsus apud Latinos illius vocabuli, *piaculum*, quod cùm propriè significet sacrificium expiationis peccatorum, vt apud Horatium:

Lib 1. Carminum ode 22.

teq; piacula nulla resoluent;

deflexum tamen id nominis est ad significandum scelus & flagitium, vt apud Virgilium:

Lib. 6. Aeneid.

Distulit in seram commissa piacula mortem.

Præpositio illa, *De peccato*, significat modum vel causam, vt si diceres, De barbaro milite Cæsar vicit barbaros: similiter

CHRI-

CHRISTVS de peccato, id eſt, per peccatum, hoc autem eſt, per hoſtiam, ſeu victimam expiatricem peccati, peccatum damnauit, id eſt, reatum concupiſcentiæ ſuſtulit: nam ſecundum phraſim hebraicam, poſitum eſt damnauit, pro aboleuit, extinxit, ſuſtulit. Dicitur autem, CHRISTVM ſuſtuliſſe concupiſcentiam, tum quia reatum eius, & quicquid culpæ eſt in ea, per baptiſmum aboleuit: tum etiam, quia vires eius ita fregit, vt non queat deinceps hominem in ſui aſſenſum, & obſequium pertrahere; & ſecundum mentem, gratia ipſius ſanatam & roboratam, captiuare ipſam. Poſſet etiam nomen peccati generaliter hîc accipi pro vniuerſa peccatorum maſſa humani generis. Eſt præterea & altera quædam interpretatio huius loci: vt illud, *de peccato*, ſignificet peccatum commiſſum in carnem, & vitam corporalem CHRISTI à diabolo inſtigante Iudæos ad eum occidendum: quo eorum peccato vſus eſt DEVS ad deſtruendum peccatum omnium hominum. nam quia diabolus CHRISTVM innocentem, in quem nihil iuris habebat, auſus eſt morti tradere; iuſtiſſimum fuit, vt poteſtatem omnem, & ius, quod in cæteros homines habebat, amitteret. Illud: *In carne*, ſignificat corporalem CHRISTI mortem, & paſſiones, quas in carne ſua pertulit: per hæc enim DEVM nobis placatum, & propitium effecit, noſque à ſeruitute peccati, ac poteſtate diaboli, reatuque mortis æternæ liberauit.

QVINTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Verſu 4.

Vt iuſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum.

HÆC

19. *S. Thomas.*

HÆc Apoſtoli verba. B. Thomas ſic interpretatur: Vt iuſtitia, quam lex promittebat, & quam ex lege ſperabant Iudæi, per fidem, & gratiam CHRISTI perficeretur. Alij verò ita explanant: vt iuſtificatio hominis, quam lex præſcribebat, & exigebat, nec tamen eam plenè homini præſtabat, docendo ſcilicet tantummodo quæ agenda erant, nec ſuggerendo vires homini infirmo ad ea perficienda, impleretur in nobis per gratiam CHRISTI, quæ plenè iuſtificat hominem, nempe illuminando intellectum, & ſanando affectum. Sed hoc loco græcè eſt δικαίωμα, latinè ſignificans ipſa legis præcepta, ſic appellata, vel ꝙ illa obſeruare iuſtum, & debitum ſit homini; vel quòd apud DEVM ſicut Paulus dixit ſuprà cap. 2. Non auditores legis, ſed factores iuſtificabuntur. Hac porrò voce græca ſæpius in Pſalmo 118. appellantur mandata, & præcepta legis. Illud, *in nobis*, idem ſignificat ac per nos, ſiue à nobis. Qui autem ſint, qui iuſtificationem legis impleant, verbis proximè ſubſequentibus declarauit Apoſtolus, dicens: *Qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum.* Ambulare, ſecundum phraſim hebraicam, idem eſt, quod viuere, conuerſari, operari ſecundum carnalia deſideria, & vt ſuggerit appetitus, & concupiſcentia carnis. Id autem eſt, diligere toto cordis affectu, & conſectari bona ſenſibilia, & temporalia, voluptates dico, honores, & diuitias; & in hoc ſummum bonum ſuum ponere; huc omnia ſua referre, ac dirigere, ex aduerſo autem, ſecundum ſpiritum ambulare, eſt, vitam agere, & operari ſecundum legem ſpiritus, & DEI, quæ ſunt contraria rationi, & voluntati DEI fugiendo; quæ ſunt conſentanea, perſequendo; amando, & colendo bona ſpiritualia, fidem, ſpem, & charitatem: per quæ DEVS, qui ſpiritus eſt, à nobis in ſpiritu & veritate adoratur, & colitur.

Ioan. 4.

20. *In hæreticos, qui negant legem Dei poſſe*

Cæterùm hæc Apoſtoli ſententia apertè confutat, valideque profligat ſententiam hæreticorum noſtri temporis, qui negant legẽ DEI poſſe ab vllo mortalium, quamuis ſanctus

ctus & iustus sit, in hac vita impleri. Apostolus enim manifestè docet hoc loco, CHRISTVM ideo per corporalem passionem & mortem suam damnasse peccatum, quod obstabat ne lex ab homine impleri posset; vt sublato peccato, iustificatio legis impleretur à nobis. Quid igitur huic tam euidenti sententiæ Pauli, Caluinus & Beza respondent, cùm in huius loci explanatione versantur? quas videlicet clarissimæ huius veritatis luci tenebras offundunt. Audi quæso lector, & ride satis impudentiam hominum, vel potius eorum peruicaciam, & malitiam deplora. Caluinus, perfricta fronte, negat Paulum hîc docere (quod tamen euidenter docet) CHRISTVM ideo esse mortuum, vt iustificatio legis impleretur à nobis. Qui intelligunt (ait Caluinus) spiritu CHRISTI renouatos, legem implere, commentum à sensu Pauli penitus alienum afferunt: neque enim eo vsque proficiunt fideles, quamdiu peregrinantur in mundo, vt iustificatio in illis plena sit & integra. Ergo hoc ad veniam referre necesse est: quia dum nobis accepta fertur CHRISTI obedientia, legi satisfactum est, vt pro iustis censeamur. Perfectio enim, quam lex exigit, ideo in carne CHRISTI fuit exhibita, ne amplius, ad nos damnandos, vrgeat eius rigor. Propterea verò illud adiecit Paulus: *Qui non secundum carnem, sed secundum spiritum eius ambulamus*, quia iustitiam suam nullis communicat CHRISTVS, nisi quos spiritus sui vinculo sibi coniungit; ne putetur CHRISTVS peccati esse minister. Sic iste. Nec magistro discipulus est dissimilis. Eandem enim cantilenam Beza canens: Condemnauit, inquit, CHRISTVS peccatum in carne sua, id est, nullum in nos ius habere declarauit: propter imputatam enim nobis CHRISTI iustitiam, peccatum pro nihilo habetur, quamuis supersint eius reliquiæ in nobis. Appositè verò illud subiecit Apostolus: *Qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.* Vt intelligamus, quod verissimum est, frustrà de fide, & CHRISTO apprehenso gloriari, qui re ipsa non ostendunt, se CHRISTI spiritus esse participes.

in hac vita impleri etiam à iustis & sanctis.

Caluinus.

ticipes. Hæc igitur iustitia, per CHRISTVM in nobis inchoata, testis est, nos in CHRISTO esse. Atque hæc isti super hoc Apostoli loco, impudenter, fallaciter, & malitiosè scripta reliquerunt.

21. At enimuerò, quod Caluinus vocat commentum alienũ à sensu Apostoli, est ipsissima Apostoli sententia, in hoc loco non apertis modò, sed etiam conceptis verbis ab eo expressa: ait enim, CHRISTVM per passionem, & mortem quam in carne sua pertulit, damnasse, & sustulisse peccatum; quod obstabat ne lex ab homine impleri posset; vt ita iustificatio legis impleretur à nobis. Quid clarius & pro catholica veritate, & contra hæreticam falsitatem dici potuit? Si CHRISTVS, in eum finem, per mortem suam, peccatum sustulit, vt nos impleremus iustitiam legis; nec finis iste vanus fuit; nec frustrà CHRISTVS mortuus est, nec frustrà damnatum ab eo est peccatum: ergo nos iustificationem legis implere possumus. Neque Apostolus dixit, vt iustitia legis, quæ fuit perfecta in CHRISTO, imputaretur nobis, vt nugantur hæretici; sed, vt iustitia legis impleretur à nobis. Deinde, Apostolus declarans qui sint qui iustitiam legis impleant, proximè illud adiunxit: *Qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum:* Sed omnes viri iusti & sancti, qui placent DEO, & in CHRISTO viuunt, & in quibus est SPIRITVS eius, non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum, & vigore spiritus facta carnis mortificant: ergo isti omnes iustitiam legis implent. Audi Paulum hoc ipsum, quod diximus, disertis verbis paulò infrà docentem: *Qui autem*, inquit, *in carne sunt, DEO placere non possunt: vos autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen SPIRITVS DEI habitat in vobis. Si quis autem SPIRITVM CHRISTI non habet, hic non est eius. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Cùm itaque Apostolus dicat, legem impleri ab iis, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum, necesse est, alterutrum horum hæreticos dicere; aut legem impleri posse in hac vita à viris iustis,

iuſtis, quod Catholici ſentiunt, & ipſi negant; aut nullum eſſe hominem, qui ſecundum ſpiritum ambulet, & non ſecundum carnem; & quod ſecundum Apoſtoli dicta neceſſariò conſequens eſt, neminem eſſe hominum, etiam regeneratorum, & iuſtificatorum, qui placeat DEO, & in quo ſit SPIRITVS eius, & qui viuat in ipſo, nec æterna morte damnandus ſit: quæ quidem nec ipſi concedunt hæretici, & Catholici penitus execrantur. Verùm iſtiuſmodi hæreticorum dogmata, & ſuprà ſunt à nobis ſæpius diſcuſſa, & infrà non ſemel nobis idonea dabitur occaſio eadem refutandi.

SEXTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Ipſe enim SPIRITVS teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filij DEI.

Verſu 16.

22.

ILLA particula (enim) indicat, hæc verba continere declarationem, & probationem eius, quod proximè anteceſſit; quod videlicet in lege euangelica per CHRISTVM accepimus ſpiritum adoptionis filiorum, DEVM ipſum, vt patrem noſtrum inuocantes. Id autem nobis innoteſcit, & conſtat ex teſtimonio, quod SPIRITVS DEI perhibet ſpiritui noſtro, teſtificans nos eſſe filios DEI. Pro illo, *teſtimonium reddit*, græcè eſt vnicum verbum συμμαρτυρεῖ, latinè ad verbum ſignificans (conteſtatur) qua voce Eraſmus, & Caietanus arbitrantur denotari geminum teſtimonium; alterum SPIRITVS ſancti, alterum verò ſpiritus noſtri; vtroque teſtifican-

te nobis interius, non esse filios DEI. Quidam verò geminum hoc testimonium sic interpretantur, hominem iustum ex illo testimonio SPIRITVS sancti consignato sacris litteris: Quod DEVS facienti quod in se est, non denegat gratiam: Et quod DEVS diligit eos, qui diligunt ipsum: Et quod qui seruant sermones & mandata DEI, DEVS ad ipsos veniat, & in eis mansionem faciat: & item ex testimonio proprij spiritus sui testificantis, hominem facere quod in se est: diligere DEVM super omnia: seruare mandata eius: ex hoc, inquam, vtriusque spiritus testimonio agnoscit, & credit, & confidit vir iustus, se esse filium DEI. Verùm tamen quia nullus veterum in istis Apostoli verbis duplex testimonium significari intellexit, sed tantummodo vnum esse testimonium, quo SPIRITVS sanctus persuadet spiritui hominis iusti, ipsum esse filium DEI: similius vero est, Paulum verbum compositum posuisse pro simplici, contestatur pro testatur, vt aliàs non rarò.

Prou. 8.
Ioan. 14.

23. Memoratu digna est explanatio huius loci, quam in suis commentariis tradit Caietanus his verbis: Testimonium hoc, quod SPIRITVS sanctus reddit simul cum spiritu nostro, quod sumus filij DEI, internum esse significatur ex eo, quod ab vtroque interno spiritu perhibetur non aliis, sed nobis ipsis. Et quoniam testimonium hoc non est de possibili, quod possimus esse filij DEI, sed est de facto, quod iam simus filij DEI; ideo donum speciale est: nam testimonium quod possimus esse filij DEI, inter communia testimonia filij comprehenditur. Et nullius testimonij effectus est, videre, seu scire rem testificatam, ad id enim non testimonium inducitur, sed lumen aut ratio euidentiam faciens: Testimonium verò inducitur ad hoc, vt res testificata credatur, & vt videatur esse credenda. Quocirca ex hoc testimonio SPIRITVS sancti, quod sumus filij DEI, non intelligas, hominem per id videre, aut scire se esse filium DEI; sed ad credere, & videre sibi esse credendum. Media porrò, quibus vtitur SPIRITVS sanctus in testimoniũ, quod sumus filij DEI, sunt regulariter duo.

duo. Alterum est amor DEI promptus ad obsequendum SPIRITVI sancto, quem efficit SPIRITVS sanctus in iis, qui SPIRITV DEI aguntur: alioqui non agerentur SPIRITV DEI, nisi fortè ad momentum. Alterum est experta continuatio diuinæ gubernationis, custodiendo à damnabilibus, subinde illustrando, inspirando, excitando, mouendo, fauendo, & huiusmodi. Nam cum experimur tam promptè nos diligere DEVM, & tali tantaq; cura gubernari nos à DEO, testimonium à SPIRITV sancto, & à nostro habemus sufficientissimum ad hoc, vt credamus quod sumus filij DEI; nam ex hoc testimonio clarè videmus credendum nobis esse quod sumus filij DEI. At si non tantùm profecimus vt testimonium hoc habeamus à SPIRITV sancto, studeamus, & curemus efficere in nobis promptitudinem exequendi quæ Spiritus sunt, & mortificandi quæ carnis & mundi sunt, ne desimus gratiæ tanti testimonij. Et Caietani quidem super hoc Apostoli loco huiusmodi est disputatio.

24. *S. Thomas.*

S. Thomas in. 1. 2. quæst. 12. art. vlt. docet neminem in hac vita, citra specialem DEI reuelationem, posse infallibili certitudine certum habere se in DEI gratia esse: nam testimonium hoc SPIRITVS sancti testificantis interius alicui ipsum esse DEI filium, interpretatur ipse non esse aliud, nisi persuasionem quandam coniecturalem, aliquibus signis comparatam; eo quod sentiat se delectari rebus diuinis, & res mundanas contemnere: & quia non est conscius sibi alicuius peccati mortalis: & huc referri posse ait illud quod scriptum est Apocal. ca. 2. *Vincenti dabo manna absconditum, quod nemo scit nisi qui accipit.* Qui enim accipit gratiam, sentit eius in se præsentiam, per aliquam experientiam dulcedinis spiritualis, quam non sentit, qui gratiam non habet. huiusmodi tamen notitiam affirmat esse imperfectam, nec omnino certam homini, quippe cum Apostolus dixerit 1. ad Corinth. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Potest tamen quispiam per singularem DEI reuelationem, plane certior fieri, quod habet in se gratiam DEI. Id porrò DEVS reuelat aliquando

Locus Apocal. cap. 2.

nonnullis viris ſanctis ex ſpeciali priuilegio, vt ſecuritatis gaudium etiam in hac vita in eis incipiat, & confidentius, & fortius magnifica opera perſequantur, & mala præſentis vitæ ſuſtineant; ſicut Paulo dictum eſt 2. ad Corinth. cap. 12. *Sufficit tibi gratia mea.* Hæc ex S. Thoma.

25. Teſtimonium igitur quod perhibet Spiritus in cordibus iuſtorum, non eſt verbum SPIRITVS ſancti dicentis iuſto: Tu es filius DEI, quemadmodum teſtatus eſt PATER de CHRISTO. *Hic eſt FILIVS meus dilectus*: Sed teſtimonium eius non eſt aliud, niſi experientia quædam diuinæ gratiæ, & quaſi guſtus quidam ſpiritualis præſentis gratiæ; ſicut B. Petrus dixit 1. epiſt. cap. 2. *Si tamen guſtatis, quoniam dulcis eſt Dominus.* Et Dauid inquit; *Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt Dominus.* Verùm quoniam iſta experientia & guſtus, eſt circa ſingularia, circa quæ facile eſt, nec rarò contingit, falli homines; vereq; dixit Medicorum princeps Hippocrates, (experimentum fallax) ideo non poteſt huiuſmodi teſtimonium, omnino ſecurum ac certum de ſua gratia facere hominem iuſtum.

Matth 3 & 17.

Pſalm. 33.

26. Et vt omittam alia, ſunt plurima in particulari peccata, quæ pauci norunt eſſe peccata, vt ob id Dauid dixerit: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuo.* Caietanus 1.2. quæſt. 109. art. 8. ait, poſſe tripliciter fieri, vt quis ſit in peccato: Primò quidem ſciens eſſe peccatum, & ipſum volens: Deinde, volens quidem, ſed ignorans eſſe peccatum, ignorantia tamen craſſa, & inexcuſabili: Poſtremò, nec ſciens, nec volens: vt ſi quis nec ſibi conſcius ſit vllius peccati mortalis: reuera tamen in ipſo ſit peccatum aliquod occultum, quod nec ipſe actu velit, nec tamen deteſtetur, quia non nouit. Difficile præterea eſt diſcernere, quo fine quis operetur: num omnino ſincere propter DEVM: eſt enim fallax, & admodum occultus amor ſui. Vnde Beda ſuper illa Domini verba. Lucæ 18. *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur.* Si quid, inquit gratia tua languente fecero, quo fine id faciam, quaue diſtrictione penſetur à te, prorſus ignoro, &

Locus Pſal. 18.

Tribus modis aliquem in peccato eſſe poſſe.

Beda.

B. Augu-

B. Augustinus in libris de ciuitate DEI: Nonnunquam, inquit, sunt apertissima vitia, quæ aliis vitiis vincuntur occultis, quæque putantur esse virtutes, in quibus regnat superbia, & quædam sibi placendi altitudo ruinosa.

S. Augustinus

SEPTIMA DISPVTATIO.

Super eisdem Apostoli verbis: & super opinione quorundam Catholicorum Doctorum arbitrantium posse quempiam in hac vita, etiam citra specialem reuelationem DEI habere cognitum & certum, ea certitudine, cui falsum subesse non queat, se in gratia DEI esse.

HAC Pauli sententia, & quibusdam aliis diuinæ Scripturæ locis, quidam Catholici doctores probare, & persuadere voluerunt, posse in hac vita nonnullos maxime spirituales, sanctosq; viros, citra specialem DEI reuelationem, certò nosse, certitudine, inquam, cui falsum subesse non possit, se DEI gratiam habere. Huius sententiæ inter scholasticos Theologos superiori seculo fuit Ioannes de Barchone Carmelita, & in hac ætate nostra Ambrosius Catharinus, inter Theologos, & scriptores huius temporis minime incelebris; qui scriptis suis editis prodiderunt, posse iustos aliquos viros partim ex iis quæ à DEO reuelata, & sacris litteris tradita sunt, partim ex iis, quæ in se ipsi sentiunt, & longa experientia habent comperta vere certeq; cognitum, & persuasum habere in se esse inhabitantem SPIRITVM sanctum: & ad id probandum huiusmodi afferunt Scripturæ testimonia.

27.

Ioannes de Barchone.

Ambrosius Catharinus.

Prin-

28. *Sex testimonia Scripturæ pro certitudine gratiæ.*

Principiò, videtur hoc ipsum apertè Apostolus docere hoc loco, dicens: *Ipse SPIRITVS testimonium reddit Spiritui nostro, quod sumus filij DEI.* Quis autem nesciat SPIRITVS sancti testimonium, esse certissimum, & vt vocant, infallibile, credique dignissimum? Deinde, huc facit illud Pauli 2. ad Cor. 1. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* Nulla porro esse posset solida iusti hominis gloria, si eius testimonium conscientiæ incertum esset, ac dubiæ veritatis. Eodem spectat illud eiusdem Apostoli 1. ad Corinth. 2. *Accepimus SPIRITVM qui ex DEO est, vt sciamus quæ à DEO donata sunt nobis.* Quasi infusio SPIRITVS sancti certos faciat iustos de gratia, quam à DEO acceperunt. Ad eiusdem item rei confirmationem valet quod legitur in cap. vlt. posterio. epist. ad Corinth. *Vos ipsos tentate, si estis in fide, ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos, quia CHRISTVS in vobis est? nisi forè reprobi estis.* Quibus verbis indicat Apostolus, potuisse Corinthios deprehendere, an CHRISTVS in ipsis esset, hoc est, an CHRISTI gratiam haberent. Illud præterea opinionem hanc videtur adiuuare, quod in cap. 3. 1. epist. scripsit B. Ioannes: *Carissimi,* inquit, *si cor nostrum non reprehenderit nos; fiduciam habemus ad DEVM, & quicquid petierimus, accipiemus à DEO, quoniam mandata eius custodimus, & ea, quæ sunt placita coram eo, facimus.* Ergo pax, & tranquillitas conscientiæ, manifestum est, certumq; indicium, & argumentum, eum, qui talem habet conscientiam, in DEI gratia esse. Nec deniq; illud omittendum hoc loco est, quod legitur apud B. Petrum in ca. 1. poste. epist. eius, illis verbis: *Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* B. Petrus his verbis docet, solicita exercitatione bonorum operum posse hominem efficere, vt certa sibi fiat sua vocatio, & electio, & iustificatio. Atque hæc sunt Scripturæ testimonia, quæ, ad eius opinionis comprobationem, videntur conducere. Adferunt præterea isti ad idem probandum, nonnullas rationes. Sed nos, qui non scholasticam Theologiam tractamus, sed interpretamur sacras litteras, & eiusmodi quæstiones eatenus explicamus, qua-

quatenus ad loci alicuius Scripturæ accuratam pertinent intelligentiam, rationibus istorum ad præsens prætermissis, sententias duntaxat Scripturæ ab ipsis allatas pensitabimus.

29. *Refellitur supradicta sententia.* *Argumentatio B. Thomæ.*

Ac nos quidem communem Patrum, & Theologorum sententiam libenter secuti, istorum opinionem falsam esse arbitramur. Ad quam sanè refellendam satis idonea, & fortis videtur ratio, qua vsus est S. Thomas in 1. 2. quæst. 112. art. vlt. Hoc enim modo argumentatur. Tripliciter aliquid cognosci potest: vno modo per reuelationem DEI, & ita nonnullis sanctis ex speciali priuilegio, certè notum fecit DEVS, ipsos esse in DEI gratia. Altero modo cognoscere potest homo aliquid per seipsum, & id dupliciter, vel certitudinaliter, vel coniecturaliter. Et certitudinaliter quidem nullus potest scire se habere gratiam; quia non potest certitudo haberi de aliquo, nisi possit sciri per proprium eius principium; sicut conclusiones demonstratiuę, certo sciuntur per earum principia indemonstrabilia. Principium autem gratiæ, & obiectum eius, est ipse DEVS; qui propter sui excellentiam, est nobis ignotus, secundum illud Iob 36. *Ecce DEVS magnus, vincens scientiam nostram.* Quocirca præsentia DEI in nobis, & absentia, per certitudinem cognosci non potest, secundum illud Iob 9. *Si venerit ad me non videbo eum: Si autem abierit, non intelligam.* Non igitur homo potest per certitudinem iudicare vtrum ipse habeat gratiam DEI. Tertio modo cognoscitur aliquid coniecturaliter per aliqua signa: & ita aliquis cognoscere potest, habere se gratiam DEI, ex eo quod sentit se delectari in DEO, & res mundanas contemnere, & ex eo quod non est sibi conscius alicuius peccati mortalis. Ad quod posset referri quod scriptum est in Apocal. cap. 2. *Vincenti dabo manna absconditum, quod nemo nouit, nisi qui accipit.* Sed ista cognitio tamen imperfecta est; vnde Apostolus dixit 1. ad Corinth. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* quia vt dicitur in Psalm. 18. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine.* Atq; hæc est argumentatio & probatio S. Thomæ: quæ, vt dixi, videtur mihi admodum firma, & probabilis.

30. *Fortis ratio & argumentatio contra certitudinem gratiæ. Quadruplex certitudo cognitionis.*

Hoc ipſum prætereà ad hunc modum argumentari, & confirmare poſſumus. Certitudo, vt vocāt, infallibilis, quod aliquis ſit in gratia DEI, ſi haberi poſſet in hac vita, aliquo horum quatuor modorum haberi deberet: aut per lumen naturale ſenſus vel intellectus, quoniam id euidens eſſet vel ſenſui, vt albedo præſens ſano oculo, & medio illuminato, vel intellectus, vt veritas primorum principiorum, & concluſionum, quæ ex illis principiis euidenti conſequentia colliguntur: & hoc modo nemo dicit, nec dici poteſt, ſcire aliquem poſſe ſe eſſe in gratia DEI. Alter modus certitudinis infallibilis, eſt per lumen fidei catholicæ, per quod certo creduntur, quæ à DEO reuelata ſunt, & propoſita omnibus credenda, vt DEVM eſſe TRINVM & VNVM: & hoc etiam modo non poteſt certum eſſe alicui ſe eſſe in gratia, quia ſic alij etiam omnes deberent idem credere; nam quæ per fidem catholicam creduntur, ab omnibus ſimiliter credi debent, ob id enim appellatur fides Catholica, quòd ea pertineat ad omnes. Tertius modus infallibilis certitudinis, eſt certo aliquid credere per ſpecialem quampiam DEI reuelationem factam alicui, tali enim reuelationi, cum ea ſit à DEO, falſum ſubeſſe non poteſt. At qui ſententiam iſtam, quam nunc refellimus, tenent, ac tuentur, affirmant, ſcire poſſe aliquem ſe in gratia eſſe, citra ſpecialem DEI reuelationem. Eſt demùm quartus & vltimus modus certitudinis infallibilis, per lumen fidei infuſæ inclinantis hominem ad particularem quampiam veritatem credendam: quod tunc euenit, cum ex vna propoſitione per fidem cognita, & altera propoſitione per naturalem euidentiam rationis aut ſenſus comperta, certò aliquid cognoſcitur. Exempli gratia, ex illa propoſitione, quæ eſt de fide, CHRISTVM fuiſſe verum hominem, & altera illa per naturalem rationem euidenter nota, quòd omnis homo ſit riſibilis; euidenter concluditur, & cognoſcitur, CHRISTVM etiam fuiſſe riſibilem. Et hoc modo arbitrantur illi Auctores poſſe aliquem ſcire ſe in gratia DEI eſſe: Primò quidem ex illa propoſitione ſecundum fidem certa, di-

gno

gnè facienti quod in se est, & suorum peccatorum pœnitenti, DEVM gratiam suam dare: & item eum, qui diligit DEVM, diligi à DEO, & in ipso DEVM manere. Huiusmodi autem actus pœnitentiæ, & dilectionis potest quis euidenter in seipso experiri, & sentire: quare ex priori illa propositione secundum fidem credita, & posteriori hac per euidentem suorum actuum experientiam comperta, homo iste certitudine infallibili credere poterit se in gratia DEI esse.

31. *Ex nullis actibus bonis, quos in se quis experitur potest certitudinem habere præsentis in se DEI gratia.*

Sedenim istum modum non esse possibilem, nec posse quempiam ex actibus virtutum, quas experitur in seipso, infallibili certitudine credere se DEI gratiam habere; probatur tripliciter: Primò, quia actus virtutum diuinitus homini infusarum, & virtutum similium ab homine acquisitarum, sunt adeò similes inter se, vt certò internosci non queat, proueniant ne à principio diuino, an humano. Exempli causa, si quis fidelium, vnum aliquem duntaxat fidei articulum credere desinat, haud dubiè fidem infusam amittit: is tamen, eadem qua prius certitudine, & secundum fidem diuinam videtur sibi reliquos articulos, ita vt antea credere. Idem potest dici de actu dilectionis DEI, qui potest prouenire ex magna quadam facilitate acquisita producendi actum dilectionis, cùm quis habens infusum charitatis habitum, assiduè actum dilectionis exercebat. Præterea, simul cum istiusmodi actibus qui videntur ex gratia prouenire, non repugnat, esse in homine aliquod peccatum mortale occultum, & latens ipsum, cuius tamen ignorantia non sit inuincibilis, nec excusabilis. Postremò, omnes illi actus, & pœnitentiæ, & dilectionis DEI, & obseruationis mandatorum eius, & vincendi graues tentationes, & faciendi egregia aliqua virtutum opera, etiam sine gratia DEI iustificante & sanctificante hominem, possunt fieri per speciale aliquod DEI auxilium, etiamsi non sit homo ab omni peccato mortali mundus.

32. *Concilium Tridentinum.*

Ac Patres quidem in Concilio Tridentino, in Decreto quod fecerunt de iustificatione, videntur non obscurè id ipsum sensisse, & decreuisse, nam in cap. 9. eius Decreti, hæc

 sunt

ſunt eorum verba: ſicut nemo pius de DEI miſericordia, de CHRISTI merito, & de Sacramentorum virtute, atq; efficacia dubitare debet: ita quilibet, dum ſeipſum, ſuamq; propriam infirmitatem, & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare & timere poteſt; cum nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui nō poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam DEI eſſe conſecutū. Hæc verba non ſolum valere aduerſus inanem & ſtolidam hæreticorum noſtri temporis fiduciam atque iactantiam ſuæ iuſtificationis, ſed etiam pertinere ad confutationem ſupradictæ opinionis Catholicorum ſcriptorum, & contextus ipſorum verborum ſatis oſtendit, & copioſè demonſtrat, valideq; probat Andreas Vega ſuper illo capite eius Decreti, in libro ſuo nono, capite octauo.

Andreas Vega.

OCTAVA DISPVTATIO.

Explicantur diuinæ Scripturæ teſtimonia quæ ſupra ſunt poſita, & ad ſupradictæ opinionis confirmationem, à defenſoribus eius adferri ſolent.

33.

PRIMVM teſtimonium fuit ſententia illa B. Pauli, quæ eſt in hoc loco, & nunc à nobis tractatur: *Ipſe enim SPIRITVS teſtimonium reddit Spiritui noſtro, quod ſumus filij DEI.* Teſtimonium autem SPIRITVS ſancti proculdubio certiſſimum eſt, & ſine vlla dubitatione credendum: Ad hoc reſpondemus, teſtimonium quod SPIRITVS ſanctus perhibet nobis, quod ſimus filij DEI, eſſe quidem per ſe certiſſimum atque indubitabile, vtpote à SPIRITV ſancto, qui eſt SPIRITVS veritatis, proueniens: nobis tamen iſtud teſtimonium non eſt certò compertum,

Ioan. 16.

pertum, esse à SPIRITV sancto, sed tantum id probabilibus coniecturis, & signis, vel summum, certitudine quadam morali nobis est cognitum. Eiusmodi autem testimonium SPIRITVS sancti, quo persuadetur viris iustis ipsos esse in gratia DEI, pro maiori, minoriúe profectu in vita spirituali, & in studio, cultuque virtutum, magis, minusúe clarum datur à SPIRITV sancto, qui nouit optimè omnia moderari, & suauissimè, & accommodatissimè pro cuiusque merito, atque vtilitate, in tempore atque opportunè disponere ac dispensare. Aliquando enim SPIRITVS sanctus testimonium suum probabiliter tantùm facit notum homini; aliquando certum facit certitudine humana & morali: aliquando etiam certitudine fidei diuinæ, per specialem aliquam videlicet ipsius reuelationem.

34. *Locus 2. ad Corinth. 1.*

Alterum testimonium erat illa Pauli sententia 2. ad Corinthios 1. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*, nō posset autem esse solida gloria, & gaudium homini, si huiusmodi testimonium conscientiæ non esset certum, & fallax esse posset. At enim quo vir iustus spiritualiter gloriari, & lætari, & confidere, & tranquilla ac tuta conscientia esse possit; satis est, testimonium, quod ei reddit cōscientia eius, habere probabilem, vel moralem quandam certitudinem, nec ei occurrere quidquam, quod probabilem, & idoneam rationem adferat de eo dubitandi. Etenim vel par, vel minor etiam certitudo de testimonio humano, solet nobis, in rebus humanis, gloriandi, & gaudendi, fidendique causam adferre. Tertium testimonium fuit ductum ex illis verbis Apostoli 1. ad Corinthios 2. *Accepimus SPIRITVM, qui ex DEO est, vt sciamus quæ à DEO donata sunt nobis.* Ergo SPIRITVS sancti infusio, certos facit iustos de gratia, quam à DEO acceperunt. Respondemus, Apostolum loqui eo in loco de notitia diuinæ gratiæ, quæ singulari munere DEI ipsis Apostolis, qui futuri erant vniuersæ Ecclesiæ doctores, atque pastores, reuelata est. Vel loquitur Paulus de beneficiis communiter vniuerso generi humano partim iam datis à DEO,

Locus 1. Cor. cap. 2.

& partim promissis, beneficia dico redemptionis, vocationis, iustificationis,& glorificationis.

35. *Locus 2. ad Corinth. cap. Vlt.* Quartum testimonium sumptum est ex capite vltimo posterioris epistolæ ad Corinthios vbi Paulus ait: *Vosmetipsos tentate, si estis in fide, ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos, quia CHRISTVS IESVS in vobis est? nisi forte reprobi estis*, quibus verbis Apostolus indicat, potuisse Corinthios certò cognoscere an CHRISTVS in ipsis esset, & an ipsi essent in fide,& gratia CHRISTI. Sed illud, *CHRISTVM esse in nobis*, interpretandum est ita, vt Caietanus & alij interpretantur, de præsentia scilicet CHRISTI, per miraculosos fidei effectus, & per donum linguarum, vel prophetiæ, vel per sensibilem SPIRITVS sancti missionem, vel per euidentem DEI animaduersionem & punitionem, quam experti fuerant in suo illo homine incestuoso. Vel Paulus hortatur Corinthios, vt animaduertant & considerent, an CHRISTVS sit in ipsis, id est, an retineant puram & sinceram fidei doctrinam, quam primitus ab ipso Paulo acceperant; an verò, tanquam reprobi, eam perdiderint, & noxiis erroribus, prauisque moribus contaminauerint, atque corruperint. Sed, esto, iusserit Paulus Corinthios seipsos diligenter explorare, & dispicere, an essent in gratia CHRISTI, nec ne: non tamen necesse est, id referre ad cognitionẽ omninò certã, qualis nempe ex certitudine fidei diuinæ proficiscitur; sed ad eam cognitionem, quæ per humanas, & probabiles coniecturas, vel etiam per certitudinem moralem haberi potest. Nec Paulus eo loci, si attentè verba eius pensitentur, loquitur absolutè, sed cum conditione mox illud adiungens, *nisi fortè reprobi estis.* certum autem est in homine Christiano, qui non est reprobus, id est, qui propter peccata sua mortalia non meretur à DEO deseri, & gratia eius spoliari, habitare CHRISTVM per gratiam.

36. *Locus 1. Ioan. 3.* Quintum testimonium sumptum est ex illis verbis beati Ioannis: *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad DEVM, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata*

data eius custodimus, & quæ sunt placita coram eo facimus. Ergo nullius peccati conscientia, certum facit hominem, quod homo sit in Dei gratia. Sed Apostolus Ioannes non ait, ex eo quod nos conscientia non reprehendat, gigni in nobis certitudinem, quod simus grati & accepti DEO, sed gigni fiduciam eius rei: fiducia verò ad voluntatem pertinet, certitudo autem ad intellectum. Ad huiusmodi porrò fiduciam animis nostris ingenerandam, satis est humana probabilitas, & certitudo moralis: ob similem namque probabilitatem & certitudinem, solemus & aliis hominibus, & nobis ipsis vehementer confidere. Cæterùm quàm fallax sæpè sit eiusmodi fiducia, & securitas conscientiæ, satis constat multorum exemplo, qui cùm sceleratissimi sint, absq; vllo tamen morsu conscientiæ, lætantur & exultant in rebus pessimis, nec solùm ipsi non benè viuunt, sed etiam alios probè ac piè viuentes insectantur; arbitrantes se obsequium præstare DEO.

Prou. 2.

37. *Locus 2. Pet. 1.*

Sextum, & vltimum testimonium perhibent illa verba B. Petri: *Satagite vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis.* Quibus verbis Princeps Apostolorum docet, assidua, & perseueranti bonorum operum effectione fieri posse homini certam vocationem, & iustificationem eius. Ad hoc multis modis respondere possumus. Principio, dicimus, assidua exercitatione hominis in bonis operibus certam ei posse fieri iustificationem eius, non tamen certitudine fidei diuinæ, cui nullo modo falsum subesse potest, sed humana quadam, & morali certitudine. Nam si quis omninò contendat, sanctum Petrum illis verbis loqui de certitudine diuinæ fidei, cùm id non solùm dicat de vocatione, vel iustificatione nostra, sed etiam de electione & prædestinatione ad vitam æternam: necessum esset fateri, posse hominem iustum in hac vita habere, citra specialem DEI reuelationem, certam suæ prædestinationis cognitionem: quod tamen nullus istorum Catholicorum doctorum arbitratur. Deinde, sciēdum

est,

est, pro illa voce latina, *certum*, esse in eo loco vocem græcam *βεβαίαν*, quæ significat firmam, & ratam, & stabilem: quo significatur, non deficere nos in vocatione nostra, sed constanter in ea permanere; id verò efficitur maximè perpetuo studio virtutum, & vsu atque effectione bonorum operum. Atque hoc ipsum spectans B. Petrus, mox adiunxit illud: *Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.* Et paulò pòst: *Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum.* Nec illud hîc tacendum est, græca scholia, ita eum locum interpretari, vt nullo modo istorum Doctorum opinioni suffragari possit: Certam, aiunt, facite aliis hominibus vocationem, & electionem vestram, vt illi integritatem vitæ vestræ, probitatemque morum, & innocentiam, atque præstantiam bonorum operum liquidò cernentes, agnoscant, & fateri cogantur, vocationem & electionem vestram, hoc est, disciplinam fidei & religionis Christianæ, ad quam vos à DEO vocati & electi estis, & quam ipsi colitis atque profitemini; esse veram, & sanctam, & à DEO profectam.

NONA DISPVTATIO.

Quanta certitudine posit quispiam in hac vita, habere, citra specialem DEI reuelationem, cognitum & certum se in DEI gratia esse.

38. *Triplex certitudo.*

ANTE alia scire lectorē conuenit, triplicem à Theologis & Philosophis distingui certitudinem. Nam vna est non quidem in veritate rei, quæ creditur, sed tantùm in existimatione, & persuasione eius qui credit. Hac nempe ratione & hæretici, & Pagani firmissimè

ſimè credunt eſſe vera & certa quæ ipſi de ſua religione & fide ſentiunt: cùm ea tamen non modò non ſint certè vera, ſed etiam falſa ſint, & rectæ rationi contraria. Verum enim eſt, quod ſcitè dixit Ariſtoteles 7. Ethicorum cap. 3. eſſe nonnullos, qui nihilo minorem iis, quæ opinantur, quàm alij iis quæ ſciunt, fidem habeant: quod Heracliti exemplo & argumento confirmat. Altera eſt certitudo in ipſa re quæ creditur, non tamen in aſſenſu ac perſuaſione eius, qui credit eam rem. huiuſmodi certitudo eſſet in eo, qui articulis fidei Catholicæ, quæ indubitabilem per ſe habet certitudinem, infirmum, & vacillantem adhiberet aſſenſum. Tertia demùm certitudo eſt; tam in veritate rei quæ creditur, quàm in perſuaſione, aſſenſuq; credentis: hanc porrò certitudinem habet, qui perfectam rei cuiuſpiam ſcientiam tenet; & qui firmiſſimè, atque, vt oportet, credit articulis fidei Catholicæ. De hoc autem tertio certitudinis genere loquimur in hac diſputatione.

Ariſtoteles.

39. Illud prætерea, quod propriè attingit huius diſputationis explicationem, ſciendum eſt, certitudinem cognitionis, aliam eſſe diuinam, & ſupernaturalem, & aliam eſſe naturalē, atque humanam. Supernaturalis & diuinæ certitudinis duo ſunt gradus: vnus eſt inferior, & fidei infuſæ, per quam certò aſſentimur iis, quæ à DEO reuelata ſunt, licet euidentiam eorum non habeamus. Alter gradus certitudinis eſt ſuperior, immò ſupremus atque perfectiſſimus, per claram & beatificam viſionem DEI, atque eorum omnium, quæ in hac vita per fidem infuſam credebamus: quæ quidem viſio ſummam habet cognitionis certitudinem cum ſumma coniunctam euidentia. Sed neuter iſtius certitudinis gradus facit ad præſentem diſputationem. Naturalis verò certitudinis triplex eſt gradus; vnus eſt per ſenſum, qui circa proprium obiectum ſuum (ſi tamen adſint omnia, quæ ad rectè ſentiendum adeſſe oportet) certitudinem habet atque euidentiam. Alter gradus eſt per intellectum, & hic rurſum eſt duplex, vel circa concluſiones, quæ ex primis principiis demonſtratiuè

Triplex certitudo, diuina, naturalis, & humana: & harum eſſe gradus.

inferuntur, & est certitudo scientiæ: vel est circa ipsa prima principia indemonstrabilia, & per se nota, quorum cognitio vocatur intellectus. Sed neque isti tres gradus certitudinis pertinent ad eam certitudinem, de qua nunc disputatur, an quispiam certus esse queat se in gratia DEI esse. Restat igitur certitudo humana, propriè ad hāc disputationem pertinens, & quæ est infra certitudinem tam supernaturalem, & diuinam, quàm naturalem, de quibus dictum est. Eius autem triplex est gradus, & vnus est infimus, pertinens ad humanam opinionem, qua, licet certè credimus aliquid esse verum, non omnimoda tamen certitudine, sed cum formidine oppositi: & huiusmodi certitudinem nemo negat virum iustum de sua gratia habere posse. Alter gradus certitudinis humanæ superior isto est, cùm ita certo credimus aliquid esse verum, vt de eo nequaquam dubitemus: non quia non videamus posse dubitari, & posse nos falli, cùm veritas eius rei nitatur humana fide, & signis atque argumentis minimè necessariis; sed quia nulla tunc nobis occurrit idonea, & probabilis causa dubitandi de ea re: & quia si id vocaretur in dubium, posse itidem alia, quæ pro certis habentur, in dubium verti: quare imprudentis, & stolidi hominis esse ducitur, ea non nisi cum dubitatione credere. Huius generis sunt: Qui sacros ordines dispensant, qui Baptismum ministrant, qui EVCHARISTIAM conficiunt, eos legitimam habere potestatem & intentionem ista faciendi, certò credimus, licet aliter esse posse non ignoremus. Quapropter Innocentius Tertius cap. Veniens, de Presbytero non baptizato: Qui, inquit, ex Christianis parentibus natus, & ab ortu suo inter Christianos fideliter est educatus atque conuersatus; tam euidenter præsumitur fuisse baptizatus, vt hæc præsumptio pro certitudine habenda sit, nisi euidentissimis argumentis contrarium probaretur. Et plerique quidem omnes Theologi concedunt, huiusmodi certitudine posse quempiam in hac vita cognitum & persuasum habere, se in DEI gratia esse.

Innocent. III.

Tertius

40. Tertius & ſupremus gradus certitudinis humanæ eſt, qua creditur id eſſe verum, quod omnium hominum conſenſu & approbatione verum & certum habetur, vt eſſe vrbem Conſtantinopolim, vel Alexandriam; vel eſſe regionem quandam Indorum ſiue Hiſpanorum: quamuis enim hæc multi non viderint, nemo tamen eſt ſanæ mentis, qui id non certo credat. Nam quamuis ex natura rei non habeant iſta neceſſariam, & infallibilem veritatem, nulla enim repugnantia eſt, etiam omnes homines aut falli, aut fallere; ſicut maxima eſt repugnantia, DEVM, cuius reuelantis auctoritate nititur certitudo fidei diuinæ, aut fallere, aut falli poſſe: adeò tamen id certum habetur, vt de eo dubitare inſani hominis eſſe videatur. Arbitratur porrò in ſupradicti libri noni ſui capite quadrageſimo ſexto Vega, poſſe virum iuſtum non ſolum priores duos gradus, ſed etiam hunc tertium certitudinis humanæ habere de ſua gratia: atque adeo certum eſſe de gratia ſua, vt omni careat prorſus formidine & hæſitatione: licet enim non ignoret ſuam illam certitudinem eſſe infra certitudinem fidei diuinæ (quod in proximè ſequenti capite probat ipſe tribus argumentis) & iccirco non eſſe prorſus infallibilem, & cui nullo modo falſum ſubeſſe queat: attamen quia plurima & clariſſima habet indicia, firmiſſimaque argumenta SPIRITVS ſancti per gratiam in ſe habitantis; nihil autem habet, quod ſecundum rationem, hanc ſuam certitudinem infirmet; idcirco id credit indubitanter.

Andreas Vega quantam putet haberi poſſe ab homine de ſua gratia certitudinem citra Dei reuelationem.

41. Ruardus Tapperus, Decanus Louanienſis, vir in hac ætate noſtra, non ſolùm egregia ſacræ Theologiæ doctrina, verùm etiam ſincera probitate ac pietate percelebris, arbitratur, ſupradictam Vegæ ſententiam, problematicè defendi poſſe; negat tamen illam certitudinem eſſe parem certitudini diuinæ, quippe cùm pro illa nemo auderet iurare, aut mortem oppetere. Quocirca Innocentius Tertius de Purgatione Canonica, capite vltimo, temeritatis arguit Epiſcopum quendam, qui iureiurando affirmaſſet, ſe purum

Sententia Ruardi.

esse ab iis criminibus, de quibus fuerat infamatus: propterea quod diceret ea sibi per Pœnitentiæ Sacramentum fuisse remissa; cùm tamen B. Iob dixerit: *Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.*

9.

42. Et quia non tædebit, vt opinor, lectorem, Tapperi verba legisse; nec me piguit, hoc in loco ea adscribere. In tractatu articuli noni super hac ipsa, de qua nunc disputamus, quæstione, hunc in modum scribit: In hoc scholastici omnes conueniunt, quod omnimoda certitudo gratiæ à nobis haberi non potest: sed probabiliter eam assequi licet per aliqua signa, quæ tanto sunt certiora, quò sunt clariora, & manifestiora. Aliquando autem tam aperta sunt, vt nulla formido, nulla vacillatio coniuncta sit huiusmodi cognitioni. Nam firmam ac certam huius rei cognitionem, ex temeritate quoque concipere possumus, sicut hæretici firmius aliquando suis adhærent erroribus, aut pari certè firmitate atque Catholici articulis fidei. Dixi, omnimodam certitudinem præsentis gratiæ in nobis, cui falsum subesse non potest, citra reuelationem specialem haberi non posse, omnibus enim argumentis & signis, & experimentis præsentiæ gratiæ, non repugnat falsum subesse: nec etiam repugnat, eum, qui istis modis certus est de sua gratia, in suo iudicio falli: propriũ est enim fidei Catholicæ, siue reuelationis diuinæ, quod falli non possit, qui ei assentitur.

[Tap]peri verba.

43. An verò qui diu multumq; in vitæ sanctimonia exercitati sunt, & in studio, cultuque virtutum perfecti, sine reuelatione aliqua DEI, tantùm ex testimoniis Scripturæ, & ex quibusdam signis, & experimentis visitationum SPIRITVS sancti, possint, nulla temeritate, sed iusta ratione certitudinem habere quod sint in DEI gratia, non quidem infallibilem, sed quæ sit tamen sine metu & formidine vlla, ne fortasse non ita sit, vt ipsi putant, hoc, inquam, inter Doctores Catholicos controuertitur, & videtur esse quæstio problematica, vtrimque probabiliter disputabilis. Nam Concilium

Tri-

Tridentinum, solùm definiuit, quod nullus scire potest certitudine fidei, cui falsum subesse non potest, se in DEI gratia esse. Andreas Vega docet partem affirmatiuam esse veram, quòd scilicet viri sancti talem certitudinem habere queant, non solùm fiduciæ & affectus; sed etiam notitiæ. Habent enim illi clarissima indicia, & argumenta efficacissima præsentis in ipsis gratiæ DEI: & nulla occurrit ipsis causa probabilis dubitandi de ea re, vel formidandi oppositum: nec in eo vlla contingit eis temeritas. Verùm si iudicarent, se falli non posse, nec aliter esse posse quàm ipsi credunt, magna profecto esset temeritas: eo quod argumenta, quibus nituntur, certitudinem istam non conuincant: quæ quidem certitudo quamuis multo sit inferior certitudine fidei, quia tamen à sententiis Scripturæ pendet, ideo fides, quæ est virtus infusa, mediate ad illam inclinat. Si porrò accedat confidens voluntas, illa magis formare potest assensum: sed non adeo, vt liceret pro ea veritate, quod scilicet sit quis in gratia DEI, aut iurare, aut mortem subire: in quo est differentia ab assensu fidei. Hactenus ex Tappero: cuius mihi iudicium & sententia probatur.

44. Nec verò suspicetur quispiam supradictam Catholicorum Doctorum de certitudine gratiæ sententiam, vel eandem esse vel affinem ei sententiæ, quam hæretici nostri temporis iactant de certitudine, & fiducia remissionis peccatorum per fidem factæ, quam nos supra in 19. earum disputationum quas tractauimus super cap. 3. huius epist. copiose refutauimus. Est autem inter hanc sententiam Catholicorum Doctorum de certitudine gratiæ, & illam hæreticorum, quadruplex differentia. Primum enim differunt, quia Doctores isti Catholici illam certitudinem gratiæ non cuilibet Christianorum attribuunt, sed paucissimis, iisque maxime spiritualibus & perfectis viris; hæretici verò omnibus per CHRISTVM iustificatis inesse; immo necessariam esse ad obtinendam peccatorum remissionem affirmant. Deinde, Catholici nolunt istam certitudinem de gratia sua prouenire ac pende-

Quadruplex differentia inter sententiam supradictam de certitudine gratiæ & errorem hæreticorum.

re à ſola fide, vt putant hæretici, ſed potiſſimùm à charitatis feruore ac perfectione, & diutina in ſtudio virtutum, aſſiduaque bonorum operum exercitatione. Adhæc nolunt Catholici, propter hanc certitudinem remitti homini peccata, vt cenſent hæretici: quinimo aiunt, eam certitudinem longè poſt remiſſionem peccatorum, homini iam in via ſpirituali diu, multumq; verſato accidere. Poſtremò Catholici non arbitrantur: huiuſmodi certitudinem pendere ſolùm à DEI promiſſionibus, ſed magna etiam in parte ab hominis cooperatione.

DECIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Verſu 18.

EXISTIMO enim quod non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.

45.

PROXIME antè dixerat Apoſtolus: *Si tamen compatimur, vt & conglorificemur.* Ne quem autem magnitudo, & multitudo malorum, quæ, id temporis, patiebantur Chriſtiani, & multo magis poſtea erant paſſuri, deterreret, & in perſeueranti fidei confeſſione debilitaret; protinus adiecit Paulus hæc verba: *Exiſtimo enim, quod non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, &c.* Quorum hic eſt ſenſus: Dum mecum reputo & penſito afflictiones, quas in hac vita patiuntur iuſti & pij homines, eaſq; comparo cum futuræ vitæ gloria, quæ pro illis rependenda ipſis eſt: liquidò cerno, afflictiones illas nullo modo illi gloriæ eſſe comparabiles. Quicquid enim hic patimur, qualecumque, & quantumcumque ſit, nullius profectò eſt momenti, ſi cum illius gloriæ cœleſtis immenſitate, æternitate-

rateq; conferatur. Consimilis huius sententiæ est altera illa eiusdem Apostoli in 4. capite poster. epist. ad Corint. *Id quod in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ; supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

46. Nec verò putet quispiam negare voluisse his verbis Apostolum, bona opera iustorum, esse condigna merita futuræ gloriæ: cum id ipsum pluribus aliis in locis apertè, affirmateque doceat, appellans eam, mercedem, & coronam iustitiæ reddendam viris iustis à DEO iusto iudice. Illud enim hoc loco agit Paulus, vt ostendat, passiones iustorum hominum non esse comparandas cum æterna vita. Licet enim, quantum ad dignitatem hominis iusti operantis, qui est filius DEI, & membrum CHRISTI viuum, & templum SPIRITVS sancti, ex eo accipiant opera eius veram rationem meriti, vt vocant de condigno: Si tamen istiusmodi opera, & vita æterna, comparentur inter se, vel quantum ad durationem, vel quãtum ad sensum doloris, quem passiones inferunt, & sensum, gaudij ac lætitiæ, quo in cœlis beati afficiuntur; hac, inquam, ratione, passiones iustorum non sunt condignæ futura gloria. Hoc porrò non aduertentes, aut malitiosè dissimulantes hæretici, tollunt è medio cuncta iustorum merita; nec vident, cum id volunt ex hoc Apostoli loco argumentari, eodem planè argumento ipsos etiam CHRISTI merita tollere; quippe cum passiones, quas CHRISTVS Dominus in corpore suo pertulit, quantum ad durationem, non fuerint condignæ magnitudine & æternitate eius gloriæ, quæ pro illis reddita est ipsi. Sed contra istos hæreticos multa diximus in quadam disputatione super extremis illis verbis cap. 6. *Gratia DEI, vita æterna.*

2. Tim. 4.

1. Cor. 6. & supra cap 3.

47. Annotauit hoc loco Caietanus, non dixisse Apostolum, passiones huius temporis non esse condignas ad pœnas temporales pro peccatis remissis luendas; id enim verum non esset, & aduersaretur illi sententiæ Iob, cap. 7. *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior in statera: quasi arena maris hæc grauior appareret.* Nec Paulus dixit,

Caietanus.

xit, passiones iustorum non esse condignas meritoriè ad futuram gloriam, id enim aduersaretur veritati,& doctrinæ ab ipso in aliis locis traditæ. Sed præcisè dixit, non esse condignas respiciendo scilicet ad breuitatem, & leuitatem mali, quod inferunt. B. Thomas in huius loci commentario ait, his verbis Apostoli indicari ea, quæ futuræ gloriæ & felicitatis excellentiam declarant. Primò etenim vocans eam (futuram) ostēdit æternitatem eius: nam sicut quod est in præsenti tempore, determinatam habet durationem, immo etiam breue est: ita, quod post hanc vitam futurum est, interminatam habet durationem: significatur præterea, non esse quærendam homini in hac vita felicitatem, sed expectandam in futura vita. Deinde dicens, *gloriam*, demonstrat excellentiam nostræ felicitatis: Solent enim homines, vt quique sunt nobilissimis ingeniis, excelsissimisq; animis, ita auidissime, & flagrantissimè concupiscere gloriam, vt quæ inter humana bona principatum tenere videatur. Ad hæc, dicens, *reuelabitur*, significat felicitatem illam cœlestem, quæ sanctos viros manet post hanc vitam, per se esse inuisibilem & incomprehensibilem homini: Sed DEVS singulari munere suo, menti creatæ eam reuelat, manifestans ei ESSENTIAM suam clarè videndam; & ad videndum eam eleuans intellectum per lumen gloriæ, quod ei largitur. Hæc autem gloria nunc occulta est in conscientia iustorum, & tanquam in radice, in eorum meritis virtute continetur. Postremò adiungens illud pronomen, *in nobis*, ostendit gloriam illam fore solidam, & permanentem, nec solùm in animis nostris, sed etiam in corporibus inhærentem; nec talem, qualis est huius mundi gloria, pendens à rebus externis & fluxis, atq; caducis, vt sunt diuitiæ, & principatus atq; imperia; vel ex fama & existimatione hominum plerumque fallaci atque instabili.

S. Thomas.

48. Ceterùm nos celeberrimam hanc Apostoli sententiam latius per partes explanemus, appositis ad eam illustrandam, aliquot præclaris Patrum sententiis. *Non sunt condignæ.* Dicitur in Scriptura aliquid esse dignum, vel condignum aliqua re,

Quid in Scriptura propriè significet vox dignum siue condignum.

re, quod habet in se sufficiens, & iustum pretium aut meritum acquirendi, aut habendi eam rem. Hac nimirum significatione sumitur ea vox Genes. 23. in illis Abrahæ verbis: *Pecunia digna tradat eam mihi* (speluncam) *coram vobis in possessionem sepulcri.* Dignam dixit, quæ iustè deberet satisfacere domino illius speluncæ, vt eam venderet; & quæ æquaret pretium, & æstimationem speluncę. Secundum eandem significationem sæpe alibi idem nomen vsurpatur, vt Tobiæ 12. *Pater, quam mercedem dabimus ei* (Raphaëli Angelo) *aut quid dignum poterit esse beneficiis eius*? Et Matth. cap. 3. *Facite fructum dignum pœnitentiæ.* Et Paulus dixit 1. ad Timoth. 5. *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur: maximè qui laborant in verbo, & doctrina.* Et mox subiungit. *Dicit enim Scriptura: Dignus est operarius mercede sua.* Et in Apocal. cap. 5. de CHRISTO scriptum est: *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, &c.* Hac itaq; significatione etiam hoc loco dixit Apostolus: Non esse condignas passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: istis verbis significans videlicet, multo fore maiorem gloriam, quæ reddenda nobis est post hanc vitam, pro malis, quæ in hac vita pro CHRISTI nomine patimur. Mala enim breui tempore finiuntur: gloria verò illa perdurabit sine fine: neq; tantum mala nos cruciant, quãtum nos gloria illa delectabit, tum propter eius perpetuitatem, tum propter inæstimabilem iucunditatis eius & dulcedinis, & voluptatis exuperantiam.

Locus Matthæi cap. 3.

Matth. 10. Lucæ 10.

49. Sequitur illud: *Passiones huius temporis.* Nominauit passiones sanctorum, potius quàm alia eorum bona opera, vt misericordiæ, continentiæ, pietatis, aliarumq; virtutum, quòd illæ propter asperitatem & acerbitatem, & repugnantiam humanæ naturæ, naturaliter eas auersantis & perhorrescentis, præcipuam habeant meriti rationem, & copiosissimam in cœlo mercedem, secundum illam Domini sententiam, discipulis suis, qui propter ipsum multa passuri erant, dicentis: *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.*

Locus Matthæi cap. 5.

Voluit etiam præcipuè Apostolus commemorare passiones, & futuram eorum mercedem, ad consolationem, & confirmationem videlicet Christianorum, qui multis eo tempore, magnisq; propter fidei Christianæ professionem, atq; confessionem malis affligebantur. Valebat enim plurimum ad minuendam & demitigandam eorum quæ patiebantur, acerbitatem, si cognitum, & penitus persuasum haberent, tantam in cœlis fore passionum suarum mercedem, vt passiones omnes, quibus ea comparanda erat, non solùm eis tolerabiles videri deberent, sed etiam optabiles & concupiscendæ. Hæc porrò de paruitate, ac leuitate passionum Apostolo præcipienti, fides omnino habenda erat: quippe qui super omnes grauissimis malis & à Iudæis, & à Gentibus fuerat affectus, immò de eo prædixerat Dominus Ananiæ. *Ego ostendam illi, quanta oporteat eũ pro nomine meo pati.* Et hoc bene perpẽdens, in quodam sermone de verbis Apostoli, ita scribit B. Augustinus: Ipse Paulus, qui patiebatur, & sciebat, pro cuius nomine patiebatur, & quo fructu patiebatur, dixit: *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, qua reuelabitur in nobis.* Sæuiat mundus, fremat mundus, increpet linguis, coruscet armis, quicquid potest faciat: quid faciet denique, ad id, quod accepturi sumus? Appendo quod patior cõtra id quod spero: hoc sentio, illud credo; & tamen plus valet quod credo, quàm quod sentio. Quicquid est quod sæuit, & quod quis patitur pro nomine CHRISTI, si potest vinci, tolerabile est: si non potest vinci, migrare hinc nos facit; nec extinguit, sed accelerat. Quid accelerat? ipsum quod expectamus præmium, ipsam dulcedinem, quæ cum venerit, sine fine erit. Opus cum fine, merces sine fine. Sic ibi Augustinus.

Act. 9.
Locus Actuum 9.
S. Augustinus.

50. Nec solùm passiones omnes, quas sancti Martyres, aliique viri iusti pertulerunt, nequaquam componendæ sunt æternæ felicitatis gloriæ; verum etiam si omnia huius vitæ, ac mundi mala, & tormenta in vnum aliquem hominem conferrentur, quin etiam si is Gehennæ ignem ad tempus aliquod toleraret, non deberet id omne, videri nimis magnum

preti-

pretium comparandi futuram illam gloriam. Audiat lector diserte hoc ipsum confirmantem in ser. 2. de festo omnium Sanctorum B. Augustinum his verbis: De cœlesti autem Rege dicere vox nulla sufficit: effugit enim omnem sermonem, atq; omnem sensum humanæ mentis excedit decus illud, illa pulchritudo, illa virtus, illa gloria, illa magnificentia, illa maiestas. Vltra enim omnem Sanctorum est gloriam, ipsorum Regis inæstimabilem aspicere conspectum, & splendore maiestatis eius irradiari. Si quotidie oporteret nos tormẽta perferre, si ipsam Gehennam paruo tempore tolerare, vt CHRISTVM videre digni essemus in gloria venientem, & Sanctorum eius numero sociari, nonne erat dignũ pati omne quod triste est, vt tanti boni, tantæq; gloriæ participes haberemur?

S. Augustinus.

Notabilis Augustini sententia.

51. Appositè verò Paulus passiones vocauit huius temporis, gloriam autem, quæ est merces earum, dixit futuram; vt ostenderet, passiones vna cum præsenti vita finiri, & breues admodum esse; earum verò mercedem, vna cùm futuræ vitæ æternitate interminabilem fore. De quo S. Augustinus admiratur ineffabilem DEI prouidentiam & benignitatem, qui passiones esse in hac vita voluit, vt cito finirentur: gaudia verò & præmia passionum, in futura vita, vt interminabilem haberent durationem. Sic enim scribit in serm. 37. de Sanctis: Ineffabilis & immensa DEI bonitas etiam hoc prouidit, vt laborum quidem tempus, & agonis non extenderet, nec æternum aut longum faceret, sed breue, & vt ita dicam, momentaneum. Vt in hac quidem breui & exigua vita agones essent & labores; in illa vero quæ æterna est, corona & præmia meritorum: vt labores quidem cito finirentur; meritorum verò præmia, sine fine durarent, & post huius mundi tenebras visuri essent candidissimam lucem, & accepturi maiorem cunctarum passionum acerbitatibus beatitudinem, testante hoc Apostolo, vbi ait: *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.*

Ineffabilis DEI prouidentia et benignitas circa passiones, & præmia Sanctorum.

S. Augustinus.

52. Sequitur illud: *Ad futuram gloriam.* Quæ erit (Augustinus inquit loco supradicto) illa iustorum gloria, quàm grandis

Qualis sit illa futura gloria ex Augustino.

Matthæi 13. Sanctorum lętitia, cum vnaquęq; eorum facies, fulgebit tanquam Sol; cum ordinibus distinctis, populum suum Dominus in regno PATRIS sui cœperit recensere, & meritis atque operibus singulorũ præmia promissa restituere, pro terrenis cœlestia, pro temporalibus sempiterna, pro minimis maxima præstare: adducere sanctos in visionem paternæ gloriæ, & facere in cœlestibus consedere, vt sit DEVS omnia in omnibus: æternitatemq; amatoribus suis & immortalitatem largiri; atq; eos quos sanguinis sui viuificatione reparauit, denuò ad Paradisum reducere, & regna cœlorum, fide & veritate suæ promissionis, aperire? Hæc firmiter hæreant sensibus nostris; hæc toto corde diligantur; hæc indesinentium operum magnanimitate acquirantur.

Ad Ephes. 2. 1. Ad Cor. 15.

53. Restat illud: *Reuelabitur in nobis.* Nunc futura illa gloria nobis occulta, & abscondita est; quamobrem non ita vt oporteret, nos ad sui amorem efficaciter mouet: Si autem clarè videremus eam, incredibile studium sui flagrantissimumq; amorem in animis nostris excitaret, atq; incenderet. Quemadmodum sanctus Patriarcha Iacob, quia viderat pulchritudinem Rachelis, tam ardenter amabat eam, vt sicut ait Scriptura, septem anni durissimæ seruitutis, viderētur ei dies pauci, præ amoris magnitudine. S. Bernardus in sermo. 33. super cantica explanans versiculum illum Psal. 90. *Non timebis à timore nocturno.* Timor, inquit, nocturnus dicitur, vel quia nox in Scripturis designare solet aduersa, & mala: vel quoniam præmium, propter quod aduersa pati aggredimur, nondum est nobis reuelatum. Si enim dies ille luceret, in cuius lumine pariter & labores, & præmia videremus; timor omnino quorumuis laborum nullus esset præ desiderio præmiorum: dum clara luce appareret, quoniam *non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Nunc verò quoniam abscondita sunt hæc ab oculis nostris, & nox est interim in hac parte; ideo tentamur à timore nocturno, & pro bonis quæ non videmus, formidamus quæ in præsentiarum sunt aduersa tolerare.

Genes. 29

S. Bernardus.

Sed

Sed quomodo futura illa gloria reuelabitur in nobis? Manifestabit seipsum DEVS nobis, suamque ESSENTIAM, immensum scilicet omnis boni, atque gaudij, & gloriæ pelagus, clarè videndam intellectui nostro præsentabit; prius tamen mirabiliter, quasi oculum mentis nostræ, quo solùm videri potest DEVS, sanando, & mundando, & per gloriæ lumen eleuando, vt ad tale tantumque obiectum clarè, &, vt dici solet, intuitiuè videndum, idoneus & potens esse queat. Ad hanc sententiam ita scribit B. Augustinus super Psalmo trigesimo. Quæ erit futura gloria nostra, nisi æquari ANGELIS, & videre DEVM? Quantum boni præstat cæco, qui oculum illi sanauerit, vt videat hanc lucem? quantumlibet enim det, quid dabit tale, quale ille præstiterit ipsi? Aurum dabit: at ille lucem præstitit, sine qua videat ille, si potest, in tenebris aurum suum. Quid ergo dabimus nos medico illi, oculos interiores mentis nostræ sananti ad videndum quandam lucem æternam, quæ est ipse DEVS? Quid illi dabimus? Quæramus, inueniamus, si possumus; & in angustiis inquisitionis nostræ exclamemus: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?*

54. *Quomodo futura illa gloria reuelanda sit in nobis.*

Psalm. 115.

Hæc porrò Apostoli sententia plurimum valuit ad roborandos sanctorum Martyrum animos, vt tot, & tanta, quæ patiebantur tormenta, non solùm patienti & constanti animo, sed etiam lubenti, gaudentique perferrent. B. Augustinus in sermone quadragesimo quarto de Sanctis, qui est sermo primus de vno Martyre: Gloriosus, inquit, (CHRISTI athleta) futuram coronam, ac gloriam in agone suo attendens, non exhorruit carceres: ad imitationem capitis sui tolerauit opprobria, sustinuit irrisiones, flagella non timuit: & quot, ante mortem, pro CHRISTO pertulit supplicia, tot ei de se obtulit sacrificia. Quod enim propinante Apostolo biberat, altè retinebat: *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Huius itaque promissionis amore à terrenis suspensus & prægustata supernæ suauitatis dulcedine ineffabiliter affectus, dicebat

55. *Hæc Pauli sententia, & doctrina quantũ valuerit in Sãctis ad malorũ tolerantiam.* *S. Augustinus.*

Psalm. 72. cum Psalmista: *Quid mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum: DEVS cordis mei, & pars mea DEVS in æternum.* Contemplabatur enim (quantum in ænigmate humana fragilitas oculum mentis in æternitate potest defigere) quanta sint supernæ ciuitatis gaudia: & ea narrare non sufficiens, admirando clamabat: *Quid mihi est in cælo?* Quasi diceret: Excedit vires meas, excedit facultatem eloquentiæ meæ, excedit capacitatem intelligentiæ meæ illud decus, illa gloria, illa celsitudo, qua nobis à cõturbatione hominum remotis, in abscondito faciei suæ IESVS CHRISTVS reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Huius perfectæ libertatis contemplatione nullum vitabat periculum, nullum horrebat supplicium; & si millies posset mori, non putabat se tantam gloriam dignè posse aliqua ratione promereri. Hæc Augustinus. Alia porrò, quæ in tractatu huius loci pertinent ad controuersiam hoc tempore agitatam inter Catholicos, & Hæreticos de meritis bonorum operum; propriè sunt à nobis explicata in Disputatione XI. super caput VI. huius epistolæ.

Ad Philip. 3.

VNDECIMA DISPVTATIO.

EXPLICATVR PRIMA INTERPRETATIO illorum verborum Apostoli:

Text. 19. & sque ad 23.

Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum DEI expectat. vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe: quia & ipsa creatura libera-

berabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum DEI. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque ad huc.

56.

HVNC locum perobscurum esse & perdifficilem ad explicandum, & vidit, & ingenuè confessus est B. Augustinus in libro octogintatrium Quæstionum, in tractatu quæstionis sexagesimæ septimæ. Obscuritatem autem facit creaturæ nomen præcisè positum hîc à Paulo: eius namque multiplex & ambigua est in sacris litteris significatio, & vsurpatio: vnde promanauit etiam magna interpretationum huius loci varietas. Ac primò quidem creaturæ nomen præcisè sumptum significare potest omne quod non est DEVS: quicquid enim est, & DEVS non est, cùm à DEO factum sit, haud dubiè creatura est. Hac itaque significatione nomen creaturæ & ANGELOS, & homines, & creata omnia, quæ carent ratione, comprehendit. Secùndum hanc significationem scriptum est in libro Iudith capite 16. *Tibi seruiat omnis creatura tua: quia dixisti, & facta sunt: misisti spiritum tuum, & creata sunt, & non est qui resistat iræ tuæ.* Et in Apocalypsi capite 3. *Hæc dixit testis fidelis & verus, qui est principium omnis creaturæ DEI.* Ad hanc porrò significationem eius verbi, voluerunt quidam referre locum hunc Apostoli. Et quia erat arduum, plura huius loci verba ad istam significationem applicare & accommodare, præsertim verò de angelicis spiritibus interpretari; conati sunt Pauli verba hunc in modum explicare. Dicuntur ANGELI subiecti esse vanitati, & seruituti corruptionis, non suæ videlicet, sed hominum, præsertim autem electorum. Omnes enim, ipso teste Apostolo, sunt administratorij spiritus propter eos, qui hæreditatē capiunt salutis: multa nempe in vsus hominū legim⁹ fecisse ANGELOS, ceterôqui

S. Augustinus.

Genes. 1.
Psalm. 148.

Ad Hebr. 1.

satis

satis vilia,& abiecta: vt de Angelo Raphaële in libro Tobiæ. Illud verò: *Ingemiſcit, & parturit*, ſiue vt habet alia lectio, *dolet*, aiunt eſſe poſitum figuratè, & dictum eſſe de ANGELIS ad exprimendum eorum ſummum deſiderium perfectæ liberationis, & glorificationis hominum electorum. Si enim Dominus noſter, vt refert Lucas in Euangelio, dixit, gaudere ANGELOS ſuper vno peccatore pœnitentiam agente: conſequens eſt, eos quoque triſtitia, & dolore affici propter hominum delicta, & propter dilationem glorificationis electorum, per quam ruinæ ipſorum reparandæ ſunt.

Lucæ 15.

Pſalm. 109.

57. *Theodoretus.*

Theodoretus hanc interpretationem ex parte aliqua ſequitur. Verba etenim Apoſtoli vſque ad illud: *Scimus quia omnis creatura ingemiſcit*, interpretatur de creatura corporali, vt diſtinguitur ab homine, & ANGELO: ſequentia autem verba putat, etiam de ANGELIS neceſſariò interpretanda eſſe; quoniam Apoſtolus generaliter dixit: *Scimus quia omnis creatura ingemiſcit*. Ponam hîc Theodoreti verba ſic per partes locum hunc interpretantis: *Expectatio creaturæ reuelationem filiorum DEI expectat.* Nonne videtis, inquit Apoſtolus, cœlum, terram, mare, ſolem, & omnem, quæ videtur creaturam, & quæ præterea ſub viſum non cadunt, Angelos, Archangelos, Poteſtates, Dominationes? hæc omnia veſtram perfectionem expectant: *Vanitati enim creatura ſubiecta eſt non volens, ſed propter eum qui ſubiecit eam in ſpe.* Vanitatem appellat corruptionem & interitum, quod clarius mox dicturus eſt, dicens creaturam liberatum iri à ſeruitute corruptionis. Docet porrò his verbis Apoſtolus, omnem creaturam viſibilem, mortali eſſe natura præditam: præuidit enim DEVS Adami tranſgreſſionem, & propter eam hominem factum iri mortalem. nõ erat autem conſentaneũ, nec iuſtũ, vt creatura corporalis, quæ propter hominem erat facta, immortalis eſſet, ipſo homine, cuius cauſa erat facta, mortali, & paſſibili. Verùm cùm homo per reſurrectionem accipiet immortalitatem, illa quoque tunc incorruptionem aſſequetur. Dicit ergo, quod creatura expectat hanc mutationem

Theodoretus.

tionem hominis: mutabilis enim facta eſt, non ſua ſponte, ſed CREATORIS decreto, qui talem eſſe voluit eam propter hominem. Cùm autem videt, DEVM tantam hominis curam agere, capit etiam ipſa ſpem ſui mutationis in melius, & liberationis à ſeruitute corruptionis. Hæc autem Apoſtolus dixit de creatura corporali; non quidem volens ſignificare ipſam eſſe præditam ratione: ſed vtens figura orationis, quæ vocatur Proſopopœia, quæ frequēs eſt in Prophetis, dicentibus, pinus gemere, ligna exultare, montes exilire, & flumina plaudere. Quod autem ſequitur: *Scimus quia omnis creatura ingemiſcit*, etiam ad ANGELOS pertinet. Nec mirum videri debet: DOMINVS enim dixit, ANGELOS qui in cœlis ſunt, gaudere ſuper vno peccatore pœnitentiam agente: cōſequens autem eſt, ſi gaudent ANGELI propter ſanctificationem peccatorum, etiam triſtari eos & dolere propter hominum delicta. Hactenus ex Theodoreto.

Lucæ 15.

58.

Refutatio ſupradicta interpretationis.

S. Auguſtinus.

Hanc interpretationem antiquiorem eſſe Theodoreto, illud claro eſt indicio, quòd eam commemorat atq; improbat S. Auguſtinus, nec omninò tamen damnare audet. Nam in eo libro, in quo explanat complures huius epiſtolæ ſententias, in quinquageſimo numero ita ſcribit: Quod Apoſtolus dixit, creaturam vanitati eſſe ſubiectam, & ſeruituti corruptionis, & omnem creaturam ingemiſcere, & dolere; ſic intelligendum eſt, vt neque ſenſum gemendi, & dolendi opinemur eſſe in arboribus, & oleribus, & lapidibus, cæteriſq; huiuſmodi creaturis, hic enim error Manichæorum eſt: neque ANGELOS ſanctos vanitati ſubiectos eſſe arbitremur, eoſq; putemus liberatum iri à ſeruitute interitus, cùm interituri vtique non ſint, ſed omnem creaturam in ipſo homine ſine vlla calumnia cogitemus. Latius docet hoc ipſum in libro octogintatrium quæſtionum, & in explicatione quæſtionis 67. Cùm enim ſuam loci huius interpretationē expoſuiſſet, ſubdit: Hoc capitulū, ſi hoc modo, vt tractatum eſt, exponatur, nō incidemus in illas moleſtias, quib. pleriq; homines dicere coguntur, oēs ANGELOS, ſublimeſq; virtutes in dolore, & gemitib. eſſe ante manifeſtationē gloriæ filiorum DEI;

quoniam Apoſtolus dixit, omnem creaturam ingemiſcere & dolere. Quamuis enim ANGELI nos adiuuent, dum obtemperant DEO, qui pro nobis etiã vnicum FILIVM ſuum dignatus eſt mittere: tamen ſine gemitu & doloribus id facere credendi ſunt, ne miſeri exiſtimentur, feliciorq; ſit de numero hominũ Lazarus ille, qui iam in Abrahæ ſinu requieſcit. Præſertim verò, quia dixit Apoſtolus, eãdẽ creaturam, quæ congemiſcit, & dolet, vanitati eſſe ſubiectam, quod de ſummis & excellentib. virtutum, & poteſtatum creaturis nefas eſt credere. Dixit præterea, eam liberandam eſſe à ſeruitute corruptionis; quò Angelos cecidiſſe, qui in cœlis agunt vitam beatiſſimam, non poſſumus credere. Nihil tamen temerè affirmandum eſt: ſed pia diligentia etiam atq; etiam verba diuina tractanda ſunt; ne fortè quæ congemiſcit & dolet, & vanitati ſubiecta eſt, poſſit aliquo modo alio intelligi, vt de ſummis ANGELIS, quãdiu noſtræ infirmitati, iuſſu Domini noſtri opitulantur, non impiè poſſit exiſtimari. Sed ſiue illa, quã executi ſumus, ſiue aliqua alia huius capituli expoſitio proferatur: id tantùm cauendum eſt, ne violet, aut vulneret Catholicam fidem. Hæc Auguſtinus.

Lucæ 16.

59. At enim B. Thomas ſimpliciter atq; omninò eam interpretationẽ reiicit. Sic enim ait in commentario huius loci: Quoniã creatura DEI poteſt dici omne illud quod ſub DEO eſt, & quia dixit hoc loco Apoſtolus, oẽm creaturam ingemiſcere, & dolere: voluerunt aliqui prædicta verba exponere de qualibet creatura, etiã de ANGELIS ſanctis. Sed valdè profectò incõueniens eſt, vt ipſi dicantur vanitati ſubiecti, aut ingemiſcere, & parturire, cùm ipſi iam habeant gloriã, cuius ſimilitudinẽ homines expectant, ſecundũ illud Matth. 22. *Erũt ſicut Angeli DEI in cœlis.* Quocirca conuenientius exponitur hic locus ſecundũ prædicta vel de creatura corporali, & irrationali, vel de homine, ſiue iuſto, ſiue ſecundum naturã ſuam tantùm cõſiderato. Hæc ille. Equidẽ aſſentior B. Thomæ: nõ ſolùm enim Apoſtoli verba, ſecũdum iſtam interpretationẽ, parum aptè congrueq; declarantur; ſed etiã plura nimis durè, & quaſi violentè ad iſtam interpretationem, & ſententiam detorquentur.

S. Thomas.

DVO-

DVODECIMA DISPVTATIO.

Super aliis duabus eorundem Apostoli verborum interpretationibus.

ALTERA significatio huius nominis, *creatura*, ponitur in homine, siue consideretur, vt per CHRISTI gratiam iustificatus est, siue tantùm secundum naturam suam, & antequam DEI gratiam habeat. Hinc autem existit duplex alia horum Apostoli verborum interpretatio: Vt secunda interpretatio sit de homine iusto; tertia verò de homine, vt homo est. Dicitur porrò iustus homo præcisè creatura, vel quia is manet in eo bono, in quo creatus à DEO fuerat, gratiam dico, & iustitiam: vel propter excellentiam; quòd omnis creatura electorum hominum causa potissimùm à DEO condita sit, atque eis præcipuè deseruiat: & ad hanc significationem referendum esse quidam putant illud Iacobi capite primo: *Voluntariè genuit nos,* (DEVS) *verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius.* Dixit autem Apostolus, omnem creaturam, vt significaret vniuersitatem iustorum, cuiuscumque nationis, sexus, ætatis, conditionis, & professionis fuerint. Hæc autem creatura, id est, iustus, expectat reuelationem gloriæ filiorum DEI, tanquam complementum præmij, & consummationem suæ felicitatis, sibi promissum. Interim verò subiectus est vanitati, id est, rebus corporalibus, & mutabilibus, propter necessitates præsentis vitæ, circa eas occupatus. Non tamen sponte, nec volens in eis versatur, quia nō eas amat, sicut illi, quib. dixit Propheta: *Vt quid diligitis vanitatē, & quæritis mendaciū?* Quin etiā graue admodum est viro iusto, & molestū, istiusmodi rerū occupationib. distineri: patiēter ta-

60.

Secūda interpretatio.

Locus Iacobi capite primo.

Psalm. 4.

men ei necessitati subiacet propter ordinationē DEI, qui iustum in hac vita eiusmodi rebus indigere atque insudare voluit, certa tamen spe, ipsum post resurrectionem ab eiusmodi seruitute liberatum iri. Vocatur autem seruitus corruptionis, quia est occupatio conducens ad sustentandam vitam præsentem, quæ continenter labitur, & tendit ad corruptionem. Illud autem: *Ingemiscit, & parturit*, significat anxium, & vehemens desiderium consummatæ hominum felicitatis, quo desiderio iusti perpetuò flagrant: *Spes autem, quæ differtur*, (vt Salomon ait) *affligit animam*. Illud autem: *Vsque adhuc*, variè licet interpretari: vel quia ille gemitus & dolor non est ablatus per gratiam iustificationis, sed manet etiam in iustis vsque ad eorum mortem, quin etiam aliquo modo vsque ad resurrectionem corporum. Vel dicitur: *Vsque adhuc*, quia etsi aliqui iusti iam sunt liberati à seruitute corruptionis, quia sunt iam translati ad gloriam cœlestem: Iusti tamen, qui viuunt in terris, adhuc expectant illam: interim tamen seruitute corruptionis premuntur. Vel demùm dicitur: *Vsque adhuc*, quia non solùm antiqui patres, qui ante CHRISTVM vixerunt, sed etiam qui sunt in statu gratiæ Euangelicæ, etiamsi iustissimi, & sanctissimi sint, in eodem tamen statu corruptionis, & expectationis versantur.

Prou. 13.

61. *Pulcherrima S. Gregorij disputatio de multiplici seruitute corruptionis, cui iusti in hac vita subiecti sunt.*

Hanc interpretationem verborum Apostoli de homine iusto, secutus est B. Gregorius, & quemadmodum vir iustus vanitati, & seruituti corruptionis subiectus sit, copiosa, & sanè quàm diserta oratione declarauit. In libro enim quarto Moralium explanans verba illa Iob capitis tertij: *Ibi requieuerunt fessi robore, & quondam vincti pariter sine molestia.* Ad hunc modum scribit: Iustos, quamuis nullus desiderium carnalium tumultus possideat, duris tamen vinculis eos in hac vita positos, suæ molestia corruptionis ligat. Scriptum quippe est: *Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Aliud nempe iusti de morte, & aliud de corpore tolerant: & contra semetipsos quotidie interno certamine desudant. An non duro

Sap. 9.

duro molestiæ vinculo ligantur, quorum mens sine labore in ignorantia soluitur, & nonnisi cum studio laboris eruditur? Quæ coacta erigitur, libens iacet: ab infimis vix leuatur; & tamen eleuata protinus labitur: semetipsam laboriosè vincendo, superna conspicit: sed reuerberata, lumen, quod se irradiauerat, refugit. An non duro molestiæ vinculo ligantur, quos cum accensus Spiritus ad sinum pacis intimæ, pleno desiderio pertrahat, feruente tamen certamine caro perturbat? Prȩter hȩc verò, alia etiam iusti vincula, quem grauis huius vitæ necessitas astringit. Esurire quippe, sitire, lassari, vincula sunt corruptionis, quæ scilicet solui nequeant, nisi cum in illam immortalitatis gloriam nostra mortalitas permutatur. Replemus enim refectionibus corpus, ne extenuatum deficiat: extenuamus ipsum abstinentia, ne repletum nos premat: vegetamus motibus, ne situ immobilitatis intereat: sed citius hoc collocando sistimus, ne ipsa sua agitatione succumbat. Adiumentis vestium ipsum tegimus, ne frigus interimat: & quæsita adiumenta proiicimus, ne calor exurat. Tot igitur diuersitatibus occurrentes, quid agimus, nisi corruptibilitati seruimus, vt saltem multiplicitas impensi obsequij corpus sustineat, quod anxietas intimæ mutabilitatis grauat? Vnde benè per Paulum dicitur: *Vanitati subiecta est creatura non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe: quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum* D*ei*. Hinc quippe, qui ingenitæ sibi constantiæ statum volens deseruit, pressus iustæ mortalitatis pondere, nolens seruit mutabilitati suæ corruptionis. Verùm creatura hæc, tunc à seruitute corruptionis, eripitur, cum ad filiorum Dei gloriam resurgendo, subleuatur. Hinc itaque electi molestè vincti sunt, quia adhuc corruptionis suæ pœna deprimuntur: sed cum corruptibili carne exuuntur, ab omnibus, quibus nunc astricti sunt molestiæ vinculis relaxantur. Hactenus ex beato Gregorio. Hanc interpretationem sequuntur Caietanus, & Catharinus.

Tertia significatio huius vocis, *creatura*, tertiam quoque huius 62.

Tertia interpretatio.

huius loci peperit interpretationem. Dicitur enim creatura omnis homo ſecundum naturam,& bona naturalia conſideratus, & vt naturalem habet poteſtatem accipiendi à DEO ſupernaturalia bona gratiæ,& gloriæ. Secundum hanc ſignificationem, ea voce vſus eſt Dominus noſter, cùm iuſſit diſcipulos ſuos prædicare Euangelium omni creaturæ. Et ſecũdum hanc ipſam eius vocis ſignificationem B. Auguſtinus interpretatur hunc locum Apoſtoli in eo libro, in quo plures huius epiſtolæ ſententias explanauit. Omnis, inquit, creatura dicitur homo. Non enim creatura alia eſſe poteſt, niſi aut ſpiritalis, quæ excellit in ANGELIS; aut animalis, quæ in vita beſtiarum ſatis apparet; aut corporalis, quæ videri,& tangi poteſt. Omnis porrò creatura eſt in homine, quia homo conſtat ſpiritu, & anima, & corpore. Ergo creatura reuelationem filiorum DEI expectat: quicquid enim nunc in homine laborat,& corruptioni ſubiacet, illam expectat manifeſtationem, de qua idem Apoſtolus alio loco dixit: *Mortui enim eſtis,& vita veſtra abſcondita eſt cum CHRISTO in DEO: Cum autem CHRISTVS apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria.* Similiter Ioannes dixit. *Nunc filij DEI ſumus,& nondum apparuit quid erimus: ſcimus autem quia cum apparuerit, ſimiles ei erimus,& videbimus eum ſicuti eſt.* Hanc itaq; reuelationem filiorum DEI expectat creatura, quæ in homine nunc vanitati ſubiecta eſt, quamdiu dedita eſt temporalibus rebus, quę trãſcunt tanquam vmbra, ſicut in Pſalmis dicitur: *Homo vanitati ſimilis factus eſt, dies eius ſicut vmbra prætereunt*: De qua vanitate etiam Salomon loquitur: *Vanitas vanitatum,& omnia vanitas.* Non ſponte autem, ſiue non volens dicitur creatura hæc ſubiecta eſſe vanitati, quia pœnalis ei eſt iſta ſubiectio. Non enim homo, ſicut ſponte peccauit, ita etiam ſponte damnatus eſt: quæ tamen damnatio, non ſine ſpe reparationis irrogata eſt naturæ noſtræ. Et ideo adiunxit: *Propter eum, qui ſubiecit eam in ſpe: quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute in libertatem gloriæ filiorum DEI.* Id eſt, etiam ipſa hominis natura, quæ tantummodo creatura eſt, nondum per fidem aggregata nu-

Marci 16. *S. Auguſtinus.* *Ad Coloſſ. 3.* *1. Ioan 3.* *Pſalm. 143.* *Eccleſ. 1.*

ta numero filiorum DEI: Sed tamen in eis, qui credituri erãt, videbat Apostolus quod dicebat, quia creatura liberabitur à seruitute interitus, vt interitui non seruiat, cui seruiunt omnes peccatores. Peccatori enim dictum est: *Morte morieris*. Liberabitur autem in libertatem gloriæ filiorum DEI, id est, vt & ipsa perueniat ad libertatem gloriç filiorum DEI per fidem: quæ fides cum in ea non erat, creatura tamen modo dicebatur, & ad ipsum refertur, quod sequitur: *Scimus enim, quia omnis creatura congemiscit & dolet vsq; adhuc*. Erant enim adhuc credituri, qui Spiritu subiacebant laboriosis operibus. Sed ne quis putaret de ipsorum labore tantum dictum esse, subiungit: *Non solùm autem illa, sed & nos qui primitias SPIRITVS accepimus*. Quamuis enim iusti mente seruiant legi DEI: quia tamen carne seruiunt legi peccati, quandiu in hac vita peregrinantur, imolestias, & solicitudines humanæ mortalitatis patiuntur. Non solum igitur ipsa, quæ tantummodo creatura dicitur in hominibus, qui nondum crediderunt, & ideo nondum in filiorum DEI numero constituti sunt, congemiscit & dolet: Sed etiam nos ipsi qui credimus, & SPIRITVS primitias habemus, quod Spiritu adhæremus DEO per fidem; & ideo non creatura, sed filij DEI appellamur; & ipsi tamen ingemiscimus adoptionem expectantes, redemptionem corporis nostri. Hæc enim adoptio quæ iam facta est in iis, qui crediderunt, in Spiritu, non in corpore facta est. Nondum enim corpus reformatum est in cœlestem illam mutationem, sicut spiritus iam mutatus est reconciliatione fidei, ab erroribus conuersus ad DEVM. Ergo etiam in iis qui crediderunt, expectatur adhuc illa manifestatio gloriæ, quæ in corpus ex resurrectione proueniet: quæ pertinet ad quartum illum gradum, vbi ex toto perfecta pax erit, & requies æterna, nulla nobis ex aliqua parte corruptione existente, aut sollicitante molestia. Hæc Augustinus: quem ad verbum sequitur Anselmus hoc loco,

DECIMATERTIA DISPVTATIO.

Explicatur quarta eorundem Apostoli verborum interpretatio, quæ videtur ceteris esse præferenda

63.

Quarta interpretatio.

EXTREMO demùm loco creaturæ nomen præcisè sumptum, interdum in sacris litteris significat vniuersitatem creaturæ corporalis, & ratione carentis, quæ media est inter ANGELOS, & homines, & comprehendit cœlos, elementa, aliaque ex elementis constituta. Hac significatione positum est nomen creaturæ in lib. Sap. cap. 13. in illis verbis: *A magnitudine creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Et Paulus ad Rom. cap. 2. eadem vsus est significatione, vt quibusdam placet, cum dixit, inuisibilia DEI, à creatura mundi intellecta conspici. Hac porrò significatione sumptum hoc loco esse à Paulo nomen creaturæ, censent Græci explanatores, vt Chrysostomus, & magna in parte Theodoretus, & item Theophylactus, & Oecumenius: ex Latinis autem auctoribus vulgo putatus Ambrosius in commentario huius loci, & verus Ambrosius li. 4. Hexameron, & Hilarius lib. 12. de TRINITATE, & ex recentioribus, Sotus & Adamus in commentariis super hanc epistolam, & in enarratione huius loci. Volunt autem isti Apostolum his verbis fingere vniuersitatem creaturæ corporalis quasi vnam quampiam personam, cui, cum sensus ei non sit, sensum tamen attribui, per figuram quæ vocatur Prosopopœia, non infrequentem Scripturę. Solet enim Scriptura maria, & flumina, & montes, & arbores inducere tanquam plaudentes manibus, & exultantes, aliaque agentes, quæ propria sunt rerum vel sensum, vel etiam sermonem habentium.

Chrysostomus. Theodoretus. Theophylactus. Oecumenius. Vterq; Ambrosius. Hilarius. Adamus.

Hanc

Hanc verò Prosopopœiam adhibere voluit Apostolus, quò expressius declararet, atq; exaggeraret magnitudinem futurę gloriæ, cuius gratia, donec ea nobis contingat, patienter, ac libenter omnis labor ac molestia præsentis vitæ meritò sit perferenda. Est itaq; verborum Apostoli sensus huiusmodi: Multa hæc atq; irrationalis creatura, anxiè admodum, & sollicitè expectat tempus illud, in quo gloria filiorum DEI manifestanda est: quod profectò magnum est argumentum, gloriam illam esse ingentem, atque inæstimabilem.

64. Sed nos hęc Apostoli verba, quę non paruam obscuritatem, & emphasim magnam habent, propriè consideremus, atq; pensitemus. *Expectatio creaturæ.* Pro latina voce, *Expectatio*, est græca vox, ἀποκαραδοκία, vocabulum nempe sesquipedale, quod Theophylactus interpretatur vehementer, & anxiam expectationem; Ambrosius frequentem expectationē; Hilarius longinquam expectationem: sed tria hæc in idem fermè conueniunt: nam qui vehementer & anxiè aliquid expectant, frequentibus desideriis in illud feruntur: & quanquam longè absit, in illud tamen cogitatione, & desiderio tendunt. Græca vox è tribus composita, ex præpositione ἀπὸ & nomine κάρα, id est, caput, & verbo, δοκεῖν, id est, videre, quod qui vehementer videre aliquid desiderant, porrecto capite subinde illud prospiciant: Et hac ipsa voce vsus est Paulus cap. I. epist ad Philip. Nec emphasi caret, quod dicitur expectatio creaturæ expectare, id enim ad exaggerendam anxietatem, & solicitudinem creaturę desiderantis manifestationem gloriæ filiorum DEI positum est.

65. Rationem autem cur tam anxiè creatura expectat reuelationem gloriæ filiorum DEI, subdit Apostolus dicens: *Vanitati enim subiecta est creatura non volens, &c.* Necessitas enim expectandi; prouenit ex defectu, cui subiacet creatura: nam cui nihil deest, ei opus non est, aliquid expectare. Quid autem significet Apostolus nomine vanitatis, mox ipse declarauit, cùm dixit, creaturam liberatum iri à seruitute corruptionis: ergo vanitas significat mutabilitatem, & defectum, & corru-

ptionem. Erasmus putat vocem græcam ματαιότητι, qua hîc vtitur Apostolus, significare frustrationem; quòd natura interim nō assequatur, quod vtcumq; contendit efficere: dum aliud ex alio propagans, & indiuiduis vicissim occidentibus speciem tuetur, ne intercidat, ea re quasi moliens immortalitatem quandam; sed frustrà. De propria significatione huius vocis, vanitas, siue vanus, qua principes linguæ latinæ vsi sunt, vide Agellium libro18. cap. 4. Verum dicet quispiam, Quomodo creatura hæc corporalis, quæ rationis expers est, dicitur expectare reuelationem gloriæ filiorum DEI: cùm illa sit supernaturalis, & longè excellens conditionem naturæ corporeæ? Sed dicendum est, expectationem creaturæ hoc loco dici figuratè, nec aliud ea voce significari, quàm ordinationem eius ad aliquid consequendum à DEO institutum. Est porro eiusmodi expectatio, siue ordinatio duplex: & vna quidem, est naturalis, per quam creatura ordinatur ad aliquid, ad quod habet naturalem propensionem, & facultatem, vt ipsum assequatur, vt si dicas, arborem expectare suam fructificationem: aut mulierem grauidam expectare partum suæ prolis. Altera verò est ordinatio creaturæ ad finem aliquem, qui excedit conditionem, & vim naturalem rei; ad quem tamen finem res ipsa perducitur à DEO, sed via quadam supernaturali. Sicut igitur humanum corpus in resurrectione, induet supernaturalem quandam immortalitatem & gloriam: ita & hic mundus corporeus, tunc nouitatem quandam gloriæ supernaturalem accipiet. Cum enim mundus hic corporeus, factus sit propter hominem; consentaneum fuit, vt tantisper ipse mutabilis, & corruptibilis esset quoad homo in statu corruptionis versaretur: homine autem ad immortalitatem, & impassibilitatem translato, æquum erat ipsum quoque mundum incorruptione quadam donari.

66. Sed quid est illud, quod ait Paulus: *Non volens?* Nam licet tropologicè loquatur significans hunc statū mundi esse contra naturæ eius conditionem atq; inclinationē: attamen hoc ipsum, quod est, mundum esse corruptibilem & mutabilem,

con-

conuenit ei secundum naturalem ipsius conditionem, & potētiā: esse enim mutabile, naturale est omni corpori naturali, prouenienes ab intimis & essentialibus eius principiis. B. Thomas illud: *Non volens.* Sic interpretatur: Defectus, qui cōsequuntur naturæ corporeæ mutabilitatē, cuiusmodi sunt, seniū, putrefactio, corruptio, & alia huiusmodi, esse contra naturā particularē huius vel illius rei, cuius nimirū appetitus tendit ad sui conseruationem, & fugit omnem sui corruptionem; licet isti defectus sint secundum naturam vniuersalem. Theophylactus interpretans istud, *Non volens.* Hoc; inquit, significat, DEI prouidentia & cura mundum esse cônditum, nec ipsum per se fuisse extructum, sed totum ad commoditatem & vsum hominis à DEO esse factum. Vel dicitur, *non volens*, quia cum hic mundus expectet mirabilem illam renouationem, & statum glorię, ad quem in resurrectione hominis peruenturus est, dicitur, præsentem hunc statum, tanto ignobiliorem non velle: nam quod est multo minus bonum, dicitur non expeti, comparatione videlicet maioris boni, quod summopere expetitur. Ergo respectu illius futuri status æterni atque gloriosi, dicitur (per eandem nempe figuram, Prosopopœiæ) mundus præsentem hunc statum, temporarium & corruptibilem non velle. Dicitur autem DEVS subiecisse hunc mundum in spe, id est, sub spe commutationis in melius.

S. Thomas.

Theophylactus.

67. Illud autem: *In libertatem gloriæ filiorum DEI*, tripliciter exponitur. Ambrosius enim in enarratione huius loci legisse videtur, *In libertate filiorum DEI*, quod sic interpretatur: Cum filij DEI liberati à seruitute corruptionis, statum incorruptionis adepti fuerint. Chrysostomus præpositionem, *in*, accepisse videtur, quasi valeret idem atque, *propter*, vt, *In libertatem filiorum DEI*, significet, *propter libertatem filiorum DEI*, Id autem est, vt similis sit status electorum, atq; ipsius mundi, qui eorum causa factus est. Alij sic interpretantur: *In libertatem filiorum DEI*, hoc est, ad imitationem, & exemplum gloriæ filiorum DEI. Dicitur autem libertas gloriæ filiorum

DEI, ſecundum phraſim hebraicam, pro eo quod eſt, libertas glorioſa filiorum DEI: & nomen, *libertas*, ſignificat liberationem ab omni malo animi & corporis, culpæ & pœnæ.

68. *Quomodo Cœlum liberandum ſit à ſeruitute corruptionis.* *S Thomas.* *S. Auguſtinus.* *Ariſtoteles.*

Ceterùm maiorem illud difficultatem habet, quod ait Apoſtolus, creaturam liberatum iri à ſeruitute corruptionis: non enim id connenire videtur cœlo, quod eſt tamen principalis creaturæ corporeæ pars, vtpote quod eſt natura ſua incorruptibile. Reſpondet hoc loco B. Thomas, nomine corruptionis intelligendam eſſe omnem mutabilitatem: docet enim Auguſtinus in lib. 83. quæſt. & idem ipſum multò antè docuerat Ariſtoteles 8. lib. Phyſicorum, in omni mutatione, rationem quandam ineſſe & generationis, & corruptionis; ſemper enim aliquid amittitur, & aliquid noui acquiritur. Quoniam autem in cœlo eſt mutabilitas ſecundum locum, ſubinde acquirente & amittente diuerſa, vt in ſcholis appellant, *VBI*; poteſt hac ratione cęlum dici corruptibile. Quemadmodum etiam Patres dicunt cœlos, & aſtra nunc laborare pro nobis; poſt reſurrectionem autem hominis habitura quietem: vocabulo enim laboris intelligunt motum, & operationes in res ſublunares; nomine autem quietis, ceſſationem ab omni motu, & actione. Sicut etiam Scriptura dixit die ſeptimo DEVM quieuiſſe ab omni opere, quod in creatione effecerat. Vanitas porrò, cui dicitur ſubiecta eſſe creatura; pulchrè deſcribitur, & declaratur à Salomone initio lib. Eccleſ. de ſolis enim vanitate, id eſt, mutabilitate, & ventorum, atq; aquarum, ita ſcribit: *Oritur Sol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur, ibiq; renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem, luſtrans vniuerſa in circuitu pergit Spiritus, & in circulos ſuos reuertitur. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum vnde venerunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant.*

Geneſ. 2. *Locus Eccleſ. cap. 1.*

69. Reſtat illud: *Scimus enim quod omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſq; adhuc.* Verba græca latine ad verbum reddita ſignificant. *Congemiſcit, & comparturit.* Vt ſignificetur creaturas vel inter ſe, vel ſimul cum homine ingemiſcere. Certum eſt

variaſ-

variasse olim hoc loco Græcos codices: in quibusdam enim legebatur: *Congemiscit & parturit.* Et sic legit Hieronymus in commentario super 24. cap. Isaiæ, & aliis pluribus locis. Alij codices habebant: *Congemiscit, & condolet.* August. in locis suprà citatis ferè legit; *Congemiscit, & dolet.* Cyrillus lib. 5. Thesauri cap. 7. & Esychius lib. 5. in Leuiticum, legunt, vt habet latinus interpres: *Ingemiscit, & parturit*, & itidem habet vulgò dictus Ambrosius in commentario huius loci, licet verus Ambrosius nonnullibi legit: *Congemiscit, & comparturit*, secundum igitur nostram versionem latinam, positum est in græco verbum compositum, *Congemiscit*, pro verbo simplici, *ingemiscit*, est itaque horum verborum sensus huiusmodi: Tota hæc rerum machina, sub pondere seruitutis, quam hominis causa seruire cogitur, gemit & parturit, id est, in similitudinem, modumque parturientis dolet, anxiè tempus illud expectans, in quo gloria filiorum DEI manifestanda est; tunc enim & ipsa innouanda est, futuraq; eius gloriæ particeps. Atq; ita locus hic Pauli secundum prædictas quatuor interpretationes satis copiosè, & diligenter explicatus est. B. Thomas prima tantùm interpretatione repudiata, reliquas tres, tanquam satis probabiles tractauit. Mihi videtur quarta hæc interpretatio cæteris esse probabilior. Nam secunda & tertia, quæ pertinent ad hominem siue iustum, siue secundum naturam tantùm, & sine gratia DEI consideratũ, non admodum videntur aptè congruentesq; sententiæ verborum Apostoli, præsertim verò secunda, quæ est de homine iusto. Apostolus enim apertè hoc loco distinguit creaturam, quæ vanitati, & seruituti corruptionis subiecta est, à filiis DEI, quorum gloriæ reuelationem illa expectat. Reprobi autem non erunt participes glorificationis electorum. Videtur igitur nomen creaturæ hîc non accipi pro hominibus, sed pro creatura corporali, & irrationali.

S. Hieronym.

Iudicium de supradictis quatuor interpretationibus.

DECIMAQVARTA DISPVTATIO.

An supradicta B. Pauli sententia opinionem adiuuet eorum, qui cœlos esse corruptibiles, & aliquando corrumpendos esse censuerunt.

70. *Auctores qui putauerunt, cœlos esse corruptibiles. Chrysostomus. Theodoretus. Theophylactus. Iustinus. Basilius. Nyssenus. Gregorius.*

QVIA dixit Apostolus, creaturam, (cuius nomine cœli etiam comprehenduntur) subiectam esse vanitati, & seruituti corruptionis; ex eo Græci expositores huius epistolæ, vt Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, in enarratione huius loci docent, cœlos esse corruptibiles, sed aliquando tamen adepturos incorruptionem. Nam quia vniuersa creatura corporalis propter hominem præcipuè facta est; homo autem futurus erat corruptibilis, & aliquando interiturus; sed post consummationem seculi, gloriam incorruptionis adepturus: cõsimili ratione creatura corporalis facta est corruptibilis, & ipsa corrumpetur; sed etiam ipsa ad similitudinem filiorum DEI, cùm illi resurgẽt ad gloriam incorruptionis renouabitur, & incorruptiõis particeps erit. Hoc nimirũ significare videtur B. Ioan. in Apoc. scribẽs *Vidi cælum nouum, & terram nouam: primum enim cælum, & prima terra abiit.* Perituros autem esse cœlos, clarissimè dixit in Psalmo centesimo primo Dauid illis verbis: *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, &c.* Nec solùm isti auctores hoc arbitrati sunt, sed alij etiam antiquiores. Iustinus enim Martyr id ipsum docet in responsione ad quæstiones Orthodoxorum q. 93. 94. 95. Et Basilius homil. 1. in Hexameron, & ibidem etiam Ambrosius lib. 1. & Gregorius Nyssenus in libro de creatione hominis cap. 24.

Apocal cap. 6. 21. & 22.

At

71. *Theologi scholastici.*

At enim Theologorum Scholasticorum (qui Augustinum in libro 20. de ciuitate DEI cap. 24. secuti sunt) diuersa est sententia, vt videre licet in quarto sententiarum Dist. 48. Docent enim duplicem cogitari posse futuram in fine mundi cœlorum commutationem: alteram, qua cœli secundum substantiam corrumpantur, & aboleantur; & hanc negant cœlis euenturam. Alteram, quæ non propriè, sed figuratè appellatur interitus & corruptio, quod vmbram quãdam, & similitudinem corruptionis habeat: hæc autem nihil aliud est, quàm præsentis status cœlorum abolitio, & transformatio eorum in alium statum, longè præstantiorem, vacando à motu, & actione in res sublunares, & à ministerio quod exhibent homini vitam agenti corruptibilem. Peribunt igitur cœli, vt ait scriptura, in fine seculi, sed non peribunt vt animalia, ita vt esse desinant; sed quia in alium statum transformati, omnibus, quæ nunc exercent ministeriis, & functionibus, & effectibus carebunt; vt quibus tunc non erit opus homini facto iam incorruptibili, cuius gratia ministeria illa cœli exercebant, vt traditur in capite quarto Deuteronomij.

Locus Psalm. 101.

72. *Hieronym.*

Hanc Theologorum sententiam confirmare licet auctoritate beati Hieronymi: is enim super caput quinquagesimum primum & sexagesimum quintum Isaiæ, extremam illam cœlorum mutationem, & interitum appellat renouationem eorum, & promotionem in meliorem statum: & ibi tractans illa verba Dauidis: *Ipsi peribunt, & sicut vestimentum veterascent.* Probat cœlorum interitum non fore abolitionem eorum, sed reformationem, & renouationem. Neque enim illud quod dixit Isaias capite trigesimo: *Luna fulgebit vt Sol, & Sol septuplum lumen accipiet*, interitum significat pristinorum, sed commutationem in melius. Hoc Hieronymus manifestum facit exemplo nobis noto: Infans, inquit, cùm in puerum creuerit, & puer in iuuenem, & iuuenis in virum, & vir in senem; nequaquam

Psalm. 101.

per

per ſingulas ætates homo perit, idem enim eſt, qui prius fuit: ſed paulatim immutatur, & ætati priori videtur periiſſe. Et hoc indicaſſe videtur Apoſtolus dicens: *Præterit figura huius mundi.* figuram dixit, non ſubſtantiam. Dicit etiam ſcriptura, futuros nouos cœlos, & nouam terram: non dixit alios cœlos, ſed veteres, & antiquos in melius commutatos. Hæc ex B. Hieronymo.

Locus 1 ad Corinth. 7.

73. Eadem fuit ſententia B. Gregorij, qui libro 17. Moralium capite 5. hunc in modum ſcribit: Quæri poteſt, cùm per Salomonem ſcribitur: *Terra in æternum ſtat.* Cur B. Iob omnia humiliari dicat, & auferri. Quod tamen facilè diſcutimus, ſi qualiter terra, & cœlum vel trãſeant, vel maneant diſtinguamus. Vtraque enim hæc per eam, quam nunc habent imaginem, tranſeunt: ſed per eſſentiam tamen ſine fine ſubſiſtunt. Hinc enim per Paulum dicitur: *Præterit figura huius mundi*, & Dominus dixit: *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt.* Et in Apocalypſi capite 21. ſcriptum eſt: *Erit cœlum nouum & terra noua*, quæ quidem non alia condenda ſunt, ſed hæc ipſa renouabuntur. Cœlum igitur & tranſibit, & erit: quia & ab ea, quam nunc habet, ſpecie, per ignem tergitur, & tamen in ſua ſemper natura ſeruatur. Vnde per Pſalmiſtam dicitur: *Mutabis eos, & mutabuntur.* Quam quidem vltimam commutationem ſuam, ipſis nunc viciſſitudinibus nobis nunciant, quibus noſtris vſibus indeſinenter alternant. Nam terra à ſua ſpecie, hyemali ariditate deficit, vernali autem humore virideſcit. Cœlum quotidie à caligine noctis obducitur, & rurſus diurna claritate renouatur. Hinc ergo fidelis quiſque colligat, & interire hæc, & tamen per renouationem refici; quæ conſtat, nunc aſſiduè velut ex defectu reparari. Hæc S. Gregorius. Nec ſolùm iſti auctores Latini hæc ſunt arbitrati, ſed etiam Græci veteres, & clari auctores. Epiphanius certè diſputans contra Hæreſim LXXIV. laudat huius ſententiæ probatores Proclum, & Methodium. Oecumenius etiam explanans caput tertium poſterioris epiſtolæ B. Petri, vbi loquitur de futuro cœlorum inte-

Eccleſ. 1. Iob. 24. in fine.

1 Cor 7. Matth. 24.

Pſalm. 101.

Epiphanius. Proclus. Methodius. Oecumenius.

interitu, hanc ipsam sententiam disertis verbis declarat atque confirmat, docens futurum mundi interitum, non fore dissolutionem & exitium eius, sed purgationem & renouationem, atque exornationem. Auctoritas porrò Occumenij non tanquam vnius auctoris, sed vt plurium, & veterum scriptorum accipienda est: eius namq; commentaria ex veterum Græcorum scriptis collecta,& concinnata sunt.

74. *Auctoris sententia.*

Ego quoque sum istius sententiæ: quam multis equidem hoc loco rationibus firmare possem, sed neque huius est loci exactus eius rei tractatus, & à nobis ea de re in primo Tomo commentariorum nostrorum in Genesim, initio secundi libri, per duas primas eius libri quæstiones copiosè diligenterque disputatum est. Dicam tantùm hîc quod propositam difficultatem attingit. Aio,locum hunc Apostoli non solùm non suffragari opinioni eorum, qui cœlos corruptibiles, & corrumpendos esse censuerunt; sed ei potius refragari atq; officere. Ait Paulus creaturam hanc corpoream, cuius pars maxima & præstantissima, sunt cœli,expectare reuelationem gloriæ filiorum DEI, & huius desiderio ingemiscere, & parturire: & ipsam liberatum iri à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum DEI, & hac spe teneri nunc vanitati, id est, mutabilitati subiectam. Hæc porrò nō possent verè dici de hac creatura corporea, si esset ipsa secundum substantiam corrumpenda, & alia secundum substantiā esset à DEO condenda. Quomodo enim expectat hæc creatura gloriam futuram DEI, tanquam eius particeps futura, si ante reuelationem illius gloriæ est ipsa secundum substantiam interitura? quomodo liberabitur ipsa à seruitute corruptionis, & renouabitur ad similitudinem renouationis, & glorificationis filiorum DEI, si antequam istud eueniat, aut eo ipso tempore,quo eueniet, secundum substantiam interitura est? Vera igitur & propria huius loci Apostolici sententia consistere non potest, si creatura hæc corporalis cœlós & elementa comprehendens, secundum substantiam corrumpenda est,& alia cōdenda: sic enim nec de præsenti creatura,

nec de futura illa, verba hæc Apostoli interpretari liceret: cùm neq; hæc, futura esset particeps illius gloriæ; neq; illa futura, fuit vnquam subiecta vanitati, nec statui corruptionis. Si autem secundum substantiam nunquam sunt corrumpendi cœli, ergo natura sua non sunt corruptibiles: quod enim secundum naturam suam corruptibile est, etiam secundum ordinem cursumque naturæ aliquando corrumpetur, vt egregiè disputat Aristoteles in primo libro de cœlo. Sicut enim quod aliquando corrumpendum est, non est rationi cõsentaneum vt credatur, id esse factum natura sua incorruptibile, frustrà enim incorruptibilitas data ei fuisset: ita quod nunquam corrumpendum est, non videtur credibile, id esse factum corruptibile.

Aristoteles.

DECIMAQVINTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

NON solùm autem illa, sed & nos ipsi primitias SPIRITVS habentes, & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum DEI expectãtes, redemptionem corporis nostri.

75. GRÆCE non est illud pronomen, *illa*, sed additum est à Latino interprete, quo sententia esset apertior. nescio quid, secutus, vulgo dictus Ambrosius pro illo, *primitias spiritus*, legit hoc loco, *receptaculum spiritus*, nisi fortè scripserit ipse, *inceptaculum spiritus*, & postea id nominis, scriptorum vitio, mutatum fuerit in *receptaculum*, Græca vox ἀπαρχὴ, qua hîc vsus est Apostolus, significat & primos fructus, primamque oblationem; & in vniuersum, cuiuslibet rei initia, & primordia. Qui priorem

rem significationem sequuntur, referunt verba hæc ad Apostolos: & primitias interpretantur maiora & excellentiora SPIRITVS sancti dona, quę Apostolis, præ cæteris Sanctis, data sunt. Qui verò amplectuntur posteriorem eius vocis significationem, referunt hanc sententiam ad quosuis Christianos, ita eam interpretantes: Nos Christiani, qui primum gustum habemus futuræ felicitatis, quem non habent aliæ creaturæ, ipsi etiam gemimus, anxiè reuelationem illius gloriæ filiorum DEI expectantes.

76. Posteriori autem huic interpretationi affinis videtur explanatio horum verborum, quæ est apud Augustinum in libro octogesimo tertio quæstionum, quæstione sexagesima septima. *S. Augustinus.* Benè, inquit, dixit Paulus, illud: *Primitias habentes spiritus.* Id autem est, quorum iam spiritus, tanquam sacrificium quoddam, oblati sunt DEO, & diuino charitatis igne comprehensi sunt. Veritas enim primo spiritum nostrum obtinet, vt per hunc cætera comprehendat. Iam ergo habet primitias oblatas DEO, qui dicit: *Mente seruio legi DEI, carne autem legi peccati.* *Ad Rom. 7.* Et rursus, *DEVS, cui seruio in spiritu meo.* *Ad Rom. 1.* Et item: *Spiritus promptus est, caro autem infirma.* *Matth. 26.* Sed quoniam adhuc dicit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Nondum est holocaustum: erit autem, cum corruptibile corpus induet incorruptionem. *1. ad Cor. 15.* Sensus igitur est: Non solùm omnis creatura, quæ tantùm corporea est, sed etiam nos ipsi primitias spiritus habentes, id est, nos animæ, & spiritus, qui primitias nostras obtulimus DEO, intra nos ipsos ingemiscimus, præ vehementi desiderio, & anxia illius gloriæ filiorum DEI expectatione. Sic ex Augustino.

77. Verùm prior interpretatio, quo plus habet grauitatis & ponderis, maiorēq; emphasim; eo videtur esse probabilior. Secundum hanc verò, hæc verba Pauli confirmationem habent eius quod sumpserat ad probandũ, magnitudinem dico gloriæ filiorum DEI: sententiam enim reddunt huiusmodi;

Nos Apoſtoli, qui vobis admirabiles videmur, & beati, ſentientes præſentis vitę & mortalitatis pondus, & moleſtiſſimã ſeruitutẽ corruptionis, cum reliqua creatura ingemiſcimus; expectantes cõſummatam adoptionem filiorum DEI. Nam etſi nũc ius habemus cœleſtis illius hæreditatis, eo ipſo quod adoptati ſumus in filios DEI; ſed eius tamen poſſeſſionem nondum habemus, ſed eam ſpe tenemus, & expectamus: quæ tunc nobis continget, cùm hæc noſtra corpora redempta, & omninò liberata fuerint ab omni languore concupiſcentiæ, & ab omni mortalitatis, & paſſibilitatis miſeria. Theodoretus ait, Apoſtolum per primitias ſignificaſſe, quod nos Chriſtiani in futuro ſeculo multiplicem & abundantem SPIRITVS ſancti gratiam ſimus accepturi. Si enim quod nũc datum eſt, primitiæ tantùm, & arrhabo appellatur; clarum eſt, illud, quod in futuro ſeculo dandum eſt, multis partibus fore maius. Caietanus: Ad ſimilitudinem, inquit, primitiarum fructuum terræ, deſcribuntur maiora SPIRITVS dona: nam primitiæ, ſunt magis deſideratæ, magiſque pretioſæ, & gratæ, quamobrem dicabantur DEO. Significat igitur Apoſtolus, præſtantiora, & hominibus optabiliora dona SPIRITVS ſancti Apoſtolos habuiſſe. Vnde Gloſſa ſuper hoc loco ait, Apoſtolos & tempore prius, & cæteris abundantius SPIRITVM ſanctum accepiſſe.

Theodoretus. *Ad Epheſ. 1.* *Caietanus.*

77. Hac porrò B. Pauli ſententia, monet hoc loco S. Thomas, perſpicuè oſtendi Apoſtolos eſſe præferendos omnibus aliis ſanctis, quacumque illi prærogatiua præfulgeant ſiue martyrij, ſiue virginitatis, ſiue doctrinæ. Nec obſtat quod quidam Sanctorũ plura, & grauiora tormẽta propter CHRISTVM pertulerunt, & auſteriorem vitam egerunt, & longiori tempore in terris ſeruierunt DEO. Magnitudo etenim meriti, & præmij eſſentialis, propriè ſpectatur, & æſtimatur ex magnitudine charitatis: præmium enim noſtrum erit gaudium de DEO: quò autem DEVM quis plus amauit, ſine dubio plus etiam de DEO gaudebit. Dominus quippe dixit Ioannis 14. *Si quis diligit me, diligetur à PATRE meo, & ego diligam*

S. Thomas. Apoſtolos cæteris ſanctis præferendos.

gam eum, & manifestabo ei me ipsum. Apostoli verò, opera quæ fecerunt, maiori charitate quàm alij fecerunt, & per eandem charitatem paratissimi erant & promptissimi ad multò maiora facienda, & grauiora pro CHRISTO perferenda.

78. *An possit aliquis æquare sanctitatem, & merita Apostolorum.*

Si quis autem de me quæreret, possitne quispiam hominum in hac vita in tantum proficere, maximo studio, & conatu, & longissimo tempore in virtutum officiis, bonisq; operibus perficiendis seipsum exercendo, vt possit æquare Apostolorum gratiam, & sanctitatem: Equidem ita cum eodem B. Thoma responderem, charitatem hominis, in qua potissimum sanctitas eius posita est, non pendere ab ipso homine, sed à DEI gratia, testante Apostolo, charitatem esse diffusam in cordibus nostris per SPIRITVM sanctum, qui datus est nobis, Gratia autem DEI datur vnicuiq; secundum mensuram donationis CHRISTI: vnicuiq; enim DEVS dat gratiam congruentem illi muneri, ad quod DEVS hominem eligit. Quo fit, vt homini CHRISTO, cuius humana natura in vnitatem diuinæ personæ assumpta est, & qui futurus erat Electorum omnium caput, data sit gratia, non ad mensuram, sed maxima, & inęstimabilis. Secundum autem CHRISTVM, data est summa gratia beatissimæ Virgini MARIÆ, vt quæ electa fuerit, vt mater esset DEI. Deinde data est, præ ceteris, gratia ipsis Apostolis, quippe qui ab ipso CHRISTO proxime acceperant ea, quæ traderent aliis, pertinentia ad salutem hominum; & ipsi electi sunt, vt essent fidelium omnium doctores ac pastores, & quasi fundamenta Ecclesiæ. Vnde B. Ioanni ostensa est in spiritu cœlestis ciuitas Hierusalem, cuius murus habebat duodecim fundamenta, in quibus duodecim Apostolorum nomina erant scripta. Paulus etiam ipse 1. ad Corinthios 12. ait, DEVM posuisse in Ecclesia primò quidem Apostolos, deinde Prophetas, &c. Et in Symbolo, Ecclesia appellatur Apostolica potius, quàm Prophetica, dicet super vtrisque fundata sit.

Ad Rom. 5. *Ioan. 1. & 3.* *Apoc. 21.*

DECIMASEXTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Versu 24.

Spe enim salui facti sumus. Spes autem quæ videtur, non est Spes: nam quod videt quis quid sperat? Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus.

79.

ILLVD: *Spe enim salui facti sumus.* Confirmatio est illius proximè antecedentis sententiæ: *Adoptionem filiorum DEI expectantes, redemptionem corporis nostri.* Et significat hoc: Nos Apostoli, quamuis magni, & felices videamur; attamen spe tantùm salui & beati sumus, non autem reipsa: quamobrem ingemiscimus cupientes id reipsa tenere, ac possidere, quod nunc spe velut præsumimus & prægustamus. Aduertat lector. Saluum esse, significare hoc loco, perfectę salutis, hoc est, tam animę, quàm corporis consecutionem, quæ per gloriosam corporum resurrectionē, homini continget. Alibi verò apud Paulum, esse saluum, significat solius animæ salutem, quæ datur homini in hac vita per gratiam iustificationis: qua significatione vsus est Apostolus in cap. 3. epist. ad Titum, scribens: *Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis SPIRITVS sancti, quem effudit in nos abundè per IESVM CHRISTVM saluatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus, secundum spem, vitæ æternæ.*

Quid sit apud Paulum saluum esse.

80.

De hoc ipso ita scribit Augustinus: Apostolus saluos nos dicit esse factos per lauacrum regenerationis: qui tamen alio loco inquit: *Spe salui facti sumus: spes autem quæ videtur, non est spes.* Vnde etiam coapostolus eius Petrus: *In quem modo,* in-

S. Augustinus tum Alibi, tum præcipuè in ser. 23. de Verbis Apostoli.

do, inquit, *non videntes, creditis; quem cùm videbitis, exultabitis in gaudio enarrabili, & honorato, percipientes mercedem fidei, salutem animarum vestrarum.* Si ergo nunc est tempus fidei, quis dubitet, ex fide quæ per dilectionem operatur, peragendum esse diem; atq; in fine dici recipiendam esse mercedem fidei? Mercedem fidei dico non solùm redemptionem corporis nostri, de qua hîc loquitur Paulus, verùm etiam salutem animarum nostrarum, de qua dixit Petrus. vtriusq; enim rei felicitas in hoc tempore, atq; in hac mortalitate, in spe habetur potius, quàm in re tenetur. Verùm hoc interest, quod exterior homo noster, id est, corpus, adhuc corrumpitur: interior autem, id est, anima, iam renouatur de die in diem. Itaque & immortalitatem carnis, & salutem animorum futuram expectamus: quamuis iam, pignore vtriusq; accepto, salui facti esse dicamur. Huc etiam spectat quod dilectus CHRISTI discipulus Ioannes scripsit: *Dilectißimi*, inquit, *nunc filij DEI sumus, & nondum apparuit quod erimus.* Quid est hoc, *sumus*, Et, *erimus*, nisi quia nunc sumus in spe, postea erimus in re? Nam sequitur: *Scimus, quia cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Num igitur & similes ei esse iam cœpimus, primitias habentes Spiritus: & adhuc dissimiles sumus, propter reliquias vetustatis. Proinde in quantum similes, intantum regenerante SPIRITV, filij DEI sumus: in quantum autem dissimiles, in tantum filij carnis & seculi dicimur, donec totum transeat in adoptionem, & non sit peccator, & quæras locum eius, & non inuenias. *Spe igitur salui facti sumus.* Vnde nobis exhortatorium, & consolatorium præberi sermonem, admonet nos ipse Dominus, cui dicitur in Psalmo: *Spes mea es tu, portio mea in terra viuentium.* Ipse, qui spes nostra est in terra viuentium, iubet nos in hac terra morientium, non respicere quæ videntur, quæ sunt temporalia; sed quæ non videntur, quæ sunt æterna. Mundi promissa semper fallunt: DEI verò promissa nunquam fallunt. Sed quia mundus quod pollicetur, daturus nobis videtur in hac terra morientium: quod autem DEVS promittit, daturus postea est in terra

2. Corinth. 4.

1. Ioan 3.

Psalm. 49.

Psalm. 141.

terra viuentium: idcirco multi fatigantur expectare veracem, & non erubescunt amare fallacem. Dicunt etiam nobis, vbi est quod promittitur post hanc vitam? quis hinc inde reuersus est, & indicauit vera esse quæ creditis? & expectantis? Ecce, nos in nostrarum voluptatum satietate lætamur, quia quod videmus, speramus. Vos autem in laboribus continentiæ cruciamini, sperando ꝙ non videtis. Deinde subiungunt quod dixit Apostolus: *Manducemus & bibamus, cras enim moriemur*. Sed videte quid ipse Apostolus cauendum monuerit: *Corrumpunt*, inquit, *mores bonos colloquia mala. Sobrij estote iusti, & nolite peccare.* Cauete ergo fratres ne talibus colloquiis mores vestri corrumpantur, euertatur spes, eneruetur patientia, & diuertatis in vias prauas. Dicendum porrò istis est, qui nobis quod non videmus sperantibus, & per patientiam expectantibus, etiam insultare audent, cum imitari potius deberent; dicendum, inquam, est istis: Vbi sunt delicię vestrę, propter quas ambulatis per vias prauas? Non dicimus, vbi erunt, cùm hæc vita transierit; sed modò, vbi sunt? cùm hesternum diem hodiernus abstulerit: & hodiernum crastinus ablaturus sit, quid eorum, quę diligitis, non transcurrit, & transuolat? Quid non fugit penè ante quam capitur, cùm ex ipso hodierno die nulla possit hora retineri? Ita enim secunda excluditur à tertia, sicut prima exclusa est à secunda: & ipsius vnius horæ quæ præsens videtur, nihil est præsens; omnes enim partes eius, & omnia momenta fugitiua sunt. Propter quid peccat homo, si non cecatur? Cùm peccat, vel cùm peccare attentat, poterat videre, quia voluptas transitura, sine prudentia desideratur; vel cùm transierit, cum pœnitentia cogitatur. Nos irridetis, quia speramus æterna, quæ non videmus; cum vos, eis, quæ videntur, temporalibus subditi, nesciatis qualis vobis dies crastina illucescat. Quem sæpe bonũ sperantes, malũ inuenitis: nec si bonus fuerit, eum, ne fugiat, tenere poteritis. Nos irridetis, quia speramus æterna, quæ cũ venerint nunquam transibunt, quia nec ipsa veniũt, sed semper manent: nos autem ad illa veniemus, cum per viam dominicam,

1. *Ad Cor.* 15.

micam, ista quæ transeunt, transierimus. A vobis verò temporalia nec sperari aliquando desinunt, & tamen crebrò sperata vos fallunt: nec cessant vos inflammare, ventura; corrumpere, venientia; torquere transeuntia. Nonne ipsa sunt quæ concupita inardescunt, adepta vilescunt, amissa vanescunt? Vtimur eis & nos secundum peregrinationis nostræ necessitatem: sed non in eis gaudia nostra figimus: ne illis labentibus subruamus. Vtimur enim hoc mundo, tanquam non vtentes, præterit enim figura huius mundi: vt veniamus ad eum, qui fecit hunc mundum, & in eo maneamus, eius æternitate perfruentes. Hactenus ex B. Augustino cuius orationem hîc adscribere libuit, non solùm quòd admodum pia, & diserta, doctaque sit, & grata hæc legentibus futura: sed etiam quòd ea copiosę ac luculentæ horum Pauli verborum interpretationis vice lectori esse queat.

1. Cor. 7.

81.

An quod speratur, possit esse præsens & oculis videri.

Ceterùm verba illa. *Nam quod videt quis, quid sperat?* Nonnihil habent dubitationis: videtur enim sperari posse id etiam, quod videtur. Nam qui currunt in stadio, brauium quod sperant, oculis suis cernunt, sibi propositum. Quidam soluunt quæstionem, dicentes, Paulum loqui hoc loco non de omni spe, sed de Theologica & diuina tantùm, quæ tendit in DEVM: DEVM autem, qui videt, non amplius sperat: nam videndo DEVM, tenet ac possidet quod sperabat, quandoquidem, vt Augustinus ait, visio DEI, tota est merces hominis. Sed enim, quoniam Apostolus vniuersè loquitur hic de spe, communem omni spei rationem, & conditionem declarans, præstat ita respondere quæstioni, vt respondet Caietanus, qui ait; in obiecto spei duo esse consideranda; quorum alterum est materiale, res videlicet ipsa, quæ speratur, & ita res sperata potest videri, & ante oculos esse. Alterum est formale, id autem, est consecutio, & possessio rei quam propriè petit, & in quam tendit spes: & hac ratione, non potest quod speratur, actu speranti adesse, nec ei omnino euidens & certum esse, alioqui obiectum spei non haberet (vt habere docent

S. Augustinus.

Caietanus.

cent Philoſophi, & Theologi) rationem ardui & difficilis, ob idque nec, propriè loquendo, ſperabilis.

82\. Adiuuat extremo loco lectorem admonere, ſententiam illam Apoſtoli: *Spe ſalui facti ſumus*, valere plurimum ad demoliendam rationem, qua hæretici noſtri temporis probari, & concludi putant, ſolam fidem eſſe cauſam iuſtitiæ ac ſalutis noſtræ. Nam quia alicubi Scriptura iuſtificationem noſtram & ſalutem ſoli fidei attribuit, vt cum Paulus dixit: *Arbitramur iuſtificari hominem per fidem*. Et item. *Iuſtus ex fide viuit*. Ex eo arbitrantur concludi, ſolam fidem, eſſe cauſam iuſtitiæ, & ſalutis noſtræ. At enim, ſi ea ratio videtur iſtis eſſe valida, eadem profecto ratione conficietur ſolam ſpem eſſe cauſam ſalutis noſtræ, quod eam Paulus hoc loco, ſpei aſſignet, dicens: *Spe ſalui facti ſumus*. Atque hoc benè animaduertentes Caluinus & Beza, ſententiam hanc Apoſtoli, tanquam dogmati ſuo aduerſariam, aſtuta diſſimulatione, omnino intactam in commentariis ſuis reliquerunt. Sciat igitur lector, cum plures virtutes neceſſariò concurrunt ad effectum aliquem, opuſúe perficiendum, eſſe conſuetudinem Scripturæ, id opus alicubi huic virtuti, alibi alij virtuti attribuere: non quod vna illa virtus ſit, aut ſola, aut principalis cauſa illius effectus; ſed quia ſine illa effectus ille perfici, & ſubſiſtere non poteſt. Hinc fit, vt remiſſionem peccatorum, & iuſtitiam hominis, tribuat Scriptura interdum charitati, aliâs eleemoſynis, & operibus miſericordiæ; & ſalutem noſtram & fidei, & ſpei, & charitati, & perſeuerantiæ. Ecce tibi, Propheta vitam animæ tribuit fidei, dicens: *Iuſtus ex fide viuit*. Dominus autem aſſignat obſeruantiæ mandatorum DEI, dicens: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata DEI*. Ioannes ait vno loco: *Omnis qui credit, natus eſt ex DEO*. Et idem in alio eiuſdem epiſtolæ loco ait: *Omnis qui diligit, natus eſt ex DEO*.

Ad Rom 3. Ad Rom. 1. Habac. 2.

Obſeruanda Scripturæ conſuetudo.

Habac. 2.

Matth. 19.

1 Ioan. 5. & 4.

DECI-

DECIMASEPTIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Similiter autem & SPIRITVS adiuuat infirmitatem nostram.

Versu 26.

83.

ILLVD: *Similiter*, ad quid potissimùm eorum, quæ præcesserunt, referri debeat, non satis liquet. Quidam referunt ad illud: *Per patientiam expectamus*, hoc sensu, sicut nos per patientiam expectantes nitimur ad cœlestis hæreditatis consecutionem: ita SPIRITVS præbet auxiliũ suum nobis præ infirmitate deficientibus, quasi manum porrigens laborantibus. Alij referunt ad illud: *Nos primitias SPIRITVS habentes, intra nos ipsos gemimus.* Verùm plena, & absoluta erit interpretatio, si præter hæc referamus hoc ad illud: *Accepistis SPIRITVM adoptionis filiorum DEI, in quo clamamus ABBA, PATER.* Vt Apostoli verba hanc reddant sententiam: SPIRITVS quem dixi, fiduciam nobis dare clamandi, & appellandi DEVM, Patrem nostrum; is præterea adiuuat nos in nostra infirmitate, & in nostris gemitibus, & in nostra patientia, quam exhibemus in tormentis, quæ propter CHRISTVM patimur à tyrannis: siue cùm experimur insurgere in nobis ipsis, aduersus mentem nostram, impuros concupiscentiæ motus.

Quisnam sit ille Spiritus, qui adiuuat infirmitatem nostram.

Quid porrò intelligendum hoc loco sit nomine *Spiritus*, varia est interpretatio. Chrysostomus nomen Spiritus interpretatur mentem hominis, quæ donum, & gratiam orationis à SPIRITV sancto accepit. Oecumenius, & Theodoretus accipiunt pro ipso dono orationis, à SPIRITV DEI nobis infuso, admonentes, omnia SPIRITVS dona, vocari aliquando in Scriptura Spiritum. Secundum itaque Chrysostomum,

Chrysostomus.
Oecumenius.
Theodoretus.

SPIRITVS, id eſt, Spiritualis anima poſtulat gemitibus inenarrabilibus, & DEVS ſcit quid deſiderat Spiritus, id eſt, illa ſpiritualis anima, quæ non cupiditates noxias, ſed iuſta poſtulat pro Sanctis, id eſt, pro ſanctis hominibus, vel pro ſanctis rebus, hoc eſt, ſalutaribus, & DEO gratis.

84. Sed probabilior eſt ſententia, omnium fermè Patrum, nomen SPIRITVS interpretantium de SPIRITV ſancto. Nec officit huic interpretationi, quod mox adiungit Paulus dicens, SPIRITVM poſtulare pro nobis, quaſi alienum id ſit, atque indignum diuinitate SPIRITVS ſancti: Sic enim ex hoc loco argumentabantur Arrius, & Macedonius, SPIRITVM ſanctum non eſſe DEVM, ſed naturam quandam à DEO creatam, & PATRE ac FILIO minorem. At enim, locutionem illam, SPIRITVM ſanctum poſtulare pro nobis, agnouerunt Patres non eſſe propriam, ſed figuratam, idemq; valere, ac ſi dicas, SPIRITVS docet, vel facit nos poſtulare. Plura enim verba ſolet vſurpare Scriptura, quæ, vt rectam ſententiam reddant, per verbum, *facio*, explicari oportet. Ponam aliquot huius rei exempla, id enim notum habere, ad intelligentiam Scripturarum ſatis conducit. Dixit Dominus Abrahæ Geneſ. 22. *Nunc cognoui quod timeas Dominum*, pro eo, quod eſt, feci nunc cognoſcere te, & alios. Auguſtinus citat in hanc ſententiam illud Deuteronomij 13. *Tentat vos DEVS, vt ſciat vtrum diligatis eum*, pro eo quod eſt, vt ſcire vos faciat, & id aliis etiam innoteſcat. Apud Matthæum capite 10. legimus CHRISTVM Dominum dixiſſe Apoſtolis: *Non vos eſtis qui loquimini, ſed SPIRITVS PATRIS veſtri, qui loquitur in vobis.* Non quod SPIRITVS ſanctus loquatur, ſed quod bene loquendi gratiam tribuat. Huius ſimile eſt, quod in Actis Apoſtolorum cap. 7. ſcriptum eſt, Iudæos non potuiſſe reſiſtere SPIRITVI, qui loquebatur in Stephano, pro eo quod eſt, qui loqui faciebat Stephanum. Sed locus ille Pſal. 28. eſt perilluſtris, vbi ſic eſt in hebræo ad verbum: *Dominus diluuium inhabitat.* Verùm 72. Interpretes, hebraiſmum Græcis ignotum, in ſua tranſlatione græca declarantes, verterunt in hanc ſen-

Memorabile documentum.

Locus Deuter. cap. 13.

Locus Pſal. 28.

ſententiam. *Dominus diluuium inhabitare facit.* Ergo ſi, quod Paulus dixit, SPIRITVM poſtulare pro nobis, interpretemur, quod SPIRITVS facit nos poſtulare, nihil dicemus inſolens in ſacris litteris. Nam ſi contendant hæretici, illud, *poſtulat*, hoc loco propriè dictum eſſe ab Apoſtolo, non autem cauſaliter; itidem fateri eos neceſſum erit, quod mox adiecit Paulus: *Gemitibus inenarrabilibus*, propriè intelligendum eſſe de SPIRITV ſancto: quare non modò eam creaturam, ſed etiam gemitibus & doloribus, & miſeriis ſubiectum facere cogentur.

85. Sequitur, *Adiuuat infirmitatem noſtram.* In græcis libris pluratiuo numero legitur, *infirmitates noſtras.* ſed lectionem tamen noſtram latinam ſequitur Ambroſius in commentario huius loci, & Auguſtinus epiſtola cẽteſima vigeſima prima ad Probam, lib. 2. ad Simplicianum quæſt. 1. eodem quoque ſpectat horum verborum interpretatio, quæ eſt apud Origenem, ita declarantem, quæ ſit infirmitas noſtra, quam SPIRITVS ſanctus adiuuat, Dominus noſter id docuit, cùm dixit: *Spiritus promptus eſt, caro autem infirma*, ergo infirmitas noſtra ex carnis infirmitate deſcendit: ipſa eſt enim, quæ cõcupiſcens aduerſus ſpiritum, dum concupiſcentias ſuas ingerit, puritatem ſpiritus impedit, & ſinceritatem orationis offuſcat. Sed vbi viderit SPIRITVS DEI laborare ſpiritum hominis in aduerſando carni, & ſibi adhærendo, quaſi porrigit ei manum, infirmitatem eius ſubleuans. Sic Origenes. Damaſcenus quoque libro quarto capite vigeſimo tertio ita citat hunc locum: *Spiritus conreluctatur infirmitati noſtræ*, ſignificans SPIRITVM ſanctum adiuuare infirmitatem hominis reluctantis ſuæ concupiſcentiæ; & quaſi ſimul cum eo reluctari concupiſcentiæ.

Ambroſius. *Auguſtinus.* *Origenes.* *Matth. 26.* *Damaſcen.*

86. Siue autem legamus, *infirmitatem*, ſiue, *infirmitates*, certum eſt, infirmitatem hominis, quam adiuuat SPIRITVS ſanctus, non vnam eſſe, neque vnius modi, ſed multiplicem: liceat autem hoc loco, docendi gratia, per cenſere nouem infirmitates hominis, quas SPIRITVS ſanctus adiuuat. Prima

Nouem infirmitates hominis, quæ auxilio indigent S. Spiritus.

eſt infirmitas intellectus humani ad cognoſcendum, quæ in præſens, & in particulari agenda, vel fugienda ſunt, & profutura, vel nocitura: & item ad prouidendum in futurum quæ fieri, aut caueri oportet. Secunda infirmitas eſt in voluntate, ad amandũ æterna bona, quæ futura ſunt, & nõ videntur, & præ illis contemnendũ bona tẽporali, aquę præſentia ſunt, & videntur, & vehementer mouent ſenſus noſtros, & allectant animum. Tertia infirmitas eſt in memoria, ad recordandum ea, quæ meminiſſe aſſiduè oporteret: hæc autem ſunt quatuor; primo DEI beneficia, vt grati ſimus: deinde iudicia DEI tam aduerſus improbos eos caſtigando & puniendo; quàm erga bonos, eos protegendo, & dirigendo; vt inter metum, & ſpem tuti ſemper incedamus. Ad hæc præcepta DEI, vt ea diligenter atque perſeueranter exequamur. Ac demùm peccata noſtra, vt eorum frequenti recordatione etiam atque etiam compungamur, & dignos pœnitentiæ fructus facere ſtudeamus. Quarta infirmitas eſt in ſpititu noſtro aduerſus concupiſcẽtiam carnis, quæ repugnat legi DEI & mentis noſtræ, & captiuos nos trahit in legem peccati, niſi à SPIRITV ſancto adiuuemur. Quinta eſt infirmitas aduerſus appetitum iraſcibilem, ne propter accepta damna, vel iniurias nobis illatas exardeſcamus in vindictam, ſed condonemus iniurias, & vt præcipit Dominus, diligamus inimicos noſtros, & benefaciamus eis. Sexta infirmitas, ad faciendum virtutum opera difficilia, & ardua, & quæ vocantur ſupererogationis. Septima infirmitas, ad mala quæ contingunt homini, tam animo quàm corpore, Chriſtiana patientia, & conſtantia, ac pietate perferendum, & in iis glorificandum DEVM. Octaua infirmitas, ad perſeuerandum in ſeruitute DEI, & obſeruantia mandatorum eius. eſt enim perſeuerantia, conſummatio, & corona omnium virtutum, Niſi enim quis perſeuerauerit in bono vſque in finem, ſaluus eſſe non poterit. Nona infirmitas eſt, ad orandum DEVM ſicut oportet: de qua nimirum infirmitate Apoſtolus præcipuè hic loquitur: nam cùm dixiſſet: *SPIRITVS adiuuat infirmita-*

Ad Rom. 7.

Matth. 24.

mitatem nostram, continuò adiunxit: *Nam quid oremus sicut oportet, nescimus.* Verùm de hac infirmitate, quoniam ea copiosum, & curiosum deposcit tractatum, propriè & separatim in proximè sequenti disputatione agendum est.

DECIMAOCTAVA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

NAM quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed ipse SPIRITVS postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus; quia secundum DEVM postulat pro sanctis.

Versu 26. et 27.

HÆc verba dupliciter cum superioribus connecti possunt, primùm quidem hoc modo: Cùm præcipua arma & præsidia ad infirmitatem nostram adiuuandam, sint orationes; SPIRITVS sanctus, qui orationes nostras suscitat, corrigit, supplet, dirigit, & vt ita loquar, dignificat, verè dictus est adiuuare infirmitatẽ nostram. Deinde hac ratione. Tantum abest, vt ipsi nobis præsidio & adiumẽto esse possimus; vt etiã quib. præsidiis & adiumentis opus sit nobis, ignoremus. Nã cùm & ipsa oratio magnũ sit præsidium, & per eam alia præsidia petantur, & impetrentur; nos tamen quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse SPIRITVS sanctus postulat, siue vt legit Augustinus, interpellat, vel intercedit pro nobis. Quanquam hoc loco græcè non est verbum ἐντυγχάνει, quod paulò infrà ponitur, significans intercedere, siue interpellare, vel vt Latinus vertit interpres, postulare; sed est verbum ὑπερεντυγχάνει, præpositio autem ὑπὲρ, Græcis in compositione significare solet

87.

quan-

quandam velut ſuper excellentiam: vt ſit hic ſenſus: Etiamſi ſpiritus noſter aliquando petit in oratione, ſibi nocitura; attamen Spiritvs ſanctus afflans animas noſtras, & quaſi præſidens votis & poſtulatis noſtris, corrigit quod malè petebatur, tanquam præfectus & præſidens cunctis interpellationibus: corrigit, inquam, dum quicquid petimus, eatenus nos petere facit, quatenus ad Dei gloriam, & vtilitatem noſtram conducit.

88. *S. Auguſtinus.* Auguſtinus in eo libro, in quo explanat complures huius epiſtolæ ſentētias, dupliciter accidere ait, vt neſciamus quid oremus: Primò quidem, quia vita æterna, quam ante omnia, & ſuper omnia in orationibus noſtris petere debemus, cùm ſit nobis abſens & inuiſibilis, & humana intelligentia incomprehenſibilis, quid ſit, neſcimus. Verùm hæc ignorantia noſtra in orando præcipuè verſatur in bonis, & malis temporalibus, cùm vel petimus bona temporalia dari, quæ tamen nobis data nocerent: vel cùm petimus liberari nos malis, quibus affligimur, quorum tamen perpeſſio proficit nobis plurimum, & ad peccatorum noſtrorum purgationem emendationemque, & ad promotionem, auctumque virtutum, & diuini nominis glorificationem. Auguſtini verba ſunt hæc: Neſcimus quid oremus; tum quia quod futurum ſperamus, & quo tendimus, necdum nobis apparet. Tum maximè, quia in præſenti vita poſsũt multa nobis videri proſpera, quæ ſunt aduerſa; & aduerſa, quæ ſunt nobis proſpera. Nam & tribulatio, quando accidit ſeruo Dei vel ad emendationem eius, vel ad probationem, videtur nonnunquam minus intelligentibus inutilis: verùm ſi referatur ad illud: *Da nobis auxilium de tribulatione; & vana ſalus hominis*, intelligitur, quia plerumque nos Devs per tribulationes adiuuat, & fruſtra ſalus optatur, quæ aliquando aduerſa eſt, cum huius vitæ amore ac delectatione implicat animam. Vnde eſt illud: *Tribulationem, & dolorem inueni.* Dicens, *Inueni*, ſignificauit vtilem ſibi: non enim rectè gaudemus nos inueniſſe, niſi quod quærebamus, tanquam vtile. Ergo quid oremus, ſicut

Pſalm. 59.

Pſalm. 114.

ſicut oportet, neſcimus: DEVS autem nouit, & quid nobis in hac vita expediat, & quid poſt hanc vitam daturus ſit nobis. Sed quid eſt illud: *Ipſe SPIRITVS interpellat gemitibus inenarrabilibus?* Gemere dicit SPIRITVM, eo quod nos gemere faciat charitate ſuſcitans, & incendens deſiderium futuræ vitæ. Simili vtitur locutione ſcriptura Deuteronomij 13. in illis verbis: *Tentat vos DEVS, vt ſciat vtrum diligatis eum*, id eſt, vt ſcire vos faciat. non enim DEVM latere aliquid poteſt. Hæc Auguſtinus.

89. *Sex modis errari poſſe in orando.*

Verùm nos multiplicem ignorantiam noſtram in orando, paulò diſtinctius, & plenius declaratam, lectori exponamus. Multis ex cauſis accidit, vt in orando erremus, neſcientes quid orare nos oporteat, aut deceat, aut nobis tunc expediat. Primùm quidem erratur, ſi bonum quodpiam temporale, tanquam nobis vtile petatur à DEO, quod tamen nociturum nobis foret, ſi datum eſſet; futurum nempe magno incitamento ad peccandum, vel impedimento ad maius aliquod bonum aggrediendum, perficiendumque. Deinde cum quis obnixè petit liberari ſe aliquo malo, quo moleſtè afficitur, non ſolùm malo pœnæ, ſed etiam quod incitat ad malum culpæ: cùm tamen eius mali perpeſſio, multum conducat ei ad cuſtodiam humilitatis. Beatus certè Paulus ter Dominum rogauit, vt auferret ſibi ſtimulum carnis, qui eum vehementer colaphizabat: Sed videns Dominus Paulum per illam afflictionem contineri in ſtudio cultuque humilitatis, ne reuelationum magnitudo videlicet extolleret eum in ſuperbiam, non indulgens tunc ei quod petebat, reſpondit ipſi: *Sufficit tibi gratia meâ: nam virtus in infirmitate perficitur.* Tum erratur in orando, cùm aliquid petitur ambitioſa quadam cupiditate honoris, improboque ſtudio inanis gloriæ. Sicut filiis Zebedæi petentibus dari ſibi primas ſedes in regno CHRISTI, reſponſum eſt: *Neſcitis quid petatis.* Ad hæc cùm petitio proficiſcitur à zelo quidem honoris DEI, ſed non ſecundum ſcientiam: huiuſmodi fuit petitio Iacobi, & Ioannis rogantium Dominum, vt ignem de

2. Ad Cor. 12.

Matth. 20.

cœlo descendere faceret aduersus Samaritanos, qui transitum ipsi per suas ciuitates denegauerant: quibus respondit Dominus, vt refert Lucas capite 8. *Nescitis cuius spiritus estis.* Præterea nonnunquam petitur, quod tunc dari non esset vtile petenti, vel certè vtilius erit ei, si differatur; vt ex dilatione, virtus fidei, & studium orationis, & meritum perseuerantiæ augeatur.

Locus Lucæ cap. 8.

Ac licet certum sit, posse nos sine vllo erroris metu petere à DEO vitam æternam: attamen circa varios modos, quibus DEVS vult homines ducere ad eius consecutionem, errari potest. Nam quibusdam expedit renunciare mundo, & religiosam vitam agere: aliis verò secularem potius, & vel Ecclesiasticam; vel laicam, & vel cœlibem, vel coniugalem, & vel exercere vitam actiuam, vel contemplatiuam. Ergo licet certum nobis sit, petendam esse à DEO nobis vitam æternam: incertum tamen est, cùm variis modis ad eam perueniri queat, quis eorum maximè nobis expediat. Hanc itaque ignorantiam particularium modorum conducentium singulis hominibus ad vltimum finem vel simpliciter, vel facilius, & securius, & plenius consequendum, indicat Paulus, hoc loco dicens: *Nam quid oremus sicut oportet, nescimus.* Et circa hoc versatur potissimùm directio SPIRITVS sancti, inducentis nos ad petendum vtiliora, & meliora, non simpliciter, sed nobis: & docentis nos petere conuenientia, & expedientia nobis, vel in præsens, vel in futurum, atque adeò in perpetuum.

Docet porrò SPIRITVS orare, sicut oportet, & quoscumque homines vult, & quibus modis vult, & quantum, & quatenus vult, & quàm citò vult. Neque enim ad percipiendam eius doctrinam, opus est magno ingenio, præstanti memoria, diutino studio, longo vsu, & ingenti labore. Audiat lector præclaram super hac re B. Leonis sententiam: O quàm, inquit, velox est sermo sapientiæ: & vbi DEVS magister est, quàm citò discitur, quod docetur. Non est adhibenda interpretatio ad audiendum, non consuetudo ad vsum, non tempus

Leo sermone 1. in festo Pentecostes.

tempus ad studium; sed inspirante vbi vult, SPIRITV veritatis, propriæ singularum gentium voces, factæ sunt in Ecclesiæ ore communes, &c.

DECIMANONA DISPVTATIO.

SVPER IISDEM VERBIS APOSTOLI.

IN eo autem quod sequitur: *Sed SPIRITVS postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, scire conuenit, sanctorum gemitus dici inenarrabiles, vel ea ratione, vt excitantur & proueniunt à SPIRITV sancto, cuius potentia & efficacitas in animos hominum est inenarrabilis: vel vt versantur circa modos illos particulares consequẽdi vitam æternam, suprà expositos, ipsis Sanctis ignotos atque ineffabiles: vel quia maior est interior affectus charitatis, suscitans illos gemitus, omni externo sermone. Vel dicũtur illi gemitus inenarrabiles respectu cœlestis gloriæ, & illius perfectissimæ pacis, quam sancti gemendo & suspirando flagrantissimè desiderant, & instantissimè petunt. Ea verò est prorsus inenarrabilis, & incomprehensibilis, sicut Apostolus dixit: *Pax DEI, quæ exuperat omnem sensum.* Et ipsemet Apostolus, qui putatur vidisse raptim illam cœlestem gloriam, testatur vidisse se arcana DEI, quæ non licet homini loqui. Ita etiam sentit B. Augustinus in epistola 121. Verumtamen, inquit, quia ipsa est pax, quæ præcellit omnem intellectum, etiam ipsam in oratione poscendo, quid oremus sicut oportet, nescimus. Quod enim, sicuti est, cogitare non possumus, vtique nescimus. Sed quicquid cogitanti occurrerit, abiicimus, respuimus, improbamus, non hoc esse quod quærimus, nouimus; quamuis illud, nondum quale sit, nouerimus. Est ergo in

90. *Quibus ex causis sanctorum gemitus sint inenarrabiles.*

Ad Philip. 4.

2. ad Cor. 12.

S. Augustinus.

nobis quædam, vt ita, dicam, docta ignorantia: sed docta SPIRITV DEI, qui adiuuat infirmitatem nostram. Sic ille.

91. *Non multiloquium, sed gemitus & suspiria commēdare orationes nostras Deo, ex B. Augustino. Iaculatoria orationes.*

Hinc licet intelligere orationem, quæ à SPIRITV sancto prouenit, non multiloquio, sed gemitibus & suspiriis commendari, & placere DEO. De quo Augustinus eodem in loco ita scribit: Dicuntur fratres, qui sunt in Ægypto, crebra quidem habere orationes, sed eas habere breuissimas, & raptim quodammodo iaculatas: ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimùm necessaria est, per productiores moras languescat atque hebetetur intentio. Ac per hoc etiam ipsi satis ostendunt, hanc intentionem, sicut non est obtrudenda si perdurare non potest; ita, si perdurauerit, non citò esse rumpendam. Absit porrò ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si feruens perseuerat intentio. Nam multum loqui, est in orando rem necessariam, superfluis agere verbis. Multum autem precari est ad eum quem precamur, diuturna, & pia cordis exercitatione pulsare. Nam plerumque hoc negotium orationis, plus gemitibus, quàm sermonibus agitur, plus fletu quàm affatu. Ponit autem lacrymas nostras in conspectu suo DEVS, & gemitus noster non est absconditus ab eo, qui omnia per VERBVM condidit, & humana verba non quærit. Nobis ergo verba necessaria sunt, quibus commoueamur; non quibus Dominum seu docendum, seu flectendum esse credamus. Hæc Augustinus.

Psalm. 55. *Psalm. 37.* *Ioan. 1.*

92. *Cum ex instituto, & magisterio Christi dicentes orationem Dominicam, multa per eam petamus; quomodo Apostol. dixit, nescire nos in orando quid petamus. Matth. 6. S. Augustinus.*

Sed existit quæstio, Quomodo Apostolus dicat, nescire nos quid oremus? nam cùm orationem dominicam dicimus, quam Dominus ipse instituit, & discipulos suos docuit in qua continentur plures petitiones, partim ad ipsum DEVM, partim etiam ad nos pertinentes; proculdubio scimus quid oremus, & quid petamus. B. Augustinus supradicto loco hanc ipsam quæstionem ponit, & soluit, dicens, Apostoli sententiam intelligendam esse de oratione, quæ fit pro cōsecutione bonorum temporalium, vel malorum temporalium depulsione. Augustini verba sunt huiusmodi. Adhuc

est fortasse quod quæras, cur Apostolus dixerit: *Quid enim oremus sicut oportet, nescimus.* Neque enim vllo modo credendum est, vel ipsum, vel quibus ista dicebat; Dominicam nesciisse orationem. Cur ergo putamus hoc eum dixisse, quod nec temerè potuit, nec mendaciter dicere? nisi quia molestiæ, tribulationesq; temporales plerumq; prosunt vel ad sanandum tumorem superbiæ; vel ad probandam exercendamq; patientiam, cui probatæ & exercitatæ clarior merces, vberiorq; seruatur; vel ad flagellanda, & abolenda quæcumq; peccata: nos tamen nescientes quid ista prosint, ab omni tribulatione oramus & optamus liberari. Ab hac ignorantia ne seipsum quidem Apostolus ostendit fuisse alienum, nisi fortè quid oraret, sicut oportet, nesciebat, quando ne ob magnitudinem reuelationum extolleretur, datus est illi stimulus carnis, Angelus satanæ, qui eum colaphizaret. Propter quod ter Dominum rogauit, vt auferret illum à se: nimirum nesciens quid oraret. Deniq; DEI responsum, cur non fieret, quod vir tantus orabat, & quare fieri non expediret, audiuit: *Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* In his ergo tribulationibus, quæ possunt & prodesse, & nocere, quid oremus, sicut oportet, nescimus: & tamen quia dura, quia molesta, quia contra sensum nostræ infirmitatis sunt, humana voluntate, vt à nobis hæc auferantur, oramus. Sed hoc deuotionis debemus Domino DEO nostro, vt si ea nobis non abstulerit, non ideo nos ab eo negligi existimemus, sed potius pia patientia malorum, bona speremus ampliora, sic enim virtus in infirmitate perficitur, nonnullis quippe impatientibus, quod petebant, concessit iratus; sicut contra Apostolo quod petebat, negauit propitius. Nam legimus Hebræi quid, & quomodo petierint, & acceperint: sed expleta concupiscentia, impatientia est grauiter castigata. Dedit etiam quod diabolus postulauit, vt probandus eius famulus tentaretur. Exaudiuit & immundos Spiritus, rogantes, vt legio dæmonum in gregem porcorum mitteretur. Hæc scripta sunt, ne fortè quispiam se magni pendat, si fuerit exauditus,

2.Cor.12.

Num.11.

Iob 1.& 2.

Luc.8.

cum aliquid impatienter petit, quod non impetrare, plus prosit. Aut ne se quis abiiciat, aut de diuina erga se miseratione desperet, si non exaudiatur, cum fortè aliquid petit, quo accipiendo affligatur atrocius, vel à prosperitate corruptus, penitus euertatur. Ergo quid oremus, sicut oportet, nescimus: Vnde si aliquid contra quam oramus, acciderit, patienter ferendo, & in omnibus gratias agendo, hoc potius oportuisse fieri, quod DEVS, non quod nostra voluntas voluit, minime dubitare debemus. Nam & huiusmodi exemplum præbuit nobis ille Mediator: qui cum dixisset: *PATER, si fieri potest, transeat à me calix iste*, humanam videlicet in se voluntatem ex hominis susceptione transformans: continuo subiecit: *Veruntamen non quod ego volo, sed quod tu vis, PATER.* Vnde non immeritò per vnius obedientiam iusti constituentur multi. Hactenus ex B. Augustino.

Diximus suprà, Macedonianos hæreticos, hac Pauli sentētia esse abusos, ad probandum, SPIRITVM sanctum non esse DEVM, sed naturam quandam creatam, minorem PATRE, & FILIO: non minori profectò inscitia, quam impietate, vt illic ostēsum est. Hos ipsos Macedonianos grauissimis verbis detestans Magnus Leo Papa, dicit quædam præclara, & quæ hunc Apostoli locum illustrare possunt. Sicut, inquit, detestamur Arrianos, qui inter PATREM & FILIVM aliquam volunt esse distantiam: ita etiam Macedonianos pariter detestamur, qui licet PATRI, & FILIO tribuant æqualitatem, SPIRITVM tamen sanctum inferioris putant esse naturæ: non considerantes in eam se blasphemiam incidere, quæ neque in præsenti seculo, neque in futuro sit remittenda iudicio, dicente Domino: *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra SPIRITVM sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro.* Permanens itaque in hac impietate, sine venia est; quia exclusit eum à se, per quem poterat confiteri: nec vnquam peruenit ad indulgentiæ remedium, qui patrocinaturum sibi non habet aduocatum. Ab ipso enim sancto SPIRITV est inuocatio PA-

TRIS:

Margin: ...26. / ...m. cap. 7. / ...93. / in festo ...ostes / ...edonia- / ...12.

TRIS: ab ipso sunt lacrymæ pœnitentium: ab ipso sunt gemitus supplicantium: & nemo potest dicere, Dominus IESVS, nisi in SPIRITV sancto. Per hunc SPIRITVM omnis Ecclesia Catholica sanctificatur, omnis anima rationalis imbuitur: ipse est inspirator fidei, doctor scientiæ, fons dilectionis, signaculum castitatis, ipse totius est causa virtutis. Hæc sanctus Pontifex Leo.

1. Cor. 12.

VIGESIMAPRIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

SCIMVS autem quoniam diligentibus DEVM omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti.

Versu 28.

VISVM mihi est ante omnia, primo loco hic exponere lectori luculentam horum Apostoli verborum interpretationem à B. Augustino non vno tantùm in loco traditam. In libro de correptione, & gratia cap. 9. ita scribit: *Scimus quia diligentibus DEVM, omnia cooperantur in bonum.* Sciens, nonnullos diligere DEVM, & in eo bono non vsque in finem permanere, addidit: *Iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Hi enim in eo quod diligunt DEVM, permanent vsque in finem: & qui, ad tempus, inde deuiant, reuertuntur, vt vsque in finem perducãt, quod in bono esse cœperunt. Ostendens autem Apostolus quid sit secundum propositum vocari, proximè adiecit: *Nã quos præsciuit, & prædestinauit conformes imaginis FILII eius, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autẽ prædestinauit illos & vocauit.* scilicet secundũ propositum. *Quos autem vocauit: ipsos iustificauit: quos autẽ iustificauit, ipsos & glorificauit.* Quicum-

94.

cumque ergo in DEI prouidentissima dispositione præsciti, prædestinati, vocati, iustificati, glorificati sunt, iam filij DEI sunt, & omnino perire non possunt: Hi verè veniũt ad CHRISTVM, & verè dantur ipsi à DEO PATRE: de quibus nimirum ipse dixit: *Omne, quod dat PATER mihi, ad me veniet, & eum qui venit ad me, non eiiciam foras. Hæc est Voluntas eius, qui misit me, PATRIS, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo.* Ab illo ergo datur etiam perseuerantia in bono vsque in finem; neque enim datur, nisi eis, qui non peribunt; & qui non perseuerabunt, peribunt. Talibus DEVS diligentibus ipsum, omnia cooperatur in bonum: vsque adeo prorsus omnia, vt etiam si qui eorum deuiant, & exorbitant, etiam hoc ipsum ipsis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores: discunt enim in ista ipsa vita iusta, cum tremore se exultare debere; non sibi arrogando tanquam de sua virtute, fiduciam permanendi, nec dicendo in abundantia sua: *Non mouebor in æternum.* Propter quod eis dicitur: *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: nequando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* Et rectè dixit: *de via iusta*, ne videlicet pereant de via iusta, in qua iam ambulare cœperunt, dum sibi hoc ipsum assignant, quòd in via iusta ambulant. Contra quod dixit idem Apostolus: *Cum timore, & tremore, vestram ipsorum salutem operamini: DEVS enim est, qui operatur in vobis & velle, & operari pro bona voluntate.* Hæc in eo loco Augustinus.

Ioan 1. *Psal 29.* *Psal. 2.* *Ad Philip. 2.*

95. Idem in libro Solilo. cap. 28. sic habet: Mundas Domine de filiis hominum, eos, in quibus tibi complacuit habitare: quos sine eorum meritis prędestinasti ante mundum, & vocasti de mundo, & iustificasti in mundo, & magnificas eos post mundum. Non omnibus autem hoc facis: quod admirantur tabescentes omnes terræ sapientes. Et ego Domine id ipsum considerans expauesco, & obstupesco de altitudine diuitiarum sapientiæ, & scientiæ tuæ, ad quam ego non pertingo: quoniam ex eodem luto alia quidem facis vasa in honorem, alia verò in contumeliam sempiternam. Quos igitur tibi elegi-

Ad Rom. 11.

legisti de multis in templum sanctum tuum, ipsos mundans, effundens super eos aquam mundam: quorum nomina, & numerum tu nosti, qui solus numeras multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocas: qui etiam scripti sunt in libro vitæ, & nequaquam perire possunt: quibus omnia cooperantur in bonum, etiam ipsa peccata. Cum enim cadunt, non colliduntur, quia tu supponis manum tuam, custodiens omnia ossa eorum, vt vnum ex eis non conteratur. Contra verò mors peccatorum pessima est: illorum, quos antequam faceres cœlum & terram, secundum abyssum iudiciorum tuorum occultorum, semper autem iustorum, præsciuisti ad mortem æternam: quorum dinumeratio & nominum, & meritorum prauorum apud te est, qui numerum arenæ maris dinumerasti, & dimensus es profundum abyssi. Istos reliquisti in suis immunditiis: & istis omnia cooperantur in malum, & ipsa etiam oratio vertitur in peccatum: vt etiam si vsque ad cœlos ascenderit, & caput eorum nubes tetigerit, & inter sidera cœli collocauerint nidum suum; quasi sterquilinium tamen in fine perdentur. Magna sunt hæc iudicia tua Domine DEVS: quæ cùm considero, contremiscunt omnia ossa mea. Hactenus ex Augustino, aliaque complura, & præclara ad huius loci Apostolici explanationem pertinentia reperire apud eum licet in lib. 13. de TRINITATE. Et in epistola 121.

Supp... 2. Tim. 2. Psalm. 146. Psalm. 36. Psal. 33. Eccles. 1.

96. Sed nos expressius hanc ipsam Pauli sententiam declaremus per partes, singillatim verba eius pensitantes. *Omnia cooperantur.* Duplex horum verborum est lectio: nam græcè sic est: πάντα συνεργεῖ, quod ambiguam habet sententiam. Illud namque πάντα, potest esse Nominatiui casus: & illud συνεργεῖ, potest accipi pluratiuo numero, & ita facit sensum, quem reddidit latinus interpres, & secutus est Origenes, pro illo, *cooperantur*, dicens, *collaborant*. Vulgo putatus Ambrosius interpretatur, *procedunt*, verus Ambrosius cap. 8. lib. 6. Hexameron vertit, *concurrunt*. Denique hanc lectionem pluribus in locis citat Augustinus. Rectè porrò dicitur, *cooperantur*,

Origenes. Ambrosius.

quia vnà cum illis cõcurrere debet bonus vſus liberi arbitrij: nimirum aduerſa proſunt ei, qui ea patienter, & conſtanter perfert: proſpera verò ei, qui moderate ac prudenter eis vtitur. Ergo ſenſus eſt, omnia quæ ſanctis eueniunt, eſſe adiumento illis ad æternæ vitæ conſecutionem. Huius ſimile eſt, quod legitur in libro Prouerbiorum: *Iuſto quicquid acciderit, non contriſtabit eum.*

Locus Prou.12.

97. Altera lectio eſt, ſecundum quam illud πάντα, accipitur tanquam accuſatiui caſus, & verbum illud, συνεργεῖ, ſumitur numero ſingulari, cuius verbi ſuppoſitum ſubintelligitur DEVS, in hanc videlicet ſententiam, DEVM cooperari, & conuertere omnia in bonum, iis; qui diligunt eum. Hanc lectionem præfert Caietanus, quòd ea pulchrè quadrat rationi, quæ mox ſubditur. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit,* hic enim ſubintelligitur DEVS, non autem SPIRITVS ſanctus, quoniam additur, *Conformes imaginis FILII ſui.* Quadrat etiam ſententiæ illi, quæ proximè anteceſſit: *Qui autem ſcrutatur corda,* vbi etiam ſubintelligitur, DEVS. Quadrat denique ei, quod dictum fuerat. *Secundum DEVM poſtulat pro ſanctis.* Declaratur autem, quid ſit: *Secundum DEVM pro ſanctis,* per id quod ſubditur: *Omnia cooperantur in bonum diligentibus DEVM.* Illud porrò, *omnia,* præcipuè ſignificat aduerſa, & triſtia, & aſpera, afflictiones dico tam internas, quàm externas. Gloſſa quæ ſumpta eſt ex Auguſtino, *omnia,* interpretatur, etiam peccata. Verùm dicet quiſpiam, ſi etiam peccata electis proficerent in bonum, hoc ideo eſſet, quia cum electi amittunt priorem gratiam, in peccatum aliquod mortale lapſi, poſtea reſurgentes per pœnitentiam, vberiorem gratiam reciperent; hoc tamen non ita ſemper euenire cernimus. Sed reſpondendum eſt, ſpirituale bonum hominis, non ſolùm conſiſtere in quantitate gratiæ, ſed præcipuè in perſeuerantia ipſius vſque ad mortem: *Qui enim perſeuerauerit vſq; in finem, hic ſaluus erit.* Vir autem iuſtus, qui ex numero eſt Prædeſtinatorum, lapſus in peccatum mortale, reſurgit cautior, & humilior, ob idq; firmior, & perſeuerantior: nempe intelligens veriſſi-

Quomodo electis etiam peccata proficiant in bonum.

Matth.24.

verissimum esse illud Pauli dictum: *Cum timore & tremore vestram salutem operamini.* Ergo in rebus aduersis, quæ viris iustis accidunt, per infirmitatem exercetur eorum humilitas: per afflictiones patientia; per contradictionem, sapientia, & prudentia; per odium, & insectationem inimicorum, mansuetudo, & charitas.

Ad Philip. 2.

98. Sedenim Apostolus hoc loco duas ponit conditiones, sine quibus non omnia cooperantur hominibus in bonum. Et vna quidem conditio est, vt sint diligentes DEVM, nam qui DEVM diligunt, sine dubio diliguntur à DEO, ipse enim dixit: *Ego diligentes me diligo*: Et Dauid ait: *Pax multa diligentibus legem tuam.* Qui autem diligitur à DEO, habitat in adiutorio Altissimi, & in protectione DEI cœli commoratur, vt nihil ei, qualecumque, & quantumcumque sit, nocere queat, sicut in illo Psal. 90. fusè declaratur. Altera conditio est, vt illi sint secundũ DEI propositum vocati sancti: significat autem nomen illud, propositum, certum volũtatis diuinæ decretũ, circa salutem hominum, hoc est, ipsam prædestinationem, quam scilicet Augustinus definit Propositum miserendi. Illud: *Vocati Sancti*, idem est, ac vocatione, vel professione sancti, siue vocati ad sanctimoniam: quanquam nec græci codices qui nunc extant, habent vocem illam, *Sancti*, nec Augustinus pluribus in locis hunc locum citans, eam legit, licet legat eam lib. 2. Retractat. cap. 21. & lib. 4. de doctrina Christiana cap. 20. & Ambrosius lib. 6. Hexamer. cap. 8.

Prou. 8.
Psal 118.
Psal. 90.

99. Iuuat hic adscribere partem sermonis, quem S. Bernardus fecit de fallacia præsentis vitæ: facit enim ad illustriorem huius Apostolicæ sententiæ, tractatum, & intelligentiam. Disputans Bernardus, creaturas corporeas, post peccatum primi hominis, non magis seruire hominibus, quàm homines seruiant eis, & vix vllam ex earum seruitio capere homines vtilitatem, nisi eis prius ipsi seruierint, ita scribit. Seruire nobis videntur aliqua, sed cum labore nostro, nec nisi prius seruierimus eis. Iumenta ipsa, nisi fuerint à nobis nutrita, nisi domita, nisi fuerint pabulo sustentata, non adiuuant.

Præclara B. Bernardi sententia.

Terra ipsa, quæ debuerat nobis esse germanior, non sine sudore vultus nostri panem nobis ministrat: immo cum coluerimus eam, spinas ac tribulos germinat nobis. Et cetera omnia, si recte consideremus, seruitium à nobis magis exigunt, quàm exhibent nobis: vt ea interim sileam, quæ nobis sunt parata nocere, vt ignis ad exurendum, aqua ad submergendum, feræ ad lacerandum. Et hæc quidem ita se habent: sed non mentitur tamen Apostolus asseuerans scire se. *Quoniam diligentibus DEVM, omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Veruntamen solerter attende, quod non ad libitum famulari nobis dicit, sed cooperari ad bonum. Neque enim ad voluntatem seruiunt, sed ad vtilitatem: non ad voluptatem, sed ad salutem: non ad votum, sed ad commodum nostrum. Vsq; adeo autem in hunc modum, omnia nobis cooperantur in bonum, vt inter hæc omnia, etiam ea, quæ nihil sunt, numerentur, molestia, morbus, & ipsa etiam mors, & peccatum; quæ quidem constat naturam aliquam non esse, sed naturæ corruptiones. An non ei peccata ipsa cooperantur in bonum, qui ex eis humilior, feruentior, sollicitior, timoratior, & cautior inuenitur? Hæc Bernardus.

VIGESIMAPRIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Versu 29.

NAM quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis FILII sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.

APO-

100. *Quid hoc loco significet verbum praesciuit.*

APOSTOLVS his verbis, & proximè sequentibus probat eleganti quadam gradatione, nihil posse Electis accidere, quod eorum interuertat, & perdat salutem: quia etiam mala ipsa esse illis adiumento ad æternam felicitatem consequendam. Sed dubium esse posset, an illud, *præsciuit*, pertineat tantùm ad rationem, an etiam ad voluntatem, hoc est, an denotet solùm simplicem scientiam DEI, an verò scientiam causalitatis coniunctum habens propositum, & determinationem diuinæ voluntatis. Omninò videtur aptior, & planior, & fortior fore probatio, si illud, *præsciuit*, significet scientiam approbationis, & dilectionis, vt sit hic sensus: Quos DEVS præcognouit, & elegit, vt fierent conformes imaginis FILII sui; eosdem & prædestinauit, id est, ab æterno firmiter & immobiliter definiuit, eos fieri conformes imaginis FILII sui. Prædestinatio etenim, siue vt vox græca, si latinè ad verbum reddatur, sonat, prædefinitio, significat certam, & immutabilem DEI præordinationem aliquorum ad vitam æternam, & præparationem mediorum, quibus ad eam perducantur. In prædestinatione itaque verissimè dici potest illud Isaiæ 46. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Solitum verò esse Paulum, verbum, *præscire*, prout significat scientiam approbationis, vsurpare, indicat alter ille locus eius, qui est initio capitis vndecimi huius epistolæ, vbi sic est: *Numquid DEVS repulit populum suum? Absit. Nam & ego Israëlita sum, ex semine Abraham, de tribu Beniamin. Non repulit DEVS plebem suam, quam præsciuit.* Hoc etiam sensu dixit S. Petrus, CHRISTVM fuisse à DEO præcognitum ante mundi constitutionem. Tres porrò actus in DEO ab æterno, respectu electorum, secundum nostrum modum intelligendi, & rationis ordinem distinguunt Theologi: primus est dilectio; alter, electio; tertius prædestinatio. Videat lector horum explicationem apud beatum Thomam, in prima parte quæstione 23. art. 4.

1 epist. cap. 1.

S. Thomas.

101. Aliam expositionem huius loci magis quidem subtilem,

Caietanus. sed minus fortasse congruam textui, tradit hoc loco Caietanus. Is enim verbum illud, *præsciuit*, refert ad scientiam DEI, quam ipse vocat absolutam, quę præuenit determinationem voluntatis diuinæ: illud autem verbum, *prædestinauit*, siue, vt ipse secundum græcã lectionem, legit, *prædefiniuit*, refert ad scientiam causalitatis, vel euẽtuum, quæ coniunctã secum habet determinationẽ, & decretũ voluntatis diuinæ. Inter has aũt scientias interest hoc, ꝙ prior illa, non præsupponit DEVM velle creare res: posterior aũt præsupponit; quo fit, vt prior illa nõ præcedat diuinam futurorũ euentuũ prædefinitionem, sed potius eam sequatur: prius enim (non duratione temporis, sed ratione ordinis) DEVS volendo definiuit quæ facienda sunt, quàm sciat illa fore; immò ratio quod sciat illa fore, est, quia volendo definiuit illa fore. Non igitur Paulus docet hoc loco, præscientiam esse rationem prædestinationis, siue prædefinitionis: sed è contrario, prædestinationem esse rationem præscientiæ. Est itaque horum Apostoli verborum sensus huiusmodi: Dixi, omnia cooperari in bonum vocatis secundum DEI propositum: & huius ratio est, quia quos præsciuit conformes fieri imaginis FILII sui, prius, tales fore, prædefiniuerat decreto suæ voluntatis. Ergo illa præpositio, *præ*, ante posita verbo, *definiuit*, vel, *destinauit*, denotat prioritatem, non modò temporis in ordine ad definitos, sed etiam causalitatis, & rationis in ordine ad præscientiam DEI. Atque ita Caietanus super hoc loco theologatur.

102. *Origenis sententia excutitur.* Origenes in huius loci tractatu ait, scientiam DEI non esse causam rerũ futurarum, sed contrà, rerum, vt ita loquar, futuritionem, esse rationem diuinæ scientiæ earum rerum. Non enim, inquit, propterea aliquid erit, quia id scit DEVS futurum: sed quia futurum est, ideo scitur à DEO, antequam fiat. Quod Origenis dictum, simpliciter acceptum, non est verum. Cùm enim DEVS sit agens per intellectum, ita se habet ad effectionem rerum, sicut artifex ad effectionem rerum artificialium: sicut igitur ars in artifice est causa rerum arti-

artificialium; ita ſcientia DEI erit cauſa eorum, quæ ab ipſo efficiuntur: non tamen ſcientia ſimpliciter, & abſtractè ſumpta, vt quæ ſit indifferens & indeterminata ad hoc vel illud faciendum; ſed vt adiunctam habet determinationem voluntatis: quæ quidem ſcientia vocari ſolet ſcientia approbationis; & de ea locutus eſt Auguſtinus in libro 15. de TRINITATE cap. 13, cùm dixit, vniuerſas creaturas, & ſpirituales, & corporales, non quia ſunt, ideo nouit eas DEVS: ſed ideo ſunt, quia DEVS eas nouit. Origenes autem dicens, ſcientiam DEI non eſſe cauſam rerum; accepit ſcientiam priori modo, & ante determinationem voluntatis: ſed quod dixit, ideo præſcire DEVM aliqua, quia ſunt futura, intelligendum eſſe docet B. Thomas ſecundum cauſam conſequentiæ, non autem ſecundum cauſam eſſendi. Sequitur enim, ſi aliqua ſunt futura, DEVM ea præſciuiſſe: non tamen res futuræ, ſunt cauſæ, cur DEVS eas ſciat.

S. Auguſtinus.

1. Par q. 14. art. 8.

103. *Quid ſit conformes eſſe imaginis Filij Dei.* *Theodoretus.*

Illa porrò verba, quæ ſubobſcuram habent ſententiam: *Conformes fieri imaginis FILII ſui.* (Obſcurum enim eſt, quænam ſit illa FILII DEI imago, cui prædeſtinati fiunt conformes) hunc in modum interpretatur Theodoretus: Apoſtolus perfectè, & accuratè loquens, non dixit, conformes FILII ſui: hoc autem apertius poſuit in epiſtola ad Philippenſes capite 3. *Noſtra*, inquit, *conuerſatio eſt in cælis, vnde SALVATOREM expectamus Dominum IESVM, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ.* Neque enim noſtrum corpus erit DIVINITATI eius conforme, ſed gloriæ corporis eius. Ita etiam hoc loco, præſcitos, & prædeſtinatos à DEO, nominauit conformes imaginis FILII ſui. nam quia DEI natura ſub viſum non cadit, eſt autem corpus aſpectabile, tanquam in aliena imagine per corpus adoratur. Id etiam cõfirmat, ꝙ adiunxit: *Vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Primogenit⁹ etenim dicitur CHRISTVS, quia homo eſt; nam quà DEVS eſt, non primogenitus, ſed vnigenitus eſt: nõ enim vt DEVS eſt, fratres habet, ſed vt homo eſt: & fratres quidem appellat eos, qui in ipſum crediderunt. Nec verò

alius

alius est primogenitus, alius vnigenitus, sed idē est vtrumq;, sicut idem est & DEVS, & homo. Sic Theodoretus. Vult igitur Theodoretus conformitatem Electorum ad imaginem FILII DEI, esse in glorificatione corporum, quam illi accipient in resurrectione: per hanc enim conformabuntur, & configurabuntur claritati, & gloriæ corporis CHRISTI, in quo elucet imago quædam interioris gloriæ animæ eius, & diuinitatis. Sed vt verum sit hoc, nō in eo tamen est vel tota, vel principalis conformitas Electorū ad imaginē FILII DEI, vt ex his, quæ subiiciam, manifestum erit lectori.

104. *Dominicus Sotus.*

Sotus, vir inter celebres huius ætatis Theologos, merito suo, numerandus, in suis commentariis super hac epistola, minimè profectò aspernandis, hunc locum satis accuratè docteque tractat, ita scribens: Dicens Apostolus, prædestinari sanctos conformes imaginis FILII DEI, indicauit scopum, supremumq; finem prædestinationis. Est enim CHRISTVS Dominus causa nostræ salutis, qua homo est, non solùm meritoria, &, suo gradu, efficiens; sed etiam exemplaris; ad cuius scilicet similitudinem beatificandi sunt omnes sancti, quotquot participes futuri sunt hæreditatis æternæ. Et ipse quidem, qua homo, est in culmine participatæ beatitudinis; ad quam tanto propius, vel distantius accedunt beati homines, quanto per ipsius gratiam plus, minusue charitate profecerunt. Sunt qui putent, Apostolum consultò dixisse conformes imaginis FILII DEI, & non imagini, ne putaretur similitudo ad CHRISTVM mediata per aliud quoddam; cùm autem dicitur, *imaginis*, significatur conformitas ad CHRISTVM secundum imaginem ipsius, quam in nobis gestamus, iuxta illud eiusdem Apostoli: *Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis.* Sed reuera idem est, conformes esse imaginis, atque imagini, sicut similes esse Cæsaris, vel Cæsari. Et ideo vel est locutio intransitiua, in hunc sensum, conformes imaginis FILII DEI, id est, conformes FILII DEI, qui est imago inuisibilis DEI, vt ipse dixit, ad Colossen. cap. 1. vel est hebraismus; vt conformari

1. *Ad Cor.* 15.

imagi-

imagini FILII DEI, significet, assimilari FILIO DEI. Circa illud porrò: *Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Sciendum est, quod CHRISTVS non modò secundum æternam generationem, est vnigenitus, non habens fratres; verùm etiam secundum humanam generationem, per quam factum est, vt homo ille, cuius humanitas assumpta est in vnitatem personæ diuinæ, verè dicatur, & sit FILIVS DEI, non adoptiuus, sed naturalis: qua ratione nullus alius est FILIVS DEI, nec dici potest frater CHRISTI. Dicitur itaque primogenitus in multis fratribus partim æquiuocè, secundum vocis tantùm communitatem: partim vniuocè. Æquiuocè quidem, hunc in modum; cùm ipse sit filius naturalis, & nos, per eius gratiam, filij adoptiui; quantum ad ipsam vocis communitatem, & nonnullam rei similitudinem, ipse est primogenitus; alij verò gratia eius præditi, cùm sint etiam filij, sunt quodammodo fratres eius. Et Paulus quidem appellauit eum primogenitum omnis creaturæ, non quia, vt impius dixit Arrius, esset prima creaturarum: sed quod de perfectissima diuinæ ESSENTIÆ cognitione, in qua omnis relucet creatura, genitus est. Idem Paulus alibi vocauit eum primogenitum mortuorum, quia vt homo, qui mortuus fuerat, primus omnium resurrexit ad vitam immortalem & beatam. Potest etiam vniuocè dici quodammodo primogenitus; quia eandem gratificantem gratiam, quam ipse, quà homo, accepit, receperunt etiam ab ipso alij; per quam filij etiam Dei dicuntur, & sunt: adeò prorsus, vt sicut ipse DEVM vocat PATREM suum, ita nos quoque filij adoptionis, appellemus Patrem nostrum. Et ipse quidem constitutus est hæres vniuersorum, cui tanquam FILIO naturali debebatur hæreditas: nos autem cohæredes ipsius sumus, quoniam per eius gratiam, nobiscum etiam hæreditas eius communicata est, tanquam membris ipsius. Et videtur quidem Paulus ita loquens allusisse ad morem antiquum,

Locus ad Coloss. 1.

1. ad Cor. 15.

Ad Hebr. 1.

qui etiam nunc inter Nobiles viget: ſecundum quem primogenito decernitur hęreditas; ſed ei tamen onus incumbit alendi fratres ſuos. Hæc Sotus.

105.
Caietanus, à quo ſuperiora, magnam partem, videtur mutuatus Sotus.

Nec diſſimilia tradit Caietanus, ſanè quam theologicè hunc locum explanans. Aduerte, inquit, Paulum non dixiſſe, conformes imagini Filij ſui, ſed imaginis, ſic enim etiam eſt in græco: ne putares conformitatem dici ad FILIVM mediatè, & ad imaginem eius immediatè, quem ſenſum ego neſcirem in propoſito intelligere: neſcio enim aliquam eſſe imaginem FILII DEI, cui ſancti à DEO decreti ſunt conformes fore. Dixit itaque, *Conformes imaginis FILII ſui*, id eſt, conformes inter ſe ratione imaginis, vel ſimilitudinis, quam ipſi geſtant FILII DEI, iuxta illud eiuſdem Apoſtoli: *Sicut portauimus imaginem terreni, ita portemus imaginem cæleſtis.* Vt oſtenderet igitur in quo ſint decreti conformes, adiunxit, *Imaginis FILII ſui.* Et ita locutus eſt ſecundum vſum Græcæ conſtructionis. Decreti ſunt itaque ſancti omnes conformes ſecundum hanc imaginem, pro quanto ad imitationem FILII naturalis, omnes erunt filij Dei, vt ipſe FILIVS DEI ſit primogenitus in multis fratribus. Conſiſtit porrò imago conformitatis ad Filium DEI in duabus conditionibus. Altera eſt participatio gloriæ Filij DEI, vt eſt homo beatus: quæ conditio comprehendit tam gloriam corporis noſtri configurati claritati corporis CHRISTI, quàm gloriam animæ noſtræ conformem animæ CHRISTI ſecundum gloriam. Altera conditio eſt participatio Filij DEI, prout ipſe eſt Filius DEI; quod nos etiam nunc ſumus filij Dei, & tandem apparebit glorioſa hæc filiatio. Et hanc conditionem eſſe principaliter hîc intentam à Paulo, apparet ex eo, quòd loquitur hic de Filio DEI, prout eſt primogenitus in multis fratribus. Primogenitura verò attributa FILIO DEI inter multos fratres, non proprio, ſed metaphorico ſenſu eſt intelligenda. Dicitur enim primogenitus

nitus

nitus secundum quandam assimilationem ad verè primogenitum inter fratres suos: nam & ipse est FILIVS DEI, & multi alij sunt (licet non eâdem ratione) filij DEI, & ob id fratres ipsius. Et quia ipse est prius cæteris genitus, attribuuntur ei iura, similia iuri primogeniti, vt scilicet alij fratres sint sub ipso, & ab ipso alantur, & alia huiusmodi. Et dixit hoc Apostolus, ne, quia ipse suprà dixerat nos esse hæredes CHRISTI, erraret aliquis, intelligens nos fore CHRISTI cohæredes ex æquo: docet enim nos esse cohæredes CHRISTI, sed tanquam primogeniti inter omnes fratres suos, quod est dicere, CHRISTVM quidem esse hæredem vniuersorum, & sub ipso, & per ipsum, nos esse cohæredes, participando bona diuinæ hæreditatis. hæc enim lex primogenitorum, in principibus etiam locum habet. Sic Caietanus.

Auctoris breuis interpretatio.

Si lector cupit breuem, & apertam, & prorsus enodem horum verborum interpretationem, accipiat hanc. Prædestinati sunt Sancti, conformes fieri imaginis FILII DEI, secundum quandam imaginem, & similitudinem, quam habent ipsius filij Dei: ea verò est huiusmodi; Vt sicut ipse est naturalis Filius DEI, diuina gloria plenus; ita sint etiam ipsi, per adoptionis gratiam filij DEI, diuinæ gloriæ participatione pleni. Et sit ipse primogenitus in multis fratribus: vt qui per naturam est vnigenitus, nec fratres habens, per communicationem gratiæ cum hominibus, habeat multos fratres, inter quos ipse primatum teneat.

VIGESIMASECVNDA DISPVTATIO.

An hæc Apostoli sententia, eorum opinionem adiuuet, qui putauerunt, causam prædestinationis hominum ad gratiam, & ad gloriam, esse diuinam præsciẽtiam bonorum operum, quæ facturi sunt homines; vel fidei, qua credituri, & obedituri sunt vocationi; vel consensus, & boni vsus liberi arbitrij in cooperando diuinæ gratiæ.

106. GRÆCI patres, nec pauci etiam Latinorum Doctorum arbitrati sunt, idque in scriptis suis prodiderunt, causam prædestinationis hominum ad vitam æternam, esse præscientiam, quam DEVS ab æterno habuit vel bonorum operum, quæ facturi erãt, cooperando ipsius gratiæ; vel fidei, qua credituri erant verbo DEI, & obedituri vocationi eius. Quocirca isti multò secus hunc Pauli locum interpretantur, quàm Augustinus, & Anselmus, & ferè Theologi Scholastici, qui sequuntur explanationes huius loci suprà positas à nobis. Isti enim locum hunc sic interpretantur. Quos præsciuit DEVS conformes fore FILIO suo in vita & in passionibus, eos prædestinauit conformes fieri FILIO suo in gloria: vt, quia DEVS præsciuit eos fore bonos, & benè vsuros gratia sua; ideo elegerit eos, & prædestinauerit ad cœlestem gloriam. Qui causam prædestinationis hominum referunt ad præscientiam bonorum operum, & meritorum, sunt permulti, atque in primis clari,

&

& nobiles auctores: vt Chrysostomus super illa verba Pauli ad Rom. 9. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* & Hom. 1. & 2. in epist. ad Ephes. & homil. 31. in Matth. idemque assectatores eius senserunt, Theodoretus nempe super illa verba: *Iacob dilexi, & Esau odio habui.* Theophylactus super illis verbis Domini: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Matth. 22. & super his verbis quæ tractamus: *Quos præsciuit, & prædestinauit.* Et ibidem Oecumenius. Origenes etiam initio huius epistolæ super illis verbis: *Segregatus in Euangelium DEI.* Et super illis verbis cap. 9. *Annon habet potestatem figulus ex eodem luto,* &c. Ambrosius præterea super illis verbis huius capitis. *Iis, qui secundum propositum vocati sunt.* Et S. Hieronymus super illis verbis cap. 1. epist. ad Gal. *Cum placuit ei, qui me segregauit ab vtero matris meæ, &c.* Et super illis verbis cap. 1. Malach. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.*

Chrysostomus. Malach. 1. Theodoretus. Theophylactus. Oecumenius. Origenes. Hieronymus.

107. Qui autem rationem referunt ad præscientiam fidei, qua homo crediturus est vocationi DEI, sunt, & vulgo dictus Hieronymus in commentario huius loci: *Quos præsciuit, & prædestinauit.* Et super illis verbis cap. 9. *Miserebor, cui miserebor.* Et Sedulius in Collectaneis suis in hanc epistolam, super illis verbis huius capitis: *Iis, qui secundum propositum vocati sunt.* Isti porrò quod Apostolus vocauit, *propositum,* interpretantur, non DEI propositum, sed hominis; quemadmodum etiam Ambrosius & Theodoretus locis suprà citatis interpretantur. At enim nomen propositi hoc loco non esse referendum ad homines, sed ad DEVM, recte arbitratur Augustinus in expositione aliquot propositionum huius epistolæ, numero 55. idque manifestum fit ex pluribus aliis locis, in quibus Apostolus nomen, *propositum,* manifestè refert, ad DEVM: Sicut ad Rom. cap. 4. *Ei, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, fides imputatur ad iustitiam, secundum propositum gratiæ DEI.* Et cap. 9. *Vt secundum electionem propositum DEI maneret.* Et ad Ephes. cap. 1. *Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum, secundum propositum gratiæ suæ.* Et paulò pòst: *Prædestinati sumus secundum propositum eius, qui operatur*

Hieronymus. Sedulius. De vocabulo, propositum.

omnia secundum propositum voluntatis suæ. Et in cap. I. posterio. epist. ad Timoth. *Qui nos liberauit, & vocauit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum.* Solet autem Apostolus, cum loquitur de electione hominum ad gratiam, & vitam æternam, vsurpare hæc vocabula, propositum, beneplacitum, consilium DEI, vel voluntatis diuinæ.

108. Beatum quoque Augustinum opinatum esse aliquando, DEVM prædestinare homines ad vitam æternam, quia præuidit futuram eorum fidem, & præsciuit eos credituros sibi efficaciter, & perseueranter, perspicuum est ex iis, quæ scripta reliquit in lib. 83. quæstionum, quæst. 68. Et in expositione aliquot propositionum huius epistolæ, numero 55. & 60. vbi sic ait: Quid ergo elegit DEVS in eo, quem prædestinauit ad vitam æternam? Si enim nullo merito, non est electio: æquales enim omnes sunt ante meritum, nec potest in rebus omnino æqualibus, electio nominari. Sed quia SPIRITVS sanctus non datur nisi credentibus, non elegit DEVS bona opera hominis, quæ ipse largitur ei; sed elegit tamen fidem: nisi enim quis credat in eum, & in accipiendi voluntate permaneat, non accipit SPIRITVM sanctum, per quem infusa charitate, bonum operari possit. Non ergo elegit DEVS opera cuiusquam in præscientia; quæ ipse daturus est; sed fidem elegit in præscientia, vt quem sibi crediturum esse præsciuit, ipsum eligeret, cui SPIRITVM sanctum daret, vt bona operando, etiam vitam æternam consequeretur. Sic Augustinus.

S. Augustinus.

109. At enimuerò, præscientiam fidei non esse rationem prædestinationis hominum, nullius est negotij multis & apertis Scripturę testimoniis ostendere, est enim ipsa fides opus DEI, & donum eius, gratis datum homini, & est vnus ex primis effectibus ipsius prædestinationis; tantum abest vt sit ratio, & causa eius. Hoc demonstrant, & confirmant illæ, quæ sunt in diuina Scriptura sententiæ. *Hoc est opus DEI*, dixit Iudæis Dominus Ioan. 6. *vt credatis in eum, quem misit ille.* Et Paulus ad Ephes. 2. *Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, DEI enim*

Præscientiam fidei non esse causam prædestinationis. Ioan 6.

enim donum est. Ad hoc ipsum probandum perefficax & illustris est sententia illa B. Lucę Actorum 13. *Crediderunt*, inquit, *quotquot erant praordinati ad vitam aternam.* Non dixit præordinatos fuisse ad vitam æternam, quotquot præuidit DEVS credituros: sed contra potius, credidisse (efficaciter nempe, ac perseueranter) quotquot erant præordinati ad vitam æternam: præordinatio itaque ad vitam æternam, assignatur vt causa & ratio cur crediderint. Quid multa? Si ipsum cogitare, quod maxime videtur proprium esse hominis, & in eius potestate, affirmat Paulus pendere magis à DEO, quàm à nobis: *Non sumus*, inquit, *sufficientes cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex DEO est.* Quanto minus à nobis est ipsum credere, quod cum sit supernaturale quippiam & diuinum, non solùm ratione obiecti, sed etiam propter difficultatem ex parte intellectus nostri, & propter summam certitudinem, qua opus est in credendo, exigit singulare quoddam, & supernaturale DEI auxilium? Quod significauit Dominus, cum dixit Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me* (scilicet per fidem, vt interpretatur Augustinus) *nisi PATER qui misit me, traxerit eum.*

Locus Lucæ Act. cap. 7.

2. Cor. 3.

110. Id porrò, quod Augustinus locis suprà memoratis dixerat, DEVM præuidendo futuram hominum fidem, prædestinasse eos; postea diuinarũ Scripturarum intelligentior & doctior factus improbauit, atq; damnauit, & sincerum verumq; iudiciũ & sententiam suam scriptam testatamque reliquit in 1. lib. Retract. cap. 23. his fermè verbis: Quod dixi: Non elegit DEVS opera cuiusquam in præscientia, sed fidem: vt quem sibi crediturum esse præsciuit, ipsum elegerit, cui SPIRITVM sanctum daret, vt bona operando, etiam vitam æternam consequeretur, ideo dixi, quia nõdum diligenter quæsieram, nec adhuc inueneram, qualis sit electio gratiæ: quæ profectò non est gratia, vt dixit Apostolus, si eam merita vlla præcedant; ne, quod datur, non secundum gratiam, sed secundum debitum, reddatur potius meritis, quàm gratis donetur. Illud etiam quod dixi: Quod credimus, nostrum est: quod autem

S. Augustini retractatio priorũ sententia.

Ad Rom. 11.

tem

tem bonum operamur, illius eſt, qui credentibus dat SPIRITVM ſanctum: non vtique dixiſſem, ſi iam ſciuiſſem, ipſam quoque fidem inter DEI munera, quæ dantur per SPIRITVM ſanctum, reperiri. Vtrumque nimirum, & credere, & bonum operari, noſtrum eſt, propter arbitrium volũtatis: & vtrumq; DEI eſt, datum ab eo per SPIRITVM fidei & charitatis. Neq; enim ſola charitas, ſed ſicut ſcriptum eſt: *Charitas cum fide à DEO PATRE Domini noſtri IESV CHRISTI.* Et quod paulò pòſt dixi; noſtrum eſſe credere & velle; illius autem dare credentibus, & volentibus facultatem bene operandi per SPIRITVM ſanctum: verum id quidem eſt, ſed ſecundum eandem regulam paulò antè datam: eſt enim vtrumque & ipſius DEI, quia ipſe præparat voluntatem: & vtrumq; noſtrum eſt, quia non fit niſi volentibus nobis. Hæc Auguſtinus.

VIGESIMATERTIA DISPVTATIO.

Præſcientiam bonorum operum, & bonum vſum liberi arbitrij hominum, non eſſe cauſam vel rationem diuinæ prædeſtinationis eorum ad gratiam, & vitam æternam.

III. MVLTI veterum, & admodum clari ſcriptores, quorum nomina proximè ſuperiori diſputatione commemorauimus, videntur ſenſiſſe, cauſam prædeſtinationis hominum, non eſſe gratuitam & meram, & ſolam DEI voluntatem; ſed eſſe diuinam præſcientiam bonorum operum, quæ facturi ſunt homines, vel bonum vſum liberi arbitrij, quo ſunt eius gratiæ cooperaturi. Sed hoc videtur contrarium diuinæ Scripturæ, præcipuè autem doctrinæ B. Pauli. Aduerſus enim hoc faciunt illæ eius

eius ſententiæ ad Rom. capite nono: *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt DEI.* Et paulò poſt: *Miſerebor cui miſerebor: & miſericordiam præſtabo, cui miſerebor.* Id etiam demonſtrat exemplum Iacob & Eſau: *Qui priuſquam aliquid egiſſent boni, aut mali, vt propoſitum DEI maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei: Quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Eôdem ſpectat ſimilitudo illa figuli, & luti, qua vtitur Apoſtolus dicens: *Numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, Quid me feciſti ſic? An nõ habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Hinc apparet cauſam prædeſtinationis Apoſtolum facere gratuitam DEI voluntatem, quam alibi vocat conſilium, & propoſitum, & beneplacitum DEI. Quo etiam pertinet illud Domini. *Gaudete puſillus grex, quia complacuit PATRI veſtro dare vobis regnum.* Cuius ſimile eſt illud Domini: *Confiteor tibi PATER, Domine cæli, & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis. Ita PATER quoniam ſic placitum fuit ante te.*

Exodi 33. *Malach. 1.* *Lucæ 12.* *Matth. 11.*

112\. Quod autem bona opera, quæ facturi ſunt homines, non ſint cauſa prædeſtinationis eorum, ſed contra potius, prędeſtinatio ſit cauſa eorum, & ipſa comprehendantur in prædeſtinatione, tanquam effectus, ſatis elucet ex iis, quæ ſcribit Apoſtolus in 1. & 2. cap. epiſt. ad Epheſ. cum ait: *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in caritate.* Attende lector, quod his verbis docet nos Apoſtolus: nõ enim dixit, nos fuiſſe à DEO electos & prædeſtinatos, quia futuri eramus ſancti; ſed contra potius, nos fuiſſe prædeſtinatos, vt eſſemus ſancti: non enim ſanctitas futura hominis, eſt cauſa prædeſtinationis eius; ſed contrà, prædeſtinatio eius, cauſa eſt, vt futurus ſit ipſe bonus, & ſanctus. Atque inibi ſubiungit Paulus: *Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum DEI per CHRISTVM, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ.* Non dixit, ſecundum futura opera noſtra; ſed, *ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ.* Et paulò pòſt ſubdit: *In quo etiam nos ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſi-*

tum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, vt simus in laudem DEI, *& gloriam eius.* Et paulò infrà: *Gratia*, inquit, *saluati estis, non ex operibus, vt ne quis glorietur: ipsius enim sumus factura, creati in* CHRISTO IESV *in operibus bonis, quæ præparauit* DEVS *vt in illis ambulemus.* Ecce tibi, DEVS præparauit bona opera, vt in illis ambulent, qui prædestinati sunt. Cum igitur prædestinatio sit, vt docet Augustinus, præparatio beneficiorum, & donorum DEI, quibus homo promouendus, & perducendus est, ad vitam æternam; liquet profectò, præuisionem bonorum operum, non esse causam prædestinationis, sed ipsa bona opera esse prædestinationis effectum. Huc item facit illud eiusdem Apostoli, quod est in 1. cap. poster. epist. ad Timoth. his verbis: *Qui nos liberauit, & vocauit vocatione sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum.*

113. Hoc ipsum ita possemus etiam argumentari. Non potest dubitari, quin aliquorum prædestinatio fiat sine vlla præuisione operũ, & meritorum: id enim liquidò cernitur in paruulis baptizatis, & ante vsum rationis morientibus: Cum igitur similis sit omnium hominum prædestinationis ratio, sicut eadem est natura, idem vltimus finis, eadem necessitas diuina gratiæ; idem profectò de prædestinatione omniũ electorũ sentire conuenit: Nec verò dici potest, istos paruulos fuisse prædestinatos ob bona opera, quę facturi fuissent, si vixissent; tum quia perspicuè dixit Apostolus, omnes homines manifestandos esse ante tribunal CHRISTI, & recepturos siue bonum, siue malum, prout quisque gessit in corpore: non dixit, prout gesturus erat, sed, prout gessit. Tum etiam, quia si DEVS remuneraret hominem ob bona opera, quæ facturus erat, si vixisset; similiter etiam puniret hominem ob peccata quæ admisisset, si diutius vixisset: id tamen & impium est, & contrarium diuinæ Scripturæ, quæ in libro Sapientiæ cap. 4. ait, quosdam ex numero prædestinatorum, ex hac vita esse raptos, ne malitia deprauaret cor eorum; si enim vita eis prorogata fuisset, in peccata mortifera essent prolapsi.

2. Ad Cor. 5.

Dicet

Dicet quispiam, DEVM prædestinasse istos infantes, quia præuidit eos baptizatum iri. Sed hoc à nobis facit; ex gratia enim DEI fuit, vt ante mortem baptizarentur: & ipse baptismus ad gratiam DEI, non ad opus hominis refertur, testante Apostolo in epistola ad Titum: *Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis SPIRITVS sancti, quem effudit in nos abundè.* Hanc porrò à prædestinatione huiusmodi infantium petitam rationem, fusè tractat, & validè vrget Augustinus in epistola 150. quæ scripta est ad Sixtum, & in libro de prædestinatione sanctorum à capite duodecimo vsque ad 16.

Ad Tit. 3.

S. Augustinus.

114.

Illa quoque mihi ratio præualida videtur. Quicumque ordinatè vult finem, & media ad finem; prius, ordine rationis, vult finem, deinde media propter finem. Finis etenim, sicut in esse cognito, ita in esse volito, prior est quàm media: neque enim media appetuntur ab homine, nisi propter finem; & mensura, & modus mediorum petitur à fine: quò fit, vt volitio mediorum necessariò præsupponat volitionem finis. Hinc necessariò efficitur atque concluditur, prius esse, rationis ordine, velle DEVM dare alicui vitam æternam, deinde autem, velle illum habere media, quæ perducunt eum ad vitam æternam; inter quæ media, & bona opera, & bonus liberi arbitrij vsus numerari debent. Non igitur DEVS prædestinat homines ad vltimum finem, ob præscientiam bonorum operum, quæ illi facturi sunt.

Verùm nos latius hæc ac subtilius disceptanda ac diiudicanda relinquamus Theologis scholasticis.

VIGESIMAQVARTA DISPVTATIO.

QVEMADMODVM supradictam opinionem nonnulli bonam in partem interpretari, & cum sententia beati Augustini conciliare voluerint.

115.

Tapperus. Dryedon.

NON defuerunt ante aliquot annos, quidam in Theologia graues, & docti scriptores, & in primis Ruardus Tapperus in explicatione artic. 7. & Dryedon in libro de concordia liberi arbitrij, & diuinæ prædestinationis, part. 2. cap. 3. in solutione tertij argumenti; qui censuerunt, in hac quæstione de prædestinatione, B. Augustinum reuera non dissentire ab antiquis Patribus: licet id putauerint Episcopi Galliæ, tempore ipsius Augustini, quemadmodum scripsère ad eum Prosper, & Hilarius. Aiunt enim isti, veteres illos patres, nomine prædestinationis intellexisse vltimum duntaxat eius effectum, qui est retributio vitæ æternæ; quam profectò DEVS non aliter dare homini decreuit, quàm propter bona eius opera. Hoc autem proculdubio verissimum est, neque id negauit, nec negare potuit Augustinus; cum id plurifariam doceat diuina Scriptura, vocans æternam vitam, mercedem bonorum operum, & coronam iustitiæ. Hac porrò ratione verum est, quod Patres illi dixerunt, causam prædestinationis, meritoriam nempe, esse bona hominum opera, & bonum liberi arbitrij vsum. At verò S. Augustinus ipsam prædestinationis rationem à prima eius origine repetens, aduertit, ipsa bona opera esse ipsius prædestinationis effectus: viditque prædestinationis initium, quod est separare aliquos ex massa perditionis, qua cuncti mortales ob primi hominis præuaricationem, & ob pec-

ob peccatum originale, immersi tenentur, aliis in ea massa dimissis; quod sanè præcedit omnia bona opera. Quapropter referens hoc ipse ad gratuitam DEI bonitatem, & inscrutabilia eius iudicia, dixit, nullam prædestinationis esse causam ex parte hominis, sed eam à mera DEI volũtate prouenire. Quæstiones certè de gratia, libero arbitrio, prædestinatione, ac meritis hominum, nõ fuisse in Ecclesia CHRISTI ante Pelagianorum hæresim, subtiliter, enucleateque tractatas, Augustinus ipse auctor est in libro de prædestinatione Sanctorum capite 14. & in lib. de bono perseuerantiæ capite 11.

116. Alij sententiam Græcorum, & B. Augustini hunc in modum conciliant. Distinguunt duplicem causam prædestinationis, meritoriam scilicet, & finalem, docentque eorum, quæ in ipso contextu, & serie prædestinationis continentur, alia præcedere gratiam iustificantem, partim ab æterno, vt est DEI electio, & prædestinatio; partim ex tempore, vt vocatio, & præparatio, & iustificatio ad accipiendam iustitiam: & respectu quidem horum, nulla est in homine, nec esse potest causa meritoria, cùm omne meritum hominis proueniat à gratia iustificationis, & qui contra sentiret, indubiè saperet Pelagianismum. Potest tamen esse respectu istorum causa finalis; nam ista ordinantur ad ea, quæ consequuntur iustificationem, vt sunt augmentum gratiæ, & retributio vitæ æternæ, hæc enim sunt finis illorum. Vnde Paulus ad Ephesios capite primo: *Prædestinauit nos*, inquit, *vt essemus sancti, & immaculati coram ipso in fide, & charitate.* Respectu autem eorum, quæ sequuntur iustificationem, est in homine causa meritoria: homo etenim benè operando ex gratia, quam accepit in iustificatione, meretur & augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Augustinus igitur negans causam prædestinationis ex parte hominis, respexit ad gratiam iustificationis, & ad DEI auxilia, quæ ipsam præcedunt in homine, quorum vidit nullam esse posse ex parte hominis, causam meritoriam. Græci verò patres, aientes, DEVM prę-

destinasse homines ob eorum præuisa merita, respexerunt ad illa duo, quæ sequuntur gratiam iustificationis, præcipuè autem ad retributionem vitæ æternæ.

117. Nec dissimilis est aliorum quorundam ratio conciliandi Augustinum cum Græcis patribus. Aiunt duplicem esse electionem; & prædestinationem; & vnam quidem esse ad gratiam; quam constat esse omninò gratuitam, nec ob bonorum operum præuisionem posse fieri, cùm nullum bonū opus & meritum gratiam præcedere queat: & de hac solùm, aut certè principaliter Augustinum agere, vtpote disputantem cùm Pelagianis arbitrantibus, posse hominem bono liberi arbitrij vsu promereri DEI gratiam. Alteram porrò electionem & prædestinationem hominis dicunt esse ad gloriam & vitam æternam, quam negant fieri gratuitò sed ex præuisione meritorum; quippe cùm DEVS voluerit vitam æternam dare homini non gratis, sed ob bona eius merita, tanquam bonorum eius operum mercedem, & coronam iustitiæ. Huiusmodi quoque est sententia nostri Gabrielis Vazquez, quam is in prima sua parte doctè copioseque explicatam, valideq; firmatam tradidit; vir sanè in tractandis Theologiæ quæstionibus magno ingenio, & acri iudicio, exactaque cura & diligentia præditus.

VIGESIMAQVINTA DISPVTATIO.

An interpretatio huius loci Apostolici, quam tradit Ambrosius Catharinus, & sententia eius de prædestinatione sit probabilis, & cum sacrarum litterarum doctrina consentiens.

ARBI.

118.

Catharinus in hoc & sequens caput huius epistola, & in libro suo de prædestinatione.

ARBITRATVR Catharinus, DEVM omnes homines dilexisse ab æterno, & ordinasse ad vitam æternam, nullo prorsus excluso: ita vt nemo hominum sit, aut fuerit, aut futurus sit, cui DEVS, ex se, non voluerit dare vitam æternam. Sed enim putat, non pari ratione ordinasse DEVM omnes homines ad vitam æternam. Distinguit enim duas classes, siue duos ordines hominum; & alteros vocat generali nomine, saluandos; alteros autem, proprio nomine, appellat prædestinatos. Huiusmodi sunt, quos DEVS præ cæteris dilexit, & singulariter elegit, & efficaciter vocauit, & immutabili decreto suæ voluntatis absolutè voluit eos saluari: ipsosque tot, & tantis gratiæ suæ donis cumulauit, tamque firmis prouidentiæ suæ muniuit præsidiis, vt infallibiliter (salua tamen semper voluntatis eorum libertate) peruenturi sint ad vitam æternam. Hos ait propriè appellari prædestinatos, quasi præ cæteris destinatos, & ordinatos ad gloriã: & ad hos pertinere quod dixit Dominus: *Quos PATER dedit mihi, nullus rapiet de manu mea.* Atque horum hominum prædestinationis prima causa non est alia, nisi gratuita DEI bonitas, & beneficentissima eius voluntas. Horum caput fuit CHRISTVS Dominus, deinde beatissima Deipara virgo MARIA, Tum Apostoli, cæterique insignes viri sancti. Denique de istis Catharinus interpretatur, quæ scribit Paulus hoc loco, vsque ad finem capitis octaui, & in capite nono de electione & prædestinatione Sanctorum. Istos enim dicit esse, quos Paulus vocat, secundum propositum vocatos: istis omnia cooperari in bonum: istos DEVS præsciuit, id est, præ cæteris nouit notitia approbationis: istos prædestinauit, id est, præ omnibus, & ante omnes destinauit ad conformitatem imaginis Filij sui: istos potentius vocauit, copiosius iustificauit, splendidius magnificauit: istos nemo accusare, nemo damnare, nemo à DEI charitate separare potest; quia immobiliter prædestinati sunt ad gloriam. Nec istorum augeri numerus potest, nec minui. Quibus denique tanta

Ioan. 10.

inest de futura gloria, & præsentis gratiæ certitudo, vt vnusquisque eorum vnà cum Paulo fidentissimè dicere possit: *Certus sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque vlla creatura poterit nos separare à charitate DEI, quæ est in CHRISTO.*

Ad Rom. 8.

119. Quos autem generali nomine Catharinus vocat saluandos (qui est alter ordo hominum, qui ordinantur à DEO ad vitam æternam) eos censet DEVM non absolutè, sed conditionaliter velle saluare; nimirum si cooperentur gratiæ suæ, & istis DEVM dare sufficiens auxilium ad consequendam salutem. Ait præterea, multos istorum non saluari, sed nonnullos tamen eorum saluari; eos autem destinare DEVM ad vitam æternam, ob eorum præuisa merita. Hæc est summa Catharini sententiæ, & quam eius tradit explicationis atque confirmationis.

Sixtus Senensis.

Sixtus Senensis in libro sexto Bibliothecæ sanctæ in annotatione 248. ait se hanc Catharini præceptoris sui opinionem, adeò veram, multo tempore credidisse, & pacandis, consolandisque hominum conscientiis efficacem, & redarguendis huius temporis hæreticis, qui animos simplicium hominum desperatione implent, potentem; vt eam ipse per decem annos in multis & præcipuis Italiæ vrbibus, pro concione, explicauerit, ingenti audientium plausu; simulque gaudio. Sed cùm postea ipse animaduerteret, secumque reputaret, eam opinionem multis & magnis premi difficultatibus, & angustiis; & à plerisque doctis & piis Theologis improbari: satius duxisse, ab eius prædicatione desistere, quàm pio eruditorum iudicio improbata, & damnata docere. Et hæc quidem Sixtus.

120. *Catharini sententia refellitur.*

Ego istam Catharini opinionem, à plerisque Theologis meritò improbatam, & reiectam esse censeo. Illa enim distinctio hominum in prędestinatos, & in saluandos, qui tamen non sunt prędestinati; & quod multi saluantur, qui non sunt prædestinati; nouum planè inuentum, & commentum

est,

est, nec Patribus, nec paulò antiquioribus vllis Theologis cognitum, ne dum probatum, & placitum. Cùm enim vna sit natura, & ratio omnium hominum, qui saluantur; & vnus DEVS, qui saluat omnes, qui saluantur; & vnus finis vltimus, in quo perfecta hominis salus est posita; & eadem omnibus proposita sint media, ad comparandam salutem; videtur rationi maximè dissentaneum, & simile figmento, duplicem facere ordinem, atque rationem eorum qui saluantur. Præsertim verò cùm, etiam confessione istorum, vna sit, eademque ratio omnium reprobādorum, & damnandorum. Quid, quod isti sententiæ aduersatur euidenter diuina scriptura? Docet enim apud Danielem cap. 12. & in libro Apocalypsis cap. 13. & 20. omnes qui saluantur, esse scriptos in libro vitæ; & quicumque in eo libro scripti non sunt, damnatum iri, & perituros esse. Liber autem vitæ, secundum interpretationem Patrum, & Theologorum, denotat æternam atque immutabilem DEI electionem, & prædestinationem hominū ad vitam æternam. Huc etiam spectat illud quod dixit Dominus, & refert Matthæus capite 15. *Omnis plantatio, quam non plantauit PATER meus cælestis, eradicabitur.* Quid est, quos DEVS plantat, eos non eradicari; & quos non plantat, eradicatum iri? non aliud profectò, nisi, Quos DEVS immutabili consilio, & decreto voluntatis suæ prædestinauit ad gloriam, eos nequaquam perituros: qui verò de numero electorum & prædestinatorum non sunt, indubiè perituros?

Locus Matth. cap. 15.

Verùm ampliorem & subtiliorem aduersus Catharinum disputationem, quærat lector apud scriptores Theologos huius nostræ ætatis, qui post Catharinum de prædestinatione scripserunt.

VIGESIMASEXTA DISPVTATIO.

An qui prædestinatus est à DEO, ad vitam æternam, possit aliquando excidere DEI gratia, & in mortali peccato esse.

SVPER ILLIS VERBIS:

Versu 38. & 39. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate DEI, quæ est in CHRISTO IESV Domino nostro.

121. ILLVD, *à charitate DEI*, dupliciter intelligi potest: dicitur enim charitas DEI, & qua DEVS diligit nos, & qua nos diligimus DEVM: & secundum vtramq; significationem, explanatores huius loci interpretantur illa verba, alij priorem significationem, alij posteriorem secuti. Nam quod aiunt quidam, sermonem græcum excludere posteriorem significationem, futile est: ex aliis namq; locis Scripturæ constat, græcam vocem vtrique amori, & DEI erga hominem, & hominis erga DEVM seruire. Patet hoc ex illis verbis Domini Ioan. 5. *Cognoui vos, quia dilectionem DEI non habetis in vobis.* Id est, quia DEVM non diligitis, vbi pro dilectione est græca vox *ἀγάπη*, eadem nempe quæ est hoc loco. Videri tamen posset prior eius vocis significatio, magis congruere textui, si quis antecedentia eius & conse-

consequentia perpendat. Secundum quam significationem erit hic eorum verborum sensus: Quidnam accidere nobis possit tam triste, & acerbum, quod DEVS, qui nos tantoperè amat, non ita moderetur, & gubernet, vt nequaquam deficiamus ab ipso,& à salute decidamus. Exposita enim perinsigni DEI charitate erga electos qua eos præsciuit, prædestinauit, vocauit, iustificauit, glorificauit, & proprium FILIVM donauit, & omnia in bonum eorum conuertit; aptissimè Paulus subiunxit illud, quod paulò suprà dixit, & quod hoc etiam loco repetit, & confirmat, nihil prorsus esse, aut esse posse, quod à tali ac tanta DEI dilectione separare possit electos eius.

122. Sed enim posteriorem significationem secutus est Augustinus,& pleriq; Latinorum Theologorum, charitatem DEI interpretātes, qua sancti,& electi diligunt DEVM, cuius charitatis insuperabilem vim,atq; potentiam mirificè Salomon expressit Canticorum cap. vlt. illis verbis: *Fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: Lampades eius, lampades ignis atq; flammarū. Aquæ multæ non poterunt extinguere charitatē, nec flumina obruent illā. Si dederit homo oēm substātiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Illa vox, *fortitudo*, non est in græcis codicibus, neq; habere videtur aliquid sibi respōdens in textu, sicut habent aliæ voces, quibus annumeratur: nec ea in omnibus latinis codicibus legitur: quamobrem nonnulli putant redundare,& remouendam esse à textu. Sed lectioni nostræ suffragatur B. Hieron. in epist. ad Algasiam, in responsione ad quæst. 9. citans enim hunc locum, legit hanc vocē, *fortitudo*. Illud: *Quæ est in CHRISTO IESV Domino nostro*, tripliciter interpretari licet: Primùm sic: à charitate DEI, quam DEVS exhibuit: & maximè declarauit per CHRISTVM, tradēs eum in mortē pro salute nostra. Deinde ita: à charitate, quæ à DEO nobis infusa, & donata est per meritum CHRISTI; tum, hoc modo, à charitate DEI, qua CHRISTVS, vt homo est, supra omnes excelluit. Sed duæ priores interpretationes, sunt aptiores atque probabiliores.

Locus Canticorum cap. vlt.

S. Hieronym.

123. *An prædestinatus possit à Dei gratia decidere.*

Cæterùm, quod Apostolus & hoc loco, & paulò suprà dixit, nec se, nec alios electos & prædestinatos posse vlla ratione separari à charitate DEI, id locum præbuit quæstioni, An qui prædestinati sunt, possint aliquando esse sine gratia DEI, & in peccato mortali. Si enim prædestinati, ex Apostoli sententia, nō possunt à DEI charitate separari; ergo non possunt esse sine gratia DEI, & in peccato mortali; nā neq; charitas potest esse sine gratia, nec potest esse vnà cum peccato mortali. Refert S. Hieron. in lib. 2. aduersus Iouinianū, sensisse ipsum, & docuisse, hominē semel verè baptizatū, & iustificatum, non posse vnquā amplius decidere à gratia, & in peccatum labi mortale. Si autem peccatum faciat mortale, non fuisse illum verè baptizatum in SPIRITV sancto; sed in aqua tantùm: sicut Simon Magus: neque eum vnquam habuisse veram iustitiam: quem errorem ait B. Hieronymus fuisse damnatum, & Romæ, & in quodam Africano Concilio. Itaque secundum istius sententiam, omnes qui sunt in gratia, etiam sunt prædestinati, & qui sunt prædestinati, semper sunt in DEI gratia, nec ab ea decidere possunt. Videtur, in speciem, iuuare hanc sententiam, quod scripsit B. Ioannes capite tertio primæ epistolæ suæ, eum, qui natus ex DEO est; non peccare, nec peccare posse. Ab hinc ducentis circiter annis alius quidam hæreticus, nomine Wiclef, dixit, omnes prædestinatos semper esse in gratia, etiamsi videantur peccatores: contra verò, reprobos nunquam in DEI gratia esse: quæ sententia cum aliis compluribus eiusdem erroribus damnata est in Concilio Constantiensi.

S. Hieronym.

124. *Prædestinatos posse, ad tēpus, esse sine gratia Dei.* *Exod. 32.*

Sed nos primò manifestis è diuina Scriptura petitis exemplis demonstremus, etiam ipsos prædestinatos posse, ad aliquod tempus, esse sine DEI gratia, & in peccato aliquo mortali. Prædestinatus nempe fuit Aaron; is tamen grauiter peccauit, & offendit DEVM in conflatione vituli. Prædestinatus item erat Dauid, & præcipua, insigniq; probitate præditus: qui tamen in duo fœdissima scelera, adulterij, & homicidij lapsus est. Prædestinati fuerunt Apostoli, & gratia DEI præditi,

2. Reg. 11.

præditi, vt quos Dominus in sermone, quem in vltima cœna cum ipsis habuit, mundos fuisse dixit. At illi, propter CHRISTI mortem, vehementer scandalizati sunt, eorumque princeps Petrus, detestando periurio negauit se CHRISTI discipulum esse. Quid ego dicam de primo omnium parente Adamo? hunc enim constat fuisse à DEO cum gratia creatum, & postea lapsum esse in peccatum, quo se, suamque perdidit posteritatem: à quo tamen peccato liberatum eum fuisse, æternamque consecutum esse salutem, concors est Patrum sententia, & vniuersalis ecclesiæ, ac populi fidelis sensus. Audi lector, quid super ea scriptum reliquerit Augustinus in epistola 99. quæ ad Euodium scripta est: De illo, inquit, primo homine, patre generis humani, quod CHRISTVS, cùm descendit ad inferos, inde eum liberauerit, ecclesia ferè tota consentit: quod eam non inaniter credidisse credendum est, vndecunq; hoc traditum sit, etiamsi canonicarum Scripturarum expressa non proferatur auctoritas, quamquam illud, quod in cap. 10. libri Sapientiæ scriptum est: *Hæc* (Sapientia) *illum, qui primò factus est à DEO, patrem orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodiuit, & eduxit illum à delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia.* Hoc, inquam, quod ibi scriptum est, magis pro hac sententia, quàm pro vllo alio intellectu facere videtur. Hæc Augustinus. Tatianus certe, qui contrarium docuit, hæreticus fuit, & ab ecclesia damnatus: Videat lector Irenæum lib. 3. aduersus hæreses cap. 21. & lib. 3. à ca. 34. vsque ad 39. & Epiphanium contra hæresim 46.

Ioan 13. & 15. Matth. 26. — *Gen. 3.* — *Adamum fuisse saluum.* — *S. Augustinus.* — *Gen. 1.* — *Irenæus.* — *Epiphanius.*

Si, qui sunt prædestinati, non possent DEI gratia excidere, quorsum spectarent crebræ illæ Pauli exhortationes: *Si quis se existimat stare, videat ne cadat? considera te ipsum, ne & tu tenteris: Nolite amittere confidentiam vestram. Videte ne in vacuum gratiam DEI recipiatis. Cum timore & tremore salutem vestram operamini.* Et in Apocalypsi cap. 2. ita scriptum est: *Habeo aduersum te pauca, quòd charitatem tuam primam reliquisti: Memor esto itaque, vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac.* Si prædestinati non possunt gratiam amittere, &

125. — *1. Cor. 10.* — *Ad Gal 6.* — *Ad Heb. 12.* — *2. Cor. 6.*

rurſus eam per pœnitentiam recuperare, fruſtrà igitur dediſſet Devs Eccleſiæ poteſtatem remittendi peccata; & fruſtrà inſtituiſſet Sacramentum Pœnitentiæ. Si enim hoc Sacramentum non poteſt ad prædeſtinatos pertinere, quia non poſſunt illi gratiam Dei amittere, reprobis autem, & non prædeſtinatis, nihil poteſt proficere, ad conſequendam nempe ſalutem æternam; ergo ſine vllo, aut certe perquam exiguo fructu inſtitutum eſſet hoc Sacramentum.

126. *Loci 1. epiſt. S. Ioannis cap 3. Sex interpretationes.*

Illud porrò, quod ad eius ſententiæ confirmationem, ex B. Ioanne allatum eſt, omnes, qui nati ſunt ex Deo, peccare non poſſe, quia ſemen Dei manet in eis, & quia ex Deo nati ſunt, varias habet interpretationes: ſed nulla earum tamen ſententiam, quam dudum confutauimus, adiuuat. Prima interpretatio eſt B. Auguſtini ſuper eo loco, interpretantis, non poſſe eos peccare ex ea parte, qua renouati ſunt, & ex Deo nati: ſed ſi peccant, aliunde id prouenit. Perſimilis eſt interpretatio Caietani: Natiuitas, inquit, hominis, & regeneratio eius non poteſt eſſe cauſa peccandi, non poteſt inducere, vel inclinare hominem ad peccandum. Secunda interpretatio eſt eiuſdem Auguſtini in lib. de natura, & gratia capite 14. qui illud *Non poteſt peccare,* interpretatur, non debet peccare, ſiue, non licet ei peccare: ob acceptam videlicet tantam à Deo gratiam vt filius eius factus ſit. Tertia interpretatio eſt Oecumenij, illud, *non poteſt*, interpretantis, non vult: quemadmodum Ioſeph dominæ ſuæ dixit: *Quomodo poſſum hoc malum facere*: pro eo quod eſt, non volo, ſiue non poſſum velle malum hoc facere. Quarta interpretatio eſt B. Hieronymi in libro 2. contra Iouinianum, interpretantis, non poſſe eum, qui natus ex Deo eſt, peccare quandiu ſcilicet manet filius Dei, & quandiu ſemen Dei manet in eo; vt ſi diceremus, non poteſt iuſtus eſſe iniuſtus, nimirum quandiu iuſtus eſt. Quinta interpretatio eſt de his qui nati ſunt ex Deo ſecundum æternam Dei prædeſtinationem ipſorum ad vitam æternam: iſti enim quamuis poſſint (per aliquod tempus) eſſe in peccato aliquo mortali, non poſſunt tamen in ex-

S. Auguſtini · *Caietanus.* · *S. Auguſtinus.* · *Oecumenius.* · *Genes. 39.* · *Hieronymus.*

in extremo vitæ articulo habere peccatum mortale, & cum eo ex vita decedere. Ad hunc verò intellectum & sententiam interpretari conuenit, quod dixit dominus Matth. 24. Non posse electos in errorem induci, & quod dixit Ioan. 10. Neminem posse electos de manu sua rapere: & quod Apostolus hoc loco ait, prædestinatos nulla re separari posse à caritate DEI. Hæc omnia commode intelliguntur de extremo vitæ articulo. Sexta interpretatio est, voluisse B. Ioannem declarare illis verbis admirabilem vim & efficacitatem diuinæ gratiæ sanctificantis hominem, & omne peccatum mortale ab eo prorsus excludentis, nec vllum mortalis peccati consortium & societatem admittentis: vt dictum hoc esse videatur ad ostendendum discrimen habitus diuinæ gratiæ sanctificantis hominem ab habitu virtutis moralis humano studio acquisitæ. nam ille, nullum esse patitur in homine peccatum mortale: cum hoc autem, potest esse in homine peccatum aliquod mortale, etiam contrarium ipsi habitui: exempli gratia: cum habitu moralis temperantiæ potest esse in homine vnum aliquod peccatum intemperantiæ; neque enim habitus virtutis temperantiæ tollitur, & corrumpitur per vnum contrarium actum intemperantię, sicut nec per vnum actum temperantiæ acquiri potest.

Auctoris interpretatio.

VIGESIMASEPTIMA DISPVTATIO.

Etiam eos, qui non sunt prædestinati, & sunt præsciti, ad æternam damnationem, posse nihilominus tamen aliquando esse sine peccato mortali, & habere veram iustitiam & gratiam DEI.

SICVT

127. SICVT ostendimus, eos, qui prædestinati sunt, posse aliquando esse sine DEI gratia, & in peccato mortali; ita qui non sunt prædestinati ad vitam æternam, sed præsciti ad æternam damnationem, posse, ad tempus aliquod, esse bonos, & iustos, & DEI gratia præditos, licet multis exemplis, quæ in diuina Scriptura leguntur, demonstrare. Principio, rex Saul, cum electus est in regem, non solùm Saul erat bonus, sed etiam tantæ probitatis erat atque innocentiæ, vt scriptum sit, in capite 9. lib. 1. Reg. non fuisse de filiis Israël meliorem illo. In eodem tamen libro capite 16. & 29. proditum est, recessisse DEVM ab ipso, & reprobatum esse atque damnatum, vt perspicuè traditur in priore libro Paralipomenon cap. 10. idemque confirmat S. Augustinus libro 1. ad Simplicianum quæstio. 1. idemque disertis verbis confirmat B. Gregorius in expositione 1. libri Regum super illis verbis: *Tulit Samuël lenticulam olei, & effudit super caput eius.* Iudam quoque, cùm est electus ad Apostolatum, fuisse virum bonum, censet S. Basilius in epistola ad Chilonem & alij complures Doctores. Nicolaus, vir bonus erat, & vt talis, inter septem Diaconos vnà cum B. Stephano electus est ab Apostolis. Quid ego dicam de Lucifero? quem cum gratia fuisse à DEO creatum, censent Theologi, & sancti Patres? Nam quod vaticinatus est Isaias capite 14. in persona regis Babylonis de felicitate, & gloria eius, & de calamitate & exitio, & Ezechiel capite 28. sub typo regis Tyri, ea referunt ad Luciferum, id autem colligi potest ex illis verbis Domini: *Ille in veritate non stetit.*

S. Augustinus. *S. Gregorius.* *Iudas proditor.* *S. Basilius.* *Act. 6.* *Ioan 8.*

128. Sed huius rei nullum est memorabilius, & admirabilius, simulque terribilius exemplum, quam Salomonis: quem à primo, non modo virum bonum fuisse, sed etiam DEO præcipuè dilectum, & familiarem, docet nos diuina Scriptura libro 3. Regum cap. 3. & lib. 2. Paralipomenon cap. 7. eum verò fuisse postea reprobatum & damnatum, non obscurè indicat eadem diuina Scriptura libro 3. Regum capite 11. & in libro Ecclesiastici cap. 47. Non me fugit, non deesse Auctores

Saluus ne sit, an damnatus rex Salomon.

res

res minime obſcuros, qui putent Salomonem reſipuiſſe, & dignam egiſſe pœnitentiam, æternamque conſecutum ſalutem. Inter hos eſt B. Hieronymus ſuper cap. 43. Ezechielis, & ſuper caput primum libri Eccleſiaſtæ, vbi refert hanc eſſe Hebræorum ſententiam, affirmantium, librum illum fuiſſe à Salomone compoſitum in ſignum, & teſtimonium pœnitentiæ, quam de peccatis ſuis egerat. Idem tradit & Hilarius ſuper Pſalmum 52. & Paulus Burgenſis in additionibus ſuis ſuper caput 2. ſecundi Regum.

Salomonem eſſe ſaluum, cenſuerunt Hieronymus, Nazianzenus, Hilarius, Paulus Burgenſis.

129.

Complures tamen viſi ſunt putaſſe, Salomonem fuiſſe reprobatum à DEO, & damnatum æternis ſuppliciis. Et id quidem non obſcurè indicare videntur S. Baſilius in epiſtola quam ſcripſit ad Chilonem, & ſanctus Hieronymus in epiſtola 132. quæ ſcripta eſt ad Vitalem, & Cyrillus lib. 7. contra Iulianum Apoſtatam, & B. Auguſtinus in præfatione Pſalmi 126. Sed apertius id expreſſiuſque dixerunt S. Cyprianus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Gregorius, Beda, Rabanus, & Lyranus. Cypriani verba in epiſtola quinta primi libri epiſtolarum hæc ſunt: Salomon, & Saul, quamdiu in viis Domini ambulauerunt, datam ſibi gratiam tenere potuerunt: recedente ab illis diſciplina Domini, receſſit & gratia. Chryſoſtomus in ſermone quodam de Pœnitentia, Salomon, inquit, neſciens pœnitentiam, perdidit gratiam. S. Auguſtinus libro 22. contra Fauſtum Manichæum, cap. 81. ita ſcribit: Salomon plurimas habuit vxores, magis ad libidinem, quàm ad propaginem: & à DEO improbatus & reprehenſus his verbis eſt, vt appellaretur amator mulierum: & inde ad profundum Idololatriæ lapſus, & demerſus eſt. Et in eiuſdem lib. capite 88. ſic ait: Dauid grauiſſimum iniquitatis vulnus, pœnitentiæ humilitate ſanauit. Salomonem autem vehementer arguit, atque condemnat ſacra Scriptura, nihilque de pœnitentia eius, vel de indulgentia DEI erga illum omnino commemorat. S. Gregorius in lib. 2. Moralium cap. 3. docens, in Scriptura vocabulum noctis, vel nocturni temporis, non rarò ſignificare pœnam Reprobationis, extremæque

Salomonem fuiſſe reprobum, & damnatum ſignificant Baſilius, Hieronymus, Cyrillus. Expreſſius id dixerunt Cyprianus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Gregorius, Beda, Rabanus, Lyranus.

3. Reg. 11.

mæque damnationis, in hunc modum ſcribit: A qualitate temporis ſæpe finis exprimitur actionis: ſicut non rediturus ad veniam, ad proditionis perfidiam Iudas nocte exiſſe perhibetur. Et auaro, & iniquo diuiti dictum eſt: *Hac nocte repetent animam tuam abs te.* Anima quippe quę ad tenebras ducitur, non in die repeti, ſed in nocte memoratur. Hinc etiam eſt, quod Salomon, qui ſapientiam non perſeueraturus accepit, in ſomnis hanc, & nocte accepiſſe deſcribitur. Hinc eſt quod ANGELI ad Abraham, meridie veniunt: punituri autem Sodomam, veſperi ad eam veniſſe memorantur. Quia igitur beati Iob tentatio ad victoriam deducitur, à die cœpta perhibetur. Sic Gregorius.

Ioan.13. *Lucæ 12.* *3.Reg.3.* *Geneſ.18. et 19.*

130. Hoc ipſum & arbitrantur, & argumentantur Beda in ſecundum caput Iſaiæ ſuper illis verbis: *Idola penitus conterentur.* Et Rabanus ſuper caput 11. libri tertij Regum, & capite 23. libri quarti, & Lyranus in librum primum Regum capite 7. Argumentantur porrò Salomonem non egiſſe pœnitentiam, ſed denique fuiſſe damnatum, eo quod Idola, quæ conſtituerat in gratiam ſuarum concubinarum, & ingenti cum populi ſcandalo, nec viuens deſtruxit, nec ſaltem in hora mortis, deſtrui mandauit: ea namque Idola poſt mortem Salomonis, maximo religionis DEI damno, per annos circiter quadringentos ſteterunt, atque permanſerunt, nempe vſque ad tempora Ioſiæ regis, quem ea Idola deſtruxiſſe traditur libro quarto Regum cap. 23. Illud quoque præualidum eſt huius ſententiæ argumentum, quod ſacra Scriptura nunquam nec in libris Regum, aut Paralipomenon, nec in libro Eccleſiaſtici cap. 47. vbi videlicet de Idololatria, & peccatis Salomonis agitur, vllam facit pœnitentiæ Salomonis mentionem: haud dubiè non tacitura, ſi eam Salomon egiſſet, rem tanti momenti, & tam memorabilis exempli ad conſolandos & animandos peccatores, ſicut narrauit pœnitentiam Dauidis, & Manaſſis, & regis Nabuchodonoſor.

2.Reg.2. *4.Reg.* *Dan.4.*

131. Nec officit huic ſententię quod ſcriptum eſt in lib. 2. Regum cap. 7. de Salomone illis verbis: *Qui, ſi iniquè aliquid geſſe-*

Locus libri 2. Regum cap. 7.

gesserit, arguam eum in virga, & in plagis filiorum hominum: misericordiam autem meam non dispergam ab eo, sicut abstuli à Saul, quem amoui à faciè mea. Et fidelis erit domus tua, & regnum, & regnum tuum vsque in æternum ante faciem meam, & thronus tuus erit firmus iugiter. Nam illud: *Misericordiam meam non auferam ab eo.* Bene interpretatur Lyranus de misericordia, quantum ad priuationem regni temporalis; non autem de misericordia, quantum ad æternæ salutis consecutionem. DEVS enim non abstulit Salomoni, & posteris eius propter peccata, quæ admiserat, potestatem, & dominationem regni, nisi tantùm ex parte, remouendo scilicet à regno posterorum eius decem tribus. Et hanc esse germanam illorum verborum intelligentiam, declarat exemplum Saulis; quem dicitur DEVS amouisse à facie sua, quoniam & ipsi, & posteris eius abstulit regnum, fecitque vt nullus ex posteritate illius, regnum teneret in populo suo. Idem ipsum pensitanti verba Scripturæ, quæ dudum memorauimus, manifestum est.

VIGESIMAOCTAVA DISPVTATIO.

An qui prædestinati sunt, planè cognitum & certum habere possint citra specialem DEI reuelationem, se prædestinatos esse à DEO ad vitam æternam.

HVIVS temporis hæretici censent, cuilibet fidelium per fidem CHRISTI iustificatorum, esse omnino certum & persuasum oportere, se in gratia DEI, quam accepit, perseueraturum vs- 132.

que in finem; &, quod neceſſariò conſequens eſt, ſe à DEO prædeſtinatum eſſe ad vitam æternam. Audiat lector quid in hanc ſententiam ſcribat Caluinus, explanans hæc Apoſtoli verba: *Certus ſum quia neque mors, neque vita, &c. poterit nos ſeparare à charitate DEI.* Senſus horum verborum eſt, (inquit Caluinus) non eſſe metuendum, ne adoptionis fidem deleat, quantumuis diuturna laborum continuatio. Itaque iſtud ſcholaſticis non obſcurè repugnat, qui neminem de ſua finali perſeuerantia certum eſſe nugantur, niſi ſpecialis reuelationis beneficio, quod rariſſimum ipſi faciunt. Quo dogmate deſtruitur tota fides: quæ certè nulla eſt, niſi vſque ad mortem, & poſt mortem etiam extendatur. Nos autem contra oportet confidere, quod qui cœpit in nobis opus bonum, perficiet vſque in finem Domini IESV. Et idem Caluinus alio loco: Fidelis, inquit, non eſt, qui non poſſit, ſuæ ſalutis ſecuritati innixus, cum Paulo dicere: *Certus ſum, quod neque mors, neque vita, &c. poterit nos ſeparare à charitate DEI.* Et qui diuinæ erga ſe beneuolentiæ promiſſione fretus, non poſſit indubitatam ſalutis ſuæ expectationem præſumere. Et alio item loco: Solicitudine, inquit, non perſeuerandi liberauit nos CHRISTVS. Nam in poſtremum reſpiciunt illę eius promiſſiones: *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet; & eum qui venit ad me, non eiiciam foras. Hac eſt voluntas eius, qui miſit me, PATRIS, vt omne quod dedit mihi, non perdam ex eo, ſed reſuſcitem illud in nouiſſimo die.* Et alio loco: *Oues mea, vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam aternam dabo eis; & non peribunt in aternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea. PATER meus qui dedit mihi, maior omnibus eſt, & nemo poteſt rapere de manu PATRIS mei.* Huc etiam referunt iſti verba illa Pauli ad Philippenſes 1. *Confido, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem CHRISTI IESV.* Nam pro illo verbo, *confido*, contendunt legi oportere: *Perſuaſus & certus ſum.* Id enim ſignificat verbum græcum, quod eſt in eo loco, & ita citatur à beato Auguſtino in libro de gratia, & libero arbitrio capite

Ad Epheſ. 1.

Ioan. 6.

Ioan. 10.

pite 17. Atq; hæc eſt hæreticorum ſententia, & eius ſententiæ confirmatio.

133. *Refutatio ſuperiorũ ſentẽtia.* *Concilium Tridentinum.*

Sed iſtam ſententiam damnarunt Patres in Concilio Tridentino in decreto de iuſtificatione cap. 12. & 13. his verbis: Nemo, quãdiu in hac mortalitate viuitur, de arcano diuinæ prædeſtinationis myſterio, vſque adeò præſumere debet, vt certò ſtatuat ſe omninò eſſe in numero prædeſtinatorum: quaſi verum eſſet, quod iuſtificatus aut non poſſit amplius peccare; aut ſi peccauerit, certam ſibi reſipiſcentiam promittere debeat. Nam niſi ex ſpeciali reuelatione ſciri non poteſt, quos DEVS ſibi elegerit. Similiter de perſeuerantiæ munere ſentiendum eſt: de quo ſcriptum eſt: *Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit*, quod quidem aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo, qui potens eſt, eum qui ſtat, ſtatuere, vt perſeueranter ſtet: & eum qui cadit, reſtituere. Nemo igitur ſibi aliquid certi, abſoluta certitudine polliceatur, tametſi in DEI auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debent. DEVS enim, niſi ipſi gratiæ illius defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere.

134. *Eccleſiaſtes 8. Prou. 27. et 28. Locus Eccleſiaſtes 9.*

Hæc doctrina Patrum nititur atque fulcitur multis diuinæ ſcripturæ teſtimoniis, plurifariam affirmantis, hominem eſſe ignarum, & incertum rerum futurarum. Scriptum nempe eſt: *Ne glorieris in craſtinum, ignorans quid ſuperuentura pariat dies.* Et item: *Beatus homo qui ſemper eſt pauidus.* Huc etiam ſpectat memorabilis illa, & celebris ſententia Salomonis: *Neſcit homo, vtrum odio an amore dignus ſit: ſed omnia in futurum ſeruantur incerta.* Quæ verba habent profectò veriſſimam ſententiam, ſi intelligantur, de amore DEI, quantum ad æternam electionem, & prædeſtinationem hominum, & de odio reprobationis eorum. Iſta porrò verba luculentè tractans B. Bernardus in confirmationem eius quod docere hoc loco volumus, ita ſcribit: Quis poteſt dicere, ego de electis ſum, ego de prædeſtinatis ſum ad vitam æternam, ego de numero ſum filiorum DEI? Quis hæc, inquam, dicere

Bernardus in ſerm. 1. de ſeptuageſima.

potest? reclamante nimirum scriptura: *Nescit homo si amore dignus sit, an odio.* Certitudinem itaque non habemus; sed spei fiducia consolatur nos, ne dubitationis huius anxietate penitus cruciemur. Propter hoc data sunt signa quædam, & indicia manifesta salutis, vt indubitabile sit eum esse de numero electorum, in quo ea signa permanserint. Propter hoc, inquam, quos præsciuit DEVS, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui: vt quibus certitudinem negat causa solicitudinis, vel fiduciam præstet gratia consolationis. Propter hoc itaque semper solliciti in timore, & tremore humiliemur sub potenti manu DEI: quoniam quales sumus, vel ex parte nosse possumus: quales autem futuri sumus, id nosse penitus nobis impossibile est: Itaque qui stat, videat ne cadat, & in ea forma, quæ salutis indicium est, & argumentum prædestinationis, perseueret, atque proficiat. Hæc Bernardus.

1. Cor. 10.

135. Ad hoc ipsum firmandum, & illustrandum valet quod B. Augustinus in capite 12. libri 11. de ciuitate DEI scriptum reliquit his verbis: Quis primos illos homines in Paradiso negare audeat, beatos fuisse ante peccatum, quamuis de sua beatitudine, vtrum diuturna, vel æterna esset futura, incertos? Cùm hodie non imprudenter beatos vocemus, quos videmus iustè ac piè cum spe futuræ immortalitatis hanc vitam ducere, sine crimine, vastante conscientiam, facilè impetrantes peccatis huius infirmitatis diuinam misericordiam; qui licet de suæ perseuerantiæ præmio certi sint, de ipsa tamen perseuerantia sua reperiuntur incerti. Quis enim hominum, se in actione, profectuque iustitiæ perseueraturum vsque in finem sciat, nisi aliqua reuelatione ab illo fiat certus, qui de hac re, iusto, latentiq; iudicio, non omnes instruit, sed neminem fallit. Sic Augustinus. Et verò si (quemadmodũ suprà copiosè disputauimus, validisq; argumentis conclusimus) nemo, citra specialem DEI reuelationem certus esse potest, se habere DEI gratiam, & iustitiam: quanto minus poterit ei esse certum, se perseueraturum in gratia vsque in finem,

S. Augustinus.

nem, & cum DEI gratia decessurum ex hac vita? Nam si præsens homini gratia, nō est ei certè cognita, quanto minus cognita ei erit, futura, &, vt vocant, finalis gratia? Quare necesse est, hæreticos dicere, aut acceptam semel gratiam, non posse amitti, quod suprà refutauimus: aut si fuerit amissa, posse hominem esse certum, illam se recuperaturum ante finem vitæ, nec sine DEI gratia ex hac vita migraturum; quod planè falsum est: nam vnde id liquere homini possit, nihil est.

136. *Explicātur testimonia scripturæ ab hæreticis allata.*

Restat vt testimonia diuinæ scripturæ paulò suprà posita, quibus hæretici ad confirmationem sententiæ suæ abutuntur, quemadmodū intelligere oporteat, breuiter doceamus. Ac primò quidem illis Domini sententiis prolatis ex cap. 6. & 10. Euangelij Ioannis, illud tantùm concluditur, eos, qui verè sunt prædestinati, non posse in perpetuum decidere à DEI gratia, sed in fine saltem vitæ, habituros DEI gratiam. Quod etsi verissimum est, nihilominus tamen nemini fidelium compertum & certum est, se de numero esse prædestinatorum. Illæ namq; promissiones Domini, generales sunt, & in commune, atque in vniuersum pertinent ad prædestinatos; priuatim autem, & in particulari, sicut neminem faciunt prædestinationis suæ compertum & certum, ita nec certum faciunt, eum illarum promissionum futurum esse participem. Nempe, aliud est, esse aliquos prædestinatos in mundo, in Ecclesia etenim DEI sunt omni tempore aliqui prædestinati; aliud verò est, huic vel illi esse certum se esse prædestinatum. Testimonium autem illud Pauli ex primo capite epistolæ ad Philippenses productum: *Confido quod qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in finem, &c.* ita diluitur. Illud: *confido*, siue vt hæretici legendum esse censent, *Persuasus vel certus sum*, non significat persuasionem & certitudinem fidei, hoc est, prorsus infallibilem: sed certitudinem quandam moralem, & probabilem admodum fiduciam, & spem, ortam ex simplicitate, & pietate animi, considerata insigni probitate morum, & sanctimonia externæ conuersationis aliorum hominum. Solent

Locus epist. ad Philip. cap. 1.

lent enim viri sancti benè existimare, & sentire, & loqui de iis, quos iudicant esse viros bonos, & synceros DEI seruos, eosque appellant & electos, & beatos, vt dixit Augustinus in verbis dudum commemoratis. Quis porrò in tantum vecordiæ, & dementiæ processerit, vt dicere non vereatur, quemlibet fidelium non modò de sua, sed etiam de cuiuslibet fidelium perseuerantia in bono vsque in finem esse certum posse, aut etiam debere? Cùm talis perseuerantia, licet potissimum à DEO, aliquo tamen modo etiā pendeat ab homine; Apostolus verò dicat neminem scire quæ sunt DEI, nisi SPIRITVS DEI, aut cui ipse voluerit reuelare: & itē, quod: *Nemo nouit, quæ sunt hominis nisi spiritus hominis, qui in ipso est.*

1. Cor. 2.

Ibidem.

137. Cæterùm præcipuè vrgent hæretici hæc Apostoli verba, quæ nunc tractamus. *Certus sum, quia neque mors, neque vita, &c. poterit nos separare à charitate DEI.* Ecce, inquiūt, ipse Paulus testatur, se certum esse, quod neque ipse, neque alij electi separabuntur vnquam à charitate DEI. Ad hoc quidam respondent, Paulum de se solo in particulari fuisse certum de sua perseuerantia vsque in finem, & de sua prædestinatione; id autem per DEI reuelationem ei fuisse manifestatum. De aliis verò electis habuit certitudinem perseuerantiæ eorum, tantùm in vniuersali, prout sunt electi; non autem in particulari de hoc vel illo homine, quod sit perseueraturus vsque in finem, neque quod sit electus. Sed illa est probabilior responsio: verbum græcum πέπεισμαι, quo hîc vtitur Paulus, & Latinus interpres vertit, *certus sum*, non significare in scriptura certitudinem fidei, &, vt vocant, infallibilem, sed moralem quandam persuasionem, & probabilem existimationem, quòd multa sint quæ id persuadeant credere, & nihil occurrat, quod credere dissuadeat. Hoc autem ita esse, liquet ex variis scripturæ locis, vt ex capite decimo quinto huius epistolæ: *Certus sum* (inquit Paulus) *fratres mei & ego ipse de vobis, quia pleni estis dilectione.* Et in posterioris epistolæ ad Timotheum capite primo: scribit, se certum esse, quod in Timotheo habitet fides non ficta. Et in sexto capite epistolæ ad

Quid sit in scriptura certum esse de aliquo.

læ ad Hebræos: *Confidimus de vobis dilectissimi, meliora, & viciniora saluti.* In his porrò locis est idem verbum græcum, quo hîc vtitur Paulus, & à Latino interprete interdum redditur, *Certus sum*, & nonnunquam, *confido*, ex quo licet intelligere, verbum illud pertinere ad omnem persuasionem, etiam non certam, sed tantùm probabilem: nemo enim dixerit, Paulum certitudine fidei diuinæ credidisse, Romanos esse plenos dilectione, & Timotheum habuisse fidem non fictam. Posset etiam verbum illud: *Certus sum*, referri non ad certitudinem intellectus, sed ad firmitatem voluntatis, & propositi ipsius Pauli de perseuerando in amore DEI; vt sit eorum verborum hic sensus, se firmissima deliberatione statuisse apud se omnia perpeti potius quàm ab amore CHRISTI diuelli. Posset etiam illud dictum esse ex certa quadam animi fiducia de diuina misericordia; quem in modum & intellexit, & citauit hunc locum in quadam sua epistola Liberius Papa.

138. Non est hoc loco prætermittenda alia quædam interpretatio huius loci, quam tradit B. Bernardus, ait enim Paulum dixisse, se certum esse, quod nulla alia creatura, nihilq́;, quod extra ipsum esset, separare ipsum posset, & electos à charitate DEI: nihil enim extra hominem est, quod posset hominem cogere, & necessitate quadam inducere ad peccandum. Non tamen dixit Paulus, quod non possit hominem propria eius voluntas separare à charitate DEI. Ponam hîc verba Bernardi ex sermone quodam eius de duplici baptismo, & de relinquenda propria voluntate. *S. Bernardus.* Non est, inquit, inanis, aut infirma potestas, quæ data est nobis, vt filij DEI simus: Certi enim sumus, continuò & nos, quia neque mors, neque vita, &c. poterit nos separare à charitate DEI, quæ est in CHRISTO IESV. Sed attende, quod inter tam multa, quæ ibi enumerauit Apostolus, non adiecit illud: *Nec nos ipsi*, nimirũ hæc est libertas qua CHRISTVS nos liberauit, vt nulla penitus creatura auellere nos ab ipso, aut vim nobis facere possit. Soli nos deserere DEVM possumus propria voluntate ab-

 stracti,

Iacobi 1.

ſtracti, & illecti à propria concupiſcentia; præter hanc enim nihil eſt quod timeamus. Denique donec voluntatis vſum & facultatem deliberandi renatus quiſq; recipiat, à charitate DEI ſeparari omninò nõ poteſt: ſecurus enim degit ſub protectione & adiutorio DEI ſui. At vbi diſcretionis annos ingrediens, redditur ipſe ſibi, cæterorum vtique violentiam, ne tum quidem formidare neceſſe eſt; ſed ab ea, quæ dormit in ſinu, caueat, propria ſcilicet voluntate. Aderit ei fortè peccatum in foribus, ſed appetitus eius ab ipſo erit; tantum ipſe aperire renuat, & conſentire recuſet. Hæc beatus Bernardus.

Geneſ. 4.

139. *Quibus reuelauerit Deus prædeſtinationem ipſorum.*

Quod autem DEVS nonnullis perinſigni pietate, & ſanctimonia præditis, ſibique chariſſimis, & familiariſſimis manifeſtauerit ipſorum electionem, & prædeſtinationem ad vitam æternam, perſpicuò docet nos ſcriptura diuina. Apoſtolis enim ſatis apertè perſeuerantiam eorum vſque in finem, indicauit illis verbis: *Alium PARACLETVM dabit vobis,* PATER, *vt maneat vobiſcum in æternum.* Et cùm dixit eis: *Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis: & ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi PATER meus regnum,* &c. Et item illis verbis: *Gaudete puſillus grex, quia complacuit PATRI veſtro dare vobis regnum.* Beato etiam Paulo reuelatam fuiſſe ipſius prædeſtinationem, colligit Anſelmus ex illis eius verbis: *Bonum certamen certaui, curſum conſummaui: in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus iuſtus iudex.* Nec ſolùm de ſua prædeſtinatione videtur certus fuiſſe Apoſtolus, verùm etiam de aliorum prædeſtinatione, vt Clementis, & quorundam aliorum coadiutorum ipſius, quorum nomina ſcripta fuiſſe in libro vitæ, affirmat ipſe in epiſtola ad Philippenſes capite quarto. Quanquam videtur Paulus iſtud non ſenſiſſe de illis certitudine fidei, ſed morali quadam certitudine, & humana probabilitate, propter quam perſuaſum habebat ita eſſe, & æquum cenſebat ita de illis ſentire & loqui. Non ſolùm autem CHRISTVS Dominus reuelauit Apoſtolis eorum prædeſtinationem, verùm etiam ſeptuaginta

Ioan. 15. *Lucæ 22.* *Lucæ 12.* *Anſelmus. 2. ad Tim. 4.*

ginta duobus discipulis, quibus dixit: *Gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cælis.* At enim vulgò putatus & dictus Ambrosius super illis verbis huius capitis: *Quos præsciuit, & prædestinauit.* Et item super illis verbis capitis noni: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* magna scribit asseueratione, duos & septuaginta discipulos Domini, de quibus scripsit Lucas in Euangelio, cap. 10. fuisse quidem aliquando bonos, sed postea defecisse à CHRISTI fide, ac denique reprobatos fuisse atque damnatos. Quod, & contrarium est sententiæ CHRISTI, qui dixit eis, nomina eorum esse scripta in cœlis, quo significari solet in scriptura æterna prædestinatio ad cœlestem gloriam: & contrarium præterea est historiis Ecclesiasticis, in quibus proditum est, omnes illos laudabili exitu vitam finisse; & plures eorum fuisse Martyres. Hoc itaq; argumentum adiicere oportet ad alia complura, quæ multifariam in superioribus disputationibus attulimus, vt probaremus, Auctorem commentariorum in epistolas Pauli, qui fert nomen Ambrosij, non fuisse B. Ambrosium Mediolanensem Episcopum.

Malac. 1.

Ambrosius.

Vulgo dictus Ambrosius dixit, 72. discipulos Domini fuisse damnatos.

IN CAPVT NONVM DISPVTATIONES TREDECIM.

CAPVT IX.

Versu 1. VERITATEM dico in CHRISTO, non mentior: testimonium mihi perhibente cõscientia mea in SPIRITV sancto: 2. * quoniam tristitia mihi magna est, & continuus dolor cordi meo. 3. * Optabã enim ego ipse anathema esse à CHRISTO pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, 4. * qui sunt Israëlitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamẽtum, & legislatio, & obsequium, & promissa: 5. * quorum patres, & ex quibus est CHRISTVS secundum carnem, qui est super omnia DEVS benedictus in secula, Amen. 6. * Non autẽ quod exciderit verbum DEI. Non enim qui ex Israël sunt, ij sunt Israëlitæ: 7. * neq; qui semen sunt Abrahæ, omnes filij: sed in Isaac vocabitur tibi semen: 8. * id est, Non qui filij carnis, hi filij Dei: sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semi-

ſemine. * Promiſſionis enim verbum hoc eſt: 9.
ſecundum hoc tempus veniam, & erit Saræ fi- Gen.18.
lius. * Non ſolum autem illa, ſed & Rebecca 10.
ex vno concubitu habens Iſaac, patris noſtri. Infrà 25.
* Cum enim nondum nati fuiſſent, aut ali- 11.
quid boni egiſſent aut mali (* vt ſecundum e- 12.
lectionem propoſitum DEI maneret) non ex Gen.25.
operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei. * Quia 13.
maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt, Iacob Malach.1.
dilexi, Eſau autem odio habui. * Quid ergo di- 14.
cemus? numquid iniquitas apud DEVM? Abſit.
* Moyſi enim dicit: Miſerebor cuius miſereor: 15.
& miſericordiam præſtabo, cui miſerebor. Exod.33.
* Igitur non volentis, neque currentis, ſed mi- 16.
ſerentis eſt DEI. * Dicit enim Scriptura Pha- 17.
raoni, Quia in hoc ipſum excitaui te, vt oſten- Exod 93.
dam in te virtutem meam, & vt annuntietur
nomen meum in vniuerſa terra. * Ergo cuius 18.
vult, miſeretur, & quem vult indurat. * Dicis 19.
itaque mihi: Quid adhuc queritur? voluntati e-
nim eius quis reſiſtit? * O homo, tu quis es, qui 20.
reſpondeas DEO? Numquid dicit figmentum
ei qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? * An non ha- 21.
bet poteſtatem figulus luti, ex eâdem maſſa fa-
cere aliud quidem vas in honorem, aliud verò
in contumeliam? * Quod ſi DEVS volens o- 22.

ſtendere iram, & notã facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia, vaſa irę, apta ad interitum: * Vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam. * Quos & vocauit nos nõ ſolùm ex Iudæis, ſed etiam ex Gẽtibus. * Sicut in Oſee dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectã, dilectam: & non miſericordiam conſecutã, miſericordiam conſecutam. * Et erit in loco, vbi dictum eſt eis: Non plebs mea vos, ibi vocabuntur filij DEI viui. * Iſaias autem clamat pro Iſraël: Si fuerit numerus filiorũ Iſraël tanquam arena maris, reliquiæ ſaluæ fient. * Verbũ enim conſummans & abbreuians in æquitate: quia VERBVM breuiatũ faciet Dominus ſuper terram: * Et ſicut prædixit Iſaias: Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti eſſemus, & ſicut Gomorrha ſimiles fuiſſemus. * Quid ergo dicemus? Quod Gentes quæ non ſectabantur iuſtitiã, apprehenderunt iuſtitiam: iuſtitiam autẽ quæ ex fide eſt. * Iſraël verò ſectando legẽ iuſtitiæ, in legẽ iuſtitiæ non peruenit. * Quare? quia nõ ex fide, ſed quaſi ex operibus: offenderunt enim in lapidẽ offenſionis. * Sicut ſcriptum eſt: ecce pono in Sion lapidẽ offenſionis, & in petrã ſcandali: & omnis qui credit in eum, non confundetur.

(Marginal verse numbers: 23, 24, 25, 26, 27, 28, 29, 30, 31, 32, 33; marginal references: Oſee 2. Oſee 1. Iſaia 10. Iſa. 1. Iſa. 8.)

PRÆ-

PRÆFATIO.

IN tribus capitibus proximè ſequentibus Apoſtolus agit de reprobatione, & abiectione Iudæorum, & Gentium electione, ac vocatione. Nam cùm in ſuperioribus oſtendiſſet, non poſſe hominem per ſua opera, ſiue legalia, ſiue ceremonialia iuſtum effici coram DEO: Sed fidem CHRISTI eſſe vnicam quaſi viam, & rationem adipiſcendi iuſtitiam, & ſalutem ęternam: deinceps oſtendit, Iudæos quoniam hanc viam fidei tenere noluerunt, à iuſtitia prorſus aberraſſe: Gentes verò hanc fidei viam ingreſſas & inſiſtentes, ad conſecutionem veræ iuſtitiæ, & ſalutis perueniſſe. In hoc autem 9. capite diſputat Apoſtolus de cauſis electionis & reprobationis hominum, tam in vniuerſum, quàm propriè ipſorum Iudæorum, & Gentium. Verùm ne, quæ dicturus erat de repudiatione populi Iudaici, ea ipſe à Iudaiſmo conuerſus ad Chriſtianiſmum, odio eius gentis dicere videretur; initio huius 9. cap. præfatur ſummum amorem, quo gentem Iudæorum complectebatur: tanto enim ait ſe dolore affici ob Iudæorum incredulitatem, vt optauerit ſe anathema fieri à CHRISTO, dummodo Iudæi ſalutem æternam conſequerentur. 1.

PRIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

OPTABAM enim ego ipſe anathema eſſe à CHRISTO pro fratribus meis, qui ſunt cognati *Verſu 3.*

gnati

gnati mei ſecundum carnem, qui ſunt Iſraëlitæ.

INTERPRETATIO BEATI HIERONYMI ANAthema interpretantis occiſionem corporalem defenditur aduerſus ſanctum Chryſoſtomum.

VALDE obſcurum eſt, quale fuerit hoc deſiderium, & votum Apoſtoli, optantis ſe fieri anathema à CHRISTO pro ſalute Iudæorum; ſatis profectò conſtat, fuiſſe tale deſiderium; vt maximum fuerit argumentum eximij amoris Pauli erga Iudæos. Sedenim fueritné deſiderium illud æquum, & rationi conueniens, & congruens ordinatæ charitati, incertum facere videntur illa verba: *Anathema fieri à* CHRISTO, vt quæ variè admodum interpretata, varias quoque perperêre ſententias, quas hoc loco exponendas & perpendendas eſſe duximus.

2: *Quid ſignificet vox anathema.*

Sed ante omnia ſciendum eſt, Græcos vocare anathemata, (vt docent ſuper hoc loco Chryſoſtomus, & Theodoretus) ea, quæ in templis conſecrata Diis erant: Sic autem vocabãtur, quod ſepoſita & ſeparata eſſent ab vſu hominum, & quæ religionis cauſa, nemini liceret contrectare. Dicebantur quoque, ex contrario ſenſu, anathemata, quæcumque adeo erant hominibus abominata, vt deteſtationis cauſa, nemo ea contingere auderet, & ad quæ accedere, horrerent omnes, & illorum communionem refugerent, quales ſunt apud Chriſtianos qui appellantur excommunicati. Ad hunc intellectum appellant Græci anathemata, ſceleſtiſſimos homines, qui ad vrbis luſtrationem, Diis Manibus, & inferis mactabantur, ſi qua lues, aut calamitas ingrueret; quam, eiuſmodi hominum nece, placatis Diis, ſedatum iri putabant. Quidam igitur arbitrati ſunt, Paulum hoc loco ad illiuſmodi ſacrificia ſpectaſſe, & alludere voluiſſe. Vt hic ſit verborum Apoſtoli ſenſus: vſque adeo mihi dolet gentis meæ reprobatio & abiectio, vt ſi DEI aduerſus eam gentem placare iram,

iram, vel meo malo & exitio possem, optarem anathema esse, hoc est, pessundari à CHRISTO, si modo hac ratione fratribus meis Iudæis prodessem.

Huius expositionis peraffinis est interpretatio huius loci, quam tradit, & disertè tractat B. Hieronymus in epistola 151. quam scripsit ad Algasiam, respondens eius quæst. 9. quam super hoc ipso Apostoli loco sibi proposuerat. Vbi Heronymus anathema interpretatur occisionem corporalem, sensum verborum Apostoli esse dicens huiusmodi: Optarem equidem, si DEO ita videretur, meum sanguinem vitamque pro salute fratrum meorum Iudæorum profundere; vt locutio illa, *Anathema fieri*, sit hebraismus, significans è vita tolli, & tanquam quippiam abominatum execratumq; de hominum societate exterminari. Verùm quia dilucidam & copiosam huius Apostolici loci interpretationem continent ea, quæ S. Hieronymus eo loci super hac quæstione disputat, nō abs re visum mihi est, verba eius hic adscribere, sunt autem huiusmodi. Reuera valida quæstio est, quomodo Apostolus, qui supra dixerat: *Quis nos separabit à charitate CHRISTI? tribulatio, an angustia, &c.* Et rursus: *Confido autem, quia neq; mors, neque vita, neque ANGELI, &c. poterunt nos separare à charitate DEI, quam habemus in CHRISTO IESV.* Nunc autem sub iure iurando dicat: *Veritatem dico in CHRISTO IESV, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientia mea in SPIRITV sancto, quoniam tristitia est mihi magna, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim anathema esse à CHRISTO pro fratribus meis, &c.* Si Apostolus tantæ in DEVM erat charitatis, vt nulla re separari posset à charitate eius; quæ est ista tanta mutatio, immo tam inaudita prudentia, vt pro charitate CHRISTI nolit habere CHRISTVM? & ne forsitan ei credamus, iurat & confirmat in CHRISTO & conscientiæ suæ testē inuocat SPIRITVM sanctū se habere tristitiā, & dolorē non leuem, nec fortuitū, nec breuē qui ad horā pungat, & transeat, sed qui iugiter in corde permaneat Quo tendit ista tristitia? Ad qd ꝑficit incessabilis dolor? Optat anathema esse à CHRISTO, id est, perire se, vt alij

3. *Prima interpretatio Hieronymi.*

ſalui fiant. Sed ſi conſideremus Moyſi vocem rogantis DEVM pro populo Iudæorum,& dicentis: *Si dimittis eis peccatum ſuum, dimitte: Si autem non vis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Perſpiciemus, eundem & Moyſi,& Paulo erga creditum ſibi gregem fuiſſe affectum. *Paſtor enim bonus, ponit animam ſuam pro ouibus ſuis.* Et idem ipſum eſt dicere: *Optabam anathema eſſe à CHRISTO*, ac dicere: *Dele me de libro quem ſcripſiſti*: Qui enim delentur de libro viuentium; & cum iuſtis non ſcribuntur, anathema fiunt à Domino. Simulque cerne quantæ charitatis in CHRISTO ſit Apoſtolus, vt pro illo cupiat mori, & ſolus perire, dummodo omne in illum credat genus humanum. Perire autem cupit, non in perpetuum, ſed in præſentiarum. Qui enim perdiderit animam ſuam pro CHRISTO, ſaluam faciet eam. Vnde & de 43. Pſalm. aſſumit exemplum dicens: *Quoniam propter te mortificamur tota die, reputati ſumus vt oues occiſionis.* Vult ergo Apoſtolus perire in carne, vt alij ſaluentur in Spiritu: vult ſanguinem ſuum fundere, vt multorum animæ conſeruentur. Quod autem anathema interdum occiſionem ſonet, multis Inſtrumenti veteris teſtimoniis probari poteſt. Hactenus ex B. Hieronymo.

Exodi 32. *Ioan. 10.* *Pſal. 68.* *Matth. 16.*

4. Cuius interpretationi obſtare videtur illa particula, *à CHRISTO*, nam ſi anathema ſignificat hoc loco, vt vult Hieronymus, occiſionem, illud, *à CHRISTO*, planè vacat, nec ad iſtum ſenſum pertinet. Sed dici poſſet, illud, *à CHRISTO*, ſignificare, propter CHRISTVM, ſiue, propter amorem CHRISTI: interdum enim illa præpoſitio, *à*, ſecundum phraſim hebraicam in Scriptura ſignificat propter, ſicut Dauid dixit: *A mandatis tuis intellexi*, id eſt, propter mandata; & cum ait, terram Sodomorum verſam eſſe in Salſuginem à malitia inhabitantium in ea, id eſt, propter malitiam. Et alio loco: *Genua mea infirmata ſunt à ieiunio*, id eſt, propter ieiunium. Vel illud, à CHRISTO denotat cauſam efficientem: vt ſenſus ſit: opto me occidi, vel mihi vitam auferri à CHRISTO, ſi hoc conduceret ſaluti Iudæorum.

Pſal. 118. *Pſalm. 106.* *Pſalm. 138.*

5. Sed enim interpretatio hæc B. Hieronymi vſque adeò diſplicuit

Chryſoſtomus ſupradictam

splicuit Chrysostomo, vt id non potuerit dissimulare, sed pluribus verbis in eam cum irrisione & contemptu sit inuectus; affirmans, qui putarunt Paulum hęc verba de corporali morte dixisse, tantùm, atq; etiam magis Pauli sensum ignorasse, quàm cœcus solis radios. Nam cum Paulus per singulos dies & horas morti se pro salute omnium offerret, & qui Corinthiis scripserit: *Quotidie morior pro vestra gloria fratres*, quid magnum, quid eximium, & singulare dixisset hoc loco, contestans DEVM, & SPIRITVM sanctum, & conscientiam suam, quod paratus esset mori pro salute Iudæorum? Quocirca dicit eam opinionem esse quasi lumbricorum in sordido fimo latitantium. Deinde, quomodo, inquit, per mortem corporalem Paulus anathema fieret à CHRISTO, cum potius per mortem inseparabiliter vniretur CHRISTO, & gloriæ eius frueretur? Sed lubet ipsa Chrysostomi verba ex homilia 16. in epist. ad Rom. huc transposita, commemorare. Qiidam, inquit, sunt, longè à Pauli mente distantes, qui dicunt, Paulum his verbis locutum esse de temporali morte: quos equidem verè dixerim magis ignorare Pauli sensum, quàm cœcos solis radios: qui enim per dies singulos moreretur, ac periculorum veluti grandinibus suppositis, paulò antè dixisset, nullam esse, aut esse posse creaturam, quæ illum separaret à charitate DEI, quomodo post illa omnia tanquam magnum quippiam proferens, mortis temporariæ mentionem faceret? Non est ita: non est ita: quin potius lumbricorum in fimo latitantium, huiusmodi opinio fuerit. Si enim id diceret Paulus, quomodo istud dicens optaret se anathema fieri à CHRISTO, cum potius per mortem, maxime CHRISTO iungeretur, & sociaretur choro cælestium Spirituum, & animarum, quæ CHRISTVM in cœlo circumdant? Hactenus ex Chrysostomo.

interpretationem Hieronymi refellit.

6\. *Interpretatio S. Hieronymi vindicatur à reprehensione Chrysostomi.*

At enimuero, interpretatio B. Hieronymi, non est adeo improbabilis, vt visa est Chrysostomo, nec irrisione, contemptuq; digna: immo verò mihi videtur admodum probabilis, multumq; congruens diuinæ Scripturæ. Principiò, si

 quis

quis obseruatè consideret vocem hebræam (horma) quam septuaginta græcè verterunt anathema, vt patet ex cap. 21. libri Numerorum, & qua significatione, ac sensu in variis Scripturę locis ea vox vsurpetur, comperiet profectò, ea voce significari ea, quę consecrata DEO sunt, & item occidere; quòd consecrata DEO; mactabantur: vel quod ciuitates deuotæ DEO, funditus, & ad internecionem delebantur, sicut factum est vrbi Hierico, vt est in libro Iosue capite 6. exempla huiusmodi significationis, multifariam reperies in Scriptura, vt Numeri 21. Iosue 6. Zachariæ 14. Malachiæ 4. 1. Corinthiorum 16. & ad Galatas 1. Significat præterea in sacris litteris, anathema, rem abominabilem, & execrandam, vt videre licet Deuteronomij cap. 7. in illis verbis: *Non inferes quippiam ex Idolo, ne fias anathema, sicut ipsum est.* Nam quia Hebræi, & idola ipsa, & idolis immolata, & consecrata, quæ dicuntur, anathemata, abominabantur; idcirco nomen anathematis, vel potius, horma, transferebant ad significandam rem abominabilem. Cùm itaque nomen anathematis sæpè in Scriptura significet occisionem, & destructionem, liquet, interpretationem B. Hieronymi, qui hoc loco anathema interpretatur occisionem, cum sacris litteris esse congruentem.

Locus Deuter. cap. 7.

7. Miror porrò cur S. Chrysostomus dixerit, optare mori pro salute aliorum, non esse argumentum eximiæ charitatis, sed vulgaris ac perexiguæ: cum Dominus noster contrà, dixerit, Ioannis 15. *Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat pro amicis suis.* Et Ioann. cap. 10. argumentum boni pastoris facit, animam suam ponere pro ouibus suis; quo argumento probat se bonum esse pastorem, quòd animam suam poneret pro ouibus suis. Et Paulus ad exaggerandum DEI erga homines charitatem, dixit suprà cap. 8. *Qui etiam proprio FILIO suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Et cap. 5. magnificans charitatem CHRISTI, qui pro omnibus mortuus erat, subiunxit: *Vix enim pro iusto quis moritur: nam pro bono forsitan quis audeat mori. Commendat autē charitatem suam DEVS in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus,*

mus, secundum tempus CHRISTVS *pro nobis mortuus est.* Et Apostolus Ioannes Apocalypsis cap. primo, loquens de CHRISTO: *Qui dilexit nos*, inquit, *& lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* quasi diceret; certissimum argumentum maximæ dilectionis, qua CHRISTVS dilexit nos, fuit illud, quod per sanguinem, & mortem suam lauit nos à peccatis nostris. Maneat igitur, interpretationem horum Apostoli verborum traditam à B. Hieronymo, esse admodum probabilem, maximeque consentaneam diuinæ scripturæ; quam Origenes quoque tradit super hoc loco epistolæ ad Romanos.

SECVNDA DISPVTATIO.

Super eorundem Apostoli verborum interpretatione, quam tradunt Græci expositores.

8. *Secunda interpretatio Græcorum Anselmi, & B. Thomæ.*

EST alia eorundem verborum intelligentia, communis Græcorum expositorum, necnon & multis Latinorũ probata. Hi anathema fieri à CHRISTO, interpretantur separari à CHRISTO vel ad tempus, vel in perpetuum: non quidem separari à gratia & charitate CHRISTI; id enim fieri non potest nisi per peccatum mortale, quod nullam ob causam, etiam pro totius mundi conuersione, admittere licet; tenemur enim super omnia diligere DEVM; & salutem nostram magis quàm aliorum; nec sunt facienda mala, vt eueniant bona. Non igitur hoc Paulus optabat: sed optabat separari à CHRISTO, quantum ad priuationem cœlestium gaudiorum illius iucundissimæ fruitionis, inenarrabilisque voluptatis, quam percipiunt Beati vidēdo DEVM. Hæc interpretatio est Chryso-

Ad Rom. 3.

ſoſtomi in homilia 16. in hanc epiſtolam, & Theophylacti, & Oecumenij, & Theodoreti ſuper hoc loco, quam ſequitur Anſelmus, & B. Thomas, & Sotus, & Catharinus ſuper hoc loco. Quæ vt apertior, & dilucidior ſit lectori, adſcribam hîc Chryſoſtomi & aliorum verba, quibus hæc ab ipſis interpretatio explicatur atque confirmatur.

Quid ſit anathema.

Locus 1. Corinthiorũ cap. 16.

Chryſoſtomi verba ex homilia 16. in epiſtolam ad Romanos ſunt huiuſmodi. Primò intelligamus quid ſit Anathema. ſic enim fiet, vt arcanam, & nouam Pauli dilectionem perdiſcamus. Quid igitur ſit anathema, audi ipſum Paulum ita dicentem: *Si quis non amat Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, anathema ſit.* Hoc eſt, Ab omnium commercio ſegregetur, & alienus ſit ab omnibus. Nam quemadmodum anathema, quod eſt donum DEO oblatum, & dedicatum, nemo manibus contingere audet, neque ad id propius accedere: ſic etiam illum qui ab Eccleſia ſeparatur, ab omnibus abſciſſus, & tanquam longiſſimè abductus, hoc nomine, à contrario ſcilicet, appellatur. Anathemati enim, honoris gratia, appropinquare nemo audebat: ab eo autem, qui ab Eccleſia abſciſſus erat, ex oppoſito, omnes ſeparabantur. Quare ſeparatio quidem tum hæc, tum illa, ex æquo erat ſeparatio à vulgo: ſeparationis tamen modus non vnus, ſed illi contrarius erat. Ab illo enim abſtinebant, tanquam quod eſſet conſecratũ DEO; ab hoc aũt decedebant, tãquam ꝗ à DEO abalienatum, & abſciſſum erat. Hoc ipſum igitur & Paulus ſentiens dixit: *Optarim anathema eſſe à CHRISTO*, nec ſimpliciter dixit, velim; ſed intenſiorem affectum indicans, dixit: *Optarim.* Sed quid eſt, *Optarim anathema fieri à CHRISTO*, perinde ſcilicet eſt, ac ſi diceret: vellem ab eo choro ſeparari atq; alienari, qui CHRISTVM circumdat: non tamen ab ipſius amore ſeparari velim, abſit hoc; nam propter ipſius amorem hoc ipſo deſiderio tantoperè ardeo. Sed illa CHRISTI fruitione & gloria priuari ſuſtinuerim, vt gens mea in CHRISTVM credens, DEI promiſſionum particeps fieret, & ſalutis æternæ. Quod ſi nondum capis quod dictum

eſt

est, cogitato, quod multi parentes similia pro liberis fecerint, non recusantes ab illis separari, vt illos magis inclarescere viderent, illorum honorem, & gloriam aspectu eorum, & consuetudine suauiorem sibi æstimantes. Verùm quia nos procul ab huiusmodi amore Pauli absumus, idcirco ne animi quidem cogitatione hæc dicta eius comprehendere possumus. Hæc Chrysostomus: qui horum similia scribit in libro de compunctione cordis, & in libro tertio de prouidentia.

9. *Oecumenius.*

Hanc ipsam interpretationem verborum Apostoli satis dilucidè & distinctè tractat Oecumenius his fermè verbis: Quomodo Paulus pro salute Iudæorum optabat separari à CHRISTO, dicens: *Optârim ego ipse anathema fieri à CHRISTO?* Quid ad hoc dicamus? nempe, vel quod nullo modo seipsum separabat à CHRISTO: neque enim dixit (opto hoc fieri) sed (optauerim) volens etenim ardorem ostendere desiderij, & amoris sui erga CHRISTVM ac studium, quo despiciebat, ac nihili faciebat seipsum, vt omnes ad CHRISTVM adduceret, maximè verò Iudæos: hoc, inquam, volens demonstrare, videtur illis verbis huiusmodi sententiam insinuasse: Si possibile esset, vt per meam perditionem glorificaretur CHRISTVS, & Iudæi salui fierent, neque hoc detrectarē: siquidē optauerim hoc, si possibile esset, si liceret, si mihi hæc optio daretur, vtrū (Paule) cupis, dirimi ne à CHRISTO, vt omnis gens Iudæorum vniatur ei, & CHRISTVS glorificetur in illis, & promissiones Patrum in ipsis compleantur; An te vnitum esse cum CHRISTO, & gentē Iudæorum ab eo separari, & perire? Si hæc, inquit Paulus, mihi optio daretur, equidē CHRISTI gloriam, & multorū salutem proferrē propriæ saluti ac gloriæ. Vides eximiū Pauli erga CHRISTVM amorem. Sed hæc ipsa, quæ dixit Paulus, & mira videntur, non absolutè dixit, tanquam possibilia; sed per hypothesim, & sub conditione quadam: non enim ista erant possibilia. Paulus enim pro CHRISTI gloria, & salute Iudæorum separatus ab ipso, facilè rursum ei vniretur, & ita rursum ipse saluus

uus fieret: quin potius hoc nomine, & propter hanc causam separatus à CHRISTO, reuera non erat separatus ab ipso, sed multò magis ipsi vnitus; nam si amor causa vnionis est, tantus Pauli amor in CHRISTVM, multò magis ipsum cum eo coniungeret. Hæc Oecumenius.

10. *Anselmus.* Eandem interpretationem referens hoc loco Anselmus, ita eam declarat, & confirmat. Doleo, inquit Paulus, genus meum, CHRISTI beneficio priuari: quapropter optabam ego ipse, id est, iam dudum optare cœpi; anathema esse à CHRISTO pro fratribus meis Iudæis, id est, alienatus, & separatus esse à CHRISTO, vt ipsi adhærerent CHRISTO: optabam ipse perire, vt illi saluarentur. Iuxta hunc sensum & beatus Propheta Michæas, cùm multa mala Iudæis futura prophetaret, dixit: *Vtinam essem vir non habens spiritum, & mendacium potius loquerer.* amore namque gentis suæ, voluit se alienum esse à SPIRITV sancto, & falsiloquum vatem esse, dummodo plagas illas, & captiuitates, & exitia, quæ ipse prophetauerat ventura Iudæis, populus ille suus euaderet. Sicut ergo Michæas à SPIRITV sancto alienus fieri voluit pro amore plebis suæ: ita Paulus anathemā, id est, alienus optauit fieri à CHRISTO, præ nimietate dilectionis fratrum suorum: par enim est, alienum fieri à SPIRITV sancto, atque fieri alienum à CHRISTO. Moses quoque pro eodem populo mirabiliter intercessit, obiiciens exitio semetipsum pro illo, cùm dixit DEO: *Si dimittis eis peccatum, dimitte: si autem non vis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Vbi demonstratum est intercessio Sanctorum pro peccatoribus quantum valeat apud DEVM: Securus enim Moyses de iustitia DEI, qua eum delere non posset, impetrauit misericordiam, ne illos, quos iustè posset, deleret. Hæc Anselmus.

Locus Mich. 2.

Ezech. 32.

11. Placuit etiam B. Thomæ tam in commentario huius loci, quàm in Secunda Secundæ, anathema à CHRISTO, interpretari separationem à gloriosa visione, & iucundissima fruitione CHRISTI: non tamen in perpetuum, id enim Apostolus non optaret, sed ad aliquod tempus: quod etsi alij

non

non pro magno ducerent; Paulo tamen, ardentissimè CHRISTVM amanti, & flagrantissimè cupienti aspectu & gloria CHRISTI perfrui, dilatio eius rei, atque omnis mora, longissima, & acerbissima erat. Ponam hîc verba B. Thomæ, quæ sunt in articulo octauo quæstionis vigesimæ septimæ Secundæ Secundæ: Videtur, inquit, magis esse meritoria dilectio proximi, quàm DEI, quoniam Apostolus præeligit dilectionem proximi, dilectioni DEI, cùm dixit: *Optabam anathema esse à CHRISTO pro fratribus meis.* Sed huius obiectionis duplex est So lutio. Et vna est secundum Glossam, quod Paulus illud optabat, cùm erat in Iudaismo, & erat hostis Christianorum; & idcirco in eo non est imitandus. Altera est solutio secũdum Chrysostomum in libro primo de compunctione, qui ait, Apostolum illis verbis non indicasse, se plus diligere proximum, quàm DEVM; sed plus diligere DEVM, quàm seipsum. Volebat enim ad tempus priuari fruitione CHRISTI, ad hoc, vt honor DEI cresceret in proximis, quod pertinet ad dilectionem DEI. Idem in Secunda Secundæ quæstione centesima octogesima secunda, articulo secundo, eiusdem Chrysostomi auctoritate sic interpretatur verba illa Pauli: Ita totam, inquit, Apostoli mentem demerserat amor CHRISTI, vt etiam hoc quod ei cæteris omnibus amabilius erat, esse cùm CHRISTO, id ipsum quia ita placeret CHRISTO, contemneret.

S. Thomas.

Ad Philip. 1.

Eodem spectare videtur interpretatio quorundam, qui per, *Anathema esse à CHRISTO*, non aliud significari putant, nisi dilationem visionis, & fruitionis CHRISTI in hac vita; ita vt Paulus optauerit, diutius detineri in hac vita, & serius peruenire ad gloriam, si ea ratione iuuari posset conuersio Iudæorum ad CHRISTVM. Similem etiam affectum habuit Paulus erga Philippenses, ad quos scripsit ea verba, quæ sunt in capite primo eius epistolæ, quam ad ipsos misit: *Coarctor è duobus: desiderium habens dissolui, & esse cum CHRISTO, multò magis melius: permanere autem in carne, necessarium propter vos: & hoc confidens manebo, & permanebo omnibus vobis*

12.

iii *ad*

ad profectum fidei. Hanc interpretationem habet hoc loco & Oecumenius, & Lyranus; quæ nonnullis propterea non placet, quòd ſit præter conſuetudinem, & vſum Scripturæ, & anathema ſignificet dilationem. Nec magnũ id videtur, quia talis dilatio, potius proficiebat ad maiorem Pauli vnionem cum CHRISTO, & ad maius meritum, & maioris gloriæ præmium. Atque hæc dicta ſint de ſecunda interpretatione verborum Apoſtoli: quæ tum auctoritate tot & tantorum virorum, tum per ſeipſa, ſatis eſt probabilis.

Oecumenius. Lyranus.

TERTIA DISPVTATIO.

Super tribus aliis eorundem Apoſtoli verborum interpretationibus.

13. *Tertia interpretatio, Ambroſij, Hieronymi, Gloſſæ, Anſelmi, Caietani.*

TERTIAM eorundem Apoſtoli verborum interpretationem tradunt vulgò appellati Ambroſius, & Hieronymus in Commentariis huius loci, & Gloſſa in hoc loco, & vt probabilem refert Anſelmus, eamque omnium maximè probat Caietanus. Aiunt iſti, hæc Apoſtoli verba referri oportere ad ſtatũ, & animum affectumque, quem Paulus habuerat viuens in Iudaiſmo, priuſquam conuerteret ſe ad CHRISTVM. Tunc enim, cùm acerrimus eſſet & Chriſtianæ religionis inſectator, & propugnator Iudaiſmi, optabat ſe alieniſſimum eſſe ab omni conſortio, & commercio CHRISTI: & magno ardebat zelo ne Iudæi à Moſe tranſirent ad CHRISTVM. Huic interpretationi ſuffragari videtur verbum, *optabam*, tunc videlicet, cùm nondum Chriſtianus eſſem. Quanquam Chryſoſtomus, & Oecumenius, & Theophylactus, & Caſſianus legunt, *optauerim*, vel, *optarem*, quod indubiè pertinet ad ſtatũ, in quo Paulus erat, cùm hæc ſcriberet. Verùm interpretationem iſtam valde illud infirmat, quod ſecundum eam nihil eximium aut ſingulare

ſingulare his verbis dixiſſet Apoſtolus: quid enim mirum, ſi, cùm Paulus erat Iudæus, tuendique Iudaiſmi zelo flagrans, abhorreret à Chriſtianiſmo, & alieniſſimus eſſe cuperet à CHRISTO? Deinde, id nihil valeret ad perſuadendum Iudæis ea, quæ dixerat, vel dicturus erat, non dixiſſe ſe, odio ſuæ gentis: illi etenim dicerent, quamuis Paulus cùm erat Iudæus, Iudæorum eſſet amantiſſimus; poſtquam tamen à Iudaiſmo tranſiſſet ad Chriſtianiſmum, factum eſſe hoſtem Iudæorum.

14. *Quarta interpretatio Caſſiani.*

Quarta interpretatio eſt Abbatis Theonæ apud Caſſianum in capite ſexto collationis vigeſimæ tertiæ. Is, Anathema eſſe à CHRISTO, interpretatur, non ſolùm priuari viſione, & fruitione CHRISTI, verùm etiam; æternis addici ſuppliciis. Vt ſit hic verborum Apoſtoli ſenſus: Vellem ego non ſolùm temporariis, verùmetiam perpetuis affici pœnis, dummodo omnes ſi fieri poſſet, præſertim verò Iudæi, CHRISTI conſortio fruerentur. Certus enim ſum, chariorem CHRISTO & mihi omnium eſſe ſalutem, quàm meam, iuxta illud, quod ſcriptum eſt Prouerbiorum 14. *In multitudine populi dignitas regis.* Lubet hîc adſcribere ipſa Caſſiani verba: qui de excellenti bono diuinæ contemplationis cùm diſſeruiſſet, ſubdit hæc: Cùm Apoſtolus excellentiam huius boni, cunctis etiam prædicationis ſuæ fructibus prætuliſſet: charitatis tamen ſine qua nemo DEVM promeretur, contemplatione ſubmittitur; & promptè illos, quibus adhuc lac, velut nutricula, vberibus Euangelicis immulgebat, diuulſionem à CHRISTO, ſibi quidem noxiam, ſed cæteris neceſſariam non recuſat. Etenim ad electionem huius potiſſimum rei, illa nimia pietatis virtute impellitur, qua pro ſalute fratrum ſuorum, ſi eſſet poſſibile, etiam vltimum anathematis malum optaſſet incurrere. *Optarem enim*, inquit, *ego ipſe anathema eſſe à CHRISTO pro fratribus meis*, hoc eſt, vellem ego non ſolùm temporalibus, verùm etiam perpetuis addici pœnis, dummodo omnes, ſi fieri poſſet, homines CHRISTI conſortio fruerentur. Certus enim ſum,

vtiliorem CHRISTO & mihi omnium salutem esse, quàm meam. Sic ille. Cuius interpretatio, propriæ notioni vocis (Anathema) non admodum est conueniens: non enim vox ea significat, perpetuis addici pœnis.

15. *Quinta interpretatio Dionysij Carthusiani.*

Quinta interpretatio est Dionysij Carthusiani, quam etiam Lyrano, & Thostato licet adscribere, Paulum hoc loco vsum esse oratione hyperbolica, in qua plus dicitur, quàm, qui dicit, significare intendit; sed ita loquitur, quò expressius declaret ingentem animi sui affectum. Neque is loquendi modus mendacium continet: nõ enim sensus verborum est is, quem verba per se considerata reddere videntur, sed quem intendit is qui ea locutione figurata, magnum cuiuspiam rei excessum significare vult. Sicut autem in communi hominum sermone huiusmodi locutio hyperbolica frequens est, ita non est infrequens etiam in diuina scriptura. Huc enim pertinent illa verba regis Manasses in libro secundo Paralipomenon cap. 36. *Peccaui super numerum arenæ maris.* Et Dauidis in Psalmo 68. *Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.* Et quod proditum est in tertio libro Regum: in tempore Salomonis, tantam fuisse argenti copiam, quanta erat & lapidum. Paulus itaque magnitudinem & ardorem sui desiderij salutis Iudæorum, cùm nullis verbis satis explicare posset, ad eum melius declarandum, dixit per hyperbolem, optare se à CHRISTO anathema esse pro fratribus suis: quasi diceret, Tam ardenter cupio salutem Iudæorum, vt hunc meum animi affectum apertius exprimere non possim, quàm vt dicam, me voluisse à CHRISTO separari, si ea res ad conuersionem Iudæorum ad CHRISTVM proficeret. Voluit autem hoc Paulus, sicut etiã Moses petiit, deleri de libro DEI, nisi parceret Hebræis, secundum dispositionem inferioris partis animi affectæ ardenti amore erga proximum; amor enim nec modum scit, nec mẽsuram. Talis autem sententia & votum, non erat in illis secundum superiorem animæ partem, & voluntatem deliberatam quæ rationem sequitur. Ad hunc etiam intellectum

Cap. 3. Reg. 10.

Domi-

Dominus noster optauit transferri à se calicē passionis: quem tamen simpliciter & absolutè bibere flagrantissime cupiebat. Secundum hanc quoque interpretationem Lyranus, & Thostatus intelligendam esse censent illam Mosis petitionem, qua petiit à DEO deleri se de libro ipsius, nisi populi peccato parceret. Credibile igitur est, Thostatum idem fuisse dicturum de hoc Apostoli desiderio, quo anathema fieri optabat à CHRISTO pro salute Iudæorum. Mihi prima interpretatio, quæ est B. Hieronymi, & facilior, & simplicior, & probabilior videtur: nec tamen secundam, & quintam improbo. *Matth 26.*

QVARTA DISPVTATIO

Super illis verbis similem sententiam, eandemque habentibus quæstionem, & difficultatem, quæ dixit Moses DEO.

Aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, delé me de libro tuo quem scripsisti. *Exodi cap. 32. Versu 32.*

PHILO, Hebræorum disertissimus, atque doctissimus, admirans confidentiam & libertatem, qua Moses verba ista dixit DEO, docet eam libertatem propriam esse sanctissimorum virorum, & DEO charissimorum; neq; ab animi temeritate vel superbia, sed ab intima eorum cum DEO familiaritate, & amicitia proficisci. In eo enim libro quem inscripsit: Quis rerum diuinarum sit hæres, hunc in modum super hac re loquitur: Tanta in loquendo libertate vtitur Moses, vt non solum clamet apud DEVM, sed reclamet ei quoque, fretus vera fiducia, *16.* *Philo.*

Exodi 32. Numer. 11.

& affectu non fucato. Nam verba hæc: *Si remittis ei peccatum hoc remitte: sin minus, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Et illa: *Num ego in vtero concepi totum hunc populum, aut peperi eum, quia tu dicis mihi, sume eum in sinum tuum, & gesta tanquam nutrix infantulum?* Hoc, inquam, & similia, nemo, vel regi cuiuis auderet dicere. At enim cum DEO loqui tam liberè, summæ fuit non audaciæ, sed fiduciæ: quia vera sapientia & pietate viri præstantes, amici DEI sunt; libertas autem loquendi, cognata est amicitiæ; alioqui, cum quo loquemur liberè, si cum amico non licet? Rectè igitur in sacris litteris Moses, amicus DEI celebratur, vt quoties audacius loquitur, amicitiæ potius id tribuatur, quàm arrogantiæ: nam arrogantis est temeritas, amici verò fiducia. Hæc Philo.

17. Sed ista Mosis verba perarduam quæstionem habent, eandem scilicet supradictis Pauli verbis. Videtur enim illa petitio Moysis, aut stulta fuisse, aut etiam impia. Liber enim DEI, in quo scripti ab eo sunt iusti viri, secundum doctrinam Theologorum, figuratè significat ordinationem hominum ad vitam æternam: Sed ea ordinatio duplex est: vna simpliciter & absolutè facta, secundum æternam DEI prædestinationem: altera, quæ fit aliquo tantùm modo, secundum nempe præsentem hominum iustitiam, secundum quam tunc digni sunt vita æterna. Qui sunt in libro DEI priori modo scripti, impossibile est deleri eos de libro isto; sicut impossibile est verè prædestinatum à DEO, posse gratiam prædestinationis amittere, & vltimum prædestinationis effectum non assequi. Qui autem posteriori modo scripti sunt in libro DEI, secundum præsentem tantùm iustitiam, eos deleri de libro vitæ nihil prohibet. Moses itaque si petiit deleri se de libro DEI, priori modo accepto, petiit vtiq; quod erat impossibile, quare stulta videtur fuisse petitio eius. Sin autem petiit deleri se de libro vitæ, posteriori modò sumpto, id autem est, priuari DEI gratia, & amicitia, quam tunc habebat, videtur fuisse impia petitio: id enim fieri non poterat sine offensa DEI, nec nisi admisso aliquo peccato mortali: nemo enim

enim priuatur DEI gratia, nisi propter aliquod peccatum mortale. Tota igitur ratio explicandi hanc difficultatem, ab eo pendet, vt inueniamus rectam aliquam & congruam illius petitionis Mosaicæ interpretationem, per quam nimirum innotescat, petitionem illam fuisse pietati ac rationi consentaneam. Exponam ego breuiter ac dilucidè varias illorum verborum Mosis interpretationes ab aliis traditas, tam antiquis, quàm recentioribus, tamque ab Hebræis, quàm à Christianis auctoribus, Ordiar autem à Rabbinis Iudæorum.

18. *Prima interpretatio Rabbi Salomonis.*

Prima interpretatio est Rabbini Salomonis, librum illum à DEO scriptum, & de quo petebat deleri se Moses, interpretantis legem DEI per ipsum Mosen promulgatam Hebræis & ab ipso Mose denominatam; frequenter enim in Scriptura vocatur lex Mosis; quin etiam nonnunquam nomine tantùm ipsius Mosis significatur lex ipsa. Petebat igitur Moses, vt, nisi DEVS parceret populo, nomen ipsius deleret de Scriptura legis, vt lex nomine ipsius non appellaretur; nec in eo mentio vlla fieret ipsius Mosis. Verùm interpretationem istam excludit apertè responsum datum à DEO isti petitioni Mosis, illis verbis proximè sequentibus: *Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo.* Ex quo apparet deletionem illam pertinere ad peccatores, à quibus tamen non denominatur lex Mosis.

19. *Secunda interpretatio Rabbi Moysis Gerundensis.*

Secunda interpretatio est Rabbi Mosis Gerundensis, qui ait illud dixisse Mosen, non deliberata ratione, & certo iudicio, sed propter imminens populo exitium, non sui compotem, & quasi extra se raptum, impetu quodam amoris suæ gentis: præ nimio videlicet amore populi sui & timore periculi eius, non satis aduertentem quid diceret, peteretue à DEO. Sed enim fas non est, putare, Mosen, virum nempe sanctissimum, & sapientissimum, ac DEI reuerentissimum in re tam graui accessisse perturbato, & cõfuso animo ad loquendum cum DEO, & indecenti, atque irreuerenti vsum esse oratione; alioquin de tali temeritate atque irreuerentia fuisset vel à DEO vel in ipsa Scriptura aliquo modo reprehensus;

cùm

cum tamen contra, non obſcure indicet Scriptura, orationem,& petitionem eius fuiſſe gratam & acceptam DEO.

20. *Tertia interpretatio Oleaſtri.*

Tertiam interpretationem tradit Hieronymus ab Oleaſtro ſuper illis ipſis verbis Moſis, & locum Exodi explanans in ſuis commentariis: *Dele me de libro tuo quem ſcripſiſti.* Pro latino (inquit ille) verbo, *dele*, verbum hebraicum; *Machach*, propriè ſignificat tergere, fricare ſeu radere, & ex conſequenti delere, quòd ea quæ delere volumus, fricemus, tergamus, radamus. Liber porrò ſcriptus à DEO, de quo petit ſe deleri Moſes, videtur ſecundum litteralem ſenſum, ſignificare librum aliquem à DEO, vel iuſſu DEI ſcriptum, in quo omnes iuſti numerantur, & ſcribuntur, & vocatur liber iuſtorum; cuius libri mentio fit apud Ioſue capite 10. & in lib. 2. Regum cap. 1. Si autem hoc non placet, dicito, ſermonem eſſe metaphoricum, vt idem dictum ſit: *Dele me de libro tuo*, atque, obliuiſcere mei perpetuo: ſicut contrà: Scribe me in libro tuo, idem eſt, atque, ſis mei ſemper memor. Solent enim homines ſcribere ea, quorum memores eſſe volunt. Theologi tamen noſtri, per hunc librum intelligunt diuinam prædeſtinationem, qua DEVS ante mundi conſtitutionem præuidit aliquem ſaluandum.

21. *Quarta interpretatio Caietani.*

Quarta interpretatio eſt Caietani in commentariis in Exodum, vbi verba illa Moſis explanans, ita ſcribit: Metaphorico ſermone appellat Moſes librum DEI, ordinem definitum à DEO de agendis. Et eſt ſermo de libro principatus in hoc mundo: eſt enim tanquam liber apud DEVM, decretum DEI, quod iſti vel illi homines principentur in hac vita. Et quia dixerat DEVS Moſi: *Dimitte me vt iraſcatur furor meus contra populum; te autem faciam in gentem magnam.* Intellexerat Moſes DEVM ſcripſiſſe ipſum in libro principatus, ex eo, quod etiam ſi deſtrueretur populus Hebræus, tamen DEVS conſtituerat eum principem ſuper gentem magnam, & iccirco petit à DEO, vt aut condonet populo peccatum illud, aut deleret ipſum de libro principatus: per hoc vtiq; ſignificans, nolle ſe principem eſſe alterius gentis, ſi gens hebræa conſumere-

meretur. Cui respondit Dominus: *Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo.* Quasi diceret, nolo delere te de libro meo principatus: talis enim deletio fit propter peccatum illius, qui descriptus erat princeps, qui ob id meretur, vt non sit princeps; ponens scilicet impedimentum etiam executioni, qua fieret, vel conseruaretur princeps: hoc enim impedimentum significatur per metaphoram deletionis. Hæc Caietanus.

22. *Quinta interpretatio S. Augustini.*

Quinta interpretatio est B. Augustini in lib. quæst. in Exodum, in quæst. 147. hunc in modum interpretantis verba illa Mosis: Quemadmodum, Domine DEVS, planè securus & certus sum, me nunquam à te deletum iri de libro tuo, in quo me semel ab æterno scripsisti; ita, quæso, me certum, & securum facito, te remissurum huic populo peccatū, quod admisit. Videtur igitur Augustinus facere Mosem in illis verbis huiusmodi quadam ratiocinatione vsum esse cum DEO: Aut dele me Domine de libro tuo; aut dimitte populo peccatum, quod admisit: sed certus sum, quod non delebis me de libro tuo; ergo securus esse possum, quod remissurus sis populo peccatum: certe quanto maximo possum studio peto à te, vt de hoc certum me facias. Hanc interpretationem Augustini Lyranus ait esse extraneam à littera: videtur sanè duriuscula, nec satis inhærens & congruens sententiæ verborum Mosis.

23. *Sexta interpretatio Chrysostomi, & Bernardi.*

Sexta interpretatio est Chrysostomi in libr. de compunctione cordis, & in libro 3. de prouidentia similiter interpretantis verba ista Mosis, vt interpretatus fuerat verba illa Pauli optantis anathema esse à CHRISTO: quam interpretationem nos in proximè superiori disputatione, secundo loco explanauimus: vtriusque enim verbis ait idem esse significatum, scilicet separationem à CHRISTO, & à DEO, & à consortio, & societate beatorum, qui cum DEO sunt in cœlis; & item priuationem visionis, & fruitionis CHRISTI ac DEI. Eodem spectasse videtur S Bernardus in ser. 12. super Cantica, tractans illa verba Mosis: *Si dimittis, dimitte; sin autem; dele*

me de libro tuo, quem scripsisti. Sic enim ait: O verè hominem vnctum vnctione misericordię. Loquitur planè quasi matris affectu, quam nulla possit delectare felicitas, exortibus, quos parturiuit, verbi gratiæ. Si diues quispiam mulieri paupercu-læ dicat: Ingredere tu ad prandium meum; sed quem gestas infantulum, relinque foris quoniã plorat, & molestus est nobis: Numquid illa faciet istud, ac non magis eliget ieiunare, quàm exposito pignore caro, sola prandere cum diuite? Ita prorsus Moses noluit se introduci in gaudium Domini sui, foris remanente populo: cui, licet inquieto, & ingrato, vice tamen pariter, & affectione matris inhæret. Hæc Bernardus.

24. *Septima interpretatio Pauli Burgensis.*

Septima interpretatio est Pauli Burgensis in additionibus suis ad Postillas Lyrani super caput 32. Exodi. In additione enim octaua hoc modo scribit: Liber vitę potest dici quadrupliciter, sicut & liber militiæ: vel enim significat scriptionem eorum, qui sunt electi ad vitam æternam: sicut liber militiæ, qui continet electos ad militandum. Vel potest significare scriptionem eorum, quæ ducunt ad vitam æternam; sicut liber militiæ, in quo docetur & traditur ars militandi: & hac ratione nouum, & vetus Testamentum dici possunt liber vitæ. Tertio modo liber vitæ dicitur vis diuina, per quam fiet vt in extremo iudicio, omnium hominum dicta & facta reducantur singulis in memoriam. Sicut etiam liber militiæ dicitur, in quo facta militum scripta sunt; & hac significatione intelligitur illud Danielis cap. 7. *Libri aperti sunt.* Quarto etiam modo dicitur liber iustorum, vt in 1. ca. lib. 2. Reg. in quo libro facta exemplaria iustorum, & sanctorum virorum, intelliguntur scribi ad memoriam futuram. Ergo, licet à libro vitę primo, vel tertio modo intellecto, Moses nõ petiuisset se deleri, petiuit tamẽ deleri à libro vitę 2. & 4. modo intellecto: petebat enim Moses, vt lex DEI nõ denominaretur à nomine ipsius, & vt facta ipsius & in Ægypto, & in deserto, non essent in memoria hominum, si populus, cuius causa tantoperè laborauerat, perpetuò erat condemnandus. Et secundum hanc inter-

interpretationem, Moses non petiuit aliquid impossibile, neque contra charitatem. Hæc Burgensis, qui videtur secutus primas duas interpretationes Rabbinorum, suprà expositas initio huius disputationis.

25. *Octaua interpretatio Lyrani.*

OCTAVAM, & nonam interpretationem attigit Lyranus super 32. ca. Exodi. Nam tractans verba illa Mosis: *Dele me de libro tuo quem scripsisti*, duas eorum verborum interpretationes ponit, licet eas indistinctè commemoret: prior est huiusmodi: Quemadmodum SALVATOR noster secundum voluntatem partis inferioris mortem formidans, & refugiens, petiit à se transferri calicem passionis, quem tamen, secundum voluntatem partis superioris rationalis animæ, ardentissimè cupiebat bibere: ita etiam Moses secundum desiderium partis animę inferioris, petiit à DEO deleri de libro ipsius, quod tamen secundum portionem animæ superiorem, fieri nullo modo volebat. Explicauit itaq; Moses eiusmodi petitione sua, non quid ipsa mens DEO consentiens vellet; sed quid ipse carnis appetitus carni suæ, hoc est, ipse populo suo compatiens expeteret.

26. *Nona interpretatio Lyrani, & Thostati.*

Posterior interpretatio eorundem verborum, quam sequitur etiam Thostatus in tractatu quæst. 44. super Exodi capite 32. ita se habet: Dictum illud Mosis, non esse intelligendum secundum nudam, & simplicem eorum verborum significationem, sic enim verba illa falsam continerent sententiam; sed secundum hyperbolicam locutionem; qua ardentissimum eius rei, quam petimus, desiderium indicare solemus. Solent enim homines ita loqui. Aut hoc mihi concede, aut moriar: &, mori potius velim, quàm istud pati: cùm tamen reuera, si optio daretur, mallent carere ea re, quam petunt, & perpeti potius quod patiuntur, quàm mori. Ad hanc sententiam dixit Rachel viro suo Iacob: *Da mihi liberos, alioqui moriar.* Nec istiusmodi locutiones mēdacium continent: nec qui audiunt homines ita loquentes, putant eos mentiri: non enim intelligunt significari illis verbis tantum, quan-

Gen. 32.

tum verba ipsa per se sonant; sed eo modo loquendi solum significari ardentissimum desiderium alicuius rei.

27.

Decima interpretatio S. Hieronymi, S. Gregorij, & Euthymij.

Decima & vltima interpretatio, quam ego ceteris facile antepofuerim, est B. Hieronymi in epist. 151. quam scripsit ad Algasiam, in responsione ad nonam eius quæstionem: est etiam B. Gregorij in cap. 7. lib. 10. Moralium, & Euthymij super illis verbis Psal. 68. *Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur.* Isti deleri de libro DEI, siue de libro vitæ, aut viuentium, interpretantur, occidi & priuari hac mortali vita. Aiunt enim, docere nos Scripturam, DEVM quasi in quodam libro scribere omnes, qui veniunt in hunc mundum, & in hanc corporalem, & mortalem vitam, ingrediuntur; & in eo libro determinari spatium vitæ cuiusq; hominis, non solùm annis & mensibus, sed etiam diebus atq; horis vitæ cuiusque hominum à DEO propriè, signatéq; præfinitis. Ergo scribi hominem in isto libro, est, generari in hoc mundo, & vitam accipere: Deleri autem de isto libro, est vita priuari. Moses itaq; præoptauit se perire potius, quã vniuersum populum suum, qui propter maximũ Idololatrię peccatum, quod admiserat, grauissimis suppliciis, & morti obnoxius erat. Idem quoque Moses postea, cum in maxima quadam tristitia, & afflictione animi versaretur, obnixè petiit à DEO, vt ipsum interficeret, seque tantis eriperet malis, quod prius videlicet dixerat figuratè per deleri de libro DEI, idem apertius dicens, expressiusq; per verbum interficiendi. Verba Mosis quæ scripta sunt in cap. 11. libri Numerorum huiusmodi

Locus libri Numer. cap. 11.

sunt: *Cur afflixisti seruum tuum? quare non inuenio gratiam coram te? & cur imposuisti pondus populi huius super me? Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia grauis mihi est. Sin aliter tibi videtur, obsecro vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis.* Verba B Hieronymi, quibus ab eo traditur hæc interpretatio, supra initio eius disputationis,

S. Gregorius.

quæ hanc proximè antecedit, commemorata sunt. B Gregorius disputans de perfecta charitate, quæ adiunctam habet misericordiam, & mansuetudinem, simulque iustitiam & seueri-

ueritatem diſciplinæ, ita ſcribit: Hæc Moſen delinquente populo, & vſque ad petitionem mortis in precibus proſtrauit, & vſque ad interfectionem populi per zeli ſtudium erexit: vt & in pereunte plebe, ſe ſe morti obiiceret; & contra peccantem, protinus, vice Domini iraſcentis, ſæuiret.

28. *Euthymius.*

Euthymius ſuper illis verbis Pſalmi ſexageſimi octaui: *Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur*, hæc habet: Hic eſt ille liber, de quo legimus, quod cùm iratus eſſet DEVS aduerſus populum Hebræum, qui vitulum fecerat, dixit ei Moſes: *Si dimittis ei peccatum, dimitte: ſin autem, dele me de libro quem ſcripſiſti.* Reſpondit ei DEVS: *Si quis peccauerit coram me, delebo eum de libro meo.* Vnus eſt itaque liber, in quo omnes ſcribuntur, qui vita digni ſunt, & quem Dauid hoc loco librum viuentium appellauit, prædicens illos non diu pòſt morituros. Alius etiam liber eſt, in quo iuſti omnes ſcribuntur: quem nobis ſignificauit Dauid iis verbis, quæ proximè adiecit: *Et cum iuſtis non ſcribantur.* De hoc libro intelligendum eſt quod CHRISTVS dixit: *Gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.* Dauid igitur hoc loco loquens de peccatoribus, ait eos brêui morituros, neque cum iuſtis eſſe connumerandos. Eſt præterea tertius liber, in quo peccatores, eorumque peccata ſcribuntur: ſicut dixit Daniel: *Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt.* Per libros autem ſcriptura variam & multiplicem DEI cognitionem figuratè intelligit. Sic Euthymius.

Triplex liber Dei.

Locus Lucæ 10.

Dan. 7.

QVINTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS APOSTOLI:

Versu 13.

Sicut ſcriptum eſt (Malachiæ 1.) Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.

29. S. Thomas.

REPREHENDIT hoc loco B. Thomas Gloſſam quandam, in qua erat, illud, quod antea dixerat Apoſtolus: *Maior ſeruiet minori*, dictum fuiſſe ſecundum præſcientiam: hoc autem, *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui*, pertinere ad iudicium DEI, quod ipſe ab æterno fecit de hominibus, præuidens futura eorum opera. Præuidens itaque quod Iacob erat ipſum dilecturus, dilexit ipſum, ſecundum illud quod ſcriptum eſt Prouerb. 8. *Ego diligentes me, diligo*. Præuidens autem, Eſau fore peccatorem, & in peccatis permanſurum, odio ipſum habuit; ſecundum illud Eccleſiaſtici 12. *Altiſsimus peccatores odio habet*. Sed enim, iſtud Gloſſæ dictum, haud quaquam diuinæ ſcripturæ conſentaneum eſt. B. enim Ioannes epiſtolæ primæ, capite quarto ſcribit: *Non quaſi nos dilexerimus eum, ſed quia prior ipſe dilexit nos*. Ex quo apparet, prius fuiſſe, quod DEVS dilexerit Iacob, quàm quod ipſe diligeret, aut dilecturus eſſet DEVM, idemque confirmatur illis Domini verbis: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos*. Deinde ait B. Thomas. Sicut prædeſtinatio eſt præparatio gloriæ propter bona opera; ita reprobationem, quam hoc loco Apoſtolus vocat odium DEI, eſſe præparationē æternæ pœnæ propter peccata. Hoc tamen intereſt, quod quia tam ipſa gloria, quàm merita eius, ſunt à DEO, non poteſt præſcientia meritorum eſſe cauſa prædeſtinationis DEI: at verò, quia peccata ſunt ab ipſo homine, & non à DEO, ideo præſcientia peccatorum, poteſt

Ioan. 15.

eſſe

esse aliqua causa reprobationis ex parte pœnæ, quæ præparatur reprobatis; quatenus scilicet DEVS proponit se puniturum malos, propter peccata ipsorum. Secundum igitur hanc B. Thomæ interpretationem, odium, quo DEVS odit Esau, significat reprobationem, quantum ad vltimum effectum, qui est punire peccatorem æternis pœnis. Verùm hæc interpretatio non videtur congruere cum proposito, & consilio Pauli; quippe qui vult hîc ostendere, ob nulla opera bona, vel mala, sed gratuita tantùm voluntate sua DEVM dilexisse Iacob, & odio habuisse Esau.

30. *Caietanus.* Caietanus perpendens hoc loco illa verba: *Esau autem odio habui*, ponit hanc quæstionem, cum habere odio, non solùm significet priuationem dilectionis, sed insuper velle malum alicui; qua ratione verum esse potest, DEVM velle malum alicui, & non ob eius mala opera, cum de ipso scriptum sit: *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti.* *Sap. 11.* Hanc quæstionem ita soluit Caietanus. Verè DEVM ab æterno quosdam diligere, & alios odio habere, ad hunc tamen sensum, quod quibusdam ab æterno vult conferre auxilium gratiæ suæ, & ita eos iuuare, vt omninò perueniant ad gloriam æternam: Alios verò ab æterno vult permittere sibi ipsis, nec adiuuare eos efficaci gratia, & potenti auxilio suo, quod electis suis conferre decreuit. Et hoc est, DEVM aliquos odio habere. Id enim est, DEVM reprobare illos non ex operibus; cum quo tamen simul stat, nullum damnari nisi ob propria eius opera. Siquidem nec sententia damnatoria, neque executio damnationis fit, nisi propter reproborum peccata. Nec verò ex huiusmodi æterna DEI dispositione potest inferri iniustitia in DEO, sed libertas summa: quoniam neutris tenetur, & ex sua mera liberalitate pendet velle dare gratuitum bonum aliquibus, & velle non dare aliis, sed permittere eos in suis naturalibus. Atque hæc quidem Caietanus.

31. *Catharinus.* At verò Ambrosius Catharinus in commentariis suis in hanc epistolam Pauli, hunc ipsum, qui est in manibus, locum per-

pertractans, vehementer in eos inuehitur, qui dicunt, DEVM ex se aliquos reprobare, & excludere à vita æterna; non quidem propter eorũ præuisa mala opera, sed quia ipse vult non dare illis vitam æternam. Et hanc opinionem vocat ipse durissimam, & intolerabilem, & causam desperationis hominum, & impiam; eamque assignat ipse Luthero; cùm ea tamen sit ipsissima B. Augustini sententia, cùm alibi, tum præcipuè in libro primo quæstionum ad Simplicianum in secundæ quæstionis tractatu; vbi & hæc Pauli verba, & quæ deinceps consequuntur, magna cum diligentia & cura subtiliter, copiosè, & luculenter declarat. Est item hæc sententia B. Thomæ in prima parte quæst. art. 6. quam alij quoque complures Theologi sequuntur. Eam tamen Catharinus, quasi Lutheranam, acerbissimè insectatur, & coaceruatis quinque, & viginti argumentis demoliri, ac funditus euertere conatur. Cæterùm quod attinet ad intellectum illorum verborum: *Esau odio habui*, contendit Catharinus, ista verba nihil adiuuare opinionem eorum qui faciunt DEVM causam reprobationis hominum. Non enim, inquit, hoc loco Paulus agit de odio Esau quantum ad æternam reprobationem eius, & expulsionem à vita æterna, sed quantum ad priuationem bonorum temporalium, quia videlicet adimens ipsi Esau ius primogenituræ, & dans ei deteriorem terram atque possessionem, & faciens, vt populus ex eo progenitus seruiret populo, qui ab ipso Iacob proseminatus est: videtur ob hæc DEVS neglexisse atque odisse ipsum Esau. Adiice, quod tanto pluribus, & maioribus beneficiis affecit Iacob, quàm Esau, & tam multis rebus illum prætulit, huic, vt verè illum dilexisse, & hunc odisse videatur. quemadmodum eiusdem patris filij dicere solent: Pater odit nos: cùm erga minimum natu filium maiora ostendit amoris indicia, & argumenta.

B. Augustinus.

32.

Quid in scriptura significet interdũ, & odiũ & odisse.

Nec sanè inusitatum est in scriptura, eo quo dixi modo, vsurpare odium, vel odio habere. Dominus enim dixit in Euangelio: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem*

trem, &c. non poteſt meus eſſe diſcipulus, quo loco non accipitur odium pro vero odio; ſed ſignificat, poſtponendum eſſe patrem,& matrem obſequio,& amori DEI. Et alio loco dixit, Neminem poſſe duobus dominis ſeruire, quoniam vnũ odio habebit, & alterum diliget: at neceſſum non eſt, vt ſi vnum diligit, alterum oderit: ſed tantùm, promptitudine, & amore in ſeruiendo præfert eum, quem plus diligit. Hanc tamen Catharini interpretationem confutat Auguſtinus in libro primo quæſtionum ad Simplicianum in explicatione quæſtionis ſecundæ. Vult porrò Catharinus, Eſau geſſiſſe typum reproborum, non quidem ex natiuitate, ſed ex improbitate ſua, quòd ius primogenituræ turpiter vendiderit; quod fratri ſuo necem machinatus ſit: quod contra parentum volũtatem, vxores ex peſſima, & impiiſſima gente Chananæorum duxerit. Hæc ex Catharino: cuius opinionem infrà diſcutiemus.

Luca 16.
Matth. 6.
Geneſ. 25 27.
Ibidem.

33\. *Græcorum interpretatio, & ſententia.*

Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus, aliique Græci expoſitores interpretantur odium, quo DEVS odit Eſau, æternam reprobationem eius: dilectionem verò Iacob, æternam eius ad vitam æternam electionem: Sed aiunt, vtrumque eſſe factum ob præuiſa eorum futura opera. DEVM enim præſcium bonorum operum, quæ facturus erat Iacob, & peſſimorum operum, & peccatorum ipſius Eſau, illum dilexiſſe, & elegiſſe, hunc verò odiſſe, ac reprobaſſe. Eadem fuit ſentẽtia Hieronymi, & ſuper illo Malachiæ loco, & ſuper illis verbis capitis primi epiſtolæ ad Galatas: *Qui me ſegregauit ex vtero matris meæ.* Et in epiſtola quam ſcripſit ad Hedibiam, in reſponſione ad decimam eius quæſtionem. Sed profectò iſtud planè diſſentaneum, immò contrarium eſſe videtur iis, quæ diſputat, & ſcribit hoc loco Apoſtolus. Nam quod DEVS præpoſuerit Iacob ipſi Eſau, & quod illum dilexerit, hunc autem oderit, negat Paulus id accidiſſe propter eorum opera, ſed id refert ad æternum propoſitum DEI eligentis illum, & hunc reprobantis. Sic enim ſcribit Apoſtolus: *Cùm nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut*

Genes. 25. Malach. 1.

mali, vt secundum electionem propositum DEI maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, Quia maior seruiet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.

34. *Sententia probabilior, quæ est B. August. & S. Thomæ.*

Quare multò probabilior est, ac Pauli doctrinæ conuenientior sententia B. Augustini, & S. Thomæ, aliorumque Theologorum, qui primam prædestinationis causam censent, nullo modo peti ex præuisis hominum operibus posse: sed referri oportere ad summam diuinæ voluntatis libertatem, iustissimè alios eligentis, & alios reprobantis. Sed hoc differt reprobatio à prædestinatione: quod prædestinatio, & quantum ad primum eius principium, diuinam dico voluntatem dandi aliquibus vitam æternam; & quantum ad terminum eius, qui est retributio vitæ æternæ, & quantum ad media, per quæ illuc perueniendum est, quæ sunt gratia DEI, & bona hominum merita, quantum ad hæc, inquam, omnia, prædestinatio est à DEO. Reprobatio autem est à DEO quantum ad duo: nimirum, quantum ad primum eius principiũ, quod est æterna DEI voluntas, permittendi aliquos decidere ab vltimo fine; & quantum ad vltimum effectum reprobationis, qui est punire reprobos ob eorum peccata, æternis pœnis. Quantum igitur ad hæc duo, DEVS est causa reprobationis hominum; non tamen est causa eius quantum ad mala reproborum merita, id est, peccata, neque quantum ad prauam eorum voluntatem, quæ est proxima peccatorum causa: sicut erat causa prædestinationis, quantum ad bona electorum merita, & quantum ad causam, id est, gratiam quæ est principium, & radix bonorum meritorum. Videat lector B. Augustinum in libro primo quæstionũ ad Simplicianum in explicatione secundæ quæstionis, & in lib. de prædestinatione Sãctorum, & alibi, & B. Thomam tum in commentario huius loci epistolæ ad Romanos, tum in prima parte, & in quæstionis vigesimæ tertiæ articulo tertio.

SEXTA

SEXTA DISPVTATIO.

An quod hoc loco dicitur, DEVM habuisse odio Esau, pugnet cum eo, quod alibi scriptum est, DEVM diligere omnia quæ sunt, & nihil odisse eorum quæ fecit.

VIDETVR quòd hîc dicitur, quod DEVS odio habuit Esau, esse contrarium illi sententiæ, quæ de DEO scripta est in capite vndecimo libri Sapientiæ: *Diligis omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Nam, si DEVS odio habuit Esau, non igitur ipse fuit de numero eorum, quæ sunt, nec fuit à DEO factus: sed Esau fuit de numero eorum, quæ sunt, & fuit creatura DEI, ergo non eum DEVS odio habuit. Hunc nodum soluens B. Thomas in prima parte, quæstione vigesima tertia, articulo tertio, in responsione ad primum, docet, sicut DEVM diligere aliquem, est, velle ei bonum aliquod; ita DEVM odisse aliquem, est velle non dare ei aliquod principale bonum. Et quia nulla est creatura, cui DEVS non aliquod bonum dare voluerit, & dederit, iccirco dicitur diligere omnes creaturas, & omnia quæ sunt; & hac ratione DEVS etiam diligebat Esau, vt cui multa dederat bona naturalia, sed quia non voluit ei dare vitam æternam, quod est summum bonum hominis, & cuius comparatione, alia omnia bona hominis, vix vllius momenti sunt, ob hac causam dicitur DEVS odisse Esau. Verba B. Thomæ sunt hæc: DEVS omnes homines diligit. Et omnes etiam creaturas, in quantum omnibus vult aliquod bonum: non tamen quodcumque bonum

35.

Locus libr. Sap. cap. 11.

S. Thomas.

vult omnibus. In quantum igitur quibusdam non vult hoc bonum, quod est vita æterna, dicitur eos habere odio, vel reprobare: & ita dicitur DEVS odio habuisse ipsum Esau.

36. Eandem porrò quæstionem B. Augustinus in primo libro quæstionum ad Simplicianum, in tractatu secundæ quæstionis, & proponit, & pluribus verbis explicat: Ait autem hominem peccatorem tribus modis considerari posse; vel ea ratione, vt est homo, secundum ea omnia, quæ DEVS in eo fecit, & ei tribuit, & ita etiam peccatores diligi à DEO: vel ea ratione vt peccator est, impiè auersus à DEO, & conuersus ad bona creata, & temporalia: & hac ratione DEVS odit peccatores, sicut scriptum est: *Odisti omnes qui operantur iniquitatem.* Et alibi: *Odio est DEO impius & impietas eius.* Tertio præterea modo considerari potest homo peccator ea ratione, vt DEVS peccata eius ordinat & destinat punitioni, vel ad magnum aliquod bonum, notabilem videlicet aliquam electorum vtilitatem, atque illustrem declarationem diuinæ iustitiæ, ac potentiæ: & secundum hanc considerationem, dicitur DEVS diligere peccatorem, id est, ordinationem improbitatis, & peccatorum eius, ad magnum aliquod bonum ab eo factam. DEVS itaque odit Esau non primo nec tertio modo, sed secundo modo.

Triplex consideratio hominis peccatoris.

Ponam hîc Augustini verba, quæ doctrinam continent planè theologicam. Enitendum est hoc loco (inquit Augustinus) si Dominus adiuuet, videre quemadmodum & illud verum sit, quod alibi scriptum est: *Nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Et illud: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Si enim propterea odio habuit, Esau, quia vas factum erat in contumeliam: quomodo verum est illud: *Nihil odisti eorum qui fecisti?* Ecce enim DEVS odit Esau, quem tamen ipse fecit vas in contumeliam. Sed hic nodus ita soluitur, vt intelligamus omnium creaturarum conditorem esse DEVM, & omnẽ creaturam DEI, bonam esse: & omnis homo in

S. Augustinus.

1. Tim. 3.

in quantum homo est, creatura DEI est, & bonus est, non autem in quantum peccator. Est itaque DEVS creator & animi, & corporis humani: & neutrum horum malum est, & neutrum odit DEVS, quia nihil odit eorum, quæ fecit: sed odit in homine peccatum, quod non DEVS fecit, sed homo ipse propria sua, & praua voluntate fecit. Est enim hominis peccatum, inordinatio quædam atque peruersitas, id est, à præstantiore conditore auersio, & ad condita inferiora conuersio. Non igitur odit DEVS Esau hominem, sed odit DEVS Esau peccatorem. Odit enim DEVS impietatem, quam in aliis quidem punit per damnationem; in aliis adimit per iustificationem, quemadmodum ipse iudicat esse faciendum, suis illis iudiciis inscrutabilibus. Neque DEVS odit peccatorem, in quantum facit eum vas in contumeliam, hoc enim ipse facit, & nihil odit eorum quę facit: impij enim, in quantum impij, sunt execrabiles; in quantum autem vasa fiunt, ad aliquem vsum fiunt, vt per eorum ordinatas pœnas, vasa, quæ fiunt in honorem, proficiant. Non itaque DEVS odit homines, neq; in quantum vasa in contumeliam facta sunt: id est, nec quod in eis fecit creando, nec quod in eis facit ordinando, vt vasa perditionis proficerent ad vsum aliorum. Sicut iudex furem damnans ad metallum, odit in eo furtum, quod ille fecit: ita DEVS quod ex consperſione, siue massa impiorum facit vasa perditionis, non odit quod ipse facit, id est, opus ordinationis suæ debita in pœna pereuntium, vt in ea occasionem salutis illi, quorum miseretur, inueniant. Hæc Augustinus.

Tres præterea quæstiones super illis verbis: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, non opinor, intempestiuè tractari hoc loco possent. Primò enim quæri posset, an illa verba secundum litteralem sensum intelligenda sint de dilectione Iacob, & odio Esau, quãtum ad bona temporalia, quorum copia & præstantia Iacob longè prælatus est à DEO, fratri suo Esau: an verò intelligẽda sint de dilectione & odio quantum ad æternam prædestinationem Iacob ad gloriam, & æternam repro-

bationem Esau. Deinde illud etiam quæri posset, an citans Paulus ea verba, intellexerit ea secundum litteralem sensum de dilectiones,& odio quantum ad bona temporalia; & quẽadmodum sic intellecta conueniant & seruiant proposito eius argumentantis, istorum fratrum exemplo, æternam hominum tam electionem, quàm reprobationem, non fieri à DEO ob eorum præuisa opera, sed id pendere ab æterno diuinæ voluntatis proposito & decreto. Illa demum posset esse tertia quæstio: Si Apostolus verba illa non secundum litteralem sensum, sed secundum sensum mysticum citans intellexit de dilectione & odio, quantum ad æternam reprobationem, & electionem; quisnam sit iste sensus mysticus, id est, quemadmodum dilectio Iacob figura fuerit electionis ęternæ hominum; & odium Esau, figura item fuerit odij, & damnationis reproborum: Et an Pauli probatio ex istorum fratrum exemplo ducta secundum mysticum istum sensum, valida sit: docet enim S. Dionysius Areopagita, idque Theologorum sermone tritum est, sensum mysticum non esse argumentatiuum, id autem est, inualidum esse, & inefficacem ad probandum quippiam. Hæc igitur tractari hoc loco poterant. Verùm quia super his diligenter, ampleq; disseruimus in quarto tomo commentariorum nostrorum in Genesim, in 6. & 7. disputat. super cap. 25. libri Genesis, idcirco ne iam bene tractata superuacuè retractando, acta agere videamur, ea in præsens omittenda esse censuimus.

S. Dionysius Areopag.

SEPTIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Versu 14

Quid ergo dicemus? numquid iniquitas est apud DEVM? Absit, Moysi enim dicit: Miserebor,

rebor, cuius misereor, & misericordiam prę-stabo, cui miserebor.

DIxit Apostolus paulò suprà: licet Iacob, & Esau meritis non essent dispares, disparem eos tamen sortem accepisse, altero scilicet electo, & altero reprobato. Hinc exoritur minimè leuis quæstio, quam ipse sibi Apostolus obiicit: videtur enim id contra rationem esse iustitiæ, quippe quæ paria retribuit, vbi paria inuenit merita. Cùm igitur homines, sublato meritorum discrimine, sint prorsus æquales, æquum videtur, vt DEVS erga illos ęqualiter se gerat, non autem vt eligat vnum, & alterum reprobet. Soluit eam quæstionem Paulus, dicens, *Absit*, quasi dicat: Impium est sentire, iniquitatem esse posse apud DEVM: nempe de eo scripsit Moses in Deuteronomio: *DEVS fidelis & absq; vlla iniquitate.* Et de eo dixit Dauid: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Ostendit itaq; Paulus, electionem hominum esse omninò, non iustitiæ, sed misericordiæ DEI; quocirca nulli esse debitam; si nulli autem debita est, ergo nulla in re potest esse iniustitia: neque si DEVS ex massa perditionis, in qua sunt ex se omnes homines, eripiat hunc hominem, & saluet; alium verò inibi relinquat, & perire sinat, iniustus dici potest; sed erga illum misericors, erga hunc iustus. Ergo ibi tantùm est ratio iustitiæ, vel iniustitiæ, vbi ratio meriti inuenitur.

37.

Deuter. 32.

Psal. 118.

Electionem porrò diuinam ipsorum hominum, non ex debito, nec merito hominum vllo cuiquam contingere, probat Apostolus illo testimonio scripturæ, quod est in cap. 33. libri Exodi, & hic refertur: *Miserebor cui misereor; & misericordiam præstabo, cui miserebor.* Quæ verba hanc habent sententiam: *Miserebor cui miserebor*: Id est, gratuitam misericordiam meam tribuam ei, & à miseria eripiam, vocando, iustificando, ac deniq; glorificando eum, cuius ab æterno placuit mihi misereri, eligendo eum, & prædestinando ad vitam æternam.

38.

Locus Exodi cap. 33.

Et

Et misericordiam præstabo, cui miserebor. Id est, gratiam meam exhibebo, cui pro libera voluntate mea placuerit exhibere, & cui per indebitam, & omninò gratuitam misericordiam meam ab æterno placuit gratiam electionis, & prædestinationis ad vitam æternam tribuere. Hanc sententiam latinus interpres in libro Exodi capite 33. ita vertit: *Miserebor cui voluero; & clemens ero, in quem mihi placuerit.* Septuaginta duorum interpretum translatio eo loci, vt est in græcis Bibliis Romæ nuper editis, latinè ad verbum reddita, sic habet: *Miserebor cui misertus fuero: & misericordiam præstabo, cui misericordiam præstitero.* Vnde satis apparet, Apostolum eam sententiam hoc loco citasse secundum translationem 70. interpretum. Paraphrasis Chaldaica hunc in modum expressit eam sententiam: *Miserebor cui miserebor, & propitius ero, cui propitius ero.* Nec dubium est, quin sit hebraismus in ista sententia, satis frequens & familiaris diuinæ Scripturæ, eandem sententiam vel eisdem vel diuersis verbis repetitis, vel ad orationis ornatum, vel ad maiorem emphasim, & energiam, secundum hebrææ linguę proprietatem explicandi. Chrysostomus, atq; eum secuti Theodoretus, Oecumenius & Theophylactus, referunt ista verba, quę sunt in libro Exodi, ad cædem Iudęorum, ob adoratum ab ipsis vitulum, iussu DEI factam; non quidem omnium, sed aliquorum. Cùm enim alij peccassent in adorando vitulo, non omnes tamen interfecti sunt, sed quorundam misertus est DEVS, aliorum verò minimè. Caussam porrò huius differentiæ nec Iudæi, nec Moyses tunc nouerunt: sed solus DEVS, qui præscius omnium futurorum, nouit qui sint futuri misericordia eius digni, & qui futuri sint indigni. Sic isti.

Chrysostomus, & sectatores eius.
Exodi 32.

39. *S. Thomas.*

S. Thomas refert hoc loco quandam glossam, quæ sic interpretatur hæc verba: *Miserebor cui miserebor.* id est, quem dignum prænouero misericordia mea, ei misericordiam impertiar. Licet enim DEVS misericorditer sua impendat beneficia; eo tamen ab iniustitia excusatur; quia dignis ea dat, quibus vtiq; danda sunt. verùm aliquos esse dignos misericordia

Non rectè dici, DEVM misereri eorũ, qui sunt digni misericordia eius.

cordia DEI, dupliciter poteſt intelligi, vel propter bona eorum opera præcedentia miſericordiam, & gratiam DEI, & hæc fuit hæreſis Pelagianorum: ſed hoc verè dici non poteſt, quoniam ipſa bona opera, & merita ſunt principaliter ex DEI gratia, & ſunt effectus prædeſtinationis, non autem ipſius cauſa. Altero modo intelligi poteſt, aliquem dignum fuiſſe miſericordia DEI, ob eius bona opera non quidem antecedentia gratiam, ſed ſubſecuta; id autem eſt, propter bonum vſum diuinæ gratiæ; vt DEVS miſericordiam ſuam illis impenderit, quos præſciuit benè vſuros ea. Sed neq; hoc verum eſt: nihil enim poteſt poni tanquam ratio prædeſtinationis, quod eſt effectus ipſius prædeſtinationis: ratio enim prædeſtinationis, præintelligitur ipſi prædeſtinationi, in qua prædeſtinatione effectus eius includitur. Conſtat porrò omne DEI beneficium conducens ad æternam ſalutem hominis, eſſe prædeſtinationis effectum; nec ſolum eſſe DEI beneficium, infuſionem gratiæ, qua iuſtificamur, ſed etiam bonum vſum ipſius gratię iuſtificantis, per quem & gratię incrementum meremur, & præmium vitæ æternæ. Sicut DEVS in rebus naturalibus non ſolùm concurrit ad generationem formæ, quæ eſt principium motus, & operationis naturalis, ſed etiam ad ipſum motum, & operationem efficiendam: Si enim talem concurſum ſuum DEVS ſubtraheret agentibus naturalibus, omnis eorum motus, & actio ceſſaret.

Patet igitur, merita conſequentia gratiam, eſſe non poſſe rationem miſerendi, & prædeſtinandi, ſed ſolam DEI voluntatem, qua miſericorditer aliqui è maſſa perditionis omnium liberantur & ſaluantur; vnde liquet, negotium ſalutis noſtræ & à miſericordia DEI totum pendere, nec vllo modo contra iuſtitiæ rationem eſſe. Iuſtitia enim diſtributiua locum habet in iis, quæ ex debito dantur, vt ſi aliqui ſuo labore meruerunt mercedem, & vt plus laborantibus maior datur merces. Non autem iuſtitia diſtributiua locum habet in iis, quæ indebita ſunt, & gratis ex liberalitate donantur: vt ſi quis duos pauperes in via offendens, vni det eleemoſynam,

non alteri; non est iniquus, sed misericors. Similiter si quis duobus, qui cum æqualiter offenderant, vni eorum remittat offensam, & non alteri: erga vnum est mistericos, & iustus erga alterum, neutri verò iniquus. Cùm igitur omnes homines propter peccatum primi parentis, damnationi nascantur obnoxij: quos DEVS ex ista massa perditionis, per gratiam suam liberat, sola misericordia liberat: quos autem ibi relinquit, iustè relinquit: ergo misericors est erga eos, quos liberat, & iustus erga eos, quos non liberat, neutris autē iniquus est. Rectè igitur Apostolus quæstionem præpositam soluit auctoritate Scripturæ, dicentis: *Miserebor cui miserebor: & misericordiam præstabo, cui miserebor:* Apertè demonstrans, gratiam electionis, & salutis hominum, omnino diuinæ misericordiæ adscribi oportere.

Sed misericordia DEI secundum tria spectari debet: primò secundum prædestinationem, qua DEVS ab æterno decreuit aliquos saluare: Deinde secundum vocationem, & iustificationem, per quæ homines in tempore huius vitæ sanctificat & saluat: Ac demùm secundum glorificationem post hanc vitam liberando hominem ab omni non solùm culpa, sed etiam miseria, & omnibus bonis beando; sicut Dauid dicit: *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus: Qui replet in bonis desiderium tuum.* Ergo DEVS miseretur hominis, vocādo & iustificādo eum, cuius misertus est ab æterno, prædestinando eum: & misericordiam ei præstabit, post hanc scilicet vitam glorificando eum; cui miserebitur in tempore huius vitæ, vocando, & iustificando eum. Et hac quidem ratione Apostolus soluit quæstionem propositam dicens, DEVM nullo modo esse iniquum, si aliquos hominum eligat ad vitam æternam, alios verò reprobet, tametsi par sit eorum hominum conditio, nec sint operum qualitate, meritisque dispares, quoniam vtrisque indebita erat misericordia DEI, & vtrosque iustè poterat relinquere ac reprobare.

Psal. 102.

40. *Difficultas quæstionis à*

Hanc porrò quæstionem esse obscurissimam, & propemodum inexplicabilem affirmat S. Hieronymus, in epist. 150. quæ

quæ ſcripta eſt ad Hedibiam in reſponſione ad 10. eius quæſt. ita ſcribens: Omnis quidem ad Romanos epiſtola interpretatione indiget, & tantis inuoluta eſt obſcuritatibus, vt ad intelligendam eam, SPIRITVS ſancti indigeamus auxilio, qui per Apoſtolum hæc ipſa dictauit. Sed præcipuè locus hic obſcurus & difficilis eſt. In quo quidam volentes DEI ſeruare iuſtitiam ex præcedentibus cauſis dicunt electum fuiſſe Iacob, & abiectum Eſau, & Hieremias & Ioannes Baptiſta electi ſunt in vtero. Nobis autem nihil placet, niſi quod Eccleſiaſticum eſt, & quod publicè in Eccleſia dicere non timemus. Non autem iuxta Pythagoram, & Platonem, & diſcipulos eorum, qui ſub nomine Chriſtiani introducunt dogma Gentilium, dicimus animas lapſas de cœlò eſſe, & pro diuerſitate meritorum in his, vel in his corporibus antiquorum pœnas luere peccatorum: atque ob hanc quoque cauſam Iacob & Eſau ſortem fuiſſe diuerſam. At enim melius eſt, imperitiam ſimpliciter confiteri, & inter cetera quæ neſcimus, etiam huius loci obſcuritatem agnoſcere: quam, dum volumus DEI probare iuſtitiam, Baſilidis & Manichæi hæreſim defendere, Et Iberas nænias, Ægyptiaque portenta ſectari. Nos igitur dicamus vt poſſumus: & Apoſtolicæ voluntatis ſequentis veſtigia, ne punctum quidem, vt dicitur, atque vnguem tranſuerſum ab illius ſententia recedamus. Deinde ait Hieronymus, quęſtionem ex verbis Apoſtoli natam, eſſe huiuſmodi: Si Eſau, & Iacob non propter eorum opera, vel bona, vel mala, alter eorum dilectus, & alter odio habitus eſt; & electio atque abiectio non eorum merita, ſed ſolam voluntatem eligentis atque abiicientis oſtendit: Si hoc, inquit, recipimus, vt faciat DEVS quodcumque voluerit, & abſque meritis hominum eligat, & reprobet quoſcumque libuerit: fruſtrà igitur quæritur, atque cauſatur, nos vel bona non feciſſe, vel feciſſe mala: cùm in poteſtate, & voluntate ipſius ſit, abſque bonis, & malis operibus eligere alios, & alios abiicere: præſertim verò cùm eius voluntati humana fragilitas non queat reſiſtere. Hanc ergo validam quæſtionem,

S. Paulo hic propoſita.
S. Hieronymus.

Hierem 1.
Luc. 1.

ſcripturarum ratione contextam, & penè inſolubilem, breui Apoſtolus ſermone diſſoluit, dicens: *O homo, tu quis es, qui reſpondeas DEO?* vt quæ antè ponuntur, fuerint verba hominis impij, quærentis & obiicientis. Verùm iſti interpretationi, quæ placuit S. Hieronymo, obſtat verbum illud, *Abſit*, quo Apoſtolus ſoluit quæſtionem illam propoſitam, quod videretur iniquus DEVS, ſi abſque meritis hominum, aliquos eligeret, & aliquos reprobaret, quaſi execrando quod de iniquitate DEI dicebatur. Soluit autem quæſtionem auctoritate Scripturæ, quæ eſt in libro Exodi, oſtendens rationem electionis, & prædeſtinationis hominum, totam à DEI miſericordia pendere.

41. *Sententia B. Hieronymi de cauſa electionis, & reprobationis hominum.*

Videtur autem S. Hieronymus cauſam, cur DEVS aliquos eligat, & alios reprobet, referre ad diuerſas hominum voluntates vel recipientium vocationem DEI, vel reſpuentium: non enim DEVM ſine ratione eligere, ſed ex cauſis præcedentibus. Verba Hieronymi, quæ hoc ſignificant in eo quo dixi loco, hæc ſunt: Non ſaluat DEVS irrationabiliter, & abſque iudicij veritate, ſed cauſis præcedentibus: quia alij non ſuſceperunt FILIVM DEI; alij verò recipere ſua ſponte voluerunt. Vaſa porrò miſericordiæ, non ſolùm populus Gentium eſt, ſed etiam qui ex Iudæis credere voluerunt; & vnus credentium factus eſt populus. Ex quo oſtenditur, non Gentes eligi, ſed hominum voluntates. Hæc ibi S. Hieronymus, qui hoc ipſum apertius, expreſſiuſque ſcriptum reliquit ſuper illis verbis Malachiæ: *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Et ſuper illis verbis Apoſtoli ad Gal. 1. *Cùm autem placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ.* De qua opinione ſuprà dictum eſt, & plura dicentur infrà.

OCTA-

OCTAVA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est DEI.

CONCLVDIT Apostolus ex supradictis, præcipuè verò ex auctoritate illa quæ est in libro Exodi, gratiam electionis, & prædestinationis hominum ad vitam æternam, & item vocationis & conuersionis ad DEVM gratiam, non prouenire ex vllis illorum operibus, siue exterioribus, significatis nomine cursus, siue interioribus, per ipsum velle significatis; sed ex DEI misericordia, æternoque diuinæ voluntatis proposito, & beneplacito. 42.
Verùm dicat aliquis: Cùm negotium humanæ salutis non tantùm pendeat à DEI gratia, licet principaliter ab ea pendeat; sed etiam à nostro libero arbitrio, & nostra cooperatione, secundum illud B. Augustini vulgò iactatum: QVI fecit te sine te, non saluabit te sine te: sicut comparandæ saluti non sufficit liberum arbitrium sine gratia DEI; ita nec gratia DEI sine libero arbitrio, secundum illud Apostoli: *Non ego, sed gratia DEI mecum.* Ergo quemadmodum Apostolus hoc loco dixit, Non esse currentis, neque volentis; sed DEI miserentis; ita dici potest, Non esse DEI miserentis, sed hominis volentis, atque currentis. Huic obiectioni respondens S. Augustinus, ait, nec piè, nec verè posse istud dici. Misericordia etenim DEI, est sine voluntate hominis, vt in æterna prædestinatione, & electione hominis, & in temporali vocatione eius, pluribusque auxiliis, quibus voluntatem hominis præuenit. At verò bona voluntas hominis nunquam esse potuit sine DEI misericordia, affirmante Aposto- 1. Cor. 15.

Ad Philip 2. lo, DEVM in nobis operari & velle, & perficere pro sua bona voluntate. Nec verò DEVS miseretur hominis, quia prius bonam ipse voluntatem habet: sed ideo potius, vt homo bonam voluntatem habere possit, DEVS ipsius miseretur: nam cùm non vellemus, quin etiam, vt sæpè fit, nollemus, ipse fecit vt vellemus, congruè, & opportunè nos vocando, & miris modis nos inuitando, & alliciendo. Cùm enim DEVS efficaciter miseretur alicuius hominis, vocat eum ita, vt scit congruere ipsi, vt vocantem sequatur: quare nullius vnquam DEVS frustrà miseretur. Neque verò hac Pauli sententia tollitur liberum hominis arbitrium, vt hæretici nostri temporis mentiuntur; sed astruitur gratia prædestinationis, & vocationis hominum, non ex libero eorum arbitrio, sed ex mera DEI misericordia proueniens. Postquam autem vocatus est homo, & DEI gratia præuentus, tunc libero suo arbitrio consentit vocationi, & præparat se ad iustitiam: & iustus iam factus, efficit opera bona, & DEO grata, quibus vitam æternam promereatur.

43. Sed hæc strictim à nobis & quasi cursim dicta, iuuat firmare, atque illustrare grauissimis, & doctissimis beati Augustini verbis ac sententiis ex primo libro quæstionum ad Simplicianum, huc transpositis. Nam in responsione ad secundam Simpliciani quæstionem, inter alia quæ circa intelligentiam huius loci Apostolici tractat, etiam hæc tradit: Si quæratur, inquit, an bona voluntas hominis sit donum DEI; quis negare audeat? At enim quia non præcedit voluntas bona hominis, vocationem DEI, sed vocatio DEI præuenit bonam voluntatem hominis, propterea vocanti DEO rectè tribuitur quod benè volumus: nobis verò tribui non potest, quod vocamur. Non igitur ideo dictum esse putandum est: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est DEI*, quia nisi DEI adiutorio, non possumus adipisci quod volumus: sed ideo potius, quia nisi eius vocatione præuenti, non benè volumus. Sed si vocatio ista est effectrix bonæ voluntatis, vt omnis eam vocatus sequatur; quomodo

Obseruanda B. Augustini doctrina.

do verum est illud, quod in Euangelio scriptum est: *Multi vocati, pauci electi?* Si hoc autem verum est, & non consequenter qui vocatus est, vocationi obtemperat, atque vt obtemperet, in eius positum est volũtate; rectè etiam dici posset: *Non miserentis* DEI, *sed volentis, & currentis est hominis*, quia misericordia vocantis non sufficit, nisi vocati obedientia consequatur. An fortè illi, qui hoc modo vocati non consentiunt, alio modo vocati, possent vocationi, & fidei voluntatem suam accommodare? Nam quia non omnes qui vocantur, eodem modo affecti sunt; illi solùm sequuntur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei; idoneos autem facit DEVS, quorum miseretur: qui eo modo vocat eos, quo modo aptum & congruum eis est, vt sequantur vocationem: ad alios autem vocatio quidem peruenit; sed quia talis vocatio fuit, qua illi moueri non possent, vt eam capere apti essent, vocati quidem dici potuerunt, sed non electi. Non igitur verè illud dici potest: *Non miserentis* DEI, *sed volentis, atque currentis est hominis*, quoniam non potest effectus misericordiæ DEI esse in hominis potestate, vt frustrà DEVS misereatur, si homo nolit: quia si vellet DEVS, etiam istorum misereri, posset ita vocare eos, vt & intelligerent, & mouerentur, & sequerentur. Ergo verũ est illud: *Multi vocati, pauci electi.* Illi enim sunt electi, qui congruenter sunt vocati: illi verò, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non sunt electi, quia non sunt secuti, quamuis vocati. Quamuis enim DEVS multos vocet; eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo aptum est eis vocari, vt sequantur. Falsum est autem, si quis dicat: Non miserentis DEI, sed volentis & currentis est hominis: quia nullius DEVS frustrà miseretur: sed cuius miseretur, eo modo vocat eum, quo modo scit ei congruere, vt vocantem non respuat. Hactenus ex B. Augustino.

Locus Matth. 20.

Matth. 20.

44.

S. Thomas.

S. Thomas in commentariis suis in hanc epistolam Pauli, & hunc ipsum Apostoli locum tractans, cur non possit etiam verè dici, non esse miserentis DEI, sed volentis, & currentis hominis, cùm ad comparandam salutem, sicut liberum

rum arbitrium ſine gratia, ita gratia non ſufficiat ſine libero arbitrio: Cur, inquam, iſtud verè dici non poſſit; ſecundum doctrinam philoſophicam reddit cauſam, & rationē huiuſmodi. Cùm ad productionem alicuius effectus vel operis duo cōcurrunt agentia, quorum vnum eſt agens primarium, & principale, alterum verò eſt ſecundarium, & tanquam inſtrumentale; effectus, vel opus non attribuitur ſecundario agenti, ſed primario, & principali: Exempli cauſa, Arca quæ fit ab artifice per ſecurim, non dicitur eſſe opus ſecuris ſed artificis. DEVS autem mouet voluntatem humanam ad agendum, ſecundum illud, quod ſuprà dixit Apoſtolus: *Qui SPIRITV DEI aguntur, hi filij DEI ſunt.* Et ita DEVS mouet voluntatem ad agendum, vt etiam ipſum velle, qui eſt actus proprius voluntatis, operetur in homine, ſecundum illud quod ſcripſit Paulus ad Philippenſes: *DEVS operatur in vobis velle & perficere pro bona ſua voluntate.* DEVS itaq; reſpectu omnium humanarum actionum & operum, ſiue naturalium, ſiue moralium, ſiue ſupernaturalium, cùm ſit primarium, & principale agens, meritò illa potius attribuuntur DEO, quàm homini: hoc etiam Eſaia Propheta confirmante illis verbis: *Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine.* Nec verò propterea tollitur aut minuitur libertas humanæ voluntatis, quia DEVS mouet illam ad agendum; quaſi ob id nō ſit domina ſuorum actuum: Deus enim licet omnia moueat agētia ad agendum, non omnia tamen mouet eodem modo, ſed vnumquodque conuenienter modo naturæ ipſius: agentia enim neceſſaria, mouet neceſſariò; contingentia mouet contingenter; agens verò liberum, vt eſt homo, mouet liberè; vt ipſum per conſultationem, & deliberationem, & electionem ſuam procedat ad agendum: atque hæc eſt planè philoſophica, ſimulq; theologica B. Thomæ doctrina.

Ad Rom. 8.

Ad Philip. 2.

Iſaia 26.

45.

Quibus modis Deus moueat volūtatē ſalua eius libertate, notabilis S. Augustini ſententia.

Quemadmodum aūt Deus moueat liberam voluntatem hominis ad agendum, in his præcipuè, quæ ad fidem & pietatem Chriſtianam pertinent, luculenter declarat S. Auguſtinus in libro de ſpiritu & littera, capite trigeſimo quarto, ita

ſcribens:

scribens: Voluntas bona qua volumus credere, non ideo tantùm diuino muneri tribuenda est, quia in libero arbitrio est, quod nobis à DEO naturaliter concreatum est: verumetiam quia visorum suasionibus agit DEVS, vt velimus, & vt credamus; siue extrinsecus per Euangelicas exhortationes, vbi & mandata legis aliquid agunt, si ad hoc admonent hominem infirmitatis suæ, vt ad gratiam iustificantem credendo confugiat: siue intrinsecus, vbi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem; sed consentire, vel dissentire, propriæ voluntatis est. His ergo modis, quando DEVS agit cum anima rationali, vt ei credat, neq; enim credere potest, quolibet libero arbitrio, si nulla sit suasio, vel vocatio, cui credat: profectò & ipsum velle credere DEVS operatur in homine, & in omnibus misericordia eius præuenit nos: consentire aũt vocationi DEI, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriȩ volũtatis est. Quæ res non solùm non infirmat illud Apostoli dictũ: *Quid habes quod non accepisti?* verùm etiam confirmat. Accipere quippe, & habere anima non potest dona, de quibus illud dicitur, nisi cõsentiendo: ac per hoc quid habeat, & quid accipiat, DEI est: accipere autem, & habere, vtiquè accipientis, & habentis est. Hæc Augustinus.

Psalm. 58.

1. ad Cor. 4.

46.

In Caluinum, ex hac sententia Pauli argumentantem hominis cooperationem nullius esse momẽti ad comparãdam salutem.

Caluinus, ex eo quod Apostolus dixit, non esse volentis, neque currentis, sed DEI miserentis, argumentatur, ad comparandam iustitiam, & vitam æternam, nullam requiri ab homine cooperationem eius, siue interiorem, quæ significatur, per velle; siue exteriorem per ipsum currere significatam: omnemq; cooperationem hominis nullius esse momenti, nõ solũm inefficacem, & inualidam, & inanem esse: sed omnem vim atq; rationem iustitiæ ac salutis humanæ apud DEVM, in sola DEI misericordia esse positam, cùm Paulus dicat hoc loco: *Igitur non volentis, neq; currentis, sed miserentis est DEI.* Audiat lector ipsa Caluini verba, quò melius & sententiam eius, atq; impietatem agnoscat. Verè, inquit, hîc locum habet illud Pauli: *Non est volentis, neque currentis,* &c. Non quo modo id vulgò accipiunt, qui inter DEI gratiam, hominisq; vo-

voluntatem, & cursum partiuntur. Exponunt enim, desiderium hominis, & conatum nihil per se quidem habere momenti, nisi DEI gratia prosperentur: sed cùm adiuuantur tamen illius benedictione, habere suas quoque partes in comparanda salute contendunt: quorum cauillum verbis Augustini refellere, quàm meis malo. Si enim nihil aliud voluit Apostolus, nisi non esse solius volentis, aut currentis, nisi adsit misericors Dominus; retorquere è conuerso licebit: Non solius esse miserentis DEI, nisi adsit voluntas, & cursus hominis. Quod, si apertè impium est, an dubitemus, Apostolum omnia, quæ ad negotium salutis nostræ pertinent, misericordiæ Domini dare, nostris autem voluntatibus, aut studiis nihil relinquere? Sic ille.

47. Sed profectò, esse opus hominis cooperatione ad comparandam iustitiam & salutem, multifariam, aperteque docet B. Augustinus in libro de Natura & Gratia, capite 32. de prima nostra iustificatione disputans: Ibi operamur, inquit, & nos; sed illo operante cooperamur, quia misericordia eius præuenit nos. Et de gratia, & libero arbitrio capite decimo quinto super illis verbis Pauli: *Non ego, sed gratia DEI mecum*. Per hoc, inquit, intelligitur, nec gratiam DEI solam, nec ipsum solum, sed gratiam DEI simul cum illo. Et in sermone 15. de verbis Apostoli: Esse potest, inquit, iustitia DEI sine voluntate tua, sed in te esse non potest nisi per voluntatem tuam. Et S. Bernardus in tractatu de gratia, & libero arbitrio sic ait: Quod à solo DEO, & soli datur libero arbitrio, tam absq; consensu non potest esse accipientis, quàm absq; gratia dantis. Vera autem ratio, cur non possit verè dici, Non miserentis DEI, sed volentis, & currentis est hominis, non ea est, quam finxit Caluinus, quasi verò sola DEI misericordia perficiat opus salutis humanæ, sine vlla hominis cooperatione: sed illa est vera ratio, quam exposuit sanctus Augustinus iis verbis, quæ dudum commemorauimus, & ex responsione eius ad secundam quæstionem Simpliciani prolatis. Nam quia misericordia DEI præuenit omnem bonam

S. Augustinus. *Psalm. 58.* *S. Bernardus.*

nam operationem hominis, omnemque bonam voluntatem eius; nulla verò hominis bona operatio, aut voluntas præuenire poteſt DEI miſericordiam: & quia nunquam bona voluntas hominis poteſt eſſe ſine miſericordia DEI: miſericordia autem DEI eſt multis in rebus ſine bona operatione, aut voluntate hominis, vt in æterna hominis prædeſtinatione, & vocatione, aliiſque pluribus DEI auxiliis præuenientibus hominem: idcirco verè dixit Apoſtolus; Non eſſe volentis, neque currentis hominis, ſed DEI miſerentis; non poteſt autem verè dici; Non eſſe miſerentis DEI, ſed currentis & volentis hominis. Hoc autem dixiſſet Pelagius, qui principium boni operis faciebat humanam voluntatem, per quam homo dignus erat accipere gratiam vocationis, & conuerſionis ad DEVM.

NONA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

DICIT enim ſcriptura Pharaoni: Quia in hoc ipſum te excitaui, vt oſtendam in te virtutem meam. *Verſu 17.*

HOc teſtimonium ſcripturæ ſumptum ex capite nono libri Exodi, Apoſtolum hoc loco adhibuiſſe, putat Auguſtinus ad confirmationem illius proximè ſuperioris ſententiæ; *Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt DEI.* Sic enim ſcribit in reſponſione ad ſecundam quæſtionē Simpliciani: Hoc Pharaonis exemplũ & documentũ ſubiecit Apoſtolus, quo pro- 48.

barct quod ſcriptura dixerat: *Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt* D*EI*. Tanquam ei diceretur: Vnde hæc doces? reſpondet, ſcripturam dixiſſe Pharaoni: *Ad hoc excitaui te, vt oſtendam in te potentiam meam.* Hinc vtique oſtendit, quod non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt DEI. Vnde & concludit ita: *Ergo cuius vult miſeretur, & quem vult, indurat.* Obdurare DEVM dicens pro eo quod eſt nolle miſereri; vt non ab illo irrogetur aliquid, quo ſit homo deterior, ſed tantùm quo ſit melior, non erogetur. Sic fermè Auguſtinus. Sed videtur Apoſtolus, ſicut antè probauit, cauſſam electionis, & vocationis hominum, non eſſe ipſorum opera, ſed DEI miſericordiam, quia DEVS dixit Moyſi: *Miſerebor, cui miſerebor*, ita nunc indicare velle, primam cauſſam reprobationis hominum eſſe quoque Dei voluntatem, non volentis eorum miſereri efficaciter ad conſequendam vitam æternam. Ad hoc enim valet Pharaonis exemplum, & documentum, quod hîc ponitur, præſertim verò illa concluſio Apoſtoli: *Ergo cuius vult miſeretur, & quem vult, indurat.* Verbum enim indurandi hoc loco, propriè ſignificat reprobare, id eſt, non velle DEVM miſereri aliquorum ad vitam æternam conſequendam.

Exod. 33.

49\. Sed perpendamus verba ſcripturæ, quam ex libro Exodi hîc citauit Paulus: *In hoc ipſum excitaui te.* Quod Latinus interpres hîc dixit: *Excitaui te.* In libro Exodi capite nono vertit: *Poſui te.* Septuaginta verò interpretes, & Paraphraſis Chaldaica illum Exodi locum ita reddiderunt: *Ideo ſeruatus es*, vel, *propter hoc in vita conſeruaui te*, quaſi dicat, Potuiſſem vel vna plaga te de medio tollere; ſed ideo tã diu in vita ſeruaui te, vt illuſtriorem, atque celebriorem in te facerem gloriam meam. Verbum hebræum, *Hamat*, ſignificat ſtare, ſubſiſtere, ſuſtentare, ſtatuere, vnde Pagninus vertit: *Feci te ſtare.* Vatablus legit, *Conſtitui te.* Sed iſtarum varietas lectionum in verbis potius eſt poſita quàm in ſententia.

Illa

Illa porrò verba: *In hoc ipsum excitaui*, vel, *posui te, vt ostendam in te virtutem meam*, quatuor habere possunt interpretationes. Prima est interpretatio, quam hæretici nostri temporis libētissimè sequuntur, & præfractè tuentur. DEVS dicitur excitasse vel posuisse Pharaonem, id est, fecisse eum ita obfirmatum, & obduratum in malo, vt eum variè, grauiterque puniendo, idoneam haberet occasionem demonstrandi potentiam suam, & gloriā nominis sui apud omnes gentes. Verùm hæc interpretatio, & sententia, est tum impia, tum absurda. Non enim potest DEVS quenquam efficienter obdurare, cum obduratio sit grauissimum peccatum: DEVS autem nullius peccati effector esse queat: peccatum etenim eo peccatum est, quia est contra voluntatem DEI. Adiice, quod non sunt facienda mala, vt eueniant bona: nec DEVS indiget occasione peccatorum nostrorum, vt his puniendis iustitiam & potentiam suam declaret. Nam quæ vocantur in scholis attributa DEI, & infinitam diuinæ naturæ perfectionem variis modis indicant, citra pœnarum inflictionem, aliis viis possunt hominibus innotescere: exempli gratia, ex dispositione mundi, & quotidiana rerum gubernatione bonitas, & liberalitas DEI, tot tantisque bonis perpetuò largiendis declaratur. Omnipotentia eius ex mundi creatione, effectioneque miraculorum explendescit. Misericordiam DEI notificat miseriarum subuētio, & miseriarum depulsio. Clementia DEI, ex gratuita peccatorum remissione manifesta fit. Iustitia DEI in condigna præmiorum retributione liquidò cernitur. Aduersus autem hæreticos, qui DEVM & indurationis hominum, omniumq; peccatorum auctorem iniquè faciunt, copiosè disputauimus in primo tomo selectarum disputationum super caput 11. Exodi, in tractatu decem disputationum, quas de induratione cordis humanæ fecimus. Quin etiam in hoc secundo tomo & suprà disseruimus, & infrà disserendi occasio nobis dabitur.

50. *Quatuor interpretationes.*

Ad Rom. 3.

Secunda interpretatio illorum verborum est huiusmodi, il lud, *excitaui*, siue, *posui te*. Secundum interpretationem 70.

51.

Interpretum, & Paraphrasis Chaldaicę sic accipiatur, vt idem valeat, atque, seruaui te in vita: vt sit hic sensus: Cum vna plaga potuissem è medio tollere te, seruaui tamen diu in vita, vt, per varia prodigia, te lentè puniens, clarius ostenderem & potentiam meam, tuamque contumaciam & malitiam. Hæc autem interpretatio nihil habet difficultatis. Tertia interpretatio ita se habet: *Excitaui te*, in maiorem scilicet contumaciam, & superbiam, vt deterior fieres, & vehementius voluntati, & iussis meis repugnares; non quidem ingerendo tibi malitiam, sed nō largiendo gratiam meam, multaq; faciendo intra, & extra te ipsum, quib. tu, pro tua malitia, & impœnitentia cordis tui, excitatus es ad maiorem superbiam, contumaciam, & obstinationem animi. Vnde Augustinus verbum illud: *Excitaui*, interpretatus, excitaui, inquit, te, vt contumacius resisteres imperio meo, non tantùm permittendo, sed multa etiam tam intus, quàm foris operando, quæ per occasionem, maioris tibi contumaciæ causa forent.

52. Quarta interpretatio est, vt hic sit illorum verborum sensus: Ego te tua iam induratum malitia ordinaui ad maiorem illustrationem iustitiæ, & potentiæ meæ. DEVS enim vsque adeò potens & bonus est, vt non solùm bonis bene vtatur, sed etiam malis, mala ipsa ordinans ad bonum aliquod. Scitum est illud Boëtij in lib. 4. de consolatione Prosa sexta: Sola, inquit, est diuina vis, cui mala quoque bona sunt, cum competenter eis vtendo, boni alicuius elicit effectum. Ordo enim quidam cuncta complectitur, vt quod ab assignata ordinis ratione discesserit, hoc idem, licet in alium, tamen in ordinem relabatur: ne quid in Prouidentiæ regno liceat temeritati. Sic ille. DEVS igitur malitiam Pharaonis non effecit, sed eam tamen ad illustriorem potentiæ, & iustitiæ suæ declarationem ordinauit: & ideo excitasse dicitur ipsum ad hoc, vt in ipso potentiam suam ostenderet.

Boëtius.

DECL-

DECIMA DISPVTATIO

SVPER ILLIS VERBIS:

Ergo, cuius vult, miſeretur, & quem vult, indurat.

Verſu 18.

53.

HOc Apoſtolus concludit partim ex illo teſtimonio libri Exodi: *Miſerebor cui miſerebor*, partim ex Pharaonis exemplo, & documento. Docet autem his verbis, primam & ſupremam rationem atque cauſam, & prædeſtinationis quorundam hominum ad vitam æternam, & reprobationis aliorum, eſſe ſummam diuinæ voluntatis libertatem. Sed quia refugit animus, horretque audire, ne dum credere, DEVM pro ſua voluntate eſſe cauſam reprobationis, & indurationis hominum, cùm induratio ipſa ſit grauiſſimum peccatum, & nullius peccati DEVS cauſa eſſe poſſit; idcirco declarandum eſt, verbũ indurandi, quod hoc loco vſurpauit Apoſtolus, quomodo interpretandum, & intelligendum ſit, ne falſam atq; impiam reddat ſententiam. S. Hieronymus in epiſtola 150. in reſponſione ad 10. quæſt. tractans hunc ipſum Pauli locum, DEVM indurare aliquos interpretatur, facere ſua benignitate, & patientia, & longanimitate diu peccata hominum diſſimulando, nec puniendo vt fiant illi deteriores, magiſque in malo obfirmentur, atque obdurentur. Hæc ſunt Hieronymi verba: Si patientia, inquit, DEI, indurauit Pharonem, & multo tempore pœnas diſtulit Iſraëlis, vt mitius condemnaret, quos tanto tempore ſuſtinuerat: non DEI accuſanda eſt patientia, & infinita clementia, ſed eorum duritia, qui bonitate DEI in perditionem ſuam abuſi ſunt. Aliòquin vnus eſt ſolis calor, &, ſecundum naturas ſubiacentes, alia liquefacit, & alia indurat; alia ſoluit, & alia conſtringit: liquatur enim cera, & duratur

Quomodo ſit intelligendum hoc loco, DEVM quem vult indurare.

S. Hieronymus

tur lutum; cùm tamen non ſit caloris diuerſa natura. Sic & bonitas,& clementia DEI vaſa irę quę apta ſunt in interitum, id eſt, populum Iſraël indurat: vaſa autem miſericordiæ,quæ præparauit in gloriam,quæ vocauit, hoc eſt,nos, qui non ſolùm ex Iudæis ſumus, ſed etiam ex Gentibus ſaluat: non quidem irrationabiliter, & abſque iudicij veritate, ſed cauſis præcedentibus: quia alij non ſuſceperunt FILIVM DEI; alij ſua ſponte recipere voluerunt. Hæc Hieronymus. Cuius interpretatio mihi quidem non admodum placet: tum quia verbum indurandi aliam vim,& ſignificationem habere hoc loco videtur:tum quod rationem & cauſam, cur DEVS miſereatur,& induret, refert ad voluntates & opera hominum; cum Apoſtolus hoc loco apertè ſoli diuinæ voluntati aſſignet,dicens: *Cuius vult miſeretur,& quem vult,indurat.*

54. Conuenientior itaque videtur & conſilio ac propoſito Apoſtoli & ſententiæ verborum eius, interpretatio quam tradit variis in locis Auguſtinus, indurare DEVM aliquos interpretans, non miſereri eorum, nec gratiam eis largiri, per quam & ab induratione prohibeantur,&,ſi iam indurati fuerint,remolleſcant,& reflectantur ad pęnitentiam. In reſponſione enim ad ſecundam quæſtionem Simpliciani, tractans hæc ipſa Pauli verba, ita ſcribit; DEVM obdurare, eſt nolle miſereri: vt non ab illo irrogetur aliquid homini,quo fiat deterior; ſed tantùm non erogetur ei id, quo melior exiſtat. Et paulò infrà: Non, inquit, ideo putetur DEVS cogere quenquam peccare, quod quibuſdam peccantibus miſericordiam iuſtificationis ſuæ non largiatur: & ob hoc dicatur obdurare quoſdam peccatores, quia non eorum miſeretur: non autem quia impellat eos ad peccandum. Eorum autem non miſeretur,quibus miſericordiam non eſſe prębendam,æquitate occultiſſima,& ab humanis ſenſibus remotiſſima, indicat: inſcrutabilia enim ſunt iudicia eius, & ininueſtigabiles viæ eius. Et in libro de prædeſtinatione,& gratia,cap.4. indurare dicitur DEVS eum,quem mollire noluerit. Et tract.53.in Ioan. Obdurat DEVS deſerendo,& non adiuuando:quod occulto iudicio facere poteſt,iniquo non poteſt. Sede-

S. Auguſtinus.

Ad Rom.1.

Sedenim non leuis existit quæstio, quomodo indurationis hominum ratio, & causa sit sola DEI voluntas, vt videtur docere hoc loco Apostolus, dicens: *Cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat.* Ac non potius causa indurationis sint mala hominum merita, ac peccata. Scriptura etenim, vbicumq; docet DEVM indurare vel excœcare aliquos, vel tradere illos in reprobum sensum, simul etiam ostendit, id euenire illis ob antecedentia illorum peccata. Videat lector S. Augustinum in lib. 83. quæstionum quæst. 68. qui cap. 12. libri de natura & gratia: Prioribus, inquit, meritis, quibus in regno hospites ac peregrinos afflixit, hoc redditum est Pharaoni, vt induraretur cor eius. Ex quo palam fit, DEVM non gratis, & mera voluntate sua, sed ob propria hominum peccata eos indurare. Et hac quidem ratione permoti fuisse videntur Hieronymus, & vulgo dictus Ambrosius, & Chrysostomus, & Theodoretus, & Theophylactus, & Occumenius, & alij, vt conclusionem illam: *Ergo cuius vult miseretur, & quem vult, indurat*, positam esse contendant, non ex Apostoli persona illud affirmantis, sed ex persona aduersarij, istud etiam, vt quædam superiora, obiicientis. Sed quia nos verba illa esse Apostoli arbitramur, vt sanctus Augustinus, & B. Thomas, & complures alij censuerunt, aliter nobis proposita quæstio explicanda est.

55.

An doceat hoc loco Apostolus, solam DEI voluntatem causam esse indurationis hominum.

S. Augustinus.

Ista porrò quæstio dupliciter potest dissolui. Ac primò quidem dici posset, verbum indurandi hoc loco, non significare illum reprobationis effectum, qui est deserere hominem, & multa operari circa ipsum, tam foris, quàm intus, quibus occasione accepta, fiat ille deterior, & obduretur in malo: sed vt verbum indurandi significet hoc loco primam ipsam reprobationis originem, æternam dico DEI voluntatem, non miserendi aliquorum, nec eis conferendi auxilia efficacia ad consequendum vitam æternam. At enim quia exemplum Pharaonis, vnde Apostolus intulit illam conclusionem: *Ergo cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat.* Euidenter pertinet ad indura-

56.

 tionem,

tionem, quæ est effectus reprobationis: videtur probabilius futurum illud responsum, Indurationem quidem Pharaonis debitam fuisse prioribus eius meritis, & peccatis; primam tamen eius causam, si quis considerate, obseruateque pensitet, non aliam profectò reperiet, nisi voluntatem Dei non volentis emollire duritiam cordis Pharaonis, & inflectere ad cognitionem, & obedientiam ipsius. Cor enim regis in manu Dei est, quod, si voluerit, quocumque libitum fuerit, facilè inflectet ipsum. Quod enim ex duobus hominibus æquè indignis, & induratis, Deo rebellibus, alterum Devs pro suis peccatis, sinat fieri rebelliorem, & magis obduratum in malo, ad occasionem multorum beneficiorum, quæ ipsi exhibet: alterius verò cor emolliat, ad occasionem eorundem, vel similium beneficiorum, & ex peccatis extrahat eum, & ad veram pœnitentiam, & salutem adducat, hoc, inquam, ad solam Dei voluntatem, & beneplacitum referri potest; qui alteri voluit dare congrua & efficacia ad conuersionem, & pœnitentiam auxilia; alteri verò non voluit. Huius rei perillustre habemus exemplum in duobus regibus & impiis, & Deo rebellibus, & hostibus populi Dei, Pharaone, & Nabuchodonosoro: quorum ille permissus est in sua malitia obduratus perire; alter verò ad veri Dei agnitionem atque confessionem, atque ad pœnitentiam agendam perductus est.

Prou. 21.

VNDE-

VNDECIMA DISPVTATIO.

Caluini falsa & impia illorum Apostoli verborum, Cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat, *interpretatio confutatur.*

CALVINVS in suis commentariis in hanc epistolam, supradicta Pauli verba tractans, sic ea interpretatur, vt interpretatio eius, non solùm absurdæ sit falsitatis, verùm etiam horrendæ atque execrandæ impietatis. Ponam hic eius verba, vt sententiam eius, & impietatem lector agnoscat. Sic autem scribit: Insistere debemus in illas particulas: *Cuius vult, & quem vult.* Vltra quas procedere nobis non permittitur: vt in ea, quæ apparet inter Electos, & Reprobos, diuersitate, mens nostra contenta sit, quod ita visum fuerit DEO, alios illuminare in salutem, alios in mortem excæcare, neque superiorem causam eius voluntate inquirat. Indurandi porrò verbum (quo hîc vsus est Apostolus) cùm DEO in Scripturis tribuitur, non solùm permissionem (vt quidam volunt) sed diuinæ quoque iræ actionem significat. Nam res omnes externæ, quæ ad excæcationem reproborum faciũt, illius iræ sunt instrumenta. Satan autem ipse, qui intus efficaciter agit, ita est eius minister, vt nonnisi eius imperio agat. Corruit ergo friuolum illud effugium, quod de præscientia scholastici habent. Neque enim præuideri ruinam impiorum à DEO Paulus tradit, sed eius consilio, & voluntate ordinari. Quemadmodum & Salomon docet, non modò præcognitum fuisse impiorum interitum, sed impios ipsos fuisse destinatò creatos vt perirent. Sic enim scribit Prouerbiorum 16. *Vniuersa*

57.

Impia Caluini sententia.

propter semetipsum operatus est DOMINVS: *impium quoque ad diem malum*. Sic iste.

58.
Refutantur quatuor sententiæ Caluini.

In prædictis autem Caluini verbis quatuor sententiæ falsæ, & impiæ continentur: Prima est, DEVM esse causam efficientem indurationis: altera est, reprobos DEVM destinato creasse in damnationem, & exitium: tertia, reprobos perire, non propter eorum peccata, sed æterna DEI voluntate: quarta, diuinam Scripturam huic sententiæ suæ per Salomonem suffragari. Has eius sententias discutere singillatim oportet. Primam sententiam, quod DEI voluntas sit causa efficiens indurationis hominum, falsam esse hac vna ratione ex diuinis litteris ducta, euidenter concluditur. DEVS nullius peccati effector est: sed induratio est peccatum, & maximum quidem peccatum: ergo DEVS indurationis effector esse non potest. Huius Syllogismi maior propositio ita probatur: Dauid in Psal. 5. *Non* DEVS, inquit, *volens iniquitatem, tu es: odisti omnes qui operantur iniquitatem*. Non igitur DEVS aut vult, aut efficit peccatum. Et in libro Sapientiæ scriptum est: *Nihil odisti eorum quæ fecisti*. In eodem quoque libro capite 14. Sic est: *Odio sunt* DEO *impius & impietas eius*. Ergo, si DEVS nihil odit eorum quæ facit, odit autem peccatum, ergo non est peccati causa efficiens. Sed audi, quæso lector grauissimum Augustini de ista Caluini sententia iudicium. In eo libro, in quo respondet ad articulos quosdam sibi falsò impositos, in responsione ad 10. artic. ita scribit: Detestanda, & abominanda opinio est, quæ DEVM cuiusquam malæ voluntatis, aut malæ actionis credit auctorem. Atqui hæc ipsa est Caluini sententia. Et in responsione ad artic. 13. Nefas est, iuquit, DEO adscribere causas peccatorum, & ruinarum hominum. Caluinus contra, Fas, & pium esse dicit, omninò credere DEVM impios destinatò creasse ad hoc vt perirent.

DEVM non esse auctorem peccati.

Sap. 11.

S. Augustinus.

59.
Indurationem esse peccatum grauissimum.
Act. 7.

Minor autem illa nostri syllogismi propositio, quod induratio cordis humani sit peccatum, & quidem grauissimum peccatum, ex ipsa sacra Scriptura manifestum est. Moses enim in Deuteronomio, & Stephanus in concione quam

habuit

habuit ad Iudæos, à quibus est lapidatus, duritiam cordis exprobrant eis, tanquam grauissimum crimen. Nempe induratio, est iniquitatis consummatio, ex ingenti antecedentium peccatorum multitudine, grauitateque existens, testante hoc Hieremia capite trigesimo: *Propter multitudinem,* inquit, *iniquitatis tuæ, dura facta sunt peccata tua.* Eandemque indurationem esse abyssum iniquitatis, satis indicauit Salomon, dicens: Impium, cùm in profundum venerit peccatorum, contemnere. Idem patet ex præclara illa Bernardi descriptione cordis duri: Cor durum, inquit, dictum est, quod semetipsum non exhorret, quia nec sentit. Nemo duri cordis, salutem vnquam adeptus est, nisi quem fortè miserans DEVS, abstulit ei cor lapideum, & dedit ei cor carneum. Cor durum est, quod nec compunctione soluitur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, nec cedit minis, quin etiam flagellis duratur magis. Cor durum est ingratum ad beneficia, ad consilia infidum, ad iudicia sæuum: inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanũ ad humana, temerarium ad diuina. Cor durum, est præteritorum obliuiscens, præsentium negligens, futurorum improuidum. Cor durum est, cui præteritorum, præter solas iniurias, nihil omninò non præterit: præsentium nihil non perit: futurorũ nulla est, nisi fortè ad vlciscendũ, prospectio, atque præparatio. Et vt breui cuncta horribilis mali mala complectar: Cor durum est, quod nec DEVM timet, nec homines reueretur. Hæc Bernardus.

Locus Hierem. cap. 30.

Quid, & quale sit cor durum, ex Bernardo in primo libro de consideratione ad Eugenium.

Ezech. 36.

60.

Altera Caluini sententia, quod DEVS impios destinato creauerit ad hoc vt perirent, apertè pluribus diuinæ scripturæ sententiis aduersatur, & in primis illi sententiæ B. Petri, quæ est in capite tertio posterioris eius epistolæ: *Patienter,* inquit, *agit DEVS propter vos, nolens aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.* Ecce tibi, quàm sint contrariæ B. Petri, & Caluini sententiæ. Caluinus ait, omnes impios, qui damnantur, destinato fuisse à DEO creatos ad hoc vt damnarentur & perirent: contra verò B. Petrus affirmat, DEVM ne-

Deum voluisse creare impios vt perirent, esse contrariũ sacra Scripturæ, & rationi.

Locus 2. Petri cap. 3.

minem velle perire, sed velle omnes ad pœnitentiam reuerti. Caluino item repugnat illa DEI sententia, quam refert Ezechiel capite 18. & 33. *Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat.* Et in capite 18. *Non est* (ait DEVS) *voluntatis meæ mors impij.* Eodem spectat illud Apostoli ad Romanos 2. vbi loquens de hominibus impiis & induratis, ait: *An ignoras, quoniam benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit?* Tantum igitur abest, vt DEVS istiusmodi homines destinato creauerit vt perirent; vt nolens perire ipsos, longo tempore improbitatem eorum toleret, multaque offerat eis auxilia, quibus ad ipsum conuerti, & ad pœnitentiam adduci possent.

61. Falsam porrò esse hanc Caluini sententiam, licet etiam hunc in modum argumentari. Caluinus non negat damnationem impiorum consequi eorum peccata, & ipsa esse proximam causam eorum damnationis: neque Caluinus negare potuit, ista peccata impiorum ab æterno fuisse præscita à DEO. Aut igitur DEVS præuidens ista peccata, propter ea voluit damnare impium; sed hoc est planè contrarium Caluino, qui negat præuisionem peccatorum esse causam damnationis impiorum, sed primam & propriam causam damnationis esse voluntatem DEI, qui eos destinatò creauit ad damnationem & exitium. Aut DEVS non damnauit impium propter peccata ipsius, quod putat Caluinus: ergo quãuis nullum peccatum fecisset, nihilo minus tamen damnatus fuisset, quia ad hoc, fuerat DEI voluntate creatus. Atqui hoc impium est; & ab ipsa diuina scriptura multifariam improbatum: quin etiam contrarium ipsius Caluini, & Bezæ sententiæ, qui aiunt proximam causam damnationis impiorum, esse peccata ipsorum, & quod iure DEVS damnat induratos: nam licet ipse eos induret, eam tamen indurationem præcedit in eis peruersitas animi. Adhæc, cùm DEVS sit propensior ad miserendum, quàm ad puniendum. *Miserationes enim eius super omnia opera eius.* Et: *Misericordia DEI superexaltat iudicium.* Et: *Non concupiscit DEVS multitudinem filiorum*

Psalm. 144.
Iacobi 2.
Eccli. 15.

filiorum infidelium, & inutilium. Cùm, inquam, DEVS propensior sit ad saluandum, quàm ad perdendum, si quemadmodum mera sua voluntate prædestinat hominem ad æternam salutem, ita prædestinaret alios ad æternam mortem, alterutrum horum sequeretur, vel DEVM non esse propensiorem ad saluandum, quàm ad perdendum, quod esse ostendimus contra diuinam scripturam: vel plures essent qui saluantur, quàm qui pereunt, quod est contrarium illi scripturæ: *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Et, *Lata est via, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam.*

Math. 22. et 7.

62.

Irridet præterea Caluinus scholasticos Theologos (& hæc est tertia eius sententia) q͂ causam reprobationis, etiam quãtum ad vltimum eius effectum, qui est dãnatio ad pœnas æternas, referunt ad diuinam præscientiam peccatorum: cùm ea tamen vt ipse arbitratur, diuinæ voluntati attribui debeat. vt sicut glorificationis Sanctorum causa non sunt bona eorum merita (sic enim putat ipse) sed DEI voluntas, & beneplacitum: ita quoque damnationis impiorum causam, non tam ad eorum peccata, quàm ad voluntatem & propositum DEI referri oporteat. Sed Caluinum pluribus in locis apertè refellit sacra Scriptura, causam damnationis reproborum assignans malis eorum operibus, & peccatis, vt cùm ait: *Et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij*, id est, condemnationis. Et Dominus in extremo, & generali iudicio, damnationis reproborum ad ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius, exponit peccata eorum, præcipuè verò, quia immisericordes fuerunt. B. Augustinus reprobationis, non modò quantum ad vltimum eius effectum, qui est damnatio ad pœnas æternas, verùm etiam quantum ad primum effectum, qui est voluntas, & propositum non miserendi efficaciter ad saluandum, causam & rationem semper ad peccata hominum referre solet. Audiat lector aliquot eius sententias, quas hîc referam. In libro de bono perseuerantiæ capite 11. Inuestigabilis est, inquit, misericordia, qua, cuius

Ioan. 5.

Matth. 25.

S. Augustinus.

cuius vult, miſeretur, nullis hominum præcedentibus meritis: inueſtigabilis quoque eſt veritas & iuſtitia, qua, quem vult, indurat, propter videlicet præcedentia eius merita; ſed cum eo, cuius miſeretur, plerumque communia. Et in libro de gratia, & libero arbitrio cap. 23. Quando, inquit, auditis quod dicit Apoſtolus: *Cuius vult miſeretur, & quem vult, indurat*, in eo, quem permittit ſeduci, vel indurari, mala eius merita credite. Et in epiſtola centeſima ſexta: Propter illud, quod inconcuſſum tenetur, non eſſe iniquitatem apud DEVM; neminem obdurari niſi malis eius meritis nouerimus: quamuis nullus iuſtificetur ſuis meritis præcedentibus. Et in epiſtola centeſima quinta ad Sixtum: Quærimus, inquit, meritum obdurationis, & inuenimus: meritò namque peccati vniuerſa maſſa damnata eſt. Et paulò pòſt eodem in loco: Quibus, inquit, miſericordiam DEVS non impertitur, vt non impertiatur, merentur.

63. *Locus Prouerbiorum cap. 16.* Poſtremo loco Caluinus, etiam Salomonem ſuæ impietatis ſuffragatorem facere voluit. Nam illa eius verba: *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum*, ad comprobationem ſententiæ ſuæ detorſit, affirmans, DEVM voluntate ſua deſtinato creaſſe impium ad eum finem, vt periret. Sed vera & congrua iſtorum verborum Salomonis ſententia, & interpretatio eſt huiuſmodi; DEVM omnia quæ ſunt, ordinaſſe ad gloriam ſuam, declarando bonitatem, & ſapientiam, & potentiam ſuam. Et quia non videbatur id dici poſſe in hominem impium, quippe qui contrarius eſt gloriæ DEI, & ab ipſo DEO auerſus; ideo Salomon adiecit; etiam impium ordinatum eſſe ad gloriam DEI, eo quod, propter peccata, quib. à DEO receſſit, ordinatus eſt ad vltionem, & vindictam, & punitionem, per quam declaratur iuſtitia DEI, & DEVS ipſe glorificatur.

64. Quò autem apertius lector intelligat, hanc ſententiam Salomonis nihil adiuuare Caluini dogma, opponam hîc duorum noſtri temporis doctiſſimorum virorum Caietani, & Ianſenij iſtorum verborum interpretationes. Caietani hæc ſunt

sunt verba: Quamuis DEVS nihil propter vtilitatem propriam fecerit, quia nullius indiget; omnia tamē propter semetipsum, tanquam vltimum finem, operatus est, & operatur: incommunicabile siquidem est, esse finem vltimum: quemadmodum incommunicabile etiam est, esse primum efficiens. Et quia DEVS impios, vt impij sunt, non operatur, quia DEVS non est effector impietatis, aut cuiuscumque peccati; ideo Salomon specialiter nominauit impium, dicēdo, quod etiam impium operatus est DEVS propter seipsum, non absolutè, sed ad diem malum: quod est dicere, DEVM propter seipsum ordinare impium ad diem punitionis, & vindictæ, & pœnæ: & in hoc clarescit DEI iustitia, cui clarificandæ inseruit impius, quamuis insciens, & non volens. DEVS itaque non facit impium, sed ordinat impium ad punitionem, per quam glorificatur iustitia DEI. Sic igitur culpa ordinatur ad pœnam, & hic ordo est à DEO propter ipsum DEVM, vt finem vltimum. Ita Caietanus.

Caietanus in lib. Prouerb. Psalm. 16.

65. Iansenius porrò hæc Salomonis verba hunc in modum interpretatur: Dupliciter intelligi potest, DEVM omnia esse operatū propter seipsum: aut quod sola bonitate sua ductus sit ad faciendum omnia, nullius prouocatus meritis: Vt illa propositio (propter) causam denotet efficientem vel incitantem ad agendum. Aut dicitur DEVS propter semetipsum fecisse omnia, quia fecit omnia propter gloriam suam, & propter seipsum tanquam vltimum finem, ad quem omnia referri debent. Et posterior hic sensus cōgruentior est ei, quod proximè sequitur: *Impium quoque ad diem malum.* Nam quia eorum, quæ ad gloriam suam, DEVS fecerat, numero comprehendi non posse videbatur homo impius, vt impius est, cùm sit contra DEI gloriam, auersus à DEO, & alium sibi finem statuens: ideo adiecit Salomon, etiam impium fecisse DEVM propter semetipsum ad diem malum. Nec dixit Salomon, quod DEVS fecerit hominem impiū; ipse enim homo facit se impium, DEVS autem nullius peccati effector est: sed dixit quod DEVS hominem à seipso factum impium, opera-

Iansenius in Prouerb.

tus est, id est, ordinauit ad diem malũ, id est, ad vindictam, & punitionem debitã impietatis eius: & hoc propter seipsum, id est, ad manifestationem iustitiæ suæ in impiis, & bonitatis suæ in electis: sicut Paulus docet ad Romanos capite nono, vbi ex libro Exodi citat exemplum de Pharaone, quod hanc Salomonis sententiam planè elucidat. De illo enim dictum est: *Idcirco posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam in omni terra.* Sic Iansenius.

Exod. 10.

DVODECIMA DISPVTATIO.

Explicatur sententia B. Augustini de prima causa prædestinationis, & reprobationis hominum.

66. BEATVS Augustinus de prima causa prædestinationis, & reprobationis hominum, variis in locis acutè, copiosè, doctè, accurateq; disseruit: summa verò eius super ea re disputationis ac sententiæ, est huiusmodi: Cùm DEVS ab æterno vidisset omne genus hominum in Adam peccante, quasi in massa iniquitatis & perditionis perditum ac mortuũ, sola ductum bonitate sua, voluisse aliquos ex illa massa ereptos seruare, & ad vitã æternam perducere, prædestinando eis congrua, & efficacia gratię suæ auxilia. Alios verò in ea massa dereliquisse, & permisisse in suis peccatis perire. Hoc porrò beneficium liberationis, & vt ita loquar, saluationis, erat vtrisq; indebitum, immò vtrisque propter peccatum, quo tenebãtur, debitum erat supplicium mortis. Ergo liberatio, & electio aliquorum, diuinæ opus fuit misericordiæ: aliorum autem derelictio, & reprobatio, iustitiæ opus fuit. Sicut igitur prædestinatio hominũ ad vitam æternã, habet quidem causam meritoriã ex parte hominis,

minis, quantum ad vltimum eius effectum, qui est retributio vitæ æternæ, quam prædestinatus merito suorum operum bonorum consequitur: at verò quantum ad primum illud, quod in prædestinatione consideratur, propositum dico æternum DEI miserendi aliquorum, & liberandi eos à massa perditionis, & dirigendi ad vitam æternam; nulla est causa meritoria ex parte hominis; merita enim hominis, sunt effectus gratiæ DEI, quæ est effectus prædestinationis diuinæ. Similiter in reprobatione, quantum ad vltimum eius effectum, quæ est damnatio hominis ad pœnas æternas, est causa meritoria in homine, ipsa nimirum eius peccata: Sed quantum ad æternum DEI propositum non miserendi efficaciter aliquorum, nec dandi eis congrua, & efficacia gratiæ auxilia ad resurgendum à peccatis, & perseuerandum in bono, & consequendum vitam æternam, non videtur esse causa meritoria ex parte hominis. Nam licet ea sit iusta propter peccatum commune omnium hominum, sed quod ex eâdem massa hominum, æquè indignorum, & peccatorum, DEVS aliquorum voluerit efficaciter misereri, aliorum verò minimè, id profectò nullam videtur habere singularem & propriam ex parte hominum causam meritoriam, sed referri oportet ad solum DEI beneplacitum. 67.

Sed iuuat appositis hoc loco Augustini verbis ex responsione eius ad secundam quæstionem Simpliciani, hæc ipsa, quæ diximus, confirmare, atque illustrare. Hæc autem sunt Augustini verba: Sit hoc in mente nostra sobria pietate, ac stabili fide fixum, atque immobile; quod nulla est iniquitas apud DEVM. Atq; ita etiam firmissimè credatur, quod DEVS cuius vult, miseretur, & quem vult, obdurat; hoc est, cuius vult, non miseretur, esse alicuius occultæ, atque ab humano ingenio ininuestigabilis æquitatis, quam & in ipsis rebus humanis, terrenisq; contractibus animaduertere licet. Cùm enim dando, & accipiendo hominũ inter se societas connectatur, dentur autem & accipiantur, vel debita, *S. Augustinus.*

 vel

vel non debita, quis non videat iniquitatis argui neminem posse, qui quod sibi debetur, exegerit? nec eum quoque, qui quod sibi debebatur, donare voluerit debitori? Hoc autem non est in eorum, qui debitores sunt, sed in eius cui debetur arbitrio. Sunt igitur omnes homines, qui per Adam & iniquitatis, & mortis facti sunt rei, vna quædam massa peccati, supplicium debens diuinæ iustitiæ: quod siue exigatur, siue donetur, nulla est iniquitas. A quibus autem exigendum, & quibus donandum sit, superbè iudicant debitores: quemadmodum conducti ad illam vineam, iniustè indignati sunt, quod tantundem aliis donaretur, quantum ipsis reddebatur: & ideo paterfamilias dixit illis: *Non licet mihi quod volo facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Hæc Augustinus.

Matth. 20.

68. Sciat porrò lector, causam reprobationis hominum, posse dici iustam ex parte hominum, & licet non sit iusta, non esse tamen iniustam, & nullam esse causam reprobationis ex parte hominum: hæc, inquam, tria verè dici possunt de reprobatione, si variè consideretur homo. Potest enim considerari homo, vt reuera est, ex Adamo propagatus, in massa velut quadã iniquitatis & perditionis, ob originale videlicet peccatum: & ita iustam causam habet DEVS reprobandi aliquos, cùm omnes, quantum in ipsis est, iustè posset reprobare. Posset etiam cõsiderari homo in puris naturalibus, id autem est, & sine peccato vllo, & sine gratia: nam quamuis nunquam homo fuerit talis, potuit à DEO tamen talis creari; cum gratia, in qua creatus est, indebita fuerit naturæ humanæ. Secundum hanc considerationem hominis, non esset vlla ex parte ipsius iusta causa reprobationis, quippe quæ est peccatum: si tamen DEVS istiusmodi hominem reprobaret, non nolens ei dare vitam æternã; nullam profectò iniuriã illi faceret, quod vita æterna sit donum DEI supernaturale, ob idque indebitum homini. Reprobatio itaque ex parte istius hominis, nec iusta foret, nec iniusta. Postremò, cum oẽs homines ex Adamo propagati, æqualiter sint in massa iniqtatis, & pditionis,

&

& æqualiter indebita sit illis vita ęterna: quòd aliquos eorum DEVS ex illa massa eripere, & ad vitam æternam perducere velit; alios verò in ea massa derelinquens, ad vitam æternam non peruenire permittat, nullam videtur habere causam ex parte hominum, quorum, vt diximus, æqualis est conditio: sed referri oportere ad beneplacitum DEI. Quamuis ex parte DEI possit idonea ratio reddi tanquam causa finalis, quæ est DEI gloria: ea namque manifestatur in prædestinatione bonorum, quia sic erga illos eximia DEI misericordia declaratur: & in reprobatione malorum per iustitiam, quam ostendit in damnatione impiorum. Et hoc ipsum docuit nos Paulus illis verbis: *DEVS volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta ad interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.*

Cur DEVS aliquos eligat, & aliquos reprobet.

69. Secundum igitur doctrinam Augustini, reprobatio hominum, simpliciter quidem iustam causam habet, ipsorum scilicet peccata: quantum quidem ad primum effectum reprobationis, qui est non misereri eorum efficaciter, causam habet peccatum originale; quantum verò ad vltimum effectum reprobationis, qui est damnatio hominis ad pœnas æternas, causam habet propria ipsorum peccata. Vnde Augustinus in epist. 106. Si DEVS, inquit, quenquam immeritum damnaret, immunis ab iniquitate non crederetur. Et libr. 3. contra Iulianum cap. 18. Bonus est DEVS, iustus est DEVS: potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest quenquam sine malis meritis damnare, quia iustus est, sed cur potius priuatim, & propriè hunc hominem prædestinet, illum verò reprobet, loquendo de primo effectu prædestinationis, & reprobationis, qui est diuina voluntas miserendi aliquorum efficaciter, aliorum verò minimè, nulla secundum Augustinum potest à nobis reddi causa. Audiat lector aliquot super ea re B. Augustini sententias. In capite 11. libri de bono perseuerantiæ sic ait: Cur illis potius, quàm illis detur misericordia, quis cognouit sensum Domini?

Cur DEVS hũc hominem eligat, & alium reprobet. An possit reddi ratio.

S. Augustinus.

Ad Rom. 11.

ni? Et in epist. 105. cur illum potius, inquit, quàm illum liberet, aut non liberet, scrutetur, qui potest, iudiciorum eius tam magnum profundum: veruntamen caueat præcipitium. Et in responsione ad secundam quæstionem Simpliciani: Quare huic ita, & huic non ita? Homo, tu quis es qui respondeas DEO? Et cur isti sic, illi aliter, atque alij aliter vocentur, vt reformentur, Absit vt dicamus iudicium luti esse sed figuli. Et in tractatu 26. in Euangelium Ioannis, habet illam satis celebrem sententiam: Quare hunc DEVS trahat, & illum non trahat, noli velle diiudicare, si non vis errare.

70. B. Thomas, secutus, vt ferè solet, Augustinum, supradictā eius doctrinam, & sententiam, & argumentis, & similitudinibus rerum naturalium, & artificialium confirmat, atque illustrat, ita scribens in prima parte quæst. 23. artic. 5. in responsione ad tertium: Ratio prædestinationis aliquorum, & reprobationis aliorum, sumi potest ex ipsa bonitate diuina. DEVS enim omnia fecit propter suam bonitatem, vt in rebus à se conditis bonitas sua repræsentetur. Sed quia DEI bonitas in se est vna & simplex; nec res creatæ ad simplicitatem diuinam attingere possunt; necesse est bonitatem DEI multiformiter in rebus ipsis repræsentari. Et inde est, quod ad complementum vniuersi, requiruntur diuersi gradus rerum, quarum quædam altum, & quædam infimum locum tenent in vniuerso: & vt talis multiformitas graduum cōseruetur in rebus, permittit DEVS aliqua mala fieri, ne multa bona impediantur. Debemus porrò considerare totū genus huumanum, sicut totam rerum vniuersitatem. Voluit itaq; DEVS in hominibus, quantum ad aliquos, quos prædestinat, suam repræsentare bonitatem per modum misericordię parcendo illis: quantum verò ad alios, quos reprobat, ostendi bonitatem suam per modum iustitiæ, puniendo eos. Et hæc est ratio quare DEVS quosdam eligit, & quosdam reprobat. Quam causam assignat Apostolus ad Rom. capite 9. dicens. *Voluit DEVS ostendere iram, & notam facere potentiam suam, &c.* Et in cap. 2. poster. epist. ad Timoth. *In magna*, inquit, *domo*

S. Thomas.

non

non solùm sunt vasa aurea, & argentea, sed etiam lignea, & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam verò in contumeliam. Sed quare hos elegit in gloriam, & alios reprobauit, non habet rationem nisi diuinam voluntatem. Vnde Augustinus dixit: Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli velle diudicare, si non vis errare. Sicut etiam in rebus naturalibus, cùm tota materia prima sit vniformis, cur vna pars eius sit sub forma ignis, & alia sub forma terræ, illa potest assignari ratio, vt esset diuersitas specierum in rebus naturalibus. Sed cur hæc pars materiæ sit potius sub forma ignis, & illa sub forma terræ, id pendet solum à simplici voluntate DEI. Sicut etiam à voluntate artificis pendet, quod hic lapis sit potius in hac parte parietis, & ille in alia: quamuis ratio artis postulet, vt alij lapides sint in vna parte ædificij, & alij in alia. Neque verò propter hoc est iniquitas apud DEVM quod æqualibus tribuat inæqualia: hoc enim esset contra iustitiæ rationem, si prædestinationis effectus ex debito redderetur, & non daretur ex gratia. In his etenim, quæ dantur ex gratia, potest quis pro sua voluntate dare cui vult, vel plus, vel minus, sine præiudicio iustitiæ. Et hoc est quod dicit Paterfamilias: *Tolle quod tuum est, & vade: an non licet mihi quod volo facere?*

Matth. 20.

71. *An reprobationis quantũ ad primũ eius effectum, causa propria sit peccatũ originale. S. Augustinus.*

Illud denique in extremo huius disputationis loco admonendus est lector, B. Augustinum, vbicumq; declarat rationem & causam cur iusta sit hominum reprobatio, eam referre solere ad peccatum originale, quo vniuersum genus hominum ab exordio generationis suæ, inquinatum est atque obnoxium diuinæ vindictæ. Verùm ea ratio, videri posset, non esse propria, &, vt vocant, adæquata reprobationis causa, Nullus enim Angelorum habuit peccatum originale; immò conditi omnes à DEO sunt cum gratia: eorum tamen aliqui prædestinati sunt, & alij aliqui reprobati. Ac licet diuersa sit natura Angeli, & hominis, quod tamen attinet ad supernaturalia, id est, ad gratiam, & gloriam, eadem vtriusque ratio est. Deinde si Adam non peccasset, posteri eius non habuissent peccatum originale: quare in illis reprobatio non fieret

fieret ob peccatum originale. Si etiam DEVS creauisset homines in puris naturalibus, nihilominus aliquos eorum prædestinasset ad vitam æternam, & alios reprobasset: neque tamen eorum reprobatio facta esset ob peccatum originale. Quapropter B. Thomas, vbi rationem & causam exponit reprobationis, non eam refert ad peccatum originale, sed ad diuinam prouidentiam, cuius partes sunt prædestinatio, & reprobatio. Pertinet autem ad rationem diuinæ prouidentiæ, vt in iis, quæ ipsi subiecta sunt, & sua natura sunt defectibilia, aliqua perducat ad vltimum finem suum, alia verò permittat à fine deficere. In creaturis porrò intellectu, & volũtate præditis, DEI voluntas perducendi res ad vltimum finem, vocatur prædestinatio: DEI autem voluntas permittendi alias deficere ab vltimo fine, & cadere in peccata, & propter peccata punire eas, appellatur reprobatio. B. Thomæ in prima parte quæst. 23. artic. 3. verba sunt huiusmodi: Dicendum est, quod DEVS aliquos reprobat. Prædestinatio enim, & reprobatio partes sunt diuinæ prouidentiæ: pertinet autem ad prouidentiam permittere aliquem defectum in rebus prouidentiæ subiectis. Vnde cùm per diuinam prouidentiam homines in vitam æternam ordinentur, pertinet etiam ad DEI prouidentiam, vt permittat aliquos ab isto fine deficere. Sicut igitur prædestinatio est pars prouidentiæ respectu eorum, qui diuinitus ordinantur in æternam salutem: ita reprobatio est pars prouidentiæ, respectu illorum, qui ab hoc fine decidunt. Vnde reprobatio non nominat præscientiam tantùm, sed aliquid addit secundum rationem. Sicut enim prædestinatio ex parte DEI prædestinantis includit voluntatem conferendi gratiam & gloriam: ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa. Hæc B. Thomas.

S. Thomas.

S. Thomas.

DECI-

DECIMATERTIA DISPVTATIO.

Quomodo supradicta B. Augustini sententia de causa prædestinationis & reprobationis hominum fuerit olim à multis oppugnata, & de eius propugnatione & defensione.

VBI scripta B. Augustini de prædestinatione, & reprobatione foras prodierunt, & per Ecclesias CHRISTI diuulgata sunt, multos, etiam Catholicos, & doctos viros valde conturbarunt: inprimis autem Ecclesiam Massiliensem, & alias quæ erant in Gallia Ecclesias. Visa est enim illis Augustini doctrina non solùm dura admodum & aspera, sed etiam tam iustis, quàm peccatoribus perniciosa: quippe quæ & lapsis curam resurgendi adimeret, & Sanctis occasionem torpendi afferet, eo quod in vtramque partem, secundum istam doctrinam, labor & cura sit hominum superflua cùm neq; reprobus vlla industria possit in cœlum intrare: nec prædestinatus vlla negligentia inde possit excludi. Videat lector epistolas, quas ad ipsum Augustinum super ea re scripserunt, Prosper Episcopus Rhegiensis, & Hilarius Episcopus Arelatensis. Faustus certè in Gallia Episcopus; Augustinum propterea, tacito eius nomine, vehementer insectatur: in libro enim 2. de gratia DEI, & libero arbitrio, appellat sententiã eius, gentilitiæ persuasionis impietatem, vtpotè per quam auferatur omnino futuri causa iudicij. Eam quoque sententiam obliquè videtur carpere S. Hieronymus ita scribens in epist. 150. in respons. ad 10. quæst. Legi, inquit, in cuiusdam commẽtariis sic respondisse Apo-

72.

Faustus in Augustinum.

S. Hieronymus.

ſtolum, vt magis implicauerit, quàm ſoluerit quæſtionem Ait enim ad id, quod propoſuerat: *Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas eſt apud* DEVM? Et, *Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis* DEI. Et, *Cuius vult, miſeretur, & quem vult, indurat*: Et, *Voluntati eius quis poteſt reſiſtere*? Ad iſta putat ſic Apoſtolum reſpondiſſe: O homo, qui terra, & cinis es, audes tu facere quæſtionem DEO? & vas fragile atque teſtaceum, rebellas contra figulum tuum? Nunquid figmentum poteſt dicere ei, qui ſe finxit: Quare me ſic feciſti? An figulus poteſtatem non habet ex eadem luti maſſa facere aliud vas in honorem, & aliud in contumeliam? Æterno igitur ſilentio conticeſce, & agnoſce fragilitatem tuam, & DEO ne moueas quæſtionem, qui fecit quod voluit, vt in alios clemens, in alios ſeuerus exiſteret. Hęc Hieronymus. Quibus verbis perſtringi videtur Auguſtini ſententia, diſcretionem Electorum, ac Reproborum ad ſolum DEI beneplacitum referentis.

75.
Argumenta contra ſententiam Auguſtini.

Argumentorum porrò, quibus Auguſtini ſententia oppugnatur, hæc mihi maioris eſſe videtur roboris, & quæ ſententiam eius ſequentibus, plus negocij faceſſere poſſunt. Ac primò quidem prædeſtinationem bonorum, & reprobationem malorum non à ſolo DEI beneplacito prouenire, ſed ob præuiſionem operum bonorum, vel malorum, quæ facturi ſunt homines, argumentari licet hoc modo: DEVS pro immenſa bonitate ſua, propenſior eſt ex ſe ad ſaluandum, quàm ad perdendum, & ad miſericordiam, quàm ad iuſtitiam vltricem, & vindicatricem. Nam vt ait Scriptura: *Miſericordia ſuper exaltat iudicium*: Et, *Miſerationes eius ſuper omnia opera eius*. Et Eccleſia canit DEO: *DEVS, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere*. Si prædeſtinatio igitur, & reprobatio à DEI voluntate, & beneplacito tantùm pendent, & DEVS ſua voluntate quos vult, eligit, & quos vult, reprobat, conſentaneum profectò, & condignum diuinæ bonitati erat multò plures eligere & ſaluare, quàm reprobare ac damnare; cùm tamen contra eueniat: multò etenim plures damnantur & pereunt, quàm æternam ſalutem & vitam conſequantur.

1. Argum.

Iacobi 2.

tur. Ex quo apparet discretionem electionis ac reprobationis hominum, non primò ex DEI beneplacito, sed ex præuisione operum, quæ facturi sunt homines, prouenire.

74. Ad 1. Argum. respondet S. Thomas.

Hanc ipsam rationem siue obiectionem commemorat, & soluit B. Thomas in 1. parte quæst. 23. artic. 7. Exponit autem istam obiectionem his verbis: Operatio DEI est perfectior, quàm operatio naturæ: Sed in operibus naturæ bonum inuenitur vt in pluribus: defectus autem, & malum, vt in paucioribus: ergo si DEI voluntate constitueretur numerus saluandorum, plures essent saluandi, quàm damnandi. Cuius contrarium ostendunt verba illa Domini Matth. 7. *Lata & spatiosa est via qua ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam: angusta est porta, & arcta via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam.* Huic rationi, siue obiectioni Angelicus Doctor ita respondet: Bonum proportionatum communi statui naturæ accidit in pluribus, & deficit in paucioribus rebus. Sed bonum, quod excedit communem statum naturæ, inuenitur in paucioribus, & deficit in pluribus. Quod etiam hinc patet: plures enim homines sunt, qui habent sufficientem scientiam ad regimen vitæ suæ: pauciores autem sunt, qui hac scientia carent, qui moriones, vel stulti vocantur: sed paucissimi sunt respectu aliorum, qui attingunt ad habendam profundam scientiam intelligibilium rerum. Cùm igitur beatitudo æterna in visione DEI consistens, excedat communem statum naturæ humanæ, præsertim verò, vt est gratia destituta per corruptionem originalis peccati; idcirco pauci sunt qui saluantur. Et in hoc etiam clarissimè misericordia DEI apparet, quod alios in viam salutis erigat atque dirigat, à qua plurimi deficiunt secundum communem cursum, & inclinationem naturæ. Hæc S. Thomas. Minor itaque pars hominum hoc donum prædestinationis & electionis à DEO accepit: ne fortè, si aut omnes, aut plures prædestinarentur, putaretur istud bonum esse debitum homini, tanquam ad naturalem eius integritatem, & perfectionem pertinens. Nunc autem, quia pauciores sunt qui prædestinantur; ipsa eorum raritas, & paucitas apertè o-

ſtendit, eſſe donum ſupernaturale, ac prorſus indebitum: eoque pretioſius & amabilius habetur, magiſque ſic commendatur DEI bonitas, & miſericordia in his, quibus tantum donum, & bonum largiri voluit.

75. *Secundum argumentum.* Altera, quæ Auguſtini ſententiæ opponitur, ratio eſt huiuſmodi: ſi DEVS ex ſe, ſuaque voluntate, non autem ob præuiſa hominum peccata reprobaret aliquos, & à vita æterna excluderet: fruſtrà igitur DEVS de huiuſmodi peccatoribus, dum viuerent, conquerebatur: fruſtrà illos corripiebat, & ad pœnitentiam inuitabat. Sicut cùm Dominus dicebat Iudæis ſub nomine Hieruſalem: *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat filios ſuos ſub alas, & noluiſti?* (*Matth 23.*) Si DEVS iſtos homines ab æterno excluſit à gloria cœleſti, fruſtrà igitur erat illa DEI vocatio, promiſſio, conqueſtio, obiurgatio: fruſtrà Paulus commendaret benignitatem, & longanimitatem DEI diu ſuſtinentis peccatores, & ad pœnitentiam adducentis? (*Ad Rom. 2.*) Quid enim aliud iſta eſſent, niſi quædam ſimulatio, & fictio, & quaſi fucus ad illudendos homines? Nimirum iſtiuſmodi rebus præſeferret DEVS dare ſe velle iſtis vitam æternam, quam tamen ab ęterno ipſe decreuit non dare illis: & oſtenderet, poſſe illos ſi vellent, ſaluari, nec per ipſum ſtare, quo minus ſaluentur: cùm tamen, contra res ſe habeat.

76. Huic rationi ita reſpondere licet: B. Paulum hanc ipſam obiectionem & animo vidiſſe, & oppoſuiſſe ſibi illis verbis: *Quid adhuc quæritur? Voluntati enim eius quis reſiſtit?* Quam tamen rationem Apoſtolus refellens, & iſtos nimium curioſos inquiſitores, & ſcrutatores conſiliorum DEI compeſcens atque redarguens reſpondit: *O homo, tu quis es qui reſpondeas DEO?* Non negauit Paulus prædeſtinationem, & reprobationem, quantum ad primum vtriuſque effectum, ſolo DEI beneplacito fieri: nec dixit cauſam vtriuſque apud DEVM eſſe præuiſionē futurorum operum; ſi enim id ſenſiſſet & dixiſſet Apoſtolus, nullum reliquiſſet locum iſti obiectioni curioſorum hominum: ſed quia id pendebat ab incomprehenſibili

DEI

DEI iudicio, & beneplacito, venerãdo potius homini quàm perſcrutando; idcirco pauciſſimis verbis curioſas & ſuperbas huiuſmodi ſcrutationes, & obiectiones redarguit.

77. *S. Auguſtinus.*

Beatus certè Auguſtinus ſuper hac ipſa re diſſerens in reſponſione ad ſecundam quæſtionem Simpliciani, ita ſcribit: Conqueritur DEVS iuſtè de peccatoribus, tanquam de iis, quos peccare ipſe non cogit: ſimul etiam, vt ij, quorum miſeretur, hanc quoque habeant vocationem; vt cùm conqueritur DEVS de peccatoribus, illi compungantur corde, & ad eius gratiam conuertantur; & ſic impleatur quod ſcriptum eſt: *Iuſtus manus ſuas lauat in ſanguine peccatoris.* id eſt, mundatur ab operibus malis per timorem DEI, cùm videt ſupplicia peccatorum. Sic Auguſtinus. Itaque illa, quæ DEVS agit erga peccatores, verè ac iuſtè fiunt: nam licet reprobi non ſint voluntate ſua reprobati, quod attinet ad primum reprobationis effectum, voluntariè tamen peccant, & poſſunt hoc atque illud peccatum vitare. Deinde illa proſunt reprobis, ſi non vt nunquam peccent, ſaltem vt nõ tam frequenter, nec tam grauiter peccent; vel ne valde noceant ſocietati hominum, præſertim verò electorum. Denique, cùm prædeſtinati & electi, dum ſunt in hac vita, indiſcretè ſociati ſint & permiſti reprobis; indifferenter & promiſcuè dicuntur illa, & referuntur ad omnes peccatores, tam prædeſtinatos, quàm reprobos, licet diuerſos in illis operentur effectus.

Locus Pſal. 57.

78. *Tertium argumentum.*

Illa demùm aduerſus Auguſtini ſententiam fortis admodum videtur nonnullis obiectio, & ratio. Aiunt enim iſtam ſententiam Auguſtini adigere homines ad deſperationem, & à benè agendo retrahere: quilibet enim, ſecundum iſtam ſententiam, certus & ſecurus eſt, ſiue benè, ſiue malè vixerit, ſe nequaquam mutaturum æternam DEI voluntatem, qua iam ab æterno vel reprobatus à DEO, vel prædeſtinatus eſt. Atque hoc contra Auguſtinum vehementer vrget Catharinus, qui in ſuis commentariis in hanc epiſtolam ſuper illis Apoſtoli verbis, quæ ſunt in hoc nono capite: *Iacob dilexi, E-*

Catharinus.

Esau autem odio habui, vigintiquinque aduersum sententiam Augustini coaceruauit argumenta. Sed istę obiectiones aduersus Augustinum, nō sunt nouæ, nec recens inuentæ à Catharino, vel aliis huius temporis: sed ista ipsa olim, viuente etiam tum Augustino, à Massiliensibus, aliisq; Galliæ Episcopis, aduersus ipsum obiectæ sunt. Ea tamen nihil mouerunt Augustinum, quo minus sententiam suam constanter tueretur, & perseueranter teneret vsque ad mortem: neq; scandala, si quæ ob id oriebantur, & nonnullis accidebant, curanda esse putauit, indicans esse passiua, vt quæ ex inscitia veritatis, & imperitia diuinarum scripturarum nascerentur. B. quoque Thomas non minori pietate ac religione, quàm ingenio & doctrina præditus, istiusmodi obiectionibus atq; offensionibus & scandalis nihil perturbatus aut motus est, nec ab Augustini sentētia deduci potuit. Quinetiam ipsemet Apostolus, qui tam religiosè curabat, & cauebat, ne cui scandalum daret, vt affirmaret se nunquam carnes manducaturū, si ob id quisquam fidelium scandalizandus esset: hanc tamen doctrinam prædestinationis, & reprobationis hominum, licet videret offensioni, & scandalo fore multis, veritatis, & diuinæ scripturæ ignaris; eam tamen & apertè, & affirmatè, & enucleatè tradere voluit; nec dubitauit illas sententias scriptas in hac epistola relinquere: *Miserebor cui miserebor. Non volentis, neque currentis, sed miserentis est DEI. Cuius vult miseretur, & quem vult, indurat. An non habet potestatem figulus luti, ex eâdem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in cōtumeliam? Si DEVS volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, &c.*

1. Cor. 8.

79\. Sit quasi clausula huius disputationis, quoddam Caietani adnotamentum super illis Apostoli verbis: *Quod si DEVS volens ostendere iram suam, & notam facere potentiam suam, &c.* Ait enim, duo esse in sacris litteris planè certa & indubitata: quorum vnum est, homines à DEO prædestinatos & electos ad vitam æternam, necessariò (necessitatem dico infallibilitatis) eam consequi, nec perire posse: Reprobos item, & vt vocant,

Notabilis Caietani sententia.

præſcitos, neceſſariò non peruẽturos ad vitam æternam, ſed perituros. Alterum eſt, quemlibet hominem eſſe liberi arbitrij ad eligendum quodcumq; voluerit, ſiue bonum, ſiue malum: & nulli hominum facienti quantum in ipſo eſt, defore gratiam DEI, quæ ſaluare ipſum poſſit; & hominem ſaluari, & damnari ob ſua opera. Hæc itaq; duo ſatis manifeſta ſunt, & ex ſacris litteris, & ſecundum rectam rationem, nec difficilia ſunt ad intelligendum: verùm quo tandem vinculo, ſiue glutino connectantur iſta, & copulentur inter ſe, videtur incomprehenſibile eſſe homini in hac vita. Quare ſi quis rogaret me (ait Caietanus) vt oſtenderem connexionem iſtorum inter ſe, equidem reſponderem, ſcire me, quod verum vero non eſt contrarium: ſed neſcire, quemadmodum iſta duo inter ſe ſocientur: ſicut neſcio myſterium TRINITATIS, & incarnationis, quæ tamen credo: Et ſicut credo alia fidei myſteria, ita & credo hæc myſteria prædeſtinationis & reprobationis. Meum eſt tenere, quod mihi certum eſt, vti libero arbitrio, & reliquis bonis à DEO mihi conceſſis, omni ſtudio ad conſequendam vitam æternam: & expectare vt videam in Patria myſterium diuinę electionis, & reprobationis, mihi nunc ignotum, ſicut & reliqua fidei myſteria. Hæc ignorantia quietat intellectum meum. Et quia ignoratur hæc, quam dixi, connexio humanæ libertatis cum neceſſitate diuinæ prædeſtinationis, & reprobationis, propterea non poteſt plenè ſatisfieri curioſæ illi argumentationi: ſi ſum prædeſtinatus, infallibiliter ſaluabor: ſi ſum præſcitus, infallibiliter dãnabor. Neq; curo an id euenturũ ſit vel neceſſariò, vel cõtingenter; ſatis mihi eſt, id euenturum eſſe infallibiliter, quocumq; modo eueniat. Propterea, inquam, non poteſt plenè ſatisfieri huiuſmodi quæſtioni, quia non poteſt liquidò intelligi, quemadmodum benè copulẽtur inter ſe neceſſitas ſiue infallibilitas diuinæ electionis, cum libertate humanæ voluntatis. Hactenus ex Caietano.

IN CAPVT DECIMVM DISPVTATIONES QVATVOR.

CAPVT X.

Versu 1. FRATRES, voluntas quidem & obsecratio ad DEVM fit pro illis ad salutem. 2. *Testimonium enim perhibeo illis, quod æmulationẽ DEI habent, sed non secundum scientiam. 3. *Ignorantes enim iustitiam DEI, & suam quærentes statuere, iustitiæ DEI non sunt subiecti. 4. *Finis enim legis, CHRISTVS ad iustitiam omni credenti. 5. *Moyses enim scripsit, quoniam iustitiam quæ ex lege est, qui fecerit homo, viuet in ea. 6. *Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo: quis ascendet in cœlum? (Deut. 30. c. 12.) id est, CHRISTVM deducere: 7. *Aut quis descendet in abyssum? hoc est CHRISTVM à mortuis reuocare. 8. *Sed quid dicit scriptura? Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est verbum fidei quod prædicamus. 9. *Quia si confitearis in ore tuo, Dominum IESVM, &

in

in corde tuo credideris, quod DEVS illum ſuſcitauit à mortuis, ſaluus eris. 10. *Corde enim creditur ad iuſtitiam : ore autem confeſſio fit ad ſalutem. 11. *Dicit enim ſcriptura: Omnis qui credit in illum, non confundetur. 12. *Non enim eſt diſtinctio Iudæi, & Græci: nam idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum. 13. *Omnis enim quicumque inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. 14. *Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierũt? Quomodo autem audient, ſine prædicante? 15. *Quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur? ſicut ſcriptum eſt, Quàm ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona? 16. *Sed non omnes obediunt euangelio. Iſaias enim dicit: Domine quis credidit auditui noſtro? 17. *Ergo fides ex auditu, auditus aũt per verbum CHRISTI. 18. *Sed dico, Nunquid non audierunt? 19. *Et quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. 20. *Sed dico: Nunquid Iſraël non cognouit? Primus Moyſes dicit: Ego ad æmulationem adducam in non gentem: in gentem inſipientem, in iram vos mittam. 21. *Iſaias autem audet & dicit: Inuentus ſum à non

Iſaia 52. b. 7. Nahum. 1. d. 15.

Iſaia 53. 1. a.

Deut. 32. c. 21.

Eſa. 65. a.

quærentibus me: palam apparui iis, qui me non interrogabant. 22. * Ad Iſraël autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum nō credentem, & contradicentem mihi.

PRIMA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Verſu 4. & 5. FINIS enim CHRISTVS ad iuſtitiam omni credenti. Moyſes enim ſcripſit, Quoniam iuſtitiam, quæ ex lege eſt, qui fecerit homo, viuet in ea.

1. PROXIME antè dixerat Apoſtolus, Iudæos iuſtitiam DEI ignorantes, & ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ DEI non eſſe ſubiectos: & paulò ſuprà dixerat, Iudæos ſectando legem iuſtitiæ, ad legem iuſtitiæ non perueniſſe, quia eam non ex fide, ſed quaſi ex operibus ſectabantur. Ex quo apparet, ait Caietanus, Paulum duplicem facere iuſtitiam, alteram Iudaicam, & quæ ex lege eſt; alteram, iuſtitiam DEI, & quæ ex fide CHRISTI eſt. Eſt autem iuſtitia DEI, iuſtitia ſatisfactoria DEO pro peccatis humani generis per mortem CHRISTI: & hæc vocatur & Iuſtitia DEI, & iuſtitia fidei, ſiue ex fide. Iuſtitia verò iudaica, & legalis, poſita erat in externa quadam obſeruatione præceptorum legis, ceremonialium, iudicialium, & moralium. Iuſtitiam porrò DEI, quam ſolus CHRISTVS exercuit, & exhibuit, increduli Iudæi ignorauerunt: & ſectando tantùm legem Moyſis, ſolam iuſti-

iustitiam legalem stabilire curabant, tanquam sufficientem ad comparandam salutem, sine iustitia DEI per CHRISTVM facta. Et idcirco Apostolus dixit, eos noluisse subiici iustitiæ DEI, quia repudiarunt fidem CHRISTI, in quem dignè credendo, quisque subiicitur DEI iustitiæ. Quanta porrò in veritatis ignoratione, atque errore isti versarentur, indicat Paulus his verbis: *Finis legis CHRISTVS ad iustitiam omni credenti.* Si enim Iudæi quærebant assequi iustitiam, quam præscribebat, & præcipiebat lex, oportebat eos amplecti fidem CHRISTI, quam tamen ipsi repudiabant, & abiiciebant. CHRISTVS enim erat finis legis, ad quē scilicet vniuersa lex ordinabatur, & ad quē lex Iudæum, tanquam pædagogus ducebat, demonstrans se iuuare non posse homines ad implenda legis præcepta, & comparandam iustitiam, sed in adiutorium homini dari per gratiā DEI impetratam, & apprehensam per CHRISTI fidem.

Ad Galat. 4.

2. *Quomodo Christus sit finis legis.*

Verùm paulò expressius dicamus, quemadmodum finis legis sit CHRISTVS. Vocabulum, *finis*, dupliciter hoc loco interpretari licet: vel pro extremo, ad quod referuntur cetera; vt sit hic sensus: Non est data lex, quæ per se iustificet hominem, sed quæ hominem ordinet, & dirigat, & quasi pædagogus ducat ad CHRISTVM, vt per eius fidem iustificetur. Sciēdum est (ait super hoc loco B. Thomas) quod, sicut Philosophi dicūt, intentio cuiuslibet legislatoris est, facere homines iustos. Vnde multò magis lex vetus, quæ hominib. diuinitus data fuerat, ordinabatur ad faciendū homines iustos. Hāc tamen iustitiam lex per se præstare homini non poterat, quia neminē ad perfectum adduxit lex, vt dixit Apostolus ad Hebręos 7. sed lex ordinabat hominē in CHRISTVM, quem promittebat, & præfigurabat secundū illud ad Gal. 3. *Lex pædagogus noster fuit in CHRISTO, vt ex fide iustificemur.* Hæc B. Thomas. Altero modo licet interpretari vocabulum, *finis*, pro cōsummatione, & perfectione legis: vt sit sensus: per CHRISTI fidē impetrari gratiā, per quam lex consummetur, & impleatur, & sine qua lex impleri, & cōsummari nō potest, secundū illud, ꝙ Paulus suprà dixit cap. 8. illis verbis: *Quod impossibile*

S. Thomas.

erat legi, in quo infirmabatur per carnem, DEVS FILIVM suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio DEI impleretur in nobis. Vtramque supradictam interpretationē admittit vocabulum latinum, *finis.* Sed maximè græcum vocabulum τέλος, quod & extremum significat, & consummationem, atque absolutionem rei. Nam quod perfectum est, atque omnibus quæ requiruntur absolutum, Græci τέλειον vocant.

3. Sequitur illud: *Moyses enim scripsit: Quoniam iustitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo, viuet in ea.* Potuisset Apostolus ad ostendendum, firmandumq; discrimen inter iustitiam ex lege, & iustitiam fidei, manifesta testimonia Prophetarum afferre: sed, consulta opera, vsus est testimonio sumpto ex lege Mosis, vt Iudæos doceret, ab ipso etiam Moyse, discrimen hoc inter iustitiam ex lege, & ex fide, fuisse traditū. Testimonium autem Mosis, quod citat Paulus, sumptum est ex ca.18. Leuitici, vbi sic est: *Custodite leges meas atq; iudicia, quæ faciens homo, viuet in eis.* Vnde sumpsit Ezechiel illud, quod scripsit cap. 20. *Iudicia mea proiecerunt, quæ faciens homo, viuet in eis.* Verùm quod attinet ad lectionem huius loci, sciat lector, græcos codices diuersam habere lectionem, hanc scilicet: *Moyses enim scripsit iustitiam quæ ex lege est, quod qui fecerit homo, viuet in eis.* Et lectionem hanc interpretantur Chrysostomus, Theophylactus, & Oecumenius: cui lectioni fauet locus epist. ad Galat. cap.3. vbi hæc ipsa sententia conuenienter lectioni græcæ ponitur. Et verò ea lectio congruentior videtur loco Leuitici, vnde sumpta est. Quam ob causam putauit Adamus, latinam lectionem huius loci, à scribis esse deprauatam, verbis nonnullis malè transpositis. Sed enim latinam lectionem habet, & interpretatur Augustinus in libro de spiritu & littera, cap. 29. & Origenes explanans hunc locum, videtur ei lectioni suffragari. Istius porrò lectionis græcę, quam multi sequuntur, hæc est sententia: Iustitiam, quæ ex lege est, ita descripsit Moyses, quod qui fecerit hæc, id est, legis mandata, viuet in eis, id est, per eorum obseruationem, vita perfruetur.

Adamus Sasbout.

B. Augustinus.

Origenes.

fructur. Latinæ autem lectionis hic est sensus: Moyses enim scripsit, quod qui fecerit iustitiam legalem, viuet in ea, id est, secundum, vel per eius obseruationem viuet.

4. Sed quid est istud. *Viuet in ea*, vel, *in eis?* Id duplicem habere potest interpretationem, vt prima interpretatio sit huiusmodi: *Viuet in ea*, id est, seueritas legis, pœna mortis eum non plectet, tanquam transgressorem, sed præsenti vita perfruetur: nam in lege veteri, complurium præceptorum eius violatio, pœna mortis vindicabatur. Vnde Apostolus ad Hebr. capit. 10. *Irritam*, inquit, *faciens quis legem, sine vlla miseratione, duobus, vel tribus testibus moritur.* Altera interpretatio sic habet: *Viuet in ea*, id est, obseruando legem, vitam aget quietam, & iucundam, & abundantem bonis temporalibus, quæ DEVS obseruatoribus legis suæ plurima, & amplissima promisit, vt proditum est in capite 26. Leuitici, & ca. 28. Deuter. Non significari autem vitam spiritualem, nedum æternam, eo quod dictum est, *Viuet in ea*, inde palam est, quod Apostolus tam in hoc loco, quàm in 3. cap. epist. ad Galat. distinguit iustitiam ex lege, à iustitia ex fide, docens esse diuersas admodum, & non per illam, sed per hanc iustificari hominem: at de illa dixit: *Quod qui fecerit illam homo, viuet in ea.* Constat autem, obseruationem legis factam sine fide, & gratia DEI, inualidam esse acquirendæ spirituali vitæ, nedum æternæ. Et hoc ipsum tradit Origenes, super hoc loco, hæc scribens: Iustitia DEI, non tantùm vitam præbet, sed æternam vitam: illam verò, quæ ex lege est iustitiam faciens homo, non dixit, quod viuet in æternum, sed tantùm quod viuet in ea, vitam scilicet corporalem, ac temporalem. Verùm contra hoc posset obiici, quod Apostolus supra dixit cap. 2. factores legis, iustificatum iri apud DEVM, & Dominus noster dixit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata DEI.* Sed respondendum est, ista esse intelligenda de obseruatione legis, quæ ab homine iusto fit ex caritate: nam de præcepto diligendi DEVM loquens Dominus, dixit, ex eo pendere vniuersam legem: & alio in loco dixit: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.* Et,

Origenes.

Matth. 19.

Matth. 11.

Ioan 14. Ibidem. Ad Rom 13. S. Augustinus.

Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Et Paulus ait, quod *plenitudo legis est dilectio.* Non me fugit, S. Augustinum in li. de spiritu, & littera, ca. 29. illud: *Viuet in ea*, de vita spirituali, quæ per iustificationem acquiritur, interpretari: Sic enim scribit: Ideo proponitur iustitia legis, quod qui fecerit ea, viuet in illa; vt cum quisque infirmitatem suam cognouerit, non per suas vires, neq; per literam ipsius legis, sed per fidem concilians iustificatorem, faciat legis iustitiam, & viuat in ea. Opus enim, quod qui fecerit, viuet in eo, non fit nisi à iustificato: iustificatio autem ex fide impetratur. Sic Augustinus. Vult itaque Augustinus, ideo dictum esse, quod homo faciens iustitiam legis, viuet in ea, vt quia impossibile est homini, legem, vt oportet, obseruare sine fide & gratia, ita vt per obseruationem legis, vitam nunc acquirat spiritualem, postea verò etiam æternam; confugiat ad misericordiam DEI, vt per fidem CHRISTI, & gratiam DEI, & legis obseruationem perficere, & veram, æternamq́; vitam comparare sibi queat. Sed quamuis hæc Augustini doctrina sit verissima; superior tamen, quam diximus, interpretatio illorum verborum, *Viuet in ea.* & loco Leuitici, ex quo sumpta sunt ista verba, & consilio ac proposito Apostoli in hoc loco, multò congruentior est, ob idq; probabilior.

SECVNDA DISPVTATIO.

De triplici iustitia, cuius meminit Paulus in hoc loco, & in Caluinum, pessimum Pauli interpretem.

5. SCIAT lector, triplicem iustitiam tradi, & distingui ab Apostolo, partim in fine cap. 9. partim autem in hoc 10. cap. Distinguit enim Paulus iustitiam legis, siue legem iustitiæ, Et item iustitiam Iudaicam

daicam, siue iustitiam quæ ex lege est: ac demùm iustitiam DEI, siue iustitiam fidei, siue ex fide. De iustitia legis, vel, quod idem est, de lege iustitiæ, dictum est suprà cap. 9. *Israël sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ non peruenit.* Quia non per fidem, sed per opera propria consectabatur iustitiam. De iustitia iudaica, vel quæ ex lege est, dixit Paulus, loquens de Iudæis: *Ignorantes iustitiam DEI, & suam quærentes statuere, iustitiæ DEI non sunt subiecti.* Et paulò infrà: *Moyses enim scripsit, quoniam iustitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo, viuet in ea.* Ad iustitiam DEI pertinent verba illa Pauli dudum memorata: *Ignorantes iustitiam DEI, & suam quærentes statuere, iustitiæ DEI non sunt subiecti.* Hæc ipsa paulò pòst appellatur iustitia ex fide, cùm dicitur: *Quæ autem ex fide iustitia est, &c.*

Iustitia legis.

Quid autem vnaquæq; iustitia istarum trium iustitiarum, & qualis sit, & quam vim habeat, breuiter indicandum est. Iustitia legis est, quam lex homini præscribit, & præcipit, & ab eo exigit, & quam faciens homo, (sicut oportet) verè iustus est, & sine qua non potest salutem, & vitam æternam consequi, dicente Domino: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata DEI.* Et Apostolus quodam loco dixit, factores legis iustificatum iri apud DEVM: & aliubi scripsit, neque circumcisionem, neque præputium valere quidquam, sed obseruationem mandatorum DEI. Hanc iustitiam implendi obligatione non soluit, nec liberauit nos CHRISTVS, sed auxilium nobis per gratiam suam præbuit, vt eam implere possemus, secundum illud Apostoli, DEVM misisse FILIVM suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnasse peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis. Vnde Dominus etiam dixit: *Non veni soluere legem, sed adimplere.* Quod non solùm de se dixit, sed etiam de omnibus in ipsum credentibus.

Matth. 19.

Ad Rom. 2.

Ad Rom. 8.

Matth. 5.

Iustitia DEI, vel ex fide.

Altera verò iustitia vocatur iustitia DEI, non qua DEVS iustus est, sed qua induens hominem, facit eum verè iustum coram se. Hæc ipsa vocatur iustitia ex fide, quòd eam DEVS non det nisi per fidem CHRISTI, credentibus videlicet in

ipsum

Ioan. 1.

ipsum, secundum illud Ioannis: *Potestatem dedit filios* DEI *fieri iis, qui credunt in nomine eius.* Et Apostolus suprà cap. 3. dixit: *Iustitia* DEI *per fidem* IESV CHRISTI *in omnes, & super omnes, qui credunt in eo.* Et ad Philippen. 3. *Vt inueniar*, inquit, *in illo, non habens meam iustitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est* CHRISTI IESV, *quæ ex* DEO *est iustitia ex fide.*

6.

Iustitia propria, vel iustitia quæ ex lege est.

Tertia iustitia, vocatur iustitia propria hominis, quod eam homo propriis viribus liberi arbitrij sine adiutorio fidei, & gratiæ DEI præstat: quæ quidem vel est tantùm iustitia quædam externa, & coram hominibus; vel si est interna, est iustitia quædam moralis, admodum imperfecta. Hæc ipsa vocatur alio nomine ab Apostolo iustitia ex lege, siue quæ ex lege est: nec his verbis significatur iustitia legis, de qua suprà diximus, sed est iustitia, quam homo sine fide, & gratia DEI facit, solo ductu, & magisterio legis docentis & iubentis, & promittentis, & terrentis: quam iustitiam necesse est imperfectissimam esse, nec DEO placere, nec homini proficere ad salutem, & vitam æternam: etenim cum hac iustitia, quæ ex lege est, comparat hoc loco Paulus iustitiam, quæ DEI est, & ex fide CHRISTI, ita scribens hoc loco: *Moyses scripsit, quoniam iustitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo, viuet in ea. Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit, &c.* Vbi manifestè Apostolus iustitiam, quæ ex fide est, comparat non cum iustitia operum, vel iustitia legis, sed cum iustitia, quæ ex lege est, solùm nitens ductu, & magisterio legis, & virtute liberi arbitrij hominis; & hanc Paulus reiicit, non autem iustitiam legis.

7.

S. Augustinus.

Atque hanc ipsam distinctionem iustitiæ, quę ex lege est, à iustitia legis, siue à lege iustitiæ, confirmat, & pulchrè declarat S. Augustinus in lib. 3. contra duas epist. Pelag. cap. 7. hunc in modum scribens: Ecce Apostolus secundum iustitiam, quæ ex lege est, sine querela se fuisse, non vtique mendaciter dicit: & tamen hæc, quæ illi prius lucra fuerant, abiecit propter CRISTVM, & damna, & stercora existimauit, vt CHRISTVM lucrifaceret, vt inueniretur in illo non habens suam iustitiam, quæ ex lege est. Sed cum lex illa esset DEI, cur iu-

Ad Philippen. 3.

Ad Philippen. 3.

stitiam

ſtitiam ſuam, quam habere nolebat, dixit eſſe ex lege, niſi quia illi ſub lege ſunt, qui ignorantes DEI iuſtitiam, & ſuam volentes conſtituere, iuſtitiæ DEI non ſunt ſubiecti? Putant enim ſe arbitrij ſui viribus implere legem iubentem; & iſta implicati ſuperbia, ad gratiam non conuertuntur iuuantem. Et ſic eos littera occidit, aut apertè reos, non faciendo quod præcipit: aut putando ſe facere, quod ſpiritali, quæ ex DEO eſt, non faciunt charitate: & ita remanent aut apertè iniqui, aut fallaciter iuſti. Ac per hoc, miro quodam modo, ſed tamen vero, iuſtitiam legis non implet iuſtitia quæ in lege, vel ex lege eſt, ſed quæ eſt in Spiritu gratiæ. Iuſtitia quippe legis impletur in eis, de quibus ſcriptum eſt: *Qui non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum Spiritum.* Intelligendum igitur eſt, iuſtitiam legis non impleri ſecundum iuſtitiam quæ ex lege eſt, id eſt, ſecundum iuſtitiam hominis: ſed impleri ſecundum iuſtitiam, quæ eſt in Spiritu gratiæ, & ex DEO eſt. Quod planius, & breuius ita dici poteſt; iuſtitiam legis non impleri, cùm lex iubet, & homo quaſi ſuis viribus facit: ſed cùm Spiritus adiuuat, & hominis non libera, ſed DEI gratia liberata voluntas facit. Legis itaque iuſtitia eſt, iubere quod DEO placet, vitare, quod diſplicet: in lege verò, vel ex lege iuſtitia eſt, ſeruire litteræ, & extra eam nullum DEI adiutorium ad rectè viuendum requirere. Sic eo loco Auguſtinus. Idem in lib. de gratia CHRISTI ca. 13. Tantum, inquit, inter legem diſtat, & gratiam, vt cùm lex eſſe non dubitetur à DEO, iuſtitia tamen quæ ex lege eſt, non ſit à DEO: ſed ea iuſtitia quæ per gratiam conſummatur, ex DEO eſt. Iuſtitia etenim ex lege dicitur, quæ fit propter legis mandatum; iuſtitia autem ex DEO dicitur, quæ datur per gratiæ beneficium, vt non ſit terribile, ſed ſuaue mandatum. Hæc Auguſtinus.

2. Ad Cor. 3.

Ad Rom. 8.

8. *In Caluinum.*

Hanc porrò diſtinctionem triplicis iuſtitiæ, quæ legis eſt, & quæ ex lege eſt, & quæ ex DEO, & ex fide eſt, tam apertè traditam ab Apoſtolo, tam disertè ac luculentè à B. Auguſtino explicatam, Caluinus aut ignorans, aut malitioſè diſſimulans intelligere, cùm tractaret hunc locum Pauli partim

in suis institutionibus, partim in commentariis huius epistolæ, rectam, & sinceram Apostoli verborum sententiam mirè peruertit atq; corrupit, ea scribens, quæ veritati ac pietati, & doctrinæ Apostoli per aliena, planeq; dissentanea sunt. Hæc sunt Caluini verba: Hic Pauli locus insignis est, & qui nos à multis difficultatibus explicare queat; si intelligamus, eam quæ nobis per Euangelium datur, iustitiam, legis conditionibus solutam esse. Vides enim; quod legis, & Euangelij discrimen hoc loco facit Apostolus, quod illa operibus iustitiam tribuat; hoc citra operum subsidium, gratuitam iustitiam largiatur. Vt autem appareat, quantoperè inter se pugnent iustitia fidei, & iustitia legis atque operum, eas Paulus hoc loco inter se confert: comparatione enim magis eluce-scit repugnantia, quæ est inter res contrarias. Sic iste.

Sed tria in istis verbis falsa sunt. Primùm enim Apostolus non comparat iustitiam fidei cum iustitia legis, vel operum, sed cum iustitia, quæ ex lege est; quid autem differat iustitia quæ ex lege est, à iustitia legis vel operum, dudum ostendimus. Deinde, falsum est, iustitiam fidei, solutam esse legis conditionibus; si velit istis verbis significare suum illud putidum atq; impium dogma de Christiana libertate ab obligatione seruandi legem. Nec verum est, iustitiam fidei penitus excludere subsidium bonorum operum hominis: nam etsi gratuita est respectu operum hominis antecedentium iustificationem, quod non propter illa, tanquam eius merita, reddatur homini: requiruntur tamen opera quædam hominis præcedentia iustificationem, quasi præparatoria ad capessendam iustitiam, de quibus suprà fusè disputauimus super 3. ca. huius epist. Nec iustitia fidei excludit opera consequentia iustificationem, immò præcipit ea & exigit, vt sine quibus ad vitam æternam perueniri non possit. Illud demùm quàm est ineruditum, iustitiam legis, siue operum, & iustitiam fidei esse inter se pugnantes, & contrarias? nam si verè inter se pugnarent, vna profectò destrueret alteram: quo modo igitur verè dixisset Paulus illud quod scriptum est in fine 3. capitis: huius

huius epistolæ ad Romanos. *Legem ergo destruimus per fidem? Absit: sed legem statuimus.* Quomodo etiam veram haberet sententiam illud Domini nostri dictum: *Non veni soluere legem, sed adimplere?* Si enim iustitia CHRISTI est contraria legi; ergo per eam lex soluitur & destruitur, tantùm abest vt impleatur.

Matth 5.

TERTIA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo, Quis ascendet in cœlum? id est, CHRISTVM deducere. Aut quis ascendet in abyssum? hoc est, CHRISTVM à mortuis reuocare. Sed quid dicit Scriptura? Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est verbum DEI, quod prædicamus.

Versu 6.7.8.

VERBA Mosis, quæ citat hoc loco Apostolus, in 30. cap. Deuter. sic habent. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neq; procul positum, nec in cælo situ, vt possis dicere: Quis nostrũ valet ad cœlũ ascendere, vt deferat illud ad nos, & audiamus, atq; opere compleamus? Neq; trans mare positum est, vt causeris, & dicas: Quis ex nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos vsque deferre, vt possimus audire, & facere quod præceptum est? sed iuxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illum.* Magna porrò quęstio est, an hæc verba Mosis secundum historicum, & litteralem sensum Apostolus citauerit, & interpretatus fuerit de iustitia fidei per CHRISTVM hominibus datæ, quæ re-

9.

uelata eſt in Euangelio, & ab ipſis Apoſtolis primùm, & deinceps ab aliis per vniuerſum orbem terrarum prædicata.

Prior ſententia Græcorum, & Ambroſij, Hieronymi, Thoſtati, Soti, Paulum iſta verba Moſis nō citaſſe ſecundū litteralem ſenſum de iuſtitia ex fide Chriſti.

Duæ ſuper hac re ſunt diſcrepantes, & contrariæ Auctorum ſententiæ. Eſt complurium atque in primis grauium virorum ſententia, Moſen iſta verba dixiſſe ſecundum hiſtoriam & litteram de mandatis legis, quam ipſe promulgauerat Hebræis: Paulum verò, quod mirificè illa quadrarent ad iuſtitiam fidei, quam prædicabant Apoſtoli, tranſtuliſſe, & aptaſſe ad eam. Hæc certe conſentiens eſt Grecorum interpretum expoſitio huius loci, vt Chryſoſtomi, Theodoreti, Theophylacti, Oecumenij. Audiat lector Theodoreti locum hunc explanantis verba: Iſta, inquit, quæ ſcripſit Moſes, & citat hoc loco Apoſtolus, Devs vniuerſorum dixit de lege, quam dederat Iudęis, docens eos, quod ſine labore ipſorum, doctrinam eorum, quæ agenda erant, accepiſſent: & neque aſcenſu in cœlos, neque deſcenſu ad inferos indigerent. Apoſtolus verò ea aſſumpſit ad id quod de fide tractabat. Vnde dixit: *Hoc eſt verbum fidei quod prædicamus.* Id autem eſt, quod Moſes dixit de præceptis legis, hoc ipſum nos de fide dicimus Hæc Theodoretus. Auctor etiam commentariorum in hanc epiſtolam, nomine ornatus B. Hieronymi, ſuper hoc loco ait, quod Moſes ſecundum hiſtoriam dixerat de lege, id Paulum aptaſſe ad Christvm: idemque tradit hoc loco Ambroſius.

10. *Thoſtatus.*

Thoſtatus certè ſuper illo Deuteronomij loco apertè affirmateq; ſcribit, Moſen illa verba dixiſſe de lege, nec intendiſſe dicere ea de Christo vel eius fide: Sed Apoſtolum per quandam alluſionem, & propter magnam conuenientiam, & concordantiam, accommodaſſe ad Christvm. Hæc ſunt Thoſtati verba: Volens Paulus inducere fidem Christi & docere, eſſe facilem, ac leuem, alluſit ad hoc dictum Moſis, quo demonſtratur leuitas, & facilitas legis ſecundum cognitionem, & operationem. Neque Paulus innuit, quod verba iſta dicta ſint à Moſe ad eam intentionem, vt ſignificaretur facilitas fidei Christi: nam reuera de facilitate præceptorum

ptorum legis dicta sunt: sed Paulus per quandam concordantiam assumpsit & transtulit ad fidem CHRISTI. Sic Thostatus.

Sotus etiam in commentariis suis in hanc epistolam, tractans hunc locum affirmat, verba ista Mosis non esse à Paulo citata secundum litteralem sensum, sed mysticum: quem tamen esse principaliter à SPIRITV sancto intentum; obidque certissimum, & planè canonicũ, auctoritas Pauli docet nos, nec dubitare sinit. Ponam hîc eius verba: Non citat Apostolus hanc sententiam (ait Sotus) in sensu litterali, is enim erat de præceptis legis, quæ in promptu erant, & ante oculos posita, vt implerentur: sed in sensu mystico: qui tamen sensus auctoritate Pauli canonicus est, & fides Catholica: sicut allegoricus sensus, quem ipse exposuit in epistola ad Galatas capite quarto de duobus filiis Abraham. Hoc autem mysterium in eo consistit, quod, mandatum, id est, lex, vt seruaretur, quantum ad substantiam operum, non opus habebat, vt quis vel in cœlum ascenderet, vel mare transmitteret: erat quippe in promptu, & vt dixit Moses, in ore, & in corde Iudæorum. Verumtamen vt obseruaretur lex secundum intentionem præcipientis, faciendo opera DEO grata, & ad vitam æternam accepta, expectanda erat iustitia fidei, cœlitus ad homines delata. Atque huius fortasse causa mysterij, mentio illic facta est cœli. Hæc Sotus.

Sotus.

II.

Altera sententia quod ista verba citauerit Paulus secundum litteralem sensum.

Altera est sententia eorum, qui arbitrantur, ista verba Mosis secundum litteralem sensum citasse Apostolum, & interpretatum esse de iustitia fidei, & de ipso CHRISTO. Quæ sententia, quò facilior intellectu sit, credituque procliuior, scire conuenit, ante ista verba Mosis, quæ citauit Paulus, in principio illius trigesimi capitis Deuteronomij locutum esse Mosen de interna peccatorum pœnitentia, & conuersione animi ad DEVM: & de misericordia ac benignitate, quam DEVS verè pœnitentibus & ad ipsum conuersis paratus est exhibere ac præstare. Ad quam pœnitentiam & conuersionem exhortans Moses Iudæos, promisit fore, vt quamuis illi,

ob trāſgreſſionem legis, abducti eſſent in longinquas terras, & multifariam diſperſi, magniſque in calamitatibus & malis verſarentur; ſi tamen veram animi pœnitentiam, & conuerſionem ad DEVM haberent, vt DEVS eorum miſereretur, & in gratiam ſuam eos reciperet, & circumcideret corda eorum, & daret eis gratiam diligendi ipſum toto corde, & omnia legis præcepta cuſtodiendi, eoſque malis omnibus liberaret, & omnibus bonis abundantiores faceret quàm antea fuiſſent. Verba Moſis, quæ hanc, quam dixi, ſententiam habent, ſunt huiuſmodi: *Cùm ergo venerint ſuper te omnes ſermones iſti, & ductus pœnitudine cordis tui, in vniuerſis gentibus, in quas diſperſit te DEVS, reuerſus fueris ad Dominum DEVM tuum, & obedieris eius imperiis, in toto corde tuo, & in tota anima tua: reducet te Dominus DEVS de captiuitate tua, ac miſerebitur tui. Circumcidet DEVS cor tuum, & cor ſeminis tui, vt diligas Dominum DEVM tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, vt poſſis viuere. Omnes maledictiones conuertet Dominus ſuper inimicos tuos, & eos qui oderunt te, & perſequuntur: tu autem reuerteris, & audies vocem Domini DEI tui: faciesq́ue vniuerſa mandata, quæ ego præcipio tibi hodie, &c.* Mandatum itaq;, quod ſubiungit Moſes, facillimum eſſe Iudæis, cùm non ſit procul ab ipſis, ſed in corde, & in ore ipſorum, interpretantur iſti non de mandatis externis legis Moſaicæ, ceremonialibus, iudicialibus & moralibus, ſed de mandato internæ pœnitentiæ, & conuerſionis ad DEVM, & de miſericordia DEI erga pœnitentes, circumcidendo cor ipſorum, & dando eis gratiam diligendi ipſum, & perfectè ſeruandi legem: de quibus rebus paulò ſuprà locutus fuerat Moſes. Manifeſtum porrò eſt, veram animi pœnitentiam & conuerſionem ad DEVM, conſtare non poſſe ſine fide miſericordiæ DEI, parati pœnitentem peccatorem in gratiam ſuam recipere. Fides autem miſericordiæ DEI, quæ parata eſt exhiberi pœnitentibus, in ſtatu legis veteris, ſaltem implicitè, complectebatur fidem in CHRISTVM, quam apertè, explicateq; tradidit Euangelium, & prædicarunt Apoſtoli. Appoſitè igitur, apteq; Apoſtolus, quod Moſes ſcripſerat de

interna

interna pœnitentia & conuersione cordis ad DEVM, id de iustitia fidei in CHRISTO interpretatus est.

12. Huius sententiæ, equidem facilè crediderim fuisse B. Augustinum, aliosq; Patres: quippe qui illorũ verborum Mosis interpretationẽ traditã hîc à Paulo de iustitia fidei, & de ipso CHRISTO, tanquam germanam & propriam ac litteralem interpretationem amplectuntur, & vt talem explanant eam; quamuis quæstionẽ non mouerint, vtrum talis interpretatio sit litteralis vel mystica, vel per accõmodationem facta. Sed inter eos qui, proposita quæstione, super hac re, posteriorem quam dixi sententiã secuti sunt, duo fuêre in hac ætate docti, & celebres scriptores, commentariorũ in hãc epist. ad Rom. Caietanus & Adamus Sasbout. Caietanus certè mandatum, quod Moses dixit nõ esse distans nec separatum à Iudæis, sed in ore, & corde ipsorum, interpretatur nõ de externis mãdatis ipsius legis, quæ sunt ceremonialia, & iudicialia, & moralia, sed interpretatur Mosen loqui de mandato internæ conuersionis ad DEVM, & de interna iustitia fidei, & spei, & dilectionis diuinæ, quibus anima verè iustificatur apud DEVM. Et quia suprà sæpius dixerat, diligendũ esse DEVM ex toto corde, & hoc esse potissimũ præceptum, & præcipuè requisitum à DEO; Moses in eo loco docet conditiones istius præcepti, quæ sunt duæ, vna est negatiua, dicẽs, istud præceptum internæ conuersionis ad DEVM, & dilectionis DEI, nõ esse supra hominẽ, nec procul ab homine, nec esse in cœlo, vt illius percipiendi causa, necessum sit cœlum ascendere; nec esse trans mare, vt illius gratia mare oporteat trãsmittere, sed esse iuxta hominem, immò esse in ore, & in corde hominis spiritualis, siquidẽ circumcisionis gratia, & conuersio animi ad Deũ cum proposito cordis parendi DEO, proxima est internis animæ viribus, ita vt propinquior esse nõ possit. Hoc est mandatum, à quo nullus excusare se potest. Hoc est mandatum, quod, vt ait Paulus, prædicatur in lege Euangelica. Hæc Caietanus in commentariis suis in Deuteronomium, locum supradictum Deuteronomij explanans.

Caietanus & Adamus.

Idem

Idem in commentariis suis in hanc epistolam Pauli, tractans verba illa super quibus nunc disputatur: *Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit.* Ita scribit: Sciebat quidem Apostolus, verba, quæ citauit ex Deuteronomio, dicta esse in persona Moysis, & ab ipsomet Moyse: ipse tamen hoc loco non Mosen, sed iustitiam, quæ ex lege est, facit loqui ista verba, non sine mysterio. Vidit enim acutissimè, quod ista verba dicta fuerant ratione iustitiæ fidei, quamobrem induxit iustitiam fidei, dicentem ea verba, quæ pro ipsa iustitia dicta fuerant. Vbi aduerte, quod postquam Moses tradidisset, & docuisset populum vniuersa legis præcepta, prædixit denique Iudæis fore, vt si violarent legem, & à DEO recederent, dispergerentur per longinquas, & diuersas regiones, multisque calamitatibus, & malis afficerentur. Non tamen eos fore tunc sine remedio, & sine spe salutis, & reconciliationis cum DEO. Si enim vbicumque terrarum dispersi essent, pœnitentia suorum peccatorum ducti, toto corde cōuerterentur ad DEVM, DEVS reduceret eos de captiuitate ac dispersione; & de hac mentis conuersione ad DEVM, diligendo ipsum ex toto corde, dicit ea verba, quæ citat hoc loco Apostolus. Ad differentiam itaque iustitiæ legis, Moses scripsit hæc de iustitia internæ conuersionis ad DEVM, docens iustitiam legis pendere ab hac iustitia, & ordinari ad ipsam, & obseruationem iustitiæ legalis ab hac iustitia prouenire. Siquidem qui ad DEVM conuersus fuerit, & cuius cor DEVS circumciderit, & quem sui dilectorem ex toto corde fecerit, is profectò vniuersam legis iustitiam, sicut oportet, dignè obseruabit. Et ab hac iustitia inexcusabiles erant Iudæi, vbicumque locorum forent: intendit enim Moses ad litteram, quod quamuis per orbem dispersi Iudæi excusari possent à iustitia legis scriptæ, propterea quod carerent ea; non tamen excusari possent à iustitia, quæ consistit in conuersione interna ad DEVM, quoniam hæc non est distans loco, sed prope quemlibet est in corde, & in ore ipsius. Moses igitur ad litteram loquitur de iustitia ex fide: hæc autem omni tempore

fuit

fuit iustitia ex fide CHRISTI, saltem implicitè. Nullus enim vllo tempore saluatus est sine fide CHRISTI, vel explicita, vel implicita. Ex quo apparet, Paulum non esse digressum à proposito Mosis, explicando iustitiam, de qua ille locutus fuerat, esse iustitiam ex fide, quam Apostoli prædicabant applicando ad CHRISTVM. Hactenus ex Caietano.

13. *Auctoris de supradictis sententiis iudicium.*

Ego non dissimulabo, priorem sententiam videri mihi admodum probabilem: est enim expedita, & recta, & aperta, & facilis, & proposito Mosis in eo loco valde conueniens, & sententiæ verborum eius inhærens: vt eam placuisse tam multis auctoribus, quos suprà memorauimus, minimè cuiquam mirandum accidere debeat. Propensior tamen equidem sum ad posteriorem sententiam, quòd ea videatur mihi aptior & congruentior proposito Pauli in hoc loco: & quia vim, & robur Paulinæ disputationis, & argumentationis, quæ tractatur in hoc loco, clarius ostendit. Secundum hanc itaque sententiã Apostoli verba sic interpretanda sunt; *Quæ autem ex fide est iustitia, sic dicit:* Inducit Paulus iustitiam fidei loquentem ea verba, quæ Moses dixerat de ipsa. Quanquam Theodoretus illud, *sic dicit*, refert, non ad iustitiam fidei, sed ad Mosen, addendo illa verba, *de ea*, vt sit hæc integra oratio, & sententia: *Quæ autem ex fide iustitia est, sic de ea dicit Moses*, vt hoc respondeat illi proximè superiori sententiæ: *Moyses enim scripsit, quia iustitiam quæ ex lege est, qui fecerit homo, viuet in ea.* Sequitur, *Ne dixeris in corde tuo.* id est, Ne admittas eam dubitationem, & diffidentiam in cor tuum, vt tanquam diffisus misericordiæ DEI, cogites tecum, quisnam ascendere potest in cœlum, vt illinc deferat ad nos verbum de promissa pœnitentibus misericordia DEI. Id enim dubitanti animo cogitare, non aliud est, quàm CHRISTVM deducere; id est, dubitare, vtrum CHRISTVS de cœlo descenderit, & naturam humanam assumpserit ad reconciliandum nos DEO. *Et iterum, ne dixeris, Quis descendet in abyssum,* hoc est, ad inferos, vt ex aspectu inferorum factus certior agnoscat, an pœnitentes detineantur apud infe-

ros. Hæc enim dubitatio, ſecum habet complicatam illam dubitationem, vtrũ CHRISTVS, deuicta morte, reſurrexerit, & in cœlum aſcenderit. Eſt itaq; ſenſus: Qui dubitat de miſericordia DEI erga peccatores pœnitentes, etiã dubitare videtur de incarnatione, morte, & reſurrectiõe CHRISTI: quippe FILIVS DEI de cœlo deſcendit in terras, & mortuus eſt, & reſurrexit pro reconciliatione peccatorum, ſecundum illam Pauli ſententiam: *Traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.* *Ad Rom. 4.*

QVARTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Verſu 18. Sed dico, Numquid non audierunt? & quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

An tempore Apoſtolorum Euangelium prædicatum ſit in vniuerſo mundo.

14\. DE quibus Apoſtolus dixit illud: *Numquid non audierunt?* Quidam interpretantur de Iudæis, in hanc ſententiam: Non poſſunt Iudæi prætendere ignorantiam Euangelij à ſe non auditi, vt incredulitatem ſuam excuſent. Cùm enim in omnes orbis terrarum regiones peruenerit ſonus prædicationis Apoſtolorum, non ſolùm non credibile, ſed etiam ridiculum eſt dicere, Iudæos non audiuiſſe Apoſtolicam prædicationem Euangelij, cum tanto tempore cum eis commorati, & conuerſati ſint Apoſtoli; à quibus etiam profecti ſunt ad alias regiones.

giones.

giones. Ita Chryſoſtomus & ſectatores eius explanant hunc locum. Alij verò illud: *Numquid non audierunt*, referunt ad Gentes: vt iſtis verbis docere voluerit Apoſtolus, iam eo tempore, quo ſcripſit hanc epiſtolam ad Romanos, permanaſſe ad omnes gentes auditionem, & notitiam Euangelij. Adiuuat hanc interpretationem id, quod proximè Apoſtolus adiunxit: *Sed dico, Numquid non audierunt?* vbi opponere videtur Iſraël, id eſt, Iudæos, iis, de quibus proximè locutus fuerat. Ergo de quibus ſermo præceſſit, Gentes ſunt intelligendæ, & non Iudæi.

15. *Quo ſenſu teſtimoniũ Dauidis citetur hic à Paulo.*

Pſalmus porrò decimus octauus, ex quo ſumpta ſunt verba hæc, quæ citat Apoſtolus, apertè agit ſecundum hiſtoriam de corporibus cœleſtibus, quæ ſuam habent linguam, & ſuo modo loquuntur nobis: ac ſi aduertamus, docent nos diuinam vim & poteſtatem, omnium rerum conſeruationi & moderationi, rectionique præſidere. Præter hunc tamen ſenſum, cogimur alium multò ſublimiorẽ, ſed allegoricum, agnoſcere, propter hanc Pauli citationem: ſecundum quam cœli typum gerunt legatorum MESSIÆ, id eſt, Apoſtolorum, quibus Dominus dixit: *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Non enim putandum eſt, Apoſtolum per ſimplicem tantùm quandam verborum Dauidis accommodationem, ad propoſitum ſuum, teſtimonio eius vſum eſſe; quemadmodum verba ſcripturæ frequenter vſurpare ſolent S. Gregorius, & Bernardus, & alij: nam etſi hoc piè atque vtiliter fieri poſſit, & fiat à Sanctis; videtur tamen in hoc loco alienum, atque incongruum eſſe conſilio, & propoſito Apoſtoli, ſeriò admodum cauſam ſuam agentis, & in Iudæos fortiter diſputantis.

Marci vlt.

16. Nec verò deſunt, qui intelligant, Paulum in iſto Dauidis teſtimonio citando, à ſenſu litterali nequaquam receſſiſſe. Negant enim Paulum hîc loqui de Apoſtolorũ prædicatione quaſi iam vniuerſum terrarum orbem peruagata; ſed de cœleſtium corporum naturali quadam diuinæ poteſtatis ac prouidentiæ teſtificatione ac prædicatione. Cùm enim Iudæi eo

vehementer nomine culparent Paulum, quòd salutis promissionem à DEO datam semini Abrahæ vulgaret Gentibus, & indifferenter eam omnibus communicaret; aiunt, Paulum his verbis quærere, num Gentes aliquid de DEO inaudissent aliquando: ipsumq; respondere, etiã illis fuisse olim discendæ pietatis & colẽdi DEVM viam apertam per aspectũ, & contemplationem cœlorum, qui enarrant gloriam DEI, & annuntiant opera eius, generales vbique terrarum, & gentium diuinæ potentiæ, sapientiæ ac prouidentiæ testes atque præcones: *In omnem enim terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Indicat ergo Paulus, etiam cunctis gentibus, & omnibus anteactis seculis, impertiuisse DEVM notitiam gloriæ suæ; vel ipso tantùm aspectu, & contemplatione cùm omnis creaturæ, tum maximè cœlorum & siderum: cuius simile dixit Paulus suprà capite primo, & in actis Apostolorum capite decimo quarto & decimo septimo. Atque hanc naturalem DEI notitiam, amplioris & perfectioris doctrinæ, quæ per Euangelium accessit, fuisse præludium quoddam, atque rudimentum: nec mirum videri debere, si promiscuè DEI gratiam, & doctrinam Euangelicam cum Iudæis, & Gentibus communicauerit, cùm iampridem vtrumque populum ad se, diuersa licet via & ratione, inuitauerit, & adducere voluerit.

17\. *An tempore Apostolorum prædicatum sit Euangelium cunctis gentibus.*

Cæterùm, quoniam Apostolus isto Dauidis testimonio videtur ostendere, iam suo tempore prædicationem Euangelij vbique terrarum & gentium esse factam; idque multi, & graues in primis viri arbitrantur; super hoc nobis, ad præsens, nec ieiunè, nec inaccuratè disputandum est: in vtramque enim quæstionis partem, & multa, & valida suppetunt argumenta. Est igitur prima sententia Chrysostomi, Euthymij, & Theophylacti in caput vigesimum quartum Matthæi, affirmantium, tempore Apostolorũ, & ante euersionem Hierusalem, & captiuitatem Iudæorum factã Tito, & Vespasiano Imperatoribus, prædicationem Euãgelij factam esse

Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus.

esse apud omnes gentes: Nam in illis verbis Domini Matthæi 24. *Prædicabitur hoc Euangelium in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio.* Supradicti Auctores consummationem à CHRISTO dictam, interpretantur euersionem Hierusalem factam à Romanis: & ante hanc euersionem, dicunt prædicatum fuisse Euangelium apud omnes gentes. Id porrò confirmant his argumentis. Primò id euidenter probatur testimonio Dauidis, quod Paulus hoc loco interpretatur de prædicatione Euangelica. Et in I. cap. epist. ad Colossenses scribit Paulus, Euangelium eo tempore fuisse in vniuerso mundo, & fructificare, & crescere: & in eôdem capite paulò infrà, ait iam suo tempore Euangelium esse prædicatum in vniuersa creatura, quæ sub cœlo est. Deinde, idem firmant exemplo simul, & testimonio ipsius Pauli. Si enim vnus Paulus (inquit Chrysostomus) per omnia loca, quæ sunt ab Hierosolymis vsque ad Hispaniam, prædicauit Euangelium, vt ipse tradit sub finem huius epistolæ; cogita quousque percurrerint ceteri Apostoli. Mirum igitur videri non debet, per omnium Apostolorum prædicationem, aliorumque id temporis, Christianorum, fidem CHRISTI euangelizantium, intra illos quadraginta annos à passione Domini vsq; ad excidium Hierusalem transactos, doctrinam fidei Christianę cunctis gentibus pernotuisse. Ad hæc, adiuuare videtur hanc sententiam illud, quod dixit Dominus Apostolis, & discipulis suis: *Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Et apud Lucam in Actis cap. I. *Eritis mihi testes* (ait Dominus discipulis suis) *in Hierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsq; ad vltimum terræ.*

Locus Matth. cap. 24.

Marci 16.

18. Auctor commentariorum in hanc epistolam, vulgò dictus Ambrosius, explanans hunc ipsum, quem tractamus, Apostoli locum affirmat, tempore Pauli fuisse iam prædicatum Euangelium in toto mundo: nam vbi præsentia hominis prædicantis defuit, eo tamen Euangelij sonus & fama peruenit: quemadmodum fama prodigiorum, quę facta fuerant in Ægypto, ad alias etiam gentes peruenerat, vt dixit Raab explo-

Ambrosius.

Iosue 2.

Hilarius. exploratoribus. Similia istis Auctoribus tradit Hilarius in canone 25. in Matthæum, scribens: ante vrbis Hierusalem euersionem factam à Romanis, fuisse prędicatum Euangelium in vniuerso mundo: idemque super cap. 24. Matth. Lyranus arbitratur. Beatus autem Hieronymus super eodem loco Matt. vbi dicitur Euangelium esse prædicandum in toto orbe ante Domini aduentum, putat iam suo tempore esse completum, aut certè breui esse complendum, existimat enim non remansisse tunc gentem aliquam quæ CHRISTI nomen ignoraret: quamuis enim aliqua fortasse gens non habuerit prædicatorem Euangelij, ex vicinis tamen gentibus, & nationibus, opinionem fidei non potuit non habere.

Lyranus.

S. Hieronymus.

19. Altera, planè contraria, est sententia Origenis, & S. Augustini, qui censent, Euangelium, ne suis quidem temporibus prædicatum fuisse in toto mundo; tantum abest, vt eius prædicatio in tempore Apostolorum facta sit apud omnes gẽtes. Origenes quidem certè in tract. 28. in Matt. hæc scribit; Propè consummationem seculi Euangelium, quod prius non fuerat prædicatum, in toto mundo prædicabitur, Multi enim non solùm Barbarorum, sed etiam nostrarum gentium, vsq; nunc non audierũt Christianitatis verbũ. Tunc autem vbiq; prædicabitur, vt omnis gens audiat Euangelicam doctrinam, & nemo derelinquatur, qui non audierit: & tunc erit seculi finis. Et paucis interpositis subdit: Nondum est prædicatum Euangelium DEI in toto mundo: fertur enim nondum esse prædicatum apud omnes Æthiopas, neq; Seres, neq; Britannos, neq; Germanos, qui sunt circa Oceanum, neq; apud Dacos, neq; Sarmatas, neq; Scythas: horum enim plurimi nondum audierunt verbum Euangelij: audituri autem sunt ante seculi consummationem. Hactenus Origenes.

Origenes.

20. Idem quoque affirmat B. Augustinus in libro de vnitate Ecclesiæ Catholicæ cap. 15. & in lib. de natura, & gratia cap. 2. Verùm sententiam eius eâ de re, disertis expressam verbis, ex octogesima eius epistola, quæ scripta est ad Hesychium, hîc transcribam: Quod putas (inquit Augustinus) iam per Apostolos

S. Augustinus.

ſtolos ipſos prædicatum eſſe in toto mundo Euangelium, non ita eſſe certis documentis probaui. Sunt enim apud nos, hoc eſt, in Aphrica, barbaræ innumerabiles gentes, in quibus nunquam eſſe prædicatum Euangelium, ex iis, qui ducuntur inde captiui, & Romanorum ſeruitiis iam miſcentur, quotidie nobis addiſcere in promptu eſt. Hæc Auguſtinus. Cuius inſiſtens veſtigiis, eandem hoc loco ſententiam habet Anſelmus. Præcipuum verò argumentum, quo tam Origenes, quàm Auguſtinus perſuaſi ſunt, non fore prædicãdum in toto mundo Euangelium ante conſummationem ſeculi ducitur ex illis verbis Domini Matth. 24. *Et prædicabitur hoc Euangelium in vniuerſo orbe: & tunc veniet conſummatio.* Conſummationem autem interpretantur iſti, mundi conſummationem & finem.

Anſelmus.

21.

Nec mouent iſtos teſtimonia Scripturæ in confirmationem contrariæ ſententiæ ſuprà à nobis poſita. Nam Dauid, & Paulus dicentes, ſonum Euangelij exiſſe in omnes fines terræ, ſecundum morem Prophetarum, vſi ſunt præterito tempore pro futuro, quo certitudo rei prædictæ videlicet, magis oſtenderetur. Ad eundem enim modum idem Dauid Pſalmo 21. in perſona ſua dixit de MESSIA: *Foderunt manus meas, & pedes meos; dinumerauerunt omnia oſſa mea.* Quod tamen geſtum eſt, plus mille annis, poſtquam ab eo prædictum fuerat. Quod autem Paulus ad Coloſſenſes ſcripſit, Euangelium creſcere, & fructificare in vniuerſo mundo, minime officit huic ſententiæ: ſignificat enim in dies latius, & longiùs propagari, & diſſeminari in omnes partes mundi. Illud magis videtur aduerſari, quod paulò pòſt in eâdẽ epiſt. ſubdit Paulus, Euangelium iam fuiſſe prædicatum in vniuerſa creatura, quę ſub cœlo eſt. Sed Auguſtinus reſponderet, Paulum eo loci vſum eſſe tempore præterito pro futuro, more Prophetico, vt prædicatum dixerit pro prædicandum. Vel dici poteſt, vſum eſſe hyperbolica locutione, ſatis frequenti in Scriptura; & ſignificaſſe illis verbis, in plurimis regionibus orbis tunc cogniti fuiſſe prædicatum, & paucas fuiſſe, ad quas prædicatio Euangelij non perueniſſet.

B.Tho-

22. *S. Thomas.*

B. Thomas in commentario huius loci arbitratur priorem ſententiam, quæ eſt Origenis & Auguſtini conſilio, & propoſito Apoſtoli non aptam, & congruam eſſe. Apoſtolus enim argumentatur hoc loco, Iudæos, & Gentes, ſi non credant Euangelio, non eſſe excuſabiles, quaſi non audierint Euangelij prædicationem: eam namque adimens illis excuſationem, affirmat nullam eſſe gentem in vniuerſo mundo, ad quam prædicatio Euangelij non peruenerit. Si autem hæc ſententia Pauli, & Dauidis teſtimonium, quod in eius confirmationem citatum eſt à Paulo, intelligatur non de tempore præterito, ſed de futuro, erit profectò Apoſtoli argumentatio prorſus inualida, & conuincendis Iudæis ac Gentibus planè inefficax. Quocirca S. Thomas exiſtimans, omnes gentes audiuiſſe prædicationem Euangelij, id fuiſſe impletum tempore Apoſtolorum, atq; adeò etiam quo tempore Paulus hanc ſcripſit epiſtolam, ad id declarandum, diſtinctionem hanc tripartitam adhibet: Aliud eſt, inquit, famam prædicationis Euangelicæ perueniſſe ad omnes terræ partes, & aliud eſt, in omnibus gentibus prædicatum eſſe Euangelium, & fidem CHRISTI receptam, & fundatas Eccleſias: & aliud eſt, prædicationem Euangelij non ſolùm ad omnes gentes, verùm etiam ad omnium gentium ſingulos homines perueniſſe. Et hoc tertium negat S. Thomas adhuc eſſe impletum, aut etiam neceſſariò implendum. Secundum verò de prædicatione Euangelij, & receptione fidei, & fundatione Eccleſiarum, ait non eſſe implendum ante conſummationem ſeculi. Primum verò, quod omnes gentes habuerint notitiam Euangelij, ſaltem ex publica fama, & relatione hominum, dicit fuiſſe hoc impletum tempore Apoſtolorum. Hęc S. Thomas. Cuius ſententiam Thoſtatus ſuper caput 24. Matthæi ſecutus eſt.

Verùm cùm Apoſtolus hoc loco agat de auditione Euangelij, quæ faciat Iudæos & Gentes inexcuſabiles à non credendo, notitia verò Euangelij, quæ tantùm habetur per famam & relationem hominum, non autem per ipſos Euan-

gelij

gelij prædicatores, atq; doctores, non sit sufficiens obligandis hominibus ad credendum, nec reddat eos inexcusabiles, si non credant; non videtur supradicta distinctio B. Thomæ satis enodare quæstionem propositam, nec eius difficultatem penitus exhaurire. Id porrò etiam confessus est Caietanus, vt quæ mox subiiciam eius verba, planè indicabunt.

23. Caietanus.

Caietanus super caput 24. Matth. explanans illa Domini verba: *Et prædicabitur hoc Euangelium in vniuerso orbe, in testimonium omnibus gentibus*, ita scribit: Intendit per hoc, quod non sola fama perueniet ad omnes gentes, de Euangelio CHRISTI, sed quod sic prædicabitur, vt perueniat ad omnes gentes testimonium Euangelicum: ita vt sint inexcusabiles, si noluerint credere. Ergo secundum Caietanum, vt quis reddatur inexcusabilis, si non credit Euangelio, non satis est peruenisse ad eum solam famam Euangelij. Subdit deinde Caietanus hæc verba: Hanc prædicationem Euangelij, quam prædixit Dominus, nescio iam esse impletam, sed non dubito esse adimplendam. Ætate nostra audimus, multas nationes ignotas Patribus nostris, inueniri à natione Hispanorum: nauigatur siquidem sub polo antarctico eleuato supra quadraginta gradus. Hoc autem prioribus seculis non fuit auditum, in quibus sub Æquinoctiali habitatio vix comperta fuit. Hæc Caietanus scripsit anno Domini 1527. vt patet ex fine illorum commentariorum in Matthæum. Idem, quinque annis pòst, in commentariis suis in hanc epist. ad Roman. in quorum fine indicat, eos scriptos esse anno 1532. explanans verba Pauli, super quibus nunc disputabimus, ita scribit: Quod Paulus dixit: *In omnem terram exiuit sonus eorum*. Tu per illud: *In omnem terram*. Intellige, in omnem plagam terræ: nec oportet arctare hunc textum ad singulas terras. Similiter quod dixit, *In fines orbis terræ*, intellige de finibus habitabilis terræ nostræ, lato vocabulo per fines intelligendo extrema regionis. Et hoc dixerim vtendo hac auctoritate ad tempus Pauli. Quod tamen non oportet: sed sufficit sic esse in decursu temporis. Sic enim intelligitur quemadmodum sufficien-

ter prope quemlibet ſit verbum fidei, quod intendit docere Paulus hoc loco. Nec obſtat auctoritas Pſalmi, quoniam ad litteram non loquitur de Apoſtolorum prædicatione, ſed de corporibus cœleſtibus: nec in hebræo habetur, *ſonus*, ſed filũ, ſeu linea. Verùm quia Apoſtoli, cœli ſunt ſpirituales, myſtico ſenſu vſus Paulus, applicauit hoc ad Apoſtolos, & vſus communi apud Græcos textu, propterea dixit: *Sonus eorum*. Hæc Caietanus. Nec Soti in commentario huius loci diuerſa eſt ſententia.

24. *Auctoris ſententia.*

Iuuat etiam, meum ſuper hac quæſtione iudicium, & ſententiam indicare lectori. Ac primò quidem ſententia Origenis & Auguſtini aientium, ne ſuo quidem tempore, fuiſſe Euangelium vbique terrarum, & gentium prædicatum, quòd multæ, id temporis, eſſent gentes, præſertim autem barbaræ, apud quas nulla eſſet memoria Euangelij, aliquando ipſis prædicati. Hæc, inquam, ſententia, ſiue probatio eorum, non videtur certam fidem facere. Fieri enim potuit, vt olim fuerit illis gentibus prædicata fides CHRISTI. Sed poſtea propter bella, & mutationes regnorum, atq; regum, ſit apud eas gentes abolita fidei doctrina: ac deinceps longinquitate temporis factum ſit, vt apud poſteros nulla eius rei memoria permanſerit. Videtur etiam infirmum, præcipuum huius opinionis fundamentum, poſitum in verbis Domini Matth. 24. quibus dicitur, poſt prędicationem factam in vniuerſo orbe, venturam eſſe conſummationem, quo nomine intelligunt iſti finem mundi: quaſi non niſi proxime ante finem mundi, complenda ſit in vniuerſo orbe prædicatio Euangelica. Multi etenim per conſummationem, intelligunt euerſionem vrbis Hieruſalem, & regni Iudaici factam à Romanis. Et hanc interpretationem ſatis adiuuat contextus verborum Domini, ab initio illius capitis vſque ad eum locum: præſertim verò, vt eam hiſtoriam enarrat Marcus capite 13. Idemq; arguit, quod proximè ſubiungit Dominus. *Cùm videritis abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto.* Per quod & Lucas in ſuo Euangelio, & ipſemet Auguſtinus de conſenſu Euangeliſta-

tum

rum intelligunt exercitum Romanorum, qui obſeſſurus, & deſtructurus erat ciuitatem Hieruſalem.

25. Nec prior ſententia, quam diximus eſſe Hilarij, Chryſoſtomi, & aliorum, admodum ſtabile fundamentum habet. Poteſt enim dici, quod ſcriptum eſt, prædicandum eſſe Euangelium in vniuerſo orbe ante conſummationem, id eſt, deſtructionem Hieruſalem, id eſſe dictum per Synecdochen, figuram non ſanè infrequentem diuinæ Scripturæ: qua figura ponitur totum pro maiore, vel præcipua parte: vt ſenſus ſit, Euangelium prædicandum in vniuerſo mundo tunc cognito, vel in plurimis, & præcipuis mundi partibus. Nam etiam hoc modo locutus eſt Lucas capite 2. Euangelicæ hiſtoriæ, cùm dixit, Auguſti iuſſu, deſcriptum eſſe vniuerſum orbem: & item in Actis Apoſtolorum capite 2. ſcripſit, in die Pentecoſtes, quo die SPIRITVS ſanctus deſcendit in diſcipulos Domini, fuiſſe in ciuitate Hieruſalem ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt.

26. Illud demùm videtur mihi perquam probabile, ne dicam certum, Euangelium CHRISTI Domini, multis gentibus vſque ad hæc noſtra etiam tempora, non eſſe aliquando prædicatum. Magnum huius rei argumentum nobis præbet nouus orbis occidentalis, Hiſpanorum nauigationibus & induſtria repertus, atque obtentus: in quo nunquam antea eſſe prædicatum Euangelium CHRISTI, non ſolùm eo probatur, quod nulla apud illas gentes, Euangelij aliquãdo ipſis prædicati habeatur memoria, nullumq; prorſus exſtet veſtigium: Sed eo maximè iſtud perſuadetur, quod totus ille terrarum tractus vſq; ad hæc tempora prioribus hominibus fuerit planè incognitus; & Strabonem, Plinium, Dionyſium de ſitu orbis, Pomponium Melam, Ptolomeum, alioſque, quamuis diligentiſſimos, & curioſiſſimos Geographos, latuerit.

27. Ex Auctoribus porrò, & ſcriptoribus Eccleſiaſticis, vt Origene, Dorotheo, Euſebio, Hieronymo, Iſidoro, aliiſq; manifeſtum eſt, quibus in regionibus, & apud quas gentes Apoſtoli prædicauerint Euangelium. Beatus enim Petrus primum

Vbi terrarum, & gentiũ ſinguli Apoſtolorũ prædicauerint Euangelium.

mum prædicauit Euangelium in Iudæa; tum Antiochiæ; poſtea in Galatia, Cappadocia, Ponto, in Aſia, & Bythinia, & Romæ. Paulus, quo tempore hanc epiſtolam ſcripſit ad Romanos, iam prædicauerat (vt refert ipſe in ca. 15. huius epiſt.) ab Hieroſolyma, in circuitu, vſq; ad Illyricum: poſtea Romę, per Italiam, in Hiſpania, ac denique rurſus Romæ. Iacobus Zebedæi, in Iudæa, & in Hiſpania: Ioannes, in Iudæa, & in Aſia minori. Andreas in Scythia Europea, in Epiro, in Thracia, & in Achaia. Iacobus frater Domini in vrbe Hieruſalem. Philippus, in Scythia, & Phrygia. Bartholomeus, in India citeriori, & in maiori Armenia. Matthæus in Æthiopia. Thomas, apud Parthos, Medas, Perſas, Brachmanes, Hyrcanos Bactros, & Indos: Simon, in Meſopotamia: Iudas in Ægypto, & ambo poſtea in Perſide, Matthias in interiori Æthiopia. Barnabas ſimul cum Paulo in Syria, & in multis Europæ & Aſiæ regionibus, ac deinceps in Cypro. Ex his liquidò apparet, nullum Apoſtolorum prædicaſſe Euangelium in hoc noſtro orbe occidentali nuper inuento: fuiſſet enim memoriæ proditum, cùm eſſet maximè admirandum, plurimumq; faceret ad commendationem dilatationis fidei Chriſtianæ, & prædicationis Apoſtolicæ.

IN

IN CAPVT VNDECIMVM DISPVTATIONES QVATVOR.

CAPVT XI.

DICO ergo: Numquid DEVS repulit populum ſuum? Abſit. Nam & ego Iſraëlita ſum ex ſemine Abraham, de tribu Beniamin. *Verſu 1.* * Nō repulit DEVS plebem ſuam, quam præſciuit. An neſcitis in Elia quid dicit ſcriptura, quemadmodum interpellat DEVM aduerſum Iſraël? *2.* * Domine, Prophetas tuos occiderunt, altaria tua ſuffoderūt: & ego relictus ſum ſolus, & quęrunt animam meā. *3.* *3. Reg. 19. d. 10.* * Sed quid dicit illi diuinū reſponſum? Reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui nō curuauerunt genua ante Baal. *4.* *Ibidem. Verſu 18.* * Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt. *5.* * Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non eſt gratia. *6.* * Quid ergo? quod quærebat Iſraël, hoc non eſt conſecutus: electio autem conſecuta eſt, cæteri verò excœcati ſunt. *7.*

8. *Sicut ſcriptum eſt: Dedit illis DEVS ſpiritum compunctionis: oculos vt non videant, & aures vt non audiant vſque in hodiernum diem. 9. *Et Dauid ait: Fiat menſa eorum in laqueum, & in captionem, & in ſcandalum, & in retributionem illis. 10. *Obſcurentur oculi eorum ne videant: & dorſum eorum ſemper incurua. 11. *Dico ergo: Numquid ſic offenderunt vt caderent? Abſit: ſed illorum delicto, ſalus eſt Gentibus vt illos æmulentur. 12. *Quod ſi illorum delictum, diuitiæ ſunt mundi; & diminutio eorum, diuitiæ ſunt Gentium: quãto magis plenitudo eorum? 13. *Vobis enim dico Gentibus: Quandiu quidem ego ſum Gentium Apoſtolus, miniſterium meum honorificabo, 14. *ſi quo modo ad æmulandum prouocem carnem meam, & ſaluos faciam aliquos ex illis. 15. *Si enim amiſſio eorum, reconciliatio eſt mundi: quæ aſſumptio, niſi vita ex mortuis? 16. *Quod ſi delibatio ſancta eſt, & maſſa: & ſi radix ſancta, & rami. 17. *Quod ſi aliqui ex ramis fracti ſunt, tu autem cùm oleaſter eſſes; inſertus es in illis, & ſocius radicis, & pinguedinis oliuæ factus es, 18. *noli gloriari aduerſus ramos. Quod ſi gloriaris, non tu radicem portas, ſed radix te. 19. *Dices ergo; Fracti ſunt rami, vt

Iſaie. 6. Matth. 12. Ioan. 12. Act. vlt.

Pſalm. 68.

ego

ego inſerar. *Benè: propter incredulitatem fracti ſunt. Tu autem fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time. *Si enim DEVS naturalibus ramis non pepercit: ne fortè nec tibi parcat. *Vide ergo bonitatem, & ſeueritatem DEI: In eos quidem qui ceciderunt, ſeueritatem: in te autem bonitatem DEI, ſi permanſeris in bonitate, alioquin & tu excidêris. *Sed & illi ſi non permanſerint in incredulitate, inſerentur: potens eſt enim DEVS iterum inſerere illos. *Nam ſi ex naturali exciſus es oleaſtro, & contra naturam inſertus es in bonam oliuam: quanto magis ij qui ſecundum naturam inſerentur ſuæ oliuæ? *Nolo enim vos ignorare fratres myſterium hoc: (vt non ſitis vobis ipſis ſapientes) quia cœcitas ex parte contigit in Iſraël, donec plenitudo Gentium intraret. *Et ſic omnis Iſraël ſaluus fieret, ſicut ſcriptum eſt: venietex Sion, qui eripiat, & auertat captiuitatem à Iacob: * & hoc illis à me teſtamentum: cùm abſtulero peccata eorum. *Secundum Euangelium quidem, inimici propter vos: ſecũdum electionem autem chariſſimi, propter patres. *Sine pœnitentia enim ſunt dona & vocatio DEI. *Sicut enim aliquando & vos non credidiſtis DEO, nunc autem miſericordiam

20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. *Iſaia 59.* 27. 28. 29. 30.

am conſecuti eſtis propter incredulitatem illo-
31. rum. * ita & iſti nunc non crediderunt in ve-
ſtram miſericordiam, vt & ipſi miſericordiam
32. conſequantur. * Concluſit enim Deus omnia
33. in incredulitate, vt omnium miſereatur: * O al-
titudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei:
quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, &
34. inueſtigabiles viæ eius. * Quis enim cognouit
ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit?
35. * Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt
omnia: ipſi gloria in ſecula. Amen.

PRIMA DISPVTATIO.

An omnes Iudæi in fine mundi conuertent ſe ad CHRISTVM?

SVPER ILLIS VERBIS:

Verſu 25. Nolo enim vos ignorare fratres, myſteriũ hoc (vt non ſitis vobis ipſis ſapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Iſraël, donec plenitudo gentium intraret, & ſic omnis Iſraël ſaluus fieret.

1. VERBA hæc Apoſtoli excitant quæſtionem, minimè hoc loco prætereundam, An Iudæi omnes, qui erunt proximè ante conſummationem ſeculi, accepturi ſint fidem CHRISTI. Eorum, qui hac

hac de re scripserunt, duas reperio sententias. Quidam affirmant, omnes Iudæos tunc conuersum iri ad CHRISTVM: id enim disertè videtur docere Apostolus, dicens hoc loco, cùm plenitudo Gentium intrauerit, tunc omnem Israël, id est, omnes Iudæos, saluum fore. Hoc certè tradidit Chrysostomus super illis verbis Pauli, quæ sunt in hoc ipso capite vndecimo: *Si delictum illorum, diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorum, diuitiæ Gentium; quanto magis plenitudo eorum?* ponderans Chrysostomus illud: *Quanto magis plenitudo eorum?* ita scribit: Non dixit Apostolus: *Quanto magis conuersio, vel correctio, vel commutatio ipsorum?* Sed, *Quanto magis plenitudo eorum?* hoc autem est, quando vniuersi ad fidem CHRISTI accessuri sunt. Sic ibi Chrysostomus. Eadem est sententia B. Thomæ: qui explanans verba illa Pauli: *Donec plenitudo Gentium intraret, & sic omnis Israël saluus fieret.* Notandum est, inquit, quod aduerbium illud *(donec)* potest distinguere caussam obcœcationis Iudæorum: propter hoc enim permisit DEVS excœcari Iudæos, vt plenitudo gentium intraret ad fidem, vt patet ex supradictis ab Apostolo. Potest etiam istud aduerbium *(donec)* designare terminum, quia videlicet vsque tunc cœcitas Iudæorum durabit, quo vsque plenitudo Gentium ad fidem intrabit. Et huic concordat quod subdit de futuro remedio Iudæorum, dicens: *Et sic*, id est, Postquam plenitudo Gentium intrauerit, *Omnis Israël saluus fiet*, id est, non particulariter aliqui tantùm saluabuntur Iudæi, sicut modò; sed vniuersaliter omnes. Hæc B. Thomas. Ad hanc quoque sententiam Sotus in suis commentariis videtur esse propensior, eamque sequitur hoc loco Caietanus.

Omnes Iudæos conuersum iri ad Christum in fine mũdi, putarunt Chrysostomus, S. Thomas, Caietanus, Sotus.

Sotus. *Caietanus.*

2. Altera est sententia, plurimos quidem Iudæorum tunc conuersum iri ad CHRISTVM, non autem omnes. Quod autem plurimi tunc conuertentur, dubitari non potest, testante hoc Paulo, cùm ait: *Omnis Israël saluus fiet.* nam illud, *Omnis*, secundum loquendi consuetudinem ipsius scripturæ, significat aut simpliciter omnes, nullo excepto; aut ferè

omnes, paucis videlicet exceptis, qui, præ multitudine aliorum, pro nihilo ducantur: & secundum hanc intelligentiam accipiendum est illud Domini dictum, quod refert Matthæus capite decimo septimo. *Elias quidem veniet, & restituet omnia.* Quod autem non omnes Iudæi, nullo excepto, accepturi sint tunc fidem CHRISTI, & futuri salui, videtur esse manifestum ex verbis illis, quæ dixit ANGELVS Danieli, cùm loqueretur de maxima tribulatione in fine mundi futura: *In illo tempore*, inquit, *saluabitur populus tuus, omnis qui inuentus fuerit scriptus in libro.* Illud, *qui inuentus fuerit scriptus in libro*, restringit, & contrahit signum illud vniuersale, *Omnis*. Si enim simpliciter omnes Iudæi futuri tunc essent salui, ANGELVS simpliciter dixisset: *In illo tempore saluabitur omnis populus tuus*; præsertim autem cùm id audire, ac nosse, lætissimum, & iucundissimum Danieli futurum esset. Deinde, Ioannes in Apocalypsi ait, eos qui consentient cum Antichristo, eumque adorabunt, miserrimo vitæ exitu morituros. Tradunt autem Patres, qui de Antichristo scripserunt, præcipuos sectatorum Antichristi, fore Iudæos. Audi vnum de grauissimis, & antiquissimis patribus, Hippolytum, cuius in oratione, quam scripsit de consummatione sæculi, hæc sunt verba: Potissimùm, Gens Hebræorum, præ omnibus Antichristo cara erit: dicentque alius alij: Numquid in generatione nostra, talis, & tam bonus, iustusque homo, inueniri potest? Iudæi igitur sperantes illum amplissimo potiturum imperio, his verbis eum alloquentur: Omnes tibi obtemperare volumus; agnoscimus enim te iustum super terram. Omnes à te salutem nos consecuturos, & ex ore tuo iustum, & incorruptum iudicium accipiemus. Atque initio quidem, mendax, & iniquus ille, subdole gloriam hanc repudiabit: at perseuerantes homines, & obsecrantes, illum declarabunt regem. Hæc prodita sunt ab Hippolyto. Sed quamuis, à primo, aut omnes, aut fermè omnes Iudæi sectaturi sint Antichristum: postea tamen, per Eliæ prædicationem, plurimi eorum,

Locus Matth. 17.

Non omnes Iudæos in fine mũdi fore saluos. Dan. 12.

Hippolytus.

rum, deserto Antichristo, ad CHRISTI fidem se conuertent.

Atque hæc quidem est sententia Theodoreti, & beati Gregorij. Theodoretus quidem explanans hunc Pauli locum, ait, Iudæos per Eliæ prædicationem conuersum iri ad CHRISTVM, sed omnes conuersum iri, neque ait, neque negat, indefinitè tantùm de illis loquens. Hæc enim sunt eius verba: Postquam Gentes prædicationem susceperint, Iudæi etiam credent, cum insignis ille Elias accesserit; & illis fidei doctrinam attulerit. Hoc enim Dominus quoque dixit in sacro Euangelio: *Elias venturus est, & restituet omnia.* Sic Theodoretus. Sed enim idem Theodoretus super illis verbis, quæ dixit ANGELVS Danieli, & paulò suprà sunt à nobis citata: *In tempore illo saluabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit scriptus in libro.* Quid est, inquit, *Omnis qui inuentus fuerit scriptus in libro?* hoc nempe: saluabuntur, qui digni salute fuerint, & Heliæ prædicationi obtemperauerint: quos DEVS iam inde à principio præcognoscit; & hanc DEI præcognitionem nuncupauit librum. Idem sensisse videntur Theophylactus, & Oecumenius super illis verbis Pauli: *Et sic omnis Israël saluus fiet.* non enim illud Pauli dictum extendunt ad omnes simpliciter Iudæos, sed ad eos tantùm, qui credituri sunt in CHRISTVM, non obscurè significantes, non omnes tunc Iudæos credituros in CHRISTVM. Idem tradit beatus Gregorius in homilia duodecima super Ezechielem, his verbis: Henoch & Helia prædicante, multi ex Iudæis, qui tunc in infidelitate remanserint, ad cognitionem veritatis redibunt; sicut de eodem Elia dixit Dominus: *Helias veniet, & ipse restituet omnia.* Ac licet beatus Augustinus in libro vigesimo de ciuitate DEI, capite vigesimo tertio, loquens de conuersione Iudæorum futura in fine sæculi, neque affirmet, neque neget, omnes tunc Iudæos conuersum iri ad CHRISTVM, eo ipso

3.
Theodoretus.
Matth. 17.
Theophylactus.
Oecumenius.
S. Gregorius.
Matth. 17.

tamen, quod non affirmat futurum eſſe tunc omnium Iudæorum conuerſionem, non obſcurè ſignificat, non omnes tunc couerſum iri ad CHRISTVM: nam ſi hoc putaſſet, proculdubio id apertè, expreſſeque dixiſſet. Auguſtini verba ſunt hæc: Per Heliam, expoſita ſibi lege, vltimo tempore ante iudicium, Iudæos in CHRISTVM verum eſſe credituros, creberrimum eſt in ſermonibus, cordibuſque fidelium. His conſonant quæ extremo libro prophetiæ Malachiæ ſcripta ſunt illis verbis: *Ecce ego mittam vobis Heliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & terribilis, & conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum; ne fortè veniam, & percutiam terram anathemate.* Simile quid in libro Eccleſiaſtici capite quadrageſimo octauo, ſcriptum eſt illis verbis: *Qui inſcriptus es* (Helias) *in iudicio temporum, lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & reſtituere tribus Iacob.* Hæc mihi etiam probabilior videtur ſententia: quare in illis verbis Apoſtoli: *Omnis Iſraël ſaluus fiet.* Signum illud vniuerſalitatis, *(omnis)* non vniuerſaliter accipiendum eſt, ſed pro multò maxima parte Iudæorum, ita vt præ multitudine tunc ſaluandorum, qui non ſaluabuntur, futuri ſint pauciſſimi, & ideo perinde quaſi nulli habeantur. Eſſe autem in more diuinæ Scripturæ, iſtiuſmodi nomnia *(Omnis, & nullus)* vniuerſalitatem denotantia, vſurpare non vniuerſaliter, ſed pro maxima parte, cuiuis minimè rudi ſacrarum litterarum, notum eſt, & copioſè à nobis ſuprà oſtenſum eſt.

S. Auguſtinus.

SECVN-

SECVNDA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

SINE pœnitentia enim sunt dona, & vocatio DEI.

Versu 28.

4.

THEODORETVS hunc locum explanans, ait Paulum esse vsum hac sententia, non quòd ea sit absolutè vera, deficit enim in multis, sed vt adhortaretur Iudæos, & benè animaret, ad sperandum, fore ipsos aliquando participes salutis, & bonorum, quæ DEVS promiserat eorum Patribus, & semini ipsorum. Sic autem Theodoretus scribit: Hæc dicit Apostolus, ad Iudæorum exhortationem. Nam quod bona, quæ dat hominibus DEVS, rursus auferat, cùm viderit eos, qui acceperint, ingrati animi vitio laborare; testis est Saul, qui gratiam spiritalem percepit, & ab ea postea desertus est. Similiter etiam Salomon, qui pacem diuina benignitate assecutus, post transgressionem gratia priuatus est. Iudæi etiam, qui Prophetas curam eorum perpetuò gerentes habuerant, ea cura ad pręsens priuati sunt. Hoc ipsum Gentibus, ad ipsum conuersis, paulò antè minatus est Apostolus, dicens: *Si permanseris*, inquit, *in bonitate; alioqui & tu excideris*. Hæc Theodoretus. Sed profectò hæc Apostoli sententia, si rectè intelligatur, in vniuersum, & absolutè vera est, nec in vllo deficit, vt ex iis, quæ paulò infrà dicturi sumus, enotescet.

Theodoretus.

5.

S.Thomas.

S.Thomas copiosam & planè theologicam horum Apostoli verborum interpretationem tradit huiusmodi: Sensus, inquit, istorum verborum: *Sine pœnitentia sunt dona DEI, & vocatio*. Talis est, quod DEVS, aliquid donet aliquibus, vel aliquos vocet, hoc fit sine pœnitentia, quia de hoc DEVM

nunquam pœnitet, ſecundum illud 1. Regum 15. *Triumphator in Iſraël non parcet, nec pœnitudine flectetur.* Et Pſalm. 109. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum.* Sed videtur hoc eſſe falſum: dixit enim Dominus Gen. 6. *Pœnitet me feciſſe hominem.* Et Hieremiæ 18. *Si fecerit malum in oculis meis, pœnitentiam agam & ego ſuper bono quod locutus ſum vt facerem ei.* Et de Saule dixit, quod pœnitebat eum, quod ipſum conſtituiſſet regem. Sed ad hoc ita reſpondendum eſt: ſicut dicitur DEVS iraſci, non quantum ad iræ affectum & perturbationem, ſed quantum ad effectum, quia in ſimilitudinem hominis irati caſtigat & punit: ita dicitur pœnitere DEVS alicuius rei, non quòd in eo ſit pœnitentiæ mutatio: ſed quia ad modum pœnitentis, ſępè mutat quod fecit. Videtur nihilominus tamen, quod ſæpè dona DEI, & vocatio non ſint ſine pœnitentia, cùm nonnunquam quod dederat alicui, auferat ei ſecundum illud Matthæi 25. *Tollite ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta.* Vocatio quoque interdum eſt inefficax & irrita ſecundum illud Matthæi 22. *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Sed dicendum eſt, quod hîc accipitur donum, pro DEI promiſſione, quæ fit ſecundum DEI præſcientiam & prædeſtinationem: Vocatio autem accipitur, pro electione: quia propter certitudinem vtriuſque, quod DEVS promittit, iam quodammodo dat: & quos DEVS eligit, iam quodammodo vocat. Et ipſum temporale DEI donum & temporalis vocatio non irritatur per mutationem DEI, quaſi pœnitentia, ſed per mutationem hominis, qui gratiam DEI abiicit, ſecundum illud ad Hebr. 12. *Contemplantes ne quis deſit gratiæ DEI.* Poteſt etiam hæc Pauli ſententia intelligi de vocatione hominis ad baptiſmum, & de donis quæ dantur in baptiſmo, quæ dicuntur eſſe ſine pœnitentia hominis baptizati: non quod ſint ſine pœnitentia interiori, cùm Petrus dixerit Actorum 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum.* Eſt autem interior pœnitentia, contritio cordis, & dolor de pręteritis peccatis cum propoſito non amplius ea faciendi. Huiuſmodi autem interior pœnitentia eſt neceſſaria etiam baptizan-

Locus 1. Reg. 15.

1. Reg. 15.

ptizando, ſecundum illud Auguſtini in libro de pœnitentia: Nemo ſuæ voluntatis arbiter conſtitutus, poteſt nouam vitam inchoare, niſi eum veteris vitæ pœniteat; alioquin fictus ad baptiſmum accedit. Exterior autem pœnitentia conſiſtit in exteriori ſatisfactione, qualis eſt in Sacramento Pœnitentiæ, quæ à baptizato non requiritur: quia per gratiam baptiſmalem liberatur homo non ſolùm à culpa, ſed etiã à tota pęna, per virtutem paſſionis CHRISTI qui pro peccatis omnium ſatisfecit: Sicut ſuprà capite 6. dictum eſt: *Quicumque baptizati ſumus in CHRISTO IESV, in morte ipſius baptizati ſumus.* Vnde idem Apoſtolus dixit ad Titum cap. 3. *Per lauacrum regenerationis, & renouationis SPIRITVS ſancti, quem effudit in nos abundè.* Hactenus ex S. Thoma. Poſteriorem autem interpretationem de baptiſmo, videtur ſumpſiſſe ab Ambroſio, qui eam ſolam in commentario huius loci tradit.

S. Auguſtinus.

6. *Caietanus.*

Caietanus porrò ſimiliter B. Thomæ, ſed paucis verbis hunc Pauli locum interpretatus, ita ſcribit: Probat his verbis Apoſtolus electionem diuinam erga Iudæos in fine, eſſe immobiliter firmam: quia dona DEI, & vocatio DEI (intellige tu de bonis, & vocatione ab æterna electione procedentibus) ſunt impœnitenda, & quorum DEVM nunquam pœnitet. Hoc autem dicitur ad differentiam donorum, & vocationum, quæ non procedunt ab æterna DEI electione. Sed ſunt tantùm ſecundũ præſentem hominis iuſtitiam: vel ſunt dona ſpectantia ad corpus, ſiue res exteriores. Huiuſmodi enim dona vel effectus quia deſtruuntur, ſunt velut pœnitenda, & DEVS ad ſimilitudinem pœnitentis habet ſe reſpectu illorum, iuxta illud quod ſcriptum eſt Gen. 6. *Pœnitet me feciſſe hominem.* Sic Caietanus. Et hæc quidem B. Thomæ, & Caietani horum Pauli verborum interpretatio, eſt ferè communis Theologorum expoſitio huius loci, arbitrantium, ſententiam hanc Pauli eſſe intelligendam de donis & vocatione tantùm electorum, & prædeſtinatorum: in his enim ſolùm habent infallibilem, & immutabilem effectum.

7. *Auctoris ſententia.*

Dicam breuiter quam ego putem eſſe rectam & congruam,

am, maximaque germanam horum Apostoli verborum interpretationem; non tam quidem à superiori discrepantem, quàm paulò explicatiorem, expressioremque. Ac primò sciat lector, pro illo: *Sine pœnitentia*, græcè vnum esse nomen, ἀμεταμέλητα, latinè ad verbum significans impœnitibilia, siue impœnitenda: Sic autem vocantur ea dona, quia dedisse, nunquam pœnitere possit eum qui dedit. Quanquam memini legere apud quendam, qui laudabat græcum quendam codicem Basiliensis editionis, in quo pro supradicta voce, ἀμεταμέλητα, legebatur, ἀμετάβλητα, id autem est latinè, immutabilia: verùm vtraque vox græca eandem reddit sententiam.

Duplex vsurpatio verbi pænitet.

Nomen porrò pœnitentiæ, & verbum pœnitendi, dupliciter accipi potest: vel propriè, & ita denotat mutationem consilij, & voluntatis: vt cùm quis dat aliquid alicui, & postea non vellet id dedisse, mutata videlicet priori voluntate, quam habebat, cùm dedit: hunc propriè dicitur pœnitere quod dederit. Vel istud nomen pœnitentiæ, & verbum pœnitere vsurpatur tantùm impropriè, & figuratè, non significando mutationem vllam voluntatis in eo, quem dicitur pœnitere, sed solam mutationem in effectu, & in re, quæ dicitur pœnitenda; hoc est, qui dedit aliquod donum alicui, dicitur secundum hanc significationem pœnitere eum, non quia mutata sit voluntate, & nollet dedisse quod dedit; sed quia mutatio fit circa ipsum donum, quod fuerat datum: aufertur enim ei, cui datum fuerat. Sumptum autem priori modo verbum pœnitendi, reperitur sæpenumero in hominibus; in DEO autem reperiri non potest, cùm eius consilium & voluntas sit prorsus immutabilis. Et hac quidem ratione omnia dona DEI, sunt sine pœnitẽtia, non solùm quæ dantur prædestinatis, sed etiam quæ aliis quibuslibet hominibus conferuntur. Omnis item DEI vocatio non modò prædestinatorum, sed aliorum quorumlibet, est sine pœnitentia. DEVS enim respectu nullius doni sui vult vnquam non dedisse ipsum: etiam cum donum suum aufert ei, cui dedit, non vult, non dedisse ipsi: sciens enim ab æterno hominem abusurum dono suo,

ſuo, & eſſe ei auferendum, nihilominus tamen iuſtiſſimis & optimis de cauſis voluit dare illud donum. Si autem nomen pœnitentiæ, & verbum pœnitendi impropriè, vt diximus, & figuratè ſumantur, hac profectò ratione & dicuntur de DEO, & ea tantùm dona dicuntur eſſe ſine pœnitentia, quæ ſunt prorſus immutabilia, & infallibilem habent effectum: huiuſmodi verò ſunt dona tantùm, & vocatio hominum prædeſtinatorum. Atq; hoc ſpectantes pleriq; Theologorum, ſententiam Apoſtoli, quę ſecundum priorem conſiderationem, abſolutè atque in vniuerſum eſt vera, ad ſolos electos & prædeſtinatos arctarunt, & reſtrinxerunt.

8. Quoniam verò hæc Apoſtoli ſententia Iudæos præcipuè attingit, de quorum ſcilicet primùm electione, poſtea reprobatione, ac denique reparatione, admirabili ſapientia diſputat in hoc 11. cap. Apoſtolus: declarandum eſt, quemadmodum vocatio populi Iudaici, & dona ei à DEO promiſſa, fuerint ſine pœnitentia; cùm plerique Iudæorum, ob incredulitatem, eorum donorum compotes facti non ſint: quin etiam reiecti à DEO, populus eius eſſe deſierint. Verùm iſta fuiſſe ſine pœnitentia, dupliciter intelligi poteſt. Primò quidem, quia etſi plurimi, iſtorum donorum expertes fuerunt; ea tamen completa ſunt in Iudæis electis, qui in CHRISTVM crediderunt, & ſunt veri Iſraëlitæ, & ſunt verum ſemen Abrahæ. Hos porrò, ſi æſtimes omnes, qui ab aduentu CHRISTI, vſq; ad extrema mundi tempora fuerunt, & futuri ſunt, pręſertim verò qui erunt ante conſummationem ſeculi, quamplurimos eſſe comperies. Huc ſpectat quod Paulus dixit: *Quod quærebat Iſraël, hoc non eſt conſecutus; electio tamen conſecuta eſt.* (Ad Rom. 11.) Id eſt: licet tota gens Iudæorum non ſit conſecuta ſalutem; electi tamen Iudæorum conſecuti ſunt. Et illud eiuſdem: *Reliquiæ per electionem gratiæ ſaluæ factæ ſunt.* Generalis itaq; vocatio Iudæorum, pœnitenda non fuit, quia ſaltem in reliquiis, id eſt, in electis, vim & efficaciam habuit. Et ad hoc oſtendendum, & probandum, atq; perſuadendum, multa copioſè diſputauit Paulus & initio cap. 9. & in hoc 11. ca. docens, non

excidisse verbum DEI, nec promissiones eius fuisse irritas, quia completæ sunt in vero semine Abrahæ, id est, in electis. Et in exordio huius cap. 11. dixit: *Numquid DEVS repulit populum suum? Absit. Nam & ego Israëlita sum, ex semine Abrahæ, de tribu Beniamin. Non repulit DEVS plebem suam quam præsciuit.* id est, electos & prædestinatos, qui erant in ea plebe; nam loquitur de præscientia approbationis, de qua scilicet suprà in cap. 8. dixerat: *Quos præsciuit, & prædestinauit, &c.*

9\. Altero modo potest intelligi, & vocationem Iudæorum, & DEI dona illis promissa, quamuis illi ob incredulitatem reiecti sint à DEO, fuisse tamen sine pœnitentia: quia vt Paulus ait in hoc capite, delictum illorum, salus fuit Gentium; & diminutio illorum, diuitiæ fuêre Gentium; & cæcitas eorum, causa fuit (per occasionem videlicet) vt plenitudo Gentium ad fidem intraret. Sic profectò res habet: etiam dona DEI concessa improbis, & illis ablata, sine pœnitentia sunt, quia in aliorum vertuntur atque conferuntur vtilitatem. Aufertur vinea malis agricolis: sed datur genti facienti fructum. Coronam quam quis amittit, alius accipit. Et qui ab vno ordine diuinæ voluntatis recedunt, gratiam eius in vacuum recipientes: hi vel inuiti delabuntur in alium ordinem diuinæ voluntatis, iustam nempe vindictam eius sentiendo, vt declarat Augustinus libro de spiritu, & littera cap. 3. Non itaq; pœnitet DEVM donorum, quę dat ingratis hominibus, & qui donis DEI abutuntur: nimirum nouit ex ipsis malis, bona facere, sicut docet Augustinus in Enchiridio, cap. 100.

Matth. 21.
Apoc. 3.
S. Augustinus.

10\. Non est deniq; tacendum hoc loco, hac sententia Pauli, hæreticos nostri temporis abuti ad firmandum, probandumque suum illud dogma de certitudine fidei, qua quisque certum habere debet, se & gratiam DEI habere, & eam inamissibilem esse homini verè iustificato: hoc enim aiunt docere Paulum his verbis: affirmat enim, vocationem DEI, & dona esse sine pœnitentia. At enim, sententiam hanc Apostoli non pertinere ad istam certitudinem fidei hæreticorum, vel ipse Caluinus in huius loci commentario ingenuè confes-

In hæreticos male vtentes hac Pauli sententia.
Caluinus.

sus

sus est, ita scribens: Tenendum est, Apostolum hoc loco non de priuata cuiusq; electione tractare, sed de communi adoptionis totius gentis Iudaicæ: quæ externa specie, videri potuit collapsa ad tempus, sed à radice excisa non fuerat; quia in reliquiis eius spes aliqua manebat, vt in subsequentibus ipse docet Apostolus. Sic ille. Dona igitur DEI dicuntur esse sine pœnitentia, non quia semel data iustis, non queant ab illis amplius amitti, vt sibi finxerunt hæretici: Sed quia, licet amittantur, eorum vitio, qui acceperunt, DEVM tamen nunquam pœnitet dedisse se illis, nec circa illa consilium & voluntatem suam vllo modo mutat.

TERTIA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

O altitudo diuitiarum Sapientiæ & scientiæ DEI, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius?

Versu 33.

SANCTVS Augustinus in libro de gratia, & libero arbitrio capite 22. hanc Pauli exclammationem, ingenti cum admiratione coniunctam, refert ad id, quod proximè antecesserat: *Conclusit DEVS omnia in incredulitate, vt omnium misereatur.* Vt sit hic sensus istorum Pauli verborum: Dum mecum reputo atque considero diuinæ rationem dispensationis, qua factum est, vt Gentes antea dæmonibus seruientes, subitò ad Euangelij gratiam vocarentur; Iudæi verò, qui antea verum DEVM coluerant, & quibus præcipuè gratia hæc promissa fuerat, ab eo exciderent: &, quod, vt cœcitas Iudæorum, occasio fuit salutis Gentium: ita vicissim salus Gentium, occasio tandem futura

tura ſit reparandæ ſalutis Iudæorum; Cùm hæc, inquam, mecum conſidero, præ ingenti admiratione ac ſtupore, cogor exclamando dicere, *O altitudo diuitiarum, &c.* Pro, *altitudo,* græcè legitur, βάθος, quod ſignificat profunditatem: Sed altitudinem pro profunditate, & altum pro profundo, latini etiam ſcriptores eleganter vſurpare ſolent. Nomen diuitiarum, ſecundum phraſim hebraicam (quæ in lingua etiam Italica ſatis vſitata eſt) ingentem ſignificat copiam & exuberantiam. Intelligitur autem hoc loco Sapientia DEI, qua ſupremo iudicio ſuo, rerum olim agendarum ordinem decernit, ordinans quid quoque tempore fieri velit: Exempli cauſa: hoc tempore Iudæos eligere, & relinquere Gentes: poſtea verò Gentes eligere, & deſerere Iudæos: & ad extremum, vtroſque communis facere ſalutis participes. Scientia verò DEI hîc ſignificare videtur cognitionem, qua DEVS cuiuſq; nationis & gentis ingenia, & propenſiones, & mores clariſſime perſpicit; vt ſecundum reconditam ſapientiam ſuam diſponat ac diſpenſet, quid cuique tempori, & cuique nationi, & genti conueniat, atque expediat. Pro illo: *Incomprehenſibilia,* græca vox ſignificat, *Inſcrutabilia*, & ſic nonnunquam ab Auguſtino, & Hieronymo citatur. S. Gregorius vtramq; lectionem citat in libro 29. Moralium, capite 21. cuius vocis emphaſim declarans Chryſoſtomus: Tanta eſt, inquit, profunditas iudiciorum DEI, vt ea nemo queat ſcrutari, nedum comprehendere. Quod ſi quis ea temerè ac ſuperbè ſcrutari audeat, continget ei, quod ſcripſit Salomon: *Scrutator maieſtatis opprimetur à gloria.* Illud, *viæ*, ſignificat arcana DEI conſilia, occultaſque prouidentiæ ſuæ diſpoſitiones ac diſpenſationes, quibus quoſdam per miſericordiam liberat, & ſaluat; alios per ſuæ iuſtitiæ ſeueritatem deſerit ac reprobat. Cùm porrò dicitur, *altitudo diuitiarum Sapientiæ*, gemina fit amplificatio & exaggeratio Sapientiæ; primùm per illud nomen, *altitudo*, deinde per illud nomen, *diuitiarum.*

S. Gregorius.

Prou. 25.

12\. Ceterùm iuuat hîc percenſere vndecim excellentias Diuinæ ſcientiæ & cognitionis, cuius præſtantiam cùm Apoſtolus

ſtolus

stolus contemplaretur, obstupescebat animo, & cogitatione; atque eum stuporem suum in illam acclamationem erupit. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ DEI.* PRIMA excellentia est ratione multitudinis rerum à DEO cognitarum. Omnia enim & facta, & facienda, & quoquo modo factibilia, subiacent eius cognitioni: &, quod immensum est pelagus, perfectè seipsum cognoscit, atque comprehendit. SECVNDA excellentia, ratione perfectionis in cognoscendo: quia cognoscit omnia perfectissimè, atque omni modo quo sunt cognobilia. TERTIA: ratione medij, quo res cognoscit: nihil enim cognoscit per medium à se diuersum, hoc est, vel per effectus, vel per species aliquas impressas intellectui, sed omnia per suam ESSENTIAM cognoscit, in qua tanquam in speculo mundissimo, clarissimè ac perfectissimè repræsentantur ei omnia cognoscibilia. QVARTA: ratione celeritatis in cognoscendo: quia in instanti, & simul cognoscit omnia: neque eius cognitio mensuratur tempore continuo, vt discursiua cognitio hominis: nec tempore discreto, vt cognitio ANGELORVM. QVINTA: ratione certitudinis, etiam in rebus per se incertis: cognoscit enim certissimè futura contingentia, quæ neque in seipsis, neque in causis suis determinata sunt. SEXTA: ratione æternitatis: quia nunquam cognitio eius incœpit, & nunquam desinet. SEPTIMA: ratione vniformitatis: est enim cognitio DEI prorsus inuariabilis, nec proficiens vllo modo, nec deficiens. OCTAVA: ratione simplicitatis & vnitatis: non enim pro diuersitate rerum cognitarum diuersas habet cognitiones, & diuersas facit intellectiones, sed vno & simplissimo actu intelligendi, & seipsum, & alia omnia cognoscit. NONA: ratione entitatis: non enim cognitio DEI est accidentaria, vt est hominibus, & ANGELIS; sed est substantialis DEO, atque ipsemet DEVS. Cognitio itaque, quam DEVS habet, vermis vel lapilli, ratione entitatis, est ipsemet DEVS. DECIMA: ratione causalitatis: cognitio enim DEI, est causa effectrix omnium rerum quæ fiunt:

Vndecim excellentiæ scientiæ Dei.

ſicut in artifice ars, eſt cauſa efficiendi omnia artificialia. VNDECIMA: ratione fœcunditatis, & liberaliſſimæ communicationis: quemadmodum enim lux ſolis largiſſimè ſe ipſam exhibet omnibus, faciens vt omnia videantur, & videant omnes qui videndi facultatem habent; ita DEI ſapientia & ſcientia ſeipſam diffundit, facitque cognoſci, & cognoſcere omnia.

QVARTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Verſu 35.

AVT quis prior dedit illi, & retribuetur ei?

13.

DVÆ apud Iob ſimiles reperiuntur ſententiæ, vnde creditur hanc eſſe mutuatus Apoſtolus. Altera eſt illa in capite 35. *Si iuſtè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet?* Altera eſt in capite 31. comprehenſa illis verbis: *Quis antea dedit mihi, vt reddam ei? Omnia quæ ſub cœlo ſunt, mea ſunt.* Eodem ſpectat illud, quod in prioris libri Paralipomenon capite vltimo ſcriptum eſt: *Tua*, inquit, *ſunt omnia: & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Sed quorſum hæc verba dixit Apoſtolus? nempe, vt oſtenderet, neminem vnquam à DEO affici iniuria; quamuis & Iudæos in ſua cœcitate dereliquerit, & Gentes illuminauerit: vbi enim nulla eſt ratio iuſtitiæ, nulla ibi ſubeſſe poteſt, iniuriæ nota. Cùm igitur nullus prior dederit DEO, cui, tanquam debitor, ipſe teneatur, iuſtum rependere, nemo aduerſus illum agere poteſt de iniuſtitia, & iniquitate. Quod autem nullus prior dare DEO poſſit, probat Apoſtolus ſubſequentibus illis verbis: *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia: ipſi gloria in ſæcula ſæculorum*, quorũ verbo-

verborum hic est sensus: *Ex ipso*, velut ex auctore, effectoreque profecta sunt omnia: *Per ipsum*, tanquam cõseruatorem, quæ cœperunt esse, perseuerant ac permanent: *In ipso*, tanquã in fine perficiuntur ac consummantur omnia. Sic exponunt hæc verba interpretes Græci. B. Augustinus præpositionem, *Ex*, refert ad PATREM, cui appropriatur potestas: Præpositionem autem, *Per*, refert ad FILIVM, cui appropriatur sapientia. Præpositionem, *In*, assignat SPIRITVI sancto, cui attribuitur bonitas & perfectio. Et quia subiungitur, *Ipsi gloria*, & non *ipsis*, eo demonstratur & TRINITAS diuinarũ personarum, & VNITAS ESSENTIÆ diuinæ. Ad hũc item modum interpretatur hæc verba Basilius libro quinto contra Eunomium, & Gregorius homilia in Ezechielem decima sexta, Ambrosius verò in libro secundo de SPIRITV sancto has tres præpositiones ad quamlibet diuinarũ trium personarum sigillatim accommodat. Hilarius autem in explicatione Psalmi 67. totam hanc Apostoli sententiam pulchrè ad CHRISTVM applicat. Ergo si DEVS est omnium, atque omni modo causa, nullus profectò ei prior aliquid dare potest: quicquid enim dederit, id esse factum à DEO necessum est: prior igitur DEVS hoc ipsum dedit.

S. Augustinus.

S. Basilius.
S. Gregorius.
S. Ambrosius.

Hilarius.

14.
Quomodo possit Deus esse nobis debitor secundum Augustinum.

B. Augustinus scitè declarat quemadmodũ habere DEVM nobis debitorem possimus, ita scribẽs in sermone 16. de verbis Apostoli: Debitor nobis factus est Deus, nõ aliquid à nobis accipiendo; sed, ꝙ ei placuit, promittendo nobis. Aliter enim dicimus homini, Debes mihi quæ dedi tibi: & aliter dicimus, Debes mihi quæ promisisti mihi: à te processit beneficium, sed mutuatum, non donatum. Quando autem dicis; Debes mihi, quia promisisti mihi: tu nihil dedisti, & tamen exigis. Bonitas .n. eius, qui promisit, dabit, ne in malitiã fides cõuertatur: qui enim fallit, malus est. Quid igitur nos DEO possumus dicere? An redde mihi, quia dedi tibi? Quid debemus nos DEO, cùm totũ quod sumus, & ꝙ habemus donũ, ab illo habeamus? Dicẽte præsertim Apost. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Illo igitur modo tantũ possumus exigere à Domino

mino nostro, vt dicamus ei: Redde quod promisisti, quia fecimus quod iussisti: & hoc ipsum quod fecimus, tu fecisti, quia nos laborantes iuuisti. Nemo ergo dicat: Ideo me vocauit Devs, quia colui eum: quomodo enim coluisses eum, si vocatus ab eo non fuisses? Si propterea te vocauit Devs, quia tu coluisti Devm: ergo tu prior dedisti Deo, & Devs retribuit tibi. Nonne istam tibi vocem adimit Apostolus dicens: *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Hæc Augustinus.

15. *In Caluinum & Bezam.*

Sed mira profectò est hæreticorum nostri temporis vel inscitia, vel malitia: Hanc enim Pauli sententiam iactant illi & venditant, tanquam planè contrariam doctrinæ catholicæ. Caluinus ait, ista sententia funditus euerti merita bonorum operum respectu vitæ æternæ. Si enim Devs homini salutem daret propter bona eius opera, homo igitur prior daret opera bona Deo, & Devs posterior retribueret ei salutem: quod est planè absurdum, non modò impium. Caluini verba in huius loci commentario, sunt hæc: Est notabilis hic locus: quo docemur, non esse nostræ facultatis, Devm nostris benefactis ad conferendam nobis salutem prouocare: sed illum gratuita bonitate nos immerentes præuenire. Sic iste. Sed duplex est salus hominis, vna tantùm inchoata per gratiam datam homini, quæ non totum eum, sed mentem eius duntaxat in hac vita sanat: altera verò est, perfecta & consummata salus, quam iusti post mortem consequuntur, præsertim verò post resurrectionem corporum. Si Caluinus loquatur de salute priori modo accepta, verum est quod ait, salutem animi non propter eius antecedentia merita, sed gratuita tantùm Dei bonitate donari: sicut Apostolus dicit scribens ad Titum capite tertio: *Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritvs sancti, quem effudit in nos abundè per Iesvm Christvm saluatorem nostrum; vt iustificati gratia ipsius hæredes simus secundum spem vitæ æternæ.* Sin autem nomine salutis intelligat salutem perfectam, quæ est vitæ æternæ, hæc, licet

detur

detur homini iusto propter eius merita; prior tamen DEVS ei gratiam dedit, per quam mereri posset: & ante gratiam iustificantem, multis eum auxiliis præuenit. Nunquam igitur hæretici ostendere poterunt, hominem priorem esse in dando aliquid DEO, secundum doctrinam catholicam, in quo non fuerit ipse multis modis præuentus à DEO.

16. Beza porrò hanc Pauli sententiam vrget vehementer aduersus veteres Patres, & Doctores Ecclesiæ, qui dixerunt, electionis hominum ad vitam æternam, causam vel rationem fuisse præuisionem bonorum operum, quæ illi facturi erant. Sic enim scribit: Est hic locus diligenter obseruandus aduersus eos, qui fidei, vel operum prȩuisionem, faciunt electionis causam. In quem errorem, sanè turpissimum, Origenes veteres plerosque tum Græcos, tum Latinos adegit, donec tandem Dominus Augustinum, per Pelagianos, ad hunc cognoscendum, & corrigendum errorem excitaret. Sic ille. Sed quamuis ita esset, vt iste dicit; hæc tamen Apostoli sententia non aduersatur isti opinioni. Neque enim vllus Patrum catholicorum negauit, priusquam iusti homines faciant bona opera, præuentos esse oportere eos à DEO per vocationem, & pluribus aliis specialibus eius auxiliis. Deinde, duplex est diuina electio hominis, & ad primam gratiam, & ad consecutionem vitæ æternæ. Prioris electionis, nullus veterum Catholicorum dixit, causam esse præuisionem bonorum operum: cùm sit certissimum apud Catholicos, ante gratiã DEI, nullum hominis esse possè meritum apud DEVM. Posterioris verò electionis, quæ est ad consecutionem æternæ vitæ, causam esse præuisionem meritorum, & veteres rectè dixerunt; nec Augustinus negauit. Sicut enim reuera retributio æternæ vitæ fit propter bona opera, tanquam mercedis propter merita: ita electionis ad consecutionem vitæ æternæ, tanquam mercedis, causa est præuisio bonorum operum, tanquam meritorum eius. Verùm de sententia veterum patrum super hac re disseruimus copiosè in quadam nostra superiori disputatione super illis verbis octaui capitis huius epistolæ: *Quos præsciuit, & prædestinauit.*

17. Sciat denique lector, disputationem, quam in hoc vndecimo capite tractat Apostolus de Iudæorum primò quidem electione, & derelictione Gentium; postea de vocatione Gentium,& reiectione Iudæorum; & ad extremum de Iudæorum conuersione ad CHRISTVM; satis illustrari posse iis, quæ B. Gregorius scribit & disputat in lib. 29. Moralium super illis verbis Iob cap. 38. *In similitudinem lapidis aquæ durantur.* Hæc autem sunt eo loci verba S. Gregorij: Aquas enim, populos figuratè dici, iam sæpius edocuisse memini. In lapide verò, pro ipsa duritia, aliquando Gentiles populi designãtur. Ipsi quippe, lapides coluerunt, & de his per Prophetam dictum est: *Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* Vnde Ioannes Iudæos aspiciens, se de stemmate generationis extollere, & Gentiles præuidẽs ad Abrahæ prolem fidei cognitione transire, ait: *Ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham: Dico enim vobis, quia potens est DEVS de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Lapides duros perfidia Gentiles vocans. Quia ergo primùm Iudæa DEO credidit, Gentilitate omni in perfidiæ suæ obstinatione remanente: postmodum verò ad fidem Gentilium corda mollita sunt, & Iudæorum infidelitas obdurata, benè dictum est, *In similitudinem aquæ durantur.* ac si diceret: Illa mollia ac penetrabilia fidei corda Iudæorum, in insensibilitatem mutantur Gentiũ. Cùm enim misericors DEVS Gentes traxit, & iratus, Iudæam repulit: actum est, vt sicut dudum ad percipiendam fidem Gentilitas fuerat obdurata, ita postmodum ad fidem Gentilitate suscepta, Iudææ populus, perfidia durescceret. Vnde Paulus Apostolus eisdem Gentibus dicit: *Sicut aliquando vos non credidistis DEO, nunc autem misericordiam consecuti estis propter illorum incredulitatem: ita & isti non crediderunt in vestra misericordia, vt & ipsi misericordiam consequantur. Conclusit enim DEVS omnia in incredulitate, vt omnium misereatur.* Quam sententiam suam primùm equidem de vocatione Iudæorum, & repulsione Gentium; postmodum verò de vocatione Gentium, & repulsione Iudæorum subtiliter pensans, seque occulta DEI iudicia comprehendere non posse considerans, excla-

S. Gregorius.

Psalm. 113.

Marci 3.

Ad Rom. 11.

exclamando subiunxit: *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ* DEI, *quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius?* Vnde hic quoque cùm de Iudæorum perfidia Dominus diceret: *In similitudinem lapidis aquæ durantur*, vt de repulsione eorum occulta esse sua iudicia demonstraret, aptè subdidit: *Et superficies abyssi constringit.* Quia superiecto quodam ignorantiæ nostræ velamine, incomprehensibilitatem diuini iudicij, humanæ mentis oculus nullatenus penetrat. Scriptum quippe est: *Iudicia tua, abyssus multa.* Nemo ergo perscrutari appetat cur, cùm alius repellitur, alius eligatur, & cùm vnus eligitur, alius repellatur: quia, *superficies abyssi constringitur.* Et attestante Paulo, *Inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.* Hactenus ex B. Gregorio.

Psalm. 35.

IN CAPVT DVODECIMVM DISPVTATIONES QVINQVE.

CAPVT XII.

Versu 1. OBSECRO itaq; vos fratres per misericordiam DEI, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctã, Deo placentẽ, rationabile ob-
2. sequium vestrum. * Et nolite conformari huic seculo; sed reformamini in nouitate sensus vestri: vt probetis quæ sit voluntas bona, & bene-
3. placens, & perfecta. * Dico enim per gratiam, quæ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos, non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem: & vnicuique sicut DEVS
4. diuisit mensuram fidei. * Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autẽ
5. membra non eũdem actum habent: * ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli au-
6. tem alter alterius membra. * Habentes autem donationes secundùm gratiam, quæ data est nobis, differentes: siue prophetiam secundum

ratio-

rationem fidei, * siue ministerium in ministrando, siue qui docet, in doctrina, * qui exhortatur in exhortando, qui tribuit, in simplicitate, qui præest, in solicitudine, qui miseretur, in hilaritate. * Dilectio sine simulatione. Odientes malum, adhærentes bono. * Charitatem fraternitatis inuicem diligentes. Honore inuicem præuenientes: * Solicitudine non pigri, Spiritu feruentes: * Spe gaudentes: in tribulatione patientes: Orationi instantes: * Necessitatibus Sanctorum communicantes: Hospitalitatem sectantes: * Benedicite persequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere. * Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus. * Idipsum inuicem sentientes: Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos. * Nulli malum pro malo reddentes: prouidentes bona non tantùm coram DEO, sed etiam coram omnibus hominibus. * Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes. * Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindicta: ego retribuam, dicit Dominus. * Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da

7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.

Prou. 25. c. 21. illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius. 21. * Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.

PRÆFATIO.

ABSOLVTA est prior huius epistolæ pars dogmatica, vndecim superioribus comprehensa capitibus. In qua vsque ad caput sextum, variè, copioseque disputatum est de iustificatione: Inde, vsque ad nonum caput, de fructibus iustificationis, & de bonis amplissimis, quæ largitur DEVS viris iustis, maximè verò electis: A capite nono vsque ad duodecimum, de electione, & reprobatione, tum in vniuersum, tum præcipuè Iudæorum, & Gentium. Ab hoc duodecimo capite vsque in finem epistolæ, tractatur altera huius epistolæ pars, quæ est Ethica, & pathetica, hoc est, continens præcepta, & documenta moralia, & quæ ad inflammandum Christianæ pietatis affectum valent plurimum.

PRIMA DISPVTATIO

SVPER ILLIS VERBIS:

Versu 1. OBSECRO itaque vos fratres per misericordiam DEI, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, DEO placentem, rationabile obsequium vestrum.

GER-

GERMANA horum Apoſtoli verborum ſententia, eſt huiuſmodi: Obſecro vos, vt mactetis affectus, & cupiditates carnis veſtræ; voſque ipſos DEO totos offeratis atque conſecretis, ceu hoſtiam & victimam, & ſacrificium ſanctum, & DEO placens: Et tanquam iam DEO ſemel dicatos non ad profanos, & prauos vſus vos, veſtraque conferatis. Dixit, *Hoſtiam viuentem*, quo diſcerneret hoſtiam Chriſtianam à Iudaica: Iudæi enim brutam, & mortuam pecudem immolabant: Vel, ſecundum Chryſoſtomum, ne quis putaret Apoſtolum iubere, Chriſtianos occidere, & mactare corpora ſua, adiunxit, *viuentem*, non enim corpora ipſa per mortem eorum mactanda ſunt. Vel, ſecundum Caietanum, dixit: *Hoſtiam viuentem*, ad differentiam hoſtiæ, quam offerunt Martyres, exhibentes corpora ſua morti propter DEVM. Pro illo: *Rationabile obſequium*, græcè eſt, λογικὴν λατρείαν, id eſt, cultum DEI ſecundum rationem, & mentem, qui fit per actus fidei, & ſpei, & charitatis; ſic enim verè ac propriè DEVS, qui Spiritus eſt, adoratur & colitur in Spiritu & veritate. Et græcam quidem vocem, λατρεία, interpres latinus vertit nonnunquam, *obſequium*, interdum verò, *cultum & ſeruitutem.* Ita porrò dixit Apoſtolus hoc loco, rationabile obſequium, ſicut B. Petrus dixit: *Rationabile lac concupiſcite*, id eſt, ſpirituale.

1. *Quid ſit hoſtia viuens.* *Chryſoſtomus.* *Caietanus.* *Ioan. 4.*

B. Thomas, & pleriquelatinorum interpretum putant, illud: *Rationabile*, idem valere, quod, cum virtute diſcretionis factum, & ſecundum rationis ordinem, & regulam modificatum. Hoc autem intereſt inter ipſas virtutes, & inter media, quæ ad percipiendas, ſeu exercendas virtutes aſſumuntur: quòd virtutes ipſæ ſine modo, & menſura expetendæ ſunt; virtus enim iuſtitiæ, vel temperantiæ, quanta maxima eſſe poteſt, optanda eſt, at verò media, quæ ad virtutes ordinantur, cum certo quodam modo & menſura petuntur. Quemadmodum ſanitas ſine modo & menſura, & quanta maxima eſſe poteſt, & concupiſcitur, & procuratur: medicina verò nonniſi cum modo, & menſura, & quantum ſufficit,

2. *Quid ſit Rationabile obſequium.*

vel

vel ex vſu eſt, ad comparandam, vel tuendam ſanitatem. Sed prior interpretatio, quam dudum expoſui, congruentior videtur conſilio & propoſito Pauli in hoc loco, & ſignificationi græcæ illius vocis, λογικὴ. Quanquam ad confirmandam, ſupradictam latinorum interpretum expoſitionem conferre videatur, quod ſcribit B. Baſilius in regulis breuioribus, interrogatione 230. in hæc verba: Quid eſt obſequium, & quid eſt rationale obſequium? eſt quidem obſequium græcè, λατρεία, nihil aliud, vt ego exiſtimo, niſi contenta, & perennis, & ſine vlla diſtractione, illius, cui obſequium defertur, cultura. Differentiam autem rationalis, & irrationalis obſequij, Apoſtolus ipſe nobis explanat quodam loco ſcribens: *Cùm Gentes eſſetis, ad ſimulacra muta pro vt ducebamini, euntes.* Et alio loco. *Exhibete*, inquit, *corpora veſtra, hoſtiam viuentem, ſanctam, DEO placentem, rationale obſequium veſtrum.* Qui enim temerè, & quo quo modo ducitur; huius obſequium rationi alienum eſt: quippe qui rationem ducem minimè ſecutus, ſuo quodam animi impetu ac libidine moueatur: atque ab eo, vnde ducitur, ipſius arbitratu ad quamcumque rem etiam præter voluntatem ſuam, quomodocumque rapiatur. Qui verò adhibitis ſibi in concilium ſana ratione, rectoque conſilio, ea aſſiduè vbique ſpectet, & faciat, quæ ex DEI voluntate ſunt; hic præcepto paret de rationali obſequio: conuenienter profectò verbis eius qui dixit. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Et item: *Conſilium meum iuſtificationes tuæ.* Hæc Baſilius.

S. Baſilius. — *1. Ad Cor. 12.* — *Pſal. 118.* — *Ibidem.*

3. *Caietanus.*

Eodem ſpectat interpretatio huius loci, quam tradit Caietanus hunc in modum ſcribens: Hortatur nos Apoſtolus his verbis, vt corpora noſtra vertamus in ſacrificium: ad hunc enim vſum, declarat data eſſe Chriſtianis propria corpora: & deſcribit quatuor conditiones huiuſmodi ſacrificij, ſiue hoſtiæ. Et primò vocat eam, *viuentem*, ad differentiam videlicet Martyrum, qui corpora ſua offerunt hoſtiam occidendam. Quaſi diceret Apoſtolus: Non loquor nunc de vſu corporum noſtrorum ad ſacrificium per martyrium: Sed hortor,

hortor, vt corporibus vestris vtamini in sacrificium viuens. Secundò appellat, *sanctam*, id est, mundam ab omni inquinamento peccatorum: talia scilicet vult Apostolus esse corpora Christianorum. Tertiò vocat, *Deo placentem*, indicans exerceri debere corpora nostra in operibus, quæ secundum se grata & placita sunt Deo. Quartò dicit, *Rationabile obsequium vestrum*, pro voce, *obsequium*, græca vox, *latria*, cultum sonat soli Deo debitum: & propterea legendum esset: *Rationabilem cultum vestrum*. Sensus tamen in idem redit. Non enim Paulus loquitur nunc de cultu diuino generaliter. Sed de cultu diuino in exhibendo corpora nostra hostiam viuentem, & sanctam, & Deo placentem. Per hanc porrò quartam conditionem significatur quod non sufficiunt sacrificio corporum nostrorum, prædictæ tres conditiones, nisi addatur & hæc quarta. Licet enim homo vtatur corpore suo cum mundicia à peccatis, & cum exercitio in operibus pergratis Deo: nisi tamen addatur ratio relatiua, contingeret, cultum nostrum in hac hostia esse minus rationabilem. Verbi gratia, si Episcopus, aut Doctor, ceteris seruatis, minus consideraret impedimenta maioris vtilitatis, vacando sacrificio corporis, irrationabilis esset cultus, & sic de similibus respectibus, quos oportet rationem conferre inter se, cum offert corpus suum Deo in castitate, in abstinentia, in vigiliis, & laboribus, & aliis similibus. Sic Caietanus.

4. S. Thomas.

B. Thomas in 2. 2. quæst. 85. artic. 3. tractans hunc locum Pauli, ita scribit: Maceratio corporis, quæ fit per ieiunium, pertinet ad abstinentiam: quæ autem fit per continentiam, pertinet ad castitatem: quæ verò fit in martyrio, pertinet ad fortitudinem: quæ omnia videntur comprehendi sub oblatione sacrificij, secundum illud Pauli ad Romanos 12. *Exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem*. Dicit etiam Apostolus ad Hebr. vltimo: *Beneficentiæ, & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostiis promeretur Devs*. Hæc autem pertinent ad misericordiam, & liberalitatem. Quin etiam B. Augustinus libro 10. de ciuitate Dei, capite 6. scribit; verum esse sa-

S. Augustinus.

crificium, omne opus quod agitur, vt in sancta societate inhæreamus DEO. Sedenim scire conuenit, triplex esse hominis bonum, & triplex itidem sacrificium, quod homo facit DEO. Primum quidem est bonum animæ, quod interiori sacrificio offertur DEO per deuotionem, & orationem, & alios huiusmodi actus interiores. Et hoc est principale sacrificium, quod homo offert DEO. Secundum est bonum corporis: quod triplici modo offert homo ipsi DEO, vel per martyrium, vel per abstinentiam, vel per continentiam. Tertium, est bonum rerum externarum, quas homo possidet: de quibus sacrificium offertur DEO: vel directè, quando immediatè res nostras offerimus DEO: vel mediatè, cùm eas communicamus cum proximis nostris propter DEVM. Hactenus ex B. Thoma.

5. *Quatuor conditiones hostiæ quæ offerebatur DEO.*

Ceterùm, hostia, vocabatur animal, quod immolabatur DEO, quia pro victoria hostium, siue pro securitate ab hostibus offerebatur: vel quia ad ostium tabernaculi immolabatur. Ea verò nonnullas habere debebat conditiones. Primò esse oportebat integram, & sine macula, & vitio vllo: hanc item ob causam Paulus vult hostiam nostram esse viuentem, id est, charitate formatam, quæ prorsus omnia excludit vitia, & maculas, & veram animæ integritatem continet: Sed hoc interest, quod illa corporalis hostia, occidebatur, vt immolaretur; non sic autem hostia nostri corporis; quapropter Apostolus vocauit eam hostiam viuentem. Nisi fortè placeat intelligere, corpus nostrum esse mortuum oportere vitiis, & cupiditatibus secundum illud Apostoli: *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram.* Deinde hostia, per ipsam immolationem, sanctificabatur, ita vt fas non esset contingi eam ab immundis: & ob hanc causam Paulus vocauit hostiam sanctam, id est, per deuotionem mentis corpus nostrum segregatum esse debet à seruitio iniquitatis, & omnino addictum sanctissimo cultui & seruitio DEI. Ad hæc in sacrificij consumptione, dicebatur ipsum fieri, & esse in odorem suauitatis DEO: quamobrem etiam hoc loco Paulus vocauit

Ad Coloss. 3.

hosti-

hostiam nostram, DEO placentem. Postremò, in ipsa sacrificij præparatione semper offerebatur sal, sicut præcipitur in Leuitici 2. & confirmatur Marci 9. quo significatur sapientia spiritualis, secundum quam vir Christianus omnia debet agere, & ad gloriam DEI referre, & seruare illud Domini præceptum: *Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos.*

Marci 9.

Ad illustrandum hunc Apostoli locum, accommodari possunt, quæ scribit B. Gregorius in Hom. 22. in Ezechielem, super illis eius Prophetæ verbis: *Et altare ante faciem templi*: Quid est, inquit, templum, nisi fidelis populus? sicut per Apostolum dicitur Discipulis: *Templum DEI sanctum est, quod estis vos.* Et quid est altare DEI, nisi mens bene viuētium, qui peccatorum suorum memores, lacrymis se lauant, carnem per abstinentiam macerant, nullis se mundi huius actionibus miscent; quæ habent, indigentibus tribuunt: & habere, quæ non habent, non concupiscunt. Horum cor, rectè dicitur Altare DEI: vbi scilicet ex mœrore, compunctionis ignis ardet, & caro consumitur. An non tales, quotidie in sancto hoc fideli populo, quasi in templi atrio videmus? Numquid non eorum vitam in exemplum nobis propositum indesinenter aspicimus? Altare igitur ante faciem templi est, cùm multi in sanctæ Ecclesiæ conspectu sunt propositi, qui æterni iudicij memores, semetipsos quotidie DEO sacrificium in lamētum compunctionis mactant. Et corpora sua castigantes, implere student, quod per Apostolum dicitur: *Vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, DEO placentem.* Hostia quippe occiditur, vt offeratur: Sed hostia viuens, est corpus Domino afflictum. Quod & hostia dicitur, & viuens: quia viuit in virtutibus, & est mortuum vitiis. Hostia videlicet, quoniam iam huic mundo, & prauis actionibus mortuum est: viuens autem, quia cuncta quæ præualet bona, operatur. Hæc Gregorius.

6. S. Gregorius.

1. Cor. 3.

SECVNDA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Versu 15.

BENEDICITE persequentibus vos; benedicite, & nolite maledicere.

7.

HOc documentum perfectè Apostolum ipsum seruasse, testis ipsemet est, ita scribens in 4. cap. prioris epist. ad Cor. *Maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, et sustinemus: blasphemamur, & obsecramus, &c.* Et de omnium magistro CHRISTO Domino scripsit B. Petrus: *Qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniustè.* Sed verbum benedicendi, quatuor modis vsurpatur in diuina Scriptura: significat enim plerumque idem quod laudare: qua significatione Dauid vsus est, cum dixit: *Benedicite Dominū omnes Angeli eius*; Et item: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Altera significatio eius verbi est pro eo quod est precari à DEO bona alicui: qua significatione intelligitur Iacob benedixisse duobus suis nepotibus Ephraim, & Manasse. Et cum iam proximus esset morti, benedixit duodecim filiis suis. Et de Mose scriptum est. *Hæc est benedictio, qua benedixit Moyses seruus DEI filios Israël ante mortem suam.* Et Dominus formam verborum, quibus sacerdotes Hebræorum benedicerent populo, præscripsit huiusmodi: *Sic benedicetis filiis Israël, dicetis eis: Benedicat tibi Dominus & custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Conuertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. Inuocabitis nomen meum super Israël, & ego benedicam eis.* Extrema illa verba: *Et ego benedicam eis*, continent tertiam significationem huius verbi: significat enim benedicere, idem, quod bona copiosè, & abundanter largiri, & frequentissimè

1. Petr. 3.

Verbum benedicendi quatuor modis in Scriptura vsurpari.

Psalm. 102.
Psalm. 33.

Gen. 48. 49.

Deuter. 33.

Num. 6.

tiſſimè in ſcriptura dicitur de DEO. Secundum hanc ſignificationem ſcriptum eſt libro ſecundo Regum capite ſexto: DEVM benedixiſſe Obededom, & omnem domum eius, quia tribus menſibus in domo eius arca Domini habitauerat: id autem eſt, DEVM proſperaſſe omnia illius domus. Et in fine libri Iob dicitur, Dominus benedixiſſe nouiſſimis eius magis quàm primis, & declarans mox qualis ea fuerit benedictio, ſubiungit: *Et facta ſunt ei quatuordecim millia ouium, & ſex millia camelorum, &c.* Et Salomon dixit: *Benedictio Domini diuites facit.* Quarta eius verbi ſignificatio eſt, ſecundũ quam benedicere ſumitur, per Antiphraſim, pro maledicere, & blaſphemare. De ſancto Iob dixit Satan DEO: *Mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem, & tunc videbis quod in faciem benedicat tibi.* Et bonus ille vir Nabath, iuſſu regis Achab occiſus eſt, accuſatus apud regem, quod benedixiſſet DEO, & regi.

Prouerb. 10. *Iob. 2.* *3. Reg. 21.*

8. Sed quæſtionem habet, an benedicere, & benefacere inimicis, ſit præcepti, an tantum conſilij? Diſputat ſuper hac re Auguſtinus in libro de mendacio ad Conſentium cap. 15. & in epiſtola ad Marcellinum, & in Enchiridio cap. 73. & de ſermone Domini in monte: Beatus etiam Thomas & in cõmentario huius loci, & in Secunda Secundæ quæſt. 25. Solutio quæſtionis eſt huiuſmodi: Impendere inimicis generalem dilectionis affectum, cuiuſmodi eſt, non excludere eos à communi oratione, & ſuffragiis, quæ communiter fiunt pro fidelibus, præcepti eſt: ſicut etiam in articulo neceſſitatis ſubuenire inimico: extra hæc verò, ſingularem aliquem dilectionis effectum exhibere inimico, vel applicare ei præcipuè aliqua orationis ſuffragia, vel etiam largiri ſubuentionis ſubſidia, & beneficia, conſilij eſt, non præcepti. Ex quo facile intelligitur, quemadmodum interpretandum ſit quod Chryſoſtomus libro primo de compunctione cordis, & Auguſtinus in ſermone 61. de tempore ſcriptum reliquerunt, dilectionem inimicorum non eſſe cohortationem, ſed iuſſionem; nec eſſe conſilium, ſed præceptum: quæ duo loca ad-

S. Auguſtinus. *S. Thomas.* *Chryſoſtomus.* *Auguſtinus.*

uersus Theologos scholasticos, satis inscienter allegant Lutherani, & Caluinistæ.

9. *Breuis disputatio quomodo Paulus maledixerit summo Iudæorum Pōtifici.* *Locus Actorū cap. 23.*

Verùm mirabitur fortasse quispiam, quomodo sanctus Apostolus, quasi huius documenti sui oblitus, cùm paulò post huius epistolæ scriptionem, captus esset Hierosolymis, & in Concilio alapa percuti iussus esset à summo Pontifice Iudæorum, maledixerit ei dicens: *Percutiet te DEVS, paries dealbate.* Sed respondēdum est, Apostolum dixisse verba illa, non imprecando Pontifici mala, sed indicando, & arguendo eius iniustitiā, & prædicando iustitiā DEI, & denuntiando futurā in eum DEI animaduersionē. A quo tamen abstinuisset Paulus, si illum esse summū Pontificē sciuisset. Multis quippe annis abfuerat Hierosolymis: & in singulos fermè annos mutabantur summi Pontifices: nec habitum Pontificium alibi quàm in templo, pontificias obeundo functiones, gestabant. *Oecumenius.* Oecumenius in commentario illius loci ait, fuisse quidem Pontificem benè notum Paulo; sed per quandam dispensationem Paulum simulasse ignorantiam; id enim facere in tēpore atq; in loco; non solùm vtile est, verum etiam inculpabile. Sed hoc ego nō probo, nec probandum vlli censeo. *Beda.* Beda, & quidam alij illud Pauli dictum: *Nesciebam fratres quod esset summus Pontifex,* intelligendum esse putant non propriè, vt ipsa verba sonant; sed figuratè, ac secūdum quoddam mysterium: ad eum scilicet modum, quo Iacob dixit *Genes. 2.* patri suo: *Ego sum Esau filius tuus primogenitus.* Paulus itaque verbis illis hoc voluit significare: Nescio, nec agnosco illum summum Pontificem, abrogata iam lege Mosis, & antiquato Sacerdotio Iudaico. Bedæ verba sunt hæc, explanantis illud: *Percutiet te DEVS paries dealbate.* Non perturbatione animi commotus hoc dixit, sed vtique prophetādo locutus est: quia figurale illud Pontificium, quod erat in parietis dealbati simulatione compositum, percutiendum esset ac destruendum: cùm iam verum sacerdotium CHRISTI, Apostolis Euangelium prædicātibus, aduenisset. Et inde est quod ait: *Percutiet te DEVS.* Non dixit: *Percutiat*: indicatiuo vtique

tique modo hoc ipsum futurum significans, non optatiuè maledicens. Quod enim tranquillo animo hæc diceret, sequenti responsione manifestat dicens: *Nesciebam fratres, quia princeps esset sacerdotum.* Nam etiam si hunc verè nouerat in nouo Testamento, Principem non esse Sacerdotum: tamen erudiens alios, atque erga eos, qui in potestate sunt, modestius conuersari monens; ipse quoque hîc voluit temperatè loqui.

10. *S. Augustinus.*

Hæc Beda mutuatus est à B. Augustino: cuius in primo libro de sermone Domini in monte cap. 35. super hac ipsa re, hæc sunt verba: Apostolus, Pontificis iussu, palma percussus, contumeliosè visus est dicere ei: *Percutiet te Dominus paries dealbate,* hæc enim verba minus intelligentibus, conuitium sonant: intelligentibus verò prophetia est. Paries quippe dealbatus, hypocrisis est, id est, simulatio, sacerdotalem præferens dignitatem, & sub hoc nomine, tanquam sub candido tegmine, interiorem, quasi luteam turpitudinem occultans. Nam quod humilitatis fuit, mirabiliter custodiuit Apostolus: Nam cùm ei diceretur: *Principi Sacerdotum maledicis?* Respondit: *Nesciui fratres, quia Princeps esset Sacerdotum. Scriptum est enim: Principi populi tui ne maledicas.* Vbi ostendit, quanta tranquillitate illud dixisset, quod iratus dixisse videbatur, cùm tam citò, tam mansuetè respondit, quod ab indignantibus, & perturbatis fieri non potest. Et in eo ipso, intelligentibus verum dixit: *Nesciui quia Princeps est Sacerdotum,* tanquam si diceret; Ego alium Principem Sacerdotũ agnosco, pro cuius nomine ista sustineo, cui maledicere fas nõ est, & cui vos maledicitis, cùm in me nihil aliud, quàm eius odistis nomen. Hæc S. August. Quærat lector apud Illustrissimũ Baronium, in 1. Tom. Annalium, in Anno Domini 38. aliam rationem & causam ab eo traditam, quo modo verè dixerit Paulus, se nescisse illum esse summum Pontificem.

Exod. 22.

Cardinalis Baronius.

11. *Caietanus.*

Non prætermittam hîc referre, quẽadmodum Caietanus etiam, hanc difficultatem expediat. In suis enim commentariis in acta Apostolorum explanans ea ipsa verba Pauli super quibus nunc disputamus: *Percutiet te DEVS paries dealbate,* ita scribit;

ſcribit: Oritur quæſtio duplex: altera, An Paulus verè maledixerit. Nam afferens ipſe legem, quod Princeps populi non debeat maledici; & excuſans ſe ob ignorantiam perſonæ, ſatis indicauit ſe verè maledixiſſe, ignoto tamen ſibi principi. Sed quia Paulus imitator erat CHRISTI, qui cùm malediceretur, non maledicebat; & cùm pateretur, non comminabatur, rationabile non eſt, quod maledicendo reſponderit Pontifici. Altera quæſtio eſt: etiamſi Paulus excuſatus ſit à maledictione Principis; quomodo excuſabitur à maledictione iudicis? ipſe enim cognouit illum eſſe iudicem, dicendo: *Et tu ſedens iudicas me ſecundum legem.* Atque eo minus excuſabilis videtur, quod Dominus IESVS præcepit benedicere perſequentibus nos, & non tantùm principibus. Sed vtriuſque quæſtionis ſolutio eſt hæc: Maledicere indicatiuè, nullum peccatum eſt ex ſuo genere; vnde etiam DEO attribuitur, & Prælatis ex officio conuenit maledicere indicatiuè. Licuit itaque Paulo, iniuſtum virum arguendo, maledicere illi. Verùm quia multa ex ſuo genere licita, fiunt quandoque illicita ex circumſtantia loci, vel temporis, vel perſonæ: propterea, quamuis Princeps populi mereatur quandoque maledici, non tamen hoc eſt cuilibet licitum: quapropter lege ſancitum fuerat: *Principem populi tui ne maledixeris,* etiamſi mereatur. Paulus igitur, quamuis auctoritate ſui Apoſtolatus, licitè potuiſſet maledicere, etiam ſummum Sacerdotem iniuſtè agentem; quia tamen cenſebat, hoc tum non expedire, ideo non ad excuſandum peccatum, ſed ad excuſandum factum (quod ſcilicet ignoranter feciſſet) dicit ſe ſcire legem, & eam commemorat; & aſſerit, quod ſeruaſſet illam, ſi nouiſſet perſonam: tacita tamen ratione cur id feciſſet. Quia ſcilicet tunc non expediebat vti ſua auctoritate aduerſus Principem totius populi; qua tamen vti expediebat aduerſus iudices iniuſtos. Hactenus ex Caietano.

1. Petri 2.

Matth. 5.

TER-

TERTIA DISPVTATIO.

Expenditur ſupradictæ Apoſtoli ſententiæ de benedicendo perſequentibus nos interpretatio quam tradit Caluinus.

CALVINVS ſupradictam Apoſtoli ſententiam in ſuis commentariis explanans, mirè prædicat iſtius præcepti Apoſtolici præſtantiam, atque eius præcepti obſeruationem omninò neceſſariam eſſe omnibus Chriſtianis, aſſeueranter docet. Cuius verba, ob eam præcipuè cauſam, hîc eſſe commemoranda, & expendenda duxi, quòd ea magnam habent cum doctrina Catholica conuenientiam, atque conſonantiam; contra verò, cum illo celebri, & Caluini, aliorumque hæreticorum noſtri temporis dogmate, impoſſibilem eſſe cuilibet hominum in hac vita mandatorum DEI obſeruationem, notabilem repugnantiam. Caluini verba ſunt huiuſmodi: Hoc loco aliquid difficilius requirit Apoſtolus; nempe ne quid mali imprecemur hoſtibus noſtris, ſed proſpera omnia illis & optemus, & à DEO precemur; vtcumque nos vexent, ac inhumaniter tractent: quæ manſuetudo, quò eſt obſeruatu difficilior, eo intentiori ſtudio ad eam eſt nitendum. Nihil enim iubet Dominus, in quo non requirat noſtram obedientiam. Nec admittenda eſt vlla excuſatio, ſi eo ſenſu vacui ſumus, quo voluit nos Dominus ab impiis, & ſeculi filiis differre. Ardua res eſt, fateor, & naturæ humanæ penitus contraria: ſed nihil tam arduum eſt, quod non virtute DEI ſuperetur: quæ virtus nunquam nobis deerit, modò ne ipſam inuocare negligamus. Et quanquam vix vnum reperias, qui tantos

12.

Caluini verba.

in lege DEI progressus fecerit, vt præceptum istud impleat: nemo tamen filium DEI iactare se potest, aut Christiani nomine gloriari, qui non animum istum ex parte induerit, & cum affectu aduerso quotidie pugnet. Hæc Caluinus.

13. *Discutitur Caluini sententia.*

Sed nos excutiamus aliquas eius sententias, quæ in supradictis verbis continentur. Prima sententia est: *Nihil iubet Dominus* (Caluinus ait) *in quo non requirat nostram obedientiam.* Verissima profectò sententia; frustrà enim DEVS iuberet, si nos capessere, atque exequi iussa sua non vellet. Ergo cùm DEVS legem nobis dederit, atque eius mandata seruare nos iusserit; requirit vtique à nobis obedientiam, & obseruationem mandatorum suorum. Non igitur ea obseruatio impossibilis est homini: Est enim non modò impium, sed etiam stultum dicere, DEVM requirere ab homine, quod homo facere nullo modo possit. Est igitur obseruatio mandatorum DEI, & possibilis homini, & necessaria ad salutem consequendam, cùm Dominus dixerit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata DEI.* Atqui hæc doctrina funditus euertit dogma eiusdem Caluini, aliorumque hæreticorum de impossibili mandatorum DEI obseruatione in hac vita.

Matth 19.

Altera est illa Caluini sententia: *Non est admittenda vlla excusatio, si eo sensu vacui sumus, quo voluit nos Dominus ab impiis, & seculi filiis differre.* Vult itaque Caluinus, inexcusabiles esse, qui præceptum illud apostolicum de benedicendo, & benefaciendo inimicis (etiam si difficillimum sit) non seruant. Quam igitur ipse, & sectatores eius excusationem obtendere poterunt, qui non modò non obseruant ipsi mandata DEI, verùm etiam pernegant ea posse ab vllo seruari? Tertia sententia eiusdem est illa: *Ardua res est, fateor, & naturæ hominis penitus contraria: sed nihil tam arduum est, quod non virtute DEI superetur.* Ait Caluinus; Licet istud præceptum Apostolicum arduum sit, & contrarium naturæ humanæ; esse nihilominus seruandum; quod per DEI virtutem, quantauis in ea sit difficultas, superari possit. Cur igitur

igitur negat ipse, præcepta Decalogi seruari posse, cùm ea nec sint tam ardua, & difficilia, quàm est illud de diligendis inimicis: nec sint naturæ humanæ contraria, sed contra potius, humanæ sint naturæ, ac rationi naturali maximè consentanea? Quarta eiusdem sententia: *Nihil est tam arduum, quod non virtute DEI superetur: quæ nobis nunquam deerit, modò ne ipsam inuocare negligamus.* Quibus verbis docet Caluinus, esse quidem opus virtute DEI ad perficiendum illud maximè arduum præceptum de dilectione inimicorum; sed eam tamen virtutem non defore homini, dummodo eam ipse inuocare non negligat. Hoc si verum est in obseruatione illius præcepti difficillimi, quanto magis verum erit in obseruatione mandatorum DEI, de quibus Ioannes dixit: *Mandata eius grauia non sunt?* Dicunt hæretici, obseruationem mandatorum DEI esse impossibilem homini, propter fragilitatem carnis, & repugnantiam concupiscentiæ: at Caluinus affirmat, nihil esse tam arduum, quod virtute DEI superari non queat; eamque virtutem in promptu esse omnibus, studiosè à DEO expetentibus eam, & perseueranter postulantibus: Nempe iuxta illud quod in libro Sapientiæ, capite 8. scriptum est: *Sciens itaque quia aliter non possem esse continens, nisi DEVS det: adij Dominum, & deprecatus sum illum, & dixi ex totis præcordiis meis: DEVS patrum meorum, &c.* Et hactenus quidem Caluini verba Catholicam doctrinam continent, planè contrariam nefario dogmati de impossibili mandatorum DEI obseruatione, quod ipse & alibi, & super caput 15. Actorum Apostolicorum pertinacissimè defendit.

1. Ioan 4.

Sed ecce tibi, repentè, quasi eorum, quæ verè dixerat, vel oblitus, vel pœnitens, adiungit ea, quibus superiora peruertit. Subdit enim hæc verba: *Et quanquam vix vnum reperias, qui tantos in lege DEI progressus fecerit, vt præceptum istud impleat: nemo tamen filium DEI, iactare se potest, aut Christiani nomine gloriari, qui non animum istum ex parte induerit, & cum affectu aduerso quotidie pugnet.* Hæc Caluinus. Duo igitur

14. *Caluini vel inconstantia, vel malitia.*

gitur dicit, & vtrumque falſum eſt: Primum ait, vix vnum reperiri, qui pręceptũ iſtud de dilectione inimicorũ impleuerit. Hoc dicens, ſatis oſtendit, ſe vel nõ legiſſe Eccleſiaſticas hiſtorias, & vitas ſanctiſſimorum hominum ſcriptis proditas; vel iſtiuſmodi ſcriptis nullam habuiſſe fidem, nec exiſtimaſſe, quemquam eſſe meliorem potuiſſe, quàm eſſet ipſe. In primis enim illis Eccleſiæ Chriſtianæ temporibus, plurimos fuiſſe, qui præceptum hoc Apoſtolicum benedicendi inimicis ſuis perfecerint, certis litterarum monumentis conſignatum eſt. Hiſtoriæ item de inſignibus ſanctitate viris conſcriptæ, exemplorum refertæ ſunt multiformis beneuolentiæ, ac beneficentiæ, quam illi exhibuerunt inimicis ſuis. Et cùm fateatur Caluinus, omnem difficultatem implendi præceptum iſtud Apoſtolicum, DEI virtute ſuperari poſſe; eamque virtutem nulli defuturam, ſi modò eam inuocare non negligat: qui fit credibile, non fuiſſe multos, qui ſeruandi præceptum iſtud Apoſtolicum cupidiſſimi, virtutem DEI, qua præceptum iſtud impletur, ardenter expetentes, inſtanterq; poſtulantes, eam à DEO impetrauerint?

15. Deinde Caluinus ait, quia præceptum iſtud ex toto impleri non poteſt, ex parte ſaltem impleri debere. Sed cur id ex toto impleri non poſſit, ſi nihil eſt tam arduum, vt ait ipſe, quin virtute DEI ſuperetur? quam virtutem fatetur in promptu eſſe omnibus, qui eam inuocare non negligunt. Præterea, ſi nihil iubet DEVS, vt ipſe ait, in quo noſtram obedientiam non requirat; cùm iſtud præceptum Apoſtolicum, & Dominicum, ſit datum ſimpliciter, & abſolutè, & non ex parte tantùm obſeruandum: vult DEVS non ex parte, ſed ſimpliciter, & ex toto ipſum obſeruari. Et verò, ſi ex parte obſeruari præceptum iſtud ſatis eſt, debuiſſet egregius iſte doctor, ad arcendos conſcientiæ ſcrupulos, deſignaſſe quæ ſit, & quanta iſta pars, ſecundum quam ſatis ſit obſeruari præceptum iſtud. Nec ſatis erat deſignaſſe, ſed neceſſum erat, rationem expoſuiſſe cur tanta pars, & non aut minor, aut maior requireretur, aut ſufficiens eſſet.

Verùm

Verùm quia hoc ille non poterat explicare, cautè profectò, immo callidè ac malitiose noluit attingere; sed quasi nihil ad rem pertinens, tacitum præteriuit. Quod si tanta est DEI virtus, quantam ipse prædicat, vt nihil sit tam arduum: quin per eam superetur: cur per eam virtutem non tota difficultas obseruandi præceptum istud, sed pars tantùm, vt ait Caluinus, superari queat? Verùm nos pergamus ad alia.

QVARTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus.

Versu 19.

16. SALVTARE profectò, maximeque obseruandum Christianis viris est, hoc Apostoli documentum: quò videlicet omnis dissidiorum, & iniuriarum materia tollitur, & dissidentium atque inimicorum hominum animi ad beneuolentiam & concordiam efficaciter adducuntur. Sed in his Pauli verbis primò est lectori obseruandum, pro latino illo participio, *defendentes*, græcum participium, quo Apostolus est vsus, ἐκδικοῦντες, significare, *vindicantes*, siue, *vlciscentes*, nam & mox latinus interpres vocem græcam, ἐκδίκησις, vertit latinè, *vindicta*, dicens: *Mihi vindictam, & ego retribuam.* Nonnunquam itaque latinus interpres verbum defendere, sumit pro vindicare, vel vlcisci, vt in ca. 1. & 2. li. Iudith scriptum est, quod rex Nabuchodonosor statuit defendere se aduersus eos, qui eius nuncios ignominiosè repulerant: Vbi, *defendere se*, dictum est pro vindicare

Defendere pro vindicare, vsurpat latinus interpres.

dicare se vel vlcisci. Ita Apocalypsis cap. 6. dicitur: *Vsque quo non vindicas sanguinem nostrum?* quod in Ecclesiastico officio ita dicitur: *Quare non defendis sanguinem nostrum?* Et in Psal. 8. pro eo quod editio vulgata secundum lectionem Gallicani Psalterij habet: *Et destruas inimicum, & vltorem.* Romani Psalterij lectio pro, *vltorem*, habet, *defensorem.* Est autem ibi græcè ἐκδικητήν. Nec temerè, aut inscienter latinus interpres vsus est verbo defendere, pro vindicare, cum secundum eam significationem in vsu fuerit istud verbum apud optimos scriptores latinos. Certe Nonius Marcellus de proprietate sermonum in verbo, *defendere*, scribit, defendere esse vindicare, ac depellere, citans illud Ennij: Serua ciues, defende hostes, cùm potes defendere. Et Virgilius in Bucolicis dixit:

Nonius Marcellus.

Virgil.

Solstitium pecori defendite.

Tertullianus.

Tertullianus quoque eandem secutus eius verbi significationem, sententiam illam Scripturæ: *Mihi vindictam, & ego retribuam.* ita citat in libro 2. aduersus Marcionem. *Mihi defensam, & ego defendam,* haud dubiè, *defensam*, pro, *vindicta.* accipiens. Gellius quoque cap. 1. lib. 9. laudans illud Quinti Claudij Quadrigarij. Milites Metelli sauciabantur: & quod maximè opus erat, à pinnis hostes defendebant facillimè. Animaduertendum est, inquit Gellius, vsum esse eum verbo (defendebant) non ex vulgari consuetudine, sed admodum propriè, & latinè. Nam defendere, & offendere, inter sese aduersa sunt, & defendere significat, quod græcè dicitur, ἐκποδὼν ποιεῖσθαι; id autem est auertere atque depellere. Quoniam igitur, qui vindicat, & vlciscitur, conatur à se depellere iniuriam sibi factam: & verbum defendere apud latinos significabat auertere, & depellere, eo translatum, & accommodatum est ad significandum vindicare, & vlcisci.

A. Gell.

17. Illud porrò: *Non vosmetipsos defendentes*, idem valet, atq; non per vosmetipsos, id est, non vestra auctoritate, & potestate. Non enim interdicitur, quin per alium, publica, iudicandi & vindicandi malefacta, potestate præditum, persequamur.

quamur vindictam; non quidem odio cuiusquam hominis; sed studio exequendi, & consequendi quod iustum est. Nec vetatur simplex defensio per depulsionem iniuriæ à nobis: est enim naturæ ius, vim vi repellere, cum moderatione tamen inculpatæ tutelæ. Et hæc quidem rectè dicuntur, & traduntur à Theologis, si hoc Apostoli dictum accipiatur vt præceptum; secus verò, si vt consilium, & supererogationis opus accipiatur.

18\. Illud, *Date locum iræ*, dupliciter interpretari licet: Primùm, vt illud, *iræ*, per tropum accipiatur pro irato, & sensus sit, cedite irato, & quoad eius deferuescat ira, nolite cum eo contendere, & par pari referre. Deinde hoc modo: *Date locum iræ*, id est, vindictæ diuinæ, & curam vlciscendi inimicos vestros relinquite DEO, ad quem id pertinet. Et verò, qui suas ipse vlciscitur iniurias, non expectans dum DEVS ipse vindictam sumat, is non cedit locum iræ diuinæ, sed occupat, & anteuertit. Atque hæc posterior interpretatio commodior est, & congruentior cum eo, quod proximè sequitur: *Mihi vindicta, ego retribuam.* Circa quæ verba sciat lector, plerosque codices latinos habere *vindictam*, in Accusatiuo, & habēt hunc sensum: Nolite vos ipsos vindicare, sed vindictam mihi reseruate atque permittite; meum enim est scelera vlcisci. Atq; hoc modo legisse videtur Tertullianus in lib. 2. & 5. aduersus Marcionem, ita citans hunc locum, *Mihi defensam, & ego defendam.* Legit itidem Hilarius in explanatione Psalm. 118. Sed negari non potest, quin rectior sit lectio habens, *vindicta*, in Nominatiuo casu. Sic enim habent omnes græci codices: & latina Biblia, vulgo appellata Sixtina nuper Romæ correcta & edita habent eodem modo. Et id planè congruit cum loco Deuter. capit. 32. Vnde sumpta est hæc sententia: Sic enim ibi legitur: *Mea est vltio, &c.*

Tertullianus. *Hilarius.*

Circa hoc autem præceptum non defendendi seipsum, & illud, ei, qui percussit vnam maxillam, præbendi & alteram, & alia horum similia; tenendum est id quod docet S. Augustinus in lib. 1. de sermone Domini in monte, capit. 34. & seq. & in

Matth. 5. *S. Augustinus.*

& in epist. 5. quæ scripta est ad Marcellinum: huiusmodi præcepta non semper esse obseruanda, quantum ad executionem; semper tamen seruari debere quantum ad præparationem animi, vt animo semper ad non resistendum oppugnantibus nos, si opus fuerit, parati simus: Non enim semper esse necessariam executionem eorum, demonstrauit Dominus, qui percussus alapa in concilio Iudæorum, non præbuit alteram maxillam, sed mansuetissimè arguit iniquitatem percutientis: nam sæpe non expedit nec bono publico, nec eius qui læsit, impunitum dimittere ipsum. Vnde Augustinus in epistola ad Marcellinum: Agenda, inquit, sunt multa, etiam cum inuitis, benigna quadam asperitate plectendis: nam cui licentia iniquitatis eripitur, vtiliter vincitur. Nihil enim infelicius est impunitate peccantium: qua pœnalis nutritur iniquitas, & mala voluntas, velut hostis interior, roboratur. Hæc Augustinus.

S. Augustinus.

QVINTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Versu 20 & 21.

Sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.

19. HOc Salomonis, quod his verbis citatum est, à Paulo, præclarum documentum, salutareq; consilium seruauit, & præstitit in veteri Testamento Eliseus Propheta, qui Syros milites, & hostes regis Israël, cæcitate percussos, cũ ad ipsum regem Israël duxisset, atque eos rex vellet occidere, non solùm id vetuit, sed etiam præ-

præcepit regi dicens: *Pone panem & aquam coram eis, vt comedant, & bibant, & vadant ad dominum suum.* Ad hanc quoque beneuolentiam & beneficentiam erga hostes suos spectat illud legis Mosaicæ præceptum in libro Exodi cap. 23. his verbis traditum: *Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odientis te, iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis eum, &c.* Ex quo licet intelligere, huiusmodi Christianæ, ac perfectæ charitatis erga inimicos, fuisse nonnullum in veteri Testamento, & factis, & præceptis, specimen datum.

Locus 4. Reg.

Verùm nos pensitemus verba huius sententiæ. Et ante alia, sciat lector, hunc locum Salomonis citatum hîc esse à Paulo secundum translationem 70. Interpretum. Etenim hebraica lectio secus eum habet, hoc nimirum modo: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum pane, & da ei aquam bibere. Quia prunas tu accipis, vel incendis.* Nomine autem panis & aquæ, secundum phrasim hebraicam, intelligitur simpliciter cibus, & potus, præsertim autem frugalis. Verùm ne quis idiotissimi hebraici ignarus, putaret, inimicis panem duntaxat & aquam dari oportere: septuaginta interpretes verterunt, *ciba, & pota illum*, & hos secutus est Apostolus in hoc loco. Pro illo verbo, *ciba*, græcè est, ψώμιζε, quod verbum non simpliciter significat pascere, vel cibare, sed perhumaniter atque indulgenter pascere, veluti frustatim, & minutatim conciso cibo; sicut fit in conuiuiis erga eos, quibus præcipuè fauetur, atque indulgetur. Caietanus, quia dicitur: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum*, admonet quod hîc præcipit Paulus, obligare tantùm in articulo necessitatis: & ad subueniendum duntaxat necessitati patientis, non ad liberalitatem indulgendi eius voluptati. *Carbones ignis*, dictum est phrasi hebraica pro (carbones ignitos, seu ardentes) S. Cyprianus libro tertio ad Quirinum ita citat hæc verba: *Carbones viuos superfundes in caput eius.* Illud, *congeres*, significat accumulabis & coaceruabis, quasi obruens ipsum, & totum incendens atque inflammans.

20.

S. Cyprianus.

21. Quidam hæc verba malam in partem interpretati sunt, hoc videlicet sensu: largè bene faciendo inimicis tuis, grauius vlcisceris illos: illi namque ob ingratitudinem aduersus tuam charitatem, maiori vindictæ DEI, & supplicio erunt obnoxij. Verùm interpretatio hæc, planè aliena, & deuia est Pauli consilio, & proposito, illud subiicientis, *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Et apud Salomonem Prouerbiorum capite 25. post ista verba subditur: *Et Dominus reddet tibi.* Est quoque contra charitatem, benefacere inimicis eo animo, vt ipsi grauius in malum incidant. Verus ergo, germanusque istorum verborum sensus, est huiusmodi. Hoc si feceris erga inimicum tuum, totum illum incendes atque inflammabis, non ira, aut odio, sed amore. Vult enim Apostolus beneficiis esse obruendum inimicum: quo tandem resipiscens, & benignitatis nostræ officiis victus, ex hoste fiat amicus. Nam vt Augustinus scribit in libro de catechizandis rudibus: nulla est maior prouocatio ad amandum, quàm præuenire amando: nimis enim durus est animus, qui si vltro dilectionem non vult impendere, etiam nolit rependere.

S. Augustinus.

22. Quod præcipit hoc loco Apostolus, id perfectè Dauid bis cum Saule, acerrimo vitæ suæ ac dignitatis hoste, perfecit. Nam cùm bis eum, nulla difficultate, potuisset occidere, & ad id vehementer à suis incitaretur, nulla ratione adduci potuit, vt Sauli damnum aliquod, nedum necem inferret. Cuius tanta humanitate, & clementia emollita Saulis duritia adeò est, vt facti sui pœnitens, iniustum se esse confiteretur: contra verò iustissimum Dauidem, qui vitæ pepercisset inimici, hostili animo ipsi vitam eripere quoquo modo conantis. Audiat lector confessionem Saulis, quæ narratur in primo libro Regum cap. 24. & 26. his verbis: *Et leuauit Saul vocem suam, & fleuit, dixitque ad Dauid: Iustior tu es quàm ego: tu enim tribuisti mihi bona, ego autem*

Dauidis in Saulem hostem suum perfecta charitas.

Locus 1. Reg. cap. 24.

autem reddidi tibi mala. Et tu indicasti hodie quæ feceris mihi bona: quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, & non occideris me. Quis enim qui inuenerit inimicum suum, dimittet eum in via bona? Sed Dominus reddat tibi vicissitudinem hanc pro eo quod hodie operatus es in me. Et cum iterum incidisset in manus Dauidis; atque ei similiter Dauid pepercisset, agnoscens & malitiam suam rex Saul, & clementiam ac mansuetudinem Dauidis, dixit ei: *Peccaui, reuertere fili mi Dauid: nequaquam enim vltra tibi malefaciam, eo quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie: apparet enim quod stulte egerim, & ignorauerim multa nimis. Benedictus tu fili mi Dauid: & quidem faciens facies, & potens poteris.* Est igitur pulcherrimum aduersus inimicum victoriæ genus, adeò eum beneuolentiæ ac beneficentiæ officiis obruere, vt cogas eum pœnitere mali quo te affecit, & confiteri bonitatem tuam, & se tibi totum dedere.

23\. Nec solùm apud fideles, huiusmodi charitas erga inimicum, in honore, & vsu fuit: Sed, apud infideles etiam, magnam laudem & admirationem habuit. Hanc enim ob causam Valerius Maximus libro quarto capite 2. Ciceronem valde laudat, quod Gabinium, & Vatinium, sibi olim inimicissimos, in publico iudicio defenderit, ac liberauerit. Huius generis humanitas (inquit Valerius Maximus) in Cicerone præcipuè apparuit: Gabinium namque repetundarum rerum summo studio defendit, qui eum, in consulatu suo, vrbe expulerat. Denique Vatinium, dignitati suæ semper infestum, duobus publicis iudiciis tutatus est: vt sine vllo crimine leuitatis; ita cum humanitatis laude. Quia speciosius iniuriæ beneficiis vincuntur, quàm mutui odij pertinacia pensantur. Sic ille.

Valer. Max. Ciceronis benignitas in hostes suos.

24\. Illud quoque non solùm memorabile, sed admodum etiam mirabile est, quod de Phocione, viro apud Græcos ob eximiam vitæ integritatem atque innocentiam, & impe-

Praclarum factum Phocionis.

ratoriæ dignitatis gloriam celeberrimo, in libro duodecimo hiſtoriæ ſuæ Ælianus narrat his verbis: Phocion, ſæpe imperatoria dignitate perfunctus, morte mulctatus eſt: eratque in carcere venenum hauſturus. Cum verò iam lictor poculum obtuliſſet, interrogarunt propinqui & familiares qui illic aderant, quid nam filio mandaret. Tunc ille: Mando, inquit, hoc ei, vt obliuiſcatur potus huius, quem nunc ab Athenienſibus oblatum bibo. Et addit Ælianus: Si cui non videbitur hîc Phocionis animus extollendus, eum ego à magnarum, & præclararum rerum meditatione alienum puto. Sic ille. Equidem & laudo, & admiror talem in homine infideli quaſi Chriſtianæ charitatis ſenſum & affectum.

Aelianus.

IN

IN CAPVT DECIMVM-TERTIVM DISPVTATIONES DVÆ.

CAPVT XIII.

OMNIS anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi à DEO: quæ autem ſunt, à DEO ordinata ſunt. *Itaque qui reſiſtit poteſtati, DEI ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. *nam principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. *DEI enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem maleféceris, time: non enim ſine cauſa gladium portat. DEI enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit. *Ideo neceſſitate ſubditi eſtote non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam: *Ideo enim & tributa præſtatis: miniſtri enim DEI ſunt, In hoc ipſum ſeruientes. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum:

Verſu. 1.

2.

3.

4.

5.

6.

7.

cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem:
8. cui honorem, honorem: * Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis: qui enim
9. diligit proximum, legem impleuit. * Nam: Non adulterabis: Non occides: Non furaberis: Non falsum testimonium dices: Non concupisces: & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur; Diliges proximum tuum si-
10. cut teipsum. * Dilectio proximi malum non
11. operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio. * Et hoc scientes tempus: quia hora est iam nos de somno surgere. Nunc enim propior est nostra
12. salus, quàm cùm credidimus. * Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Abiiciamus ergo
13. opera tenebrarũ, & induamur arma lucis. * Sicut in die honestè ambulemus: non in comessationibus, & ebrietatibus; non in cubilibus & impudicitiis; non in contentione & æmu-
14. latione: * sed induimini Dominum IESVM CHRISTVM, & carnis curam ne feceritis in desideriis.

Exod. 20. Deut. 5.

PRI-

PRIMA DISPVTATIO

SVPER ILLIS VERBIS:

Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non enim est potestas nisi à DEO.

Versu 1.

1. FVERE nonnulli primis illis Ecclesiæ Christianæ temporibus, falsò arbitrantes, & docentes, exemptos esse homines Christianos secularibus, & ciuilibus legibus, & liberos ab obedientia, & subiectione magistratuum, & Principum secularium: quòd Dominus dixisset: *Si FILIVS vos liberauerit, verè liberi eritis.* *Ioan. 8.* Et alio loco: *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, à filiis suis an ab alienis? Et ille* (Petrus nempe) *dixit: Ab alienis. Dixit illi IESVS: ergo liberi sunt filij.* *Matth. 17.* Hæc paucorum hominum falsa sententia, & doctrina, vniuersam Christianorum gentem reddidit omnibus inuisam, & exosam, & maledictis, & conuitiis atque calumniis obnoxiam. Quin etiam (auctore Chrysostomo) sparso rumore percrebuerat, Apostolos, & *S. Chrysost.* prædicatores Euangelij, rerum esse nouatores, atque ad euertendas leges ciuiles, omnia & dicere, & facere. Vt igitur hoc Apostoli scandalum auferrent, tum in cōcionibus, tum in epistolis suis valde laborabant in docendo, & persuadendo, homines Christianos propter fidem, & religionē CHRISTI susceptam, non esse immunes, & liberos à præstando obedientiam, & tributa Magistratibus, & Principibus: & ad hoc præcipuè cohortatur Apostolus Romanos in hoc capite 13.

2. Ac licet tam Augustinus in epistola quæ est 54. ad Macedonium, quam Chrysostomus in hoc loco, atque omnes *Augustinus. Chrysostomus.* fermè veteres intellexerint, Paulum hîc loqui de potestate

tantùm

tantùm feculari;quod & ipſe contextus diſputationis,& verborum Apoſtoli ſeries per ſe indicat: ratio tamen, ob quam vult Apoſtolus parendum eſſe poteſtati ſeculari, quia nimirum non eſt poteſtas niſi à DEO, multò maximè competit in Eccleſiaſticam poteſtatem, de qua nempe loquens Apoſtolus in epiſt. ad Hebræos cap 13.dixit: *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis.* Iuuat hîc apponere, quæ in hãc ſententiam B. Baſilius in libro de conſtitutionibus Monachorum capite 23. ſcriptum reliquit his verbis: Paulus Apoſtolus in ea epiſtola,quam ad Romanos ſcribit; ipſis præcipit, vt ſublimioribus poteſtatibus ſubiecti ſint; poteſtates autem intelligit mundanas & ſeculares, non autem ſpirituales: quod manifeſtum fit ex eo, quod mox adiunxit, cùm de tributis, & vectigalibus locutus eſt. quo tamen in loco ait: Qui vel minimum ſeculari poteſtati reſiſtit, cum DEO ipſi reſiſtere. Si igitur qui huic mundo præſunt, & à lege humana illam imperandi poteſtatem habuerunt, & quorum vita tota tunc erat impietas; nihilominus tamen iſtis diuina lex Chriſtianos tantoperè voluit eſſe ſubiectos: quanto magis cultoribus pietatis præſtanda obedientia eſt ei, qui à DEO conſtitutus eſt Præſes, & imperandi poteſtatem accepit? & quo modo excuſari poterit non DEI ordinationi reſiſtere, qui Antiſtiti reſiſtat ſuo? Præſertim cùm Apoſtolus apertè iubeat in omni re obſequi ſpiritualibus Præpoſitis, dicens: *Obedite præpoſitis veſtris,& ſubiecti eſtote eis: ipſi enim peruigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis.* Et mea quidem ſententia, quod hic dicitur, non expedire, magni cuiuſdam, maximeque pœnitendi detrimenti, & quod ægrè correctionem admittat, ſignificantiam habet. Sic Baſilius.

S. Baſilius.

Ad Hebr. vlt.

3. *In Caluinum.* Maligne igitur hoc loco in Catholicos inuehitur Caluinus, atque eos iniquè carpit; quòd ineptè atque inſcienter hac Pauli ſententia probare, & confirmare velint obſeruantiam atque obedientiam Eccleſiaſticis legibus, & præceptis debitam. Sic enim ſcribit: Tota hæc Pauli diſputatio eſt de ciuili-

ciuilibus præfecturis. Itaque fruſtrà inde ſacrilegam ſuam tyrannidem ſtabilire moliuntur, qui dominatum in conſcientias exercent. Hæc iſte. At enim S. Baſilius, vir diuinarum ſcripturarum, & doctrinæ Apoſtoli haud paulò intelligentior, & doctior quàm Caluinus, ex hoc loco Pauli obſeruantiam, & obedientiam, quæ debetur Prælatis Eccleſiaſticis, & ſpiritualibus, optimè probari, & concludi cenſuit, vt verba eius, quæ paulò ſuprà commemorauimus, perſpicuè oſtendunt. Et verò, Paulus ipſe, Caluino iudice, damnandus eſſet ſacrilegæ tyrannidis: quippe qui Chriſtianos docuerit ſubiacere atque obedire Præpoſitis ſuis ſpiritualibus, ſcribens: *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis.* Verùm nos Apoſtoli verba perpendamus.

Ad Hebr. 13.

4. Non attinet admonere lectorem, animam dici hoc loco, ſecundum phraſim hebraicam, ipſum hominem. Et illud: *Sublimioribus*, græcè non eſſe comparatiuum, ſed poſitiuum ὑπερεχούσαις: quod tamen propter præpoſitionem ὑπὲρ, vim habet comparatiui, & idem ſignificat atque præcellentibus, vel ſuperioribus, ſicut legit Hieronymus ſuper illis verbis epiſt. ad Titum: *Admone illos, Principibus ſubditos eſſe.* Item etiam legit Auguſtinus contra ſecundam Gaudentij epiſtolam cap. 12. Caietanus hæc verba explanans: Significantius, inquit, à Paulo dictum eſt: *Omnis anima*, quàm ſi dixiſſet, *Omnis homo*, vt intelligeremus, non ſolùm res noſtras, & corpora noſtra, ſed etiam animas noſtras debere ſubiici principibus ſecularibus in iis, quæ poſſunt legitimè imperare. Et dicendo: *Omnis*, neminem excepit. Nec dixit: *Poteſtatibus*, præcisè, ſed, *Poteſtatibus ſublimioribus, ſiue præcellentibus*, ad differentiam videlicet poteſtatum tyrannicarum, hoc eſt, eorum, qui non ſunt verè domini, ſed tyranni. Eorum ſiquidem poteſtates, ſunt poteſtates præcellẽtes, ſed poteſtates hoſtiles, & poteſtates latronicæ. Non ergo præcipit Apoſtolus vt omnis anima ſubiiciatur poteſtatibus, etiam tyrãnicis, ſed poteſtatibus præcellentibus, & vt vno verbo dicatur, poteſtatibus legitimis. Sic ille.

S. Auguſtinus. *Caietanus.*

5. Illius autem proximè subsequentis Apostoli sententiæ: *Non enim est potestas, nisi à* DEO. Persimilis est sententia illa, quam Salomon Prouerb. 8. diuinam SAPIENTIAM dicere facit in hæc verba: *Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.* Eodem quoque spectat illud, quod Dominus noster dixit Pilato Ioan. 19. *Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper.* At enim aduersari huic sententiæ Apostoli videtur illa Oseæ prophetæ sententia cap. 8. *Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui eos.* Verùm in promptu ad hoc est responsum. Quælibet enim potestas tribus modis considerari potest: Primò, secũdum seipsam, & ab homine, qui eam accipit, vel exercet, abiuncta: & hac ratione docet & hoc loco, & alicubi diuina scriptura, omnem potestatem esse à DEO: sicut potestas regis in subditos, & patris in filios, & mariti in vxorem, per se à DEO est. Altero modo consideratur potestas secundum rationem, & viam, qua est ab homine comparata & obtenta: & quia nonnulli nec recta ratione, nec via legitima, sed per ambitionem, & largitiones, vel etiam per violentiam consequuntur, aut inuadunt potestatem; alij verò secundum rectum ordinem, & via legitima; hinc fit vt quidam dicantur habere potestatem à DEO, alij verò minimè. Apostolus certè de iis, qui recta via peruenerunt ad potestatem, dixit in epist. ad Hebr. cap. 5. *Nemo sumit sibi honorem, sed qui vocatur à* DEO, *tanquam Aaron.* Contra verò de iis, qui per vim, vel per ambitionem obtinent potestatem, scriptũ est Amos 6. *Numquid non in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua?* Potest demùm cõsiderari potestas secundũ ei' executionẽ & vsum, & exercitiũ: quoniam autem quidam benè, alij malè vtuntur potestate, quam habẽt; propterea dicitur quædã potestas esse à DEO, quædam autem non, quantum ad eius vsum videlicet. Quocirca Paulus loquens de potestate sua, *quam*, inquit, *dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem.*

Quomodo omnis potestas & sit, & non sit à Deo.

Locus Oseæ cap. 8.

Locus 2. ad Cor. 10.

6. Referre hoc loco iuuat Lutheranorum sententiam, sed

verius

verius dixerim blaſphemiam. Hi mordicus defendentes illud ſuũ dogma: Quod DEVS eſt verè auctor, & effector quorumlibet peccatorum, quæ faciunt homines: conſequenter arbitrantur, quamlibet poteſtatem, etiam peſſimè comparatam, & ſceleratiſſimè adminiſtratam, eſſe à DEO, & idcirco ei parêre hominem oportere: quoniam princeps ſiue bonus, in bonum populi; ſiue malus, in pœnam eiuſdem à DEO conſtitutus eſt. Audiat lector verba Buceri in commentario huius loci: Cùm quæritur, inquit, cui parendum ſit, non ſpectandum qualis ſit qui poteſtatem exercet; nec quo iure, vel iniuria quis poteſtatem inuaſerit, quaue ratione adminiſtret eam: ſed tantùm ſpectari debet an poteſtatem habeat. Si enim poteſtatem habet, indubitatum eſſe debet, illum à DEO eam accepiſſe: quamobrem ſine vlla exceptione illi te permittas oportet, & pareas ex animo, ſed ſecundum DEVM. Hæc ille. Verùm quid poteſt incredibilius, vel execrabilius dici, quàm quod qui, per apertam tyrannidem, principatum, & poteſtatem inuaſit, ille fuerit DEI conſilio, & voluntate aſſumptus ad principatum, eique ſit, præcepto DEI obtemperandum? Tantoque eſt admirabilior iſtorum vel inſania, vel malitia, quod qui negant Vicario CHRISTI obediendum eſſe; hi iubent, Tyranno cuique parêre. Omnis verò poteſtas eſt à DEO, vel immediatè, ſicut Saul & Dauid creati ſunt reges à DEO: vel per impreſſionem naturalis luminis in animis, & mentibus hominum, quo illuſtratæ ciuitates, & populi, creant ſibi reges, & alios magiſtratus. Nec tamen negari poteſt, ſicut alia peccata, ita & tyrannos, & malos principes, & Prælatos ſæpè à DEO permitti in vindictam ſcelerum populi, ſecundum illud Iob: *Qui regnare facit hominem hypocritam, propter peccata populi.* Et illud Oſeæ: *Dedi eis regem in ira mea.* Aduertendum tamen eſt, non quemlibet poteſtatis abuſum dare ſubditis legitimam poteſtatem detrectandi obedientiam, & contemnendi iuſſa Principum, vel Prælatorum: ſed vbi omninò eſſet aperta & intoleranda vel tyrannis, vel iniquitas eorum.

Bucerus.

1. *Reg.* 9. & 16.

Locus Iob. 34.

Oſeæ 13.

7. *An potestas peccandi sit à Deo. Aristoteles.*

Sed fortasse quispiam dicat: Si omnis potestas à DEO est: ergo potestas peccandi à DEO etiam erit, quod videtur absurdum: nam secundum Aristotelem; Cuius est potentia, eiusdem est actus illi potentiæ respondens: vnde conficeretur, DEVM esse auctorem ipsius peccati. Sed ad hoc facilè est responsum. Non enim Paulus agit in hoc loco de omni potestate; sed de potestate duntaxat ciuili, quam, qui præsunt aliis, in eos habent, & exercent. Quanquam negari non potest, naturalem potestatem peccandi, quæ est in homine, esse à DEO: eadem namque est potestas naturalis, per quam homo potest benè agere, & potest etiam malè agere: hæc autem vocatur liberum arbitrium. Huius autem potestatis, & liberi arbitrij ordinatio & applicatio ad benè agendum, est ab homine, sed præuento tamen & adiuto DEI gratia: ad malè verò agendum, est ab ipso tantùm homine, proueniens ex defectu creaturæ, & voluntatis rationalis.

SECVNDA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Versu 5.

Ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.

In hæreticos huius temporis.

8. TRES sententias posuit hoc loco B. Paulus valde memorabiles: quarum prima fuit: *Qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit.* Altera fuit: *Qui potestati resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*, vel vt est græcè, *acquirent.* Tertia sententia est hæc, quam proposuimus: *Ideo, necessitate, subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* His tribus Apostoli sententiis

tentiis euidenter, ac fortiter argumentantur Theologi catholici, leges humanas à Principibus, siue secularibus, siue Ecclesiasticis legitimè latas, obligare subditos non solùm in foro exteriori & hominum, sed etiam in foro interiori, conscientiæ, & DEI: nec solum obligare ad pœnam, sed etiam ad culpam. Idque non ea tantùm ratione, vt quidam putarunt, quod eiusmodi leges præcipiant ea, quæ per se consentanea sunt legi diuinæ, vel scriptæ, vel naturali: neque ob id solùm, quia contemptus, & inobedientia legis humanæ, sit aliis causa scandali: sed ob eam propriè causam tales leges obligant in conscientia, quia id quod iubent, tametsi per se indifferens sit, & quamuis ob eius prætermissionem nullum existat scandalum: eo ipso tamen quod à lege id præcipitur, fit materia virtutis; generatim quidem ipsius obedientiæ, specialiter autem vel temperantiæ, vel fortitudinis, vel aliarum virtutum. Quo autem internoscatur quando lex humana obligat, vel non obligat ad culpam, illa tenenda est regula: Omnis lex, quæ absolutè fertur, nec in ea indicatur, intentionem legislatoris non esse obligare ad culpam, sed solùm ad pœnam; quemadmodum explicatur in exordio constitutionum ordinis Prædicatorum, & ordinis societatis IESV, lex illa obligat ad culpam, aut venialem, aut mortalem secundum naturam, & qualitatem, grauitatemque operis.

9. *Quid sit obedire legibus humanis propter conscientiam.*

Obseruanda sunt illa verba Apostoli: *Non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Significant enim, obediendum esse legibus humanis, non solùm ob vindictæ, & supplicij metum, id enim vocabulo iræ denotatur: sed etiam propter conscientiam, id est, ne polluatur conscientia nostra inobedientiæ peccato, & rea fiat apud DEVM; & ne conscij nobis admissi criminis inobedientiæ, angamur animo, & cruciemur. Nomen porrò conscientiæ vsurpat Scriptura, vbi agit de peccato mortali, non au-

tem vbi agit de veniali peccato. Consideret lector illam beati Petri in primo capite prioris epistolæ sententiam, vbi iubet seruos esse subditos dominis suis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis, & subdit hæc verba: *Hac est enim gratia, si propter DEI conscientiam sustinet quis tristitias patiens iniustè.* Quid est, *propter DEI conscientiam?* Hoc nempe, quia sibi conscius est, DEVM id velle, & iubere, & ea re promereri DEI gratiam & gloriam. Ambrosius sic interpretatur, non solum, inquit, timore præsentis pœnæ, sed propter conscientiam futuri iudicij. Chrysostomus autem hoc modo: Non solum metu pœnæ obedias, sed propter bona, quæ tibi conscius es prouenire ex eiusmodi obedientia; qualia sunt, vindicta malefactorum, & repressio iniquorum, & promotio bonorum, & pax, & tranquillitas Reipublicæ; quæ si de medio sustuleris, ne ipsa quidem præsens vita potest consistere.

Locus 1. epist. B. Petri cap. 1.

Ambrosius.

Chrysostomus.

10. Narrat Iosephus Iudæus initio lib. 18. Antiquitatum, fuisse quendam apud Iudæos nomine Iudam Gaulonitam, qui magnam in populo Iudaico perturbationem, & seditionem concitauit: is enim aiebat, nec censum, nec obedientiam debere Cæsari, aut vllis Principibus profanis Iudæos, propter libertatem legis & religionis, quam à DEO acceperunt. Huius errorem, tanto post, æmulati videntur hæretici nostri temporis. Lutherus enim in libello quem edidit de libertate Christiana, scripsit hominem Christianum Dominum esse omnium liberrimum, sed Dominum tamen omnium officiosissimum, ideoque per benignitatem, & humanitatem subiectum omnibus: eum porrò nihil agere ex obligatione, sed agere omnia tantùm ex amore. B. Hieronymus in commentariis in epistolam ad Galatas super illis verbis Apostoli: *Per charitatem Spiritus seruite inuicem.* annotauit, fuisse olim qui senserint, viros spirituales & DEI amicos, nulla lege teneri, iuxta illud; *Non dicam vos seruos: sed amicos.* Fuit etiam supe-

Iosephus.

Lutherus.

S. Hieronymus.

superioribus seculis secta quædam appellata Beghardorum, *Beghardi.* damnata in Concilio Viennensi: hi aiebant, posse hominem in tantam excedere perfectionem virtutis, & Spiritus, vt ab omnium præceptorum obseruatione immunis & liber euaderet, nulliusque hominis obedientiæ subiectus esset.

Caluinus eodem obstrictus errore hæc scripsit: Cùm libertatis prærogatiua donata fidelium conscientiæ, id CHRISTI beneficio consecutę sint, ne vllis obseruationum laqueis in iis rebus implicentur, in quibus eas liberas esse Dominus voluit; omnium hominum potestate exemptas esse constituimus. Sic ille. Verùm quia multifariam Scriptura clamat, præsertim verò Apostolica, subiacere, & obedire Christianos oportere Principibus, & magistratibus, etiam secularibus & infidelibus, ideo Caluinus excogitauit distinctionem duplicis regiminis hominum: alterum vocat internum, & spirituale, quo instituitur conscientia, & obstricta tenetur coram DEO: alterum nominat externum, siue politicum, quo ad ciuilitatis officia eruditur. Concedit igitur Caluinus, secundum regimen politicum, & externum, humanis legibus subiici Christianos: secundùm tamen regimen internum & spirituale, solutas esse coram DEO ipsorum conscientias. At enim sententia hæc Caluini apertè Pauli doctrinæ aduersatur, aientis, qui potestati resistunt, eos DEI ordinationi resistere, & ipsos sibi damnationem acquirere: & idcirco necessitate subditos esse debere potestati non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ecce tibi secundum Apostolum, Christiani subiecti esse debent potestatibus humanis secundum conscientiam, & propter ipsum DEVM. Quod adeò manifestum est, vt Caluinus ipse, cum in suis commentariis ad huius loci enarrationem venit, id non confiteri non potuerit; ait enim, secundum Pauli doctrinam, ad obeundam magistratui submissionem, verbo DEI conscientiam obligari. Et aduersus quidem istorum hæreticorum doctrinæ venenum apposuêre antidotum doctrinæ catholicæ

II. Caluinus.

tholicæ Patres concilij Tridentini in sessione 6. in decreto de iustificatione, canone 20. his verbis: Si quis asserit, hominem iustificatum, & quantumlibet perfectum, non teneri ad obseruationem mandatorum DEI, & Ecclesiæ, sed tantùm ad credendum; quasi Euangelium, sit nuda, & absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione obseruationis mandatorum, anathema sit. Meritò sanè; Dominus enim dixit: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata DEI.* Et alio loco: *Si autem Ecclesiam non audierit; sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.*

Matth. 19. Suprà 18.

12. *Locus Matth. cap. 17.*

Sed duo sunt, quæ opponi possent doctrinæ Catholicæ, quam exposuimus. Obiici enim potest id, quod Dominus dixit: Matthæi 17. filios DEI liberos esse & immunes à soluendo vectigalia & tributa. Sed respondendum est illis verbis noluisse Dominum docere, eos, qui per gratiam adoptionis sunt filij DEI, esse immunes à tributis, & obseruatione legum humanarum: non enim contrarium apertè docuissent Petrus, & Paulus in suis epistolis, si Dominus id voluisset intelligi. Solùm igitur Dominus ibi loquitur de filiis naturalibus regum, qui immunes sunt à tributis, quæ rex, eorum pater subditis suis imposuit. Ex quo infert CHRISTVS Dominus se, qui est naturalis FILIVS DEI, summi regis, & Domini omnium, liberum esse ab omni debito pendendi tributa. Nec tamen negandum est, & clericos, ac religiosos, pauperum vitam professos iustè hac etiam immunitate gaudere.

13. *Dictum Augustini explicatur. Matth. 17.*

Posset etiam obiici nobis sententia quædam B. Augustini, quæ est in lib. 1. quæstionum Euangelicarum, quæst. 23. videtur enim primore aspectu suffragari hæreticorum doctrinæ. Sic autem scribit Augustinus: Quod dixit: *Ergo liberi sunt filij*: In omni regno intelligendum est liberos esse regni filios, id est, non esse vectigales: Multò ergo magis liberi esse debent in quolibet regno terreno, filij regni illius, sub quo sunt omnia regna terræ. Sic Augustinus. Verùm eius dictum intelli-

intelligendum eſt ſecũdum eam, quam paulò antè poſuimus interpretationem, quod loquatur tantùm de naturali FILIO DEI, pluralem numerum filiorum ponens pro ſingulari numero FILII. Nec diſplicere debet lectori, quod Sixtus Senenſis putauit libro ſexto Bibliothecæ ſanctæ, in annotatione 76. dicens, expoſitionem illam Auguſtini eſſe myſticam, & in ea agi de tributo carnalis, & diabolicæ ſeruitutis, à quo filij regni in libertatem Spiritus iam aſſerti, vbicumque viuant, liberi eſſe debent. Non autem Auguſtinus agit de immunitate à ſoluendo tributo Principibus: non enim CHRISTVS DEI filios liberauit ab externis debitis, ſed ab internis illis, à quibus abſolui quotidie poſtulamus dicentes: *Dimitte nobis debita noſtra.*

Sixtus Senenſis.

Matth. 6.

IN CAPVT DECIMVM-
QVARTVM DISPVTATIO-
NES OCTO,

CAPVT XIV.

Versu. 1. INFIRMVM autem in fide assumite, non in disceptationibus cogitationum. 2. * Alius enim credit se manducare omnia: qui autem infirmus est, olus manducet. 3. * Is qui non manducat, non manducantem non spernat: & qui non manducat, manducantem non iudicet: DEVS enim illum assumpsit. 4. * Tu quis es qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat, aut cadit: Stabit autem: potens est enim DEVS statuere illum. 5. * Nam alius indicat diem inter diem, alius autem iudicat omnem diem. Vnusquisque in suo sensu abundet. 6. * Qui sapit diem, Domino sapit: Et qui manducat, Domino manducat, gratias enim agit DEO. 7. * Nemo enim nostrum sibi viuit, & nemo sibi moritur: 8. * Siue enim viuimus, Domino viuimus: siue morimur, Domino morimur.

rimur. Siue ergo viuimus, siue morimur, Domini sumus. * In hoc enim CHRISTVS 9.
mortuus est, & resurrexit: vt & viuorum, & mortuorum dominetur. *Tu autem quid iu- 10.
dicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal CHRISTI. * Scriptum est enim, viuo 11.
ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu: & omnis lingua confitebitur DEO. *Itaque vnusquisque nostrum pro se 12.
rationem reddet DEO. *Non ergo amplius 13.
inuicem iudicemus: Sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum.
* Scio, & confido in Domino IESV, quia ni- 14.
hil commune per ipsum; nisi ei qui existimat quid commune ei, illi commune est. * Si enim 15.
propter cibum frater tuus contristatur: iam non secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo CHRISTVS mortuus est. *Non ergo blasphememus bonũ 16.
nostrum. * Non est enim regnum DEI esca & 17.
potus: sed iustitia, & pax, & gaudium in SPIRITV sancto: * Qui enim in hoc seruit CHRI- 18.
STO, placet DEO, & probatus est hominibus.
* Itaque quæ pacis sunt sectemur, & quæ ædifi- 19.
cationis sunt, in inuicem custodiamus. * Noli 20.

propter eſcam deſtruere opus DEI. Omnia quidem ſunt munda: ſed malum eſt homini, qui

21. per offendiculum manducat.* Bonum eſt non manducare carnem & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut ſcandali-

22. zatur, aut infirmatur. * Tu fidem habes? penes temet ipſum habe coram DEO. Beatus qui non iudicat ſemetipſum in eo, quod pro-

23. bat. * Qui autem diſcernit, ſi manducauerit, damnatus eſt, quia non ex fide. Omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt.

PRIMA DISPVTATIO

SVPER ILLIS VERBIS:

Verſu 14. Scio & confido in Domino IESV, quia nihil commune per ipſum: niſi ei qui exiſtimat quid commune eſſe, illi commune eſt.

1. PRo verbo illo, *confido*, græcè eſt πέπεισμαι, quod verbum Chryſoſtomus hoc loco interpretatur per alterum verbum πληροφορέω, ſignificans (pleniſſimè perſuaſus ſum:) putat enim, duobus illis verbis (Scio, & omnino perſuaſus ſum) eſſe vſum Apoſtolum ad maiorem rei aſſeuerationem. Illud: *In Domino IESV*, idem ſignificat, atque per Dominum IESVM, vel à Domino IESV: id eſt, cœleſti oraculo edoctus ſum. Latinus tamen interpres

pres grecum illud verbum πέπεισμαι accepit, non vt significat plenam, & absolutam certitudinem quandam, & fiduciam. Licet enim Apostolus hæc omnia diuinitus fuisset edoctus, non tamen id agere videtur apud Romanos. Ergo, secundum lectionem nostram latinam, sensus verborum Apostoli est huiusmodi: Scio, vel potius confido. *In Domino IESV*, id est, fretus bonitate diuina, & virtute CHRISTI. Negari certè non potest, quin Apostolus nonnullis aliis in locis verbum istud græcum πέπεισμαι sumat pro eo, quod est confidere, & fiduciam habere, & moralem quandam persuasionem ac certitudinem; non autem pro indubitabili certitudine: quod ex duobus vel tribus locis eiusdem Apostoli perspicuè licebit intelligere. Vnus locus est in capite sexto, epistolæ ad Hebræos, vbi sic est: *Confidimus de vobis dilectissimi meliora, & viciniora saluti.* Alter locus est in primo capite posterioris epistolæ ad Timotheum in illis verbis: *Vt gaudio implear, recordationem accipiens eius fidei, quæ est in te non ficta: quæ & habitauit primùm in auia tua Loide, & matre tua Eunice, certus autem sum quod & in te.* His addi potest tertius locus ex capite decimo quinto huius epistolæ ad Romanos, continens illa verba: *Certus sum autem fratres mei & ego ipse de vobis, quoniam & ipsi pleni estis dilectione.* In his tribus locis est idem verbum græcum πέπεισμαι: Et quia non est credibile, Paulum fide infusa & diuina credidisse, Romanos plenos esse dilectione, & Timotheum præditum fuisse recta fide: propterea fit manifestum, verbum istud græcum non tantùm pertinere ad certitudinem fidei diuinæ, sed ad omnem etiam persuasionem probabilem, & humano modo certam.

2. *Ambrosius.*

Sequitur illud: *Quia nihil commune per ipsum.* Illud, *per ipsum*, quidam referunt ad CHRISTVM, vt Ambrosius dicens, omnem ciborum immundiciam, quæ significationis causa fuerat per legem instituta, fuisse sublatam, sicut & per CHRISTVM credentes in eum, liberati sunt à seruitute legis Mosaicæ, quatum ad cæremonialia & iudicialia præcepta, quæ illius legis propria erant, prout ea distinguebatur à lege

naturali. Græci tamen illud: *Per ipsum*, referunt ad cibos, & res creatas à DEO, & legunt, *per seipsum*, græcè δι᾽ αὐτοῦ, sic enim Origenes, & Chrysostomus, & Theophylactus, & alij interpretantur hunc locum. Prior tamen interpretatio congruentior videtur instituto Apostoli disputantis hoc loco de immundicia ciborum non naturali, sed legali, quæ tamen per CHRISTI legem sublata est: ita vt Christianis nullus cibus immundus sit, neq; secundum naturam, vt putarunt quidam hæretici; neque secundum significationem, quo modo nonnulla ciborum genera, secundum legem Mosaicam censebantur immunda.

3. *Quid sit in cibis esse commune.* *S. Hieronym.*

Sciat porrò lector, nomen, *Commune*, pro immundo, & verbum, *Communicare*, pro inquinare, & polluere, esse propria diuinæ scripturæ: cuius significationis & vsurpationis rationem exponit B. Hieronymus in commentariis suis in Matthæum, in illis verbis capitis 15. *Non quod intrat per os, coinquinat hominem*: hunc autem in modum scribit: Verbum, *Communicat*, propriè scripturarum est, & publico sermone non teritur. Populus enim Iudæorum partem DEI esse se iactans, communes cibos vocat, quibus alij omnes vtuntur homines, verbi gratia, suillam carnem, & ostreas, & lepores, & alia, quæ vngulam non findunt, nec ruminant, nec squamosa in piscibus sunt. vnde & Petro dictum fuit: *Quod DEVS sanctificauit, tu ne commune dixeris.* Commune igitur, quod cæteris hominibus communiter in vsu est, pro immundo appellatur. Sic Hieronymus.

Actorum 10.

4. *Hæresis Marcionis & Manichæorum.*

De immunditia verò ciborum duplex est quæstio: quarum altera est, An sint aliqui cibi natura sua immundi: hæc enim antiqua fuit multorum hæresis, vt Marcionis, & Manichæorum, & aliorum. De Marcione hæc scribit Epiphanius in Hæresi 42. Docet non esse vescendum rebus animatis, pronuncians reos esse iudicij, eos qui carnem edant, tanquam qui comedant animas. Et in Hæresi 66. scribit similia Marcioni dixisse Manichæos, qui putabant comedentes carnes ita reos fieri criminis, vt tales ipsi aliquando fierent, quale

quale fuisset animal, quod comedissent. Et S. Augustinus in libro de Hæresibus, de Manichæis loquens, ait, quosdam eorum nec vesci carnibus, nec ouis, nec lacte; nec vinum bibere, quod esse dicebant fel Principis tenebrarum. Et in libro trigesimo contra Faustum Manichæum capite quinto, & sexto: Non, inquit, damnamus vos quod à carnibus abstineatis: nam & hoc parentes nostros fecisse scimus, non tamen cibos damnandi, sed significandi tantùm gratia. Quin etiam Christiani Catholici edomandi corporis causa, non solùm à carnibus, verùm etiam terræ fructibus abstinent, vel semper, sicut pauci, vel certis diebus atque temporibus, sicut per quadragesimam ferè omnes. Vos autem ipsam creaturam negatis bonam, & immundam dicitis, quòd carnes diabolus operetur feculentiore materia mali; ac per hoc eas tanquam immundiora, & truculentiora Dei vestri vincula exhorrentes, abiicitis. Qua in re CREATOREM rerum sine dubio blasphematis. Multum itaque interest inter abstinentes à cibis propter sacratam significationem, vt olim faciebant Iudæi; vel propter corporis castigationem, vt etiam nunc faciunt Christiani Catholici: atque inter abstinentes à cibis tanquam per se immundis, nec à vero DEO creatis, vt vos facitis. Proinde illa doctrina est Prophetarum, & Apostolorum: hæc autem vestra, est Dæmoniorum mendaciloquorum. Hactenus ex Augustino.

S. Augustinus.

5. *Locus epistolæ 1. ad Tim. ca. 4.*

Istam hæreticorum doctrinam spiritu prophetico præuidens Apostolus, apertè damnauit, aduersus eam pronuntians celebrem illam sententiam, quæ est in capite quarto prioris epistolæ ad Timotheum: *Omnis*, inquit, *creatura DEI bona est, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum DEI, & orationem.* Quibus verbis duo nos docuit Apostolus: primò quidem, omnem creaturam, quæ ad cibum & potum hominis pertinet, per se bonam, & mundam esse, nec reiiciendam. Simul etiam indicauit, quemadmodum cibus à viro Christiano sumendus sit; nimirum cum gratiarum actione, vt gratus sit DEO bene-

benefactori suo, à quo benignè pascitur. Illud autem, *per verbum, & orationē*, denotat vel precationes, quas viri Christiani cibo sumendo præmittere, & sumpto postponere debeant: vel significat libros sacros, & spirituales, qui in mensa inter comedendum leguntur, sicut facere docet Augustinus in epistola 109. & Basilius epistola 9. ad Gregorium, & Gregorius Papa epist. 37. libri secundi; quæ est ad Natalem Episcopum.

S. Augustinus. S. Basilius.

6. Sed quid est cibum sanctificari per verbum DEI? Est nempe cibum sacrari, & dicari DEO, cùm & de ipsius manu accipitur, & pro eo gratiæ ipsi aguntur, & eo vti volumus ad DEI honorem, & gloriam. Sanctificatur etiam, quia mundatur, vel præseruatur à potestate diaboli, ne ab eo inficiatur, vel per eum nos ad intemperantiam adigat. Solitum porrò Dæmonem perniciosè cibis sese, atque potibus hominum immiscere, docet Augustinus libro 4. de ciuitate DEI cap. 15. & 26. & libro 18. cap. 16. & sequentibus, & B. Gregorius narrat lib. 1. Dialogorum cap. 4. sumpta lactuca non benedicta, Dæmonem obsedisse monialem quandam. Ad propulsandam verò istiusmodi Dæmonum immunditiem, medicamentū in promptu est (ait Chrysostomus super isto Pauli loco) signum illi cibo crucis imprime: gratias age DEO, atque illius esum ad DEI gloriam refer: & protinus immunditia omnis abscesserit.

Quid sit cibum sanctificari per verbum Dei.

S. Augustinus.

7. Licet autem discere à Prudentio, eleganti poëta Christiano, antiquam in sumendo cibo Christianorum pietatem ac religionem: simulque intelligere, qualis sit ciborum sanctificatio per verbum DEI & orationem, de qua eo loco Apostolus loquitur. In hymno enim ante cibum dicendo sic habet Prudentius.

Veterum Christianorum religio in sumendo cibo ex Prudentio.

Te sine dulce nihil Domine:
Nec iuuat ore quid appetere,
Pocula ni prius atque cibos
CHRISTE tuus fauor imbuerit
Omnia sanctificante fide.

Et

Et item:

FERCVLA nostra DEVM sapiant,
CHRISTVS & influat in pateras,
Seria, ludicra verba, iocos.
Denique quod sumus, atque agimus,
TRINA superna regat pietas, &c.

Altera de ciborum immundicia quæstio est, si nullus est cibus natura sua immundus, cur in veteri lege, plurium ciborum esu, tanquam immundorum, interdictum est Iudæis? Respondet B. Augustinus in locis suprà memoratis contra Faustum Manichæum, fuisse appellatos immundos cibos nō secundum naturam, sed secundum typum & significationem, & figuram: Exempli gratia, porcus habebatur immundus, non naturâ, sed significatione: significabat enim hominem turpi deditum voluptati; atq; eam significationem retinuit, quoad DEO placuit, vsq; ad tempus videlicet Euangelicæ legis. Quod autem Apostoli, vt scriptum est in actis Apostolorum capite 15. prohibuerunt Christianis esum sanguinis, & suffocati, id fecerunt non ob significationem, sed quod viderent abstinentiam ab istiusmodi rebus potuisse id temporis multum conducere ad conciliationem atque concordiam Gentium, quæ ad CHRISTVM conuertebantur cum Iudæis ad ipsum conuersis, qui ab illis rebus vehementer abhorrebant. In Ecclesia verò Christiana Pontifices interdixerunt esum carnis in ieiunio, non quod putauerint vel carnem, vel alium quemlibet cibum, haberi à Christianis debere immundum vel naturâ, vel significatione, sed quod huiusmodi ciborum delectus, interdum obseruatus à Christanis, plurimum conducat ad carnem subiugandam spiritui, mentemque erigendam ad DEVM. Quanquam quod de legali ciborum immundicia dictum est, nonnulli aliter explicant secundum lectionem textus hebraici: vbi non absolutè dicitur porcus, vel aliud animal esse immundum: sed cum adiunctione hac: *Erit vobis immundum*, id est, secundum phrasim hebraicā, erit vobis prohibitus: quem sensum tex-

8. *Cur in lege veteri plures cibi vetabantur, tanquam immundi.*

Leuit. 11. & Deut. 14.

tus ipse declarat, dum subiicit: *De carne eorum nolo vos comedere.* Ergo causa prohibendi nonnullos cibos in veteri lege, referenda est, secundum Augustinum, ad significationem & figuram. Hanc ipsam causam latius explicatam videre licet apud Aristeam in historia de translatione scripturæ à LXXII. interpretibus facta. Chrysostomus arbitratur plures cibos esse Iudæis vetitos ad nimietatem deliciarum amputandam. Vulgò appellatus Ambrosius putat, id esse factum ad contundendam duritiam, & coërcendam peruicaciam Iudæorum.

Aristeas.
S. Chrysost.
S. Ambrosius.

SECVNDA DISPVTATIO.

De conscientia errante, siue erronea, an ea obliget hominem.

SVPER ILLIS VERBIS APOSTOLI:

Nihil commune per ipsum: nisi ei, qui existimat quid commune esse, illi commune est.

Versu 14.

9. HIs verbis docet nos Apostolus, & si nullus cibus sit immundus in lege Euangelica, nec sua naturà, vt quidam dixerunt hæretici, nec propter significationem quandam aliquarum rerum, quemadmodum plures in veteri lege cibi dicebantur immundi: posse tamen fieri, vt alicui, propter errorem conscientiæ, cibus aliquis fiat immundus, si putet eum esse immundum, nihilominus tamen contra iudicium rationis, & conscientiæ suæ, comedat eum: isti enim fit cibus ille immundus, non quod conscientia errans cibum ex non immundo possit facere immundum: sed quia comedens cibum, quem putat esse immundum,

mundum, & diuina lege vetitum, perinde peccat, quasi comederet cibum reuera immundum, & lege diuina interdictum. Ex hoc igitur Apostoli loco Theologi docent ac probant, conscientiam erroneam obligare hominem, non quidem ad agendum secundũ eam; sed ad non agendum contra eam: agens enim contra cõscientiam, etiam errantẽ, peccat: quæ Theologorum doctrina, quo planius, & plenius intelligatur, quattuor ad præsens quæstiones, sed cursim ac strictim tractandæ sunt.

10. Prima quæstio est hæc: Si conscientia errat in eo quod dictat homini, cur obligat hominem ad sequendum eius dictamen, non agendo contra ipsam, vt si dictat, agere aliquid esse peccatum, quod reuera non est peccatum, qui contra illud dictamen conscientiæ id agat, iure peccet. Verùm rationem eius rei reddere in promptu est. Actiones enim hominis, quantum ad bonitatem, & prauitatem, æstimantur ex voluntate, ex qua proueniunt; voluntas mouetur ab obiecto cognito, in id enim fertur voluntas, quod ei facultas cognoscens repræsentat, & inde actionis species & qualitas spectatur & sumitur. Si ratio igitur iudicet, & conscientia dictet aliquid esse peccatum, & nihilominus tamen ad id volẽdum feratur voluntas, & ad id agendum homo tendat, liquet profectò, eum hominem deliberatam habere peccandi voluntatem; quocirca eius actio à tali voluntate profecta, peccatũ erit. Ob eandem quoque causam si quis, quod est peccatum veniale, putet esse mortale; eoq; manente iudicio, id admittat, proculdubio, quia elegit peccare mortaliter, committit peccatum mortale. Verumtamen, si quis post factum opus tunc primum conscientiam habeat erroneam, illud fuisse peccatum, non ideo illud efficitur peccatum; quia voluntas non informatur ex apprehensione, & iudicio sequenti, sed præcedenti.

Cur, & quando obliget conscientia errãs.

11. Altera quæstio: si quis iudicet, aliquid necessarium esse ad salutem animæ, quod per se est illicitum, exempli gratia, si quis adeò esset corrupti iudicij, & peruersæ mentis, vt omninò ꝑsuasum haberet, se peccare mortaliter, nisi furetur; quæ-

tus ipse declarat, dum subiicit: *De carne eorum nolo vos comedere.* Ergo causa prohibendi nonnullos cibos in veteri lege, referenda est, secundum Augustinum, ad significationem & figuram. Hanc ipsam causam latius explicatam videre licet apud Aristeam in historia de translatione scripturæ à LXXII. interpretibus facta. Chrysostomus arbitratur plures cibos esse Iudæis vetitos ad nimietatem deliciarum amputandam. Vulgò appellatus Ambrosius putat, id esse factum ad contundendam duritiam, & coërcendam peruicaciam Iudæorum.

Aristeas.
S. Chrysost.
S. Ambrosius.

SECVNDA DISPVTATIO.

De conscientia errante, siue erronea, an ea obliget hominem.

SVPER ILLIS VERBIS APOSTOLI:

Nihil commune per ipsum: nisi ei, qui existimat quid commune esse, illi commune est.

Versu 14.

9. HIs verbis docet nos Apostolus, & si nullus cibus sit immundus in lege Euangelica, nec sua naturà, vt quidam dixerunt hæretici, nec propter significationem quandam aliquarum rerum, quemadmodum plures in veteri lege cibi dicebantur immundi: posse tamen fieri, vt alicui, propter errorem conscientiæ, cibus aliquis fiat immundus, si putet eum esse immundum, nihilominus tamen contra iudicium rationis, & conscientiæ suæ, comedat eum: isti enim fit cibus ille immundus, non quod conscientia errans cibum ex non immundo possit facere immundum: sed quia comedens cibum, quem putat esse immundum,

mundum, & diuina lege vetitum, perinde peccat, quasi comederet cibum reuera immundum, & lege diuina interdictum. Ex hoc igitur Apostoli loco Theologi docent ac probant, conscientiam erroneam obligare hominem, non quidem ad agendum secundũ eam; sed ad non agendum contra eam: agens enim contra cõscientiam, etiam errantẽ, peccat: quæ Theologorum doctrina, quo planius, & plenius intelligatur, quattuor ad præsens quæstiones, sed cursim ac strictim tractandæ sunt.

10. Prima quæstio est hæc: Si conscientia errat in eo quod dictat homini, cur obligat hominem ad sequendum eius dictamen, non agendo contra ipsam, vt si dictat, agere aliquid esse peccatum, quod reuera non est peccatum, qui contra illud dictamen conscientiæ id agat, iure peccet. Verùm rationem eius rei reddere in promptu est. Actiones enim hominis, quantum ad bonitatem, & prauitatem, æstimantur ex voluntate, ex qua proueniunt; voluntas mouetur ab obiecto cognito, in id enim fertur voluntas, quod ei facultas cognoscens repræsentat, & inde actionis species & qualitas spectatur & sumitur. Si ratio igitur iudicet, & conscientia dictet aliquid esse peccatum, & nihilominus tamen ad id volẽdum feratur voluntas, & ad id agendum homo tendat, liquet profectò, eum hominem deliberatam habere peccandi voluntatem; quócirca eius actio à tali voluntate profecta, peccatũ erit. Ob eandem quoque causam si quis, quod est peccatum veniale, putet esse mortale; eoq; manente iudicio, id admittat, proculdubio, quia elegit peccare mortaliter, committit peccatum mortale. Verumtamen, si quis post factum opus tunc primum conscientiam habeat erroneam, illud fuisse peccatum, non ideo illud efficitur peccatum; quia voluntas non informatur ex apprehensione, & iudicio sequenti, sed præcedenti.

Cur, & quando obliget conscientia errãs.

11. Altera quæstio: si quis iudicet, aliquid necessarium esse ad salutem animæ, quod per se est illicitum, exempli gratia, si quis adeò esset corrupti iudicij, & peruersæ mentis, vt omninò ꝑsuasum haberet, se peccare mortaliter, nisi furetur; quæ-

ritur an si iste agat contra conscientiã suam adeò erroneam, peccet mortaliter. Videtur enim peccare, tum quia lex DEI prohibens furtum, fortius obligat, quàm conscientia erronea: tum etiam, quia esset alioqui homo ita perplexus, vt siue furaretur; siue non furaretur, necessum esset ipsum peccare, quod videtur absurdum. Et ad hoc confirmandum, valere illud videtur, quod scribit Augustinus sermone sexto de verbis Domini: Inferioris, inquit, potestatis præceptum non obligat, si contrarium sit præcepto potestatis superioris; sicut si Proconsul iubeat aliquid, quod vetat Imperator. Cùm igitur conscientia errans dictat aliquid contrarium præceptis DEI, cuius est summa potestas, dictamen istud rationis, & conscientiæ errantis, non potest hominem obligare.

S. Augustinus.

Vtrum agens contra consciẽtiam dictantẽ aliquid esse agendum quod est per se illicitum peccet.

Sed ad hoc respondendum est, etiam in per se malis & illicitis erroneam conscientiam obligare ad non agendum contra ipsam. Causa enim, cur aliquando conscientia errans obligat, ea est, quod qui agit contra talem conscientiam, cõuincitur habere voluntatem peccandi: quare si quis putans non furari, esse peccatum mortale, eligat non furari, proculdubio deliberatam habet peccandi voluntatem, atque ideo peccat. Pro quo facit, quod docet Paulus hoc loco: manifestum enim est, quod discernere inter cibos, tanquam quid necessarium ad salutem, erat planè illicitum: Apostolus tamen ait, si quis haberet conscientiam, quod oporteret discernere cibos abstinendo ab eis; & tamen agens contra conscientiam suam, non discerneret, sed comederet, eum peccare non minus quàm si manducaret reuera immundum, & illicitum. Nec valida est prior obiectio contra hoc: non enim conscientia dictat aliquid esse agendum, vel fugiẽdum, nisi quia credit esse contra legem DEI: lex enim DEI non applicatur nostris actibus, nisi per conscientiam nostram. Sententia igitur illa Augustini tunc habet locum, cùm manifestè cognoscitur, inferioris potestatis præceptum esse contrarium præcepto superioris potestatis. Si quis verò crederet,

præ-

præceptum Proconſulis, eſſe Imperatoris præceptum, contemnendo Proconſulis præceptum, contemneret vtique præceptum Imperatoris. Ad eundem quoq; modum ſi quis cognoſceret quod ratio humana & conſcientia dictat aliquid contra præceptum DEI, non teneretur rationem ſequi: ſed tunc ratio non eſſet ex toto errans. Quando autem ratio errans proponit aliquid vt præceptum DEI; tunc idem eſt contemnere dictamen rationis, atque præceptum DEI. Quod autem obiiciebatur de perplexitate hominis, facilem habet ſolutionem. Licet enim nemo ſimpliciter ſit perplexus, ex ſuppoſitione tamen nihil prohibet aliquem eſſe perplexum. Exempli cauſa, ſacerdos Simoniacus, ſiue celebret, ſiue non celebret miſſam, quo tempore tenetur ex præcepto celebrare, peccat mortaliter; non tamen eſt ſimpliciter perplexus, quia poteſt Simoniæ peccatum abiicere, & ita ſine peccato celebrare. Similiter, qui conſcientiam habet erroneam poteſt eam deponere, & ſic à peccato abſtinere.

Quomodo aliquis eſſe perplexus & perplexitatem auferre queat.

12.

Tertia quæſtio: Non dicitur quiſpiam ſcandalizare proximum, qui bonum opus facit, ex quo tamen alius vel inſcitia, vel ſua culpa ſcandali occaſionem capit. Legimus enim apud Matthæum capite 15. dicentibus Apoſtolis, Phariſæos propter verba quædam CHRISTI fuiſſe ſcandalizatos, CHRISTVM Dominum non curando eorum ſcandalum, reſpondiſſe: *Sinite illos, cæci ſunt, & duces cæcorum.* Cùm igitur non diſcernere cibos, more iudaico, in lege Euangelica bonum ſit, non erat omittendum propter aliorum ſcandalum, qui peruerſam habentes conſcientiam, errabant circa fidem, putantes eiuſmodi ciborum diſcretionem eſſe neceſſariam ad ſalutem; alioqui etiam Catholicis abſtinendum fuiſſet olim à carnibus, & à matrimonio, ne ſcandalizarent plures Chriſtianos, qui hæc damnabant: cùm tamen tantum abeſt, vt ab illis propter iſtos abſtinendum eſſe iudicauerit Eccleſia catholica, vt contrà potius iſtam eorum ſententiam ipſa condemnauerit.

Locus Matth. cap. 15.

Sed ad hoc respondendum est, fieri posse vt quis dupliciter alium scandalizet: vel faciendo id quod est verè malum, vel id quod licet per se non sit malum, apud alios tamen habet speciem mali: Apostolus enim prioris epistolæ ad Thessalonicenses capite vltimo monet eos vt abstineant se ab omni specie mali. Verùm duplex est genus hominum, apud quos aliquid potest habere speciem mali: alij enim sunt ab Ecclesia Catholica separati, vt hæretici: alij sunt in ipsa Ecclesia, & ab ea tanquam infirmi tolerantur; & hi sunt, quos Apostolus hoc loco non vult contemni, & scandalizari, sed potius compatiendo eorum infirmitati, tolerari, qui putabant legalia esse obseruanda; & tantisper ab Ecclesia tolerabantur, dum doctrina Euangelica sufficienter esset in mundo euulgata, & accepta. Quocirca non erant comedendi cibi lege vetiti, cum tanto eorum scandalo. Hæreticorum alia ratio est: isti enim non tolerantur ab Ecclesia, sed ab ea reprobantur, atque damnantur, vt eorum scandalum nullo modo curandum sit; in illos scilicet dici verè potest illud Domini: *Cæci sunt, & duces cæcorum.*

Matth. 15.

13. Quarta quæstio: Cùm etiam illo tempore licitum esset Christianis vti promiscuè & indifferenter quibuslibet cibis, si ob aliorum scandalum erat ab illis abstinendum: esset ab omnibus licitis abstinendum, si subesset scandalum alicuius: quare non liceret homini Christiano sua repetere ab alio, cum scandalo proximi. At enim duplex est scandalum: alterum prouenit non ex ignorantia vel infirmitate, sed ex malitia, quale erat Pharisæorum scandalum ob Christi verba; & huiusmodi scandalum Christvs & verbis, suoque exemplo docuit nos contemnere. Alterum est scandalum proueniens ex infirmitate, & ignorantia, quod Theologi appellant scandalum pusillorum: & huiusmodi scandalum nequaquam est contemnendum, cùm Dominus dixerit, vt refert Matthæus capite 18. *Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis.* Huius scandali vitandi causa debet Christianus vsum etiam licitarum rerum tantisper omittere quoad reddita ratione ipsum

Matth. 15.

Eodem Matth.

psum auferat proximo. quod si exposita ratione permaneat ille in scandalo suo, cùm iam id non proueniat ex inscitia, vel infirmitate, sed à malitia proficisci videatur, tanquam scandalum Pharisaicum, minimè curandum est.

TERTIA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Non ergo blasphemetur bonum nostrum: non est enim regnum DEI esca & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in SPIRITV sancto.

Versu 17.

DEHORTATVS fuerat Romanos superioribus verbis Apostolus ab Euangelicæ legis libertate vtendo, in comedendis promiscuè atque indifferenter quibuslibet cibis cum aliorum infirmorum Christianorum scandalo, vel spiritali detrimento. nunc huius rei duas valde graues affert rationes: quarum alteram exponit paucis illis verbis: *Ne blasphemetur bonum nostrum*; alteram verò illis proximè sequentibus: *Non est enim regnum DEI esca, & potus, &c.* Dupliciter autem declaratur, quod sit bonum nostrum, quod Apostolus non vult blasphemari. Chrysostomus interpretatur fidem, & futuram præmiorum spem. Bonum, inquit, appellat hoc loco Apostolus fidem, aut futuram præmiorum spem, aut perfectam pietatem. quasi dixerit Apostolus, Tu, qui cum scandalo abuteris Euangelica libertate comedendi quoslibet cibos, & fratrem tuum contristas, atque scandalizas. & ipsam doctrinam, & gratiam, & donum DEI blasphemare facis. Bonum enim nostrum est

14.

Quodnam sit bonum nostrū.

Chrysostomus.

est dilectio fraterna, caritas, vnitas, mutua animorum inuicem colligatio, cum pace ac mansuetudine conuictus, & conuersatio. Sic Chrysostomus. At verò secundum Anselmum, & B. Thomam, bonum nostrum appellauit Apostolus Euangelicam libertatem non discernendi cibos, sed quoslibet indifferenter comedendi: quam libertatem cùm nonnulli Christiani in scandalum, & perniciem aliorum vsurparent, reddebant eam obnoxiam maledictis, & blasphemiis multorum dicentium, eam non esse libertatem Spiritus, sed licentiam carnis. Posset etiam per istud bonum nostrum intelligi id, quod est tanquam substantiale ac principale disciplinæ, ac religionis Christianæ: vt significet Apostolus non esse nobis committendum, vt propter libertatem istam non discernendi cibos, quæ est in Christianismo bonum quoddam accidentarium, id quod est principale bonum in Christiana religione, vituperetur, & blasphemetur ab aliis.

Anselmus & S. Thomas.

15. *Anselmus.*

Illud porrò quod sequitur: *Non est regnum DEI esca & potus, &c.* Ita explanat Anselmus, regnum DEI, propter quod laboramus, & currimus, neque per escam, neq; per potum constat: sunt enim hæc aliena à regno DEI, & ab illa sanctorum futura conuersatione; non erunt ibi carnales epulæ, sed iustitia, & pax, & gaudium in SPIRITV sancto. quocirca oportet nos has præcipuè virtutes colere, & in eis exerceri, quæ nobiscum possint ad æternum regnum cœlorum transire. has verò tres virtutes idcirco posuit, quod ad intentionem suam; & ad Romanorum correctionem specialiter conferre videbat: iustitiam quidem, vt nemo faciat alij, quod sibi non vult fieri; & quod sibi quoq; cupit fieri, faciat & aliis: Pacem, vt illis quies, & concordia sit, non contentio, & discordia: Gaudium vt quisque bonis fratris sui perinde gaudeat ac suis. Et huiusmodi virtutes sunt regnum DEI, quoniam in eis consistit regnum supernæ beatitudinis. Vel quia DEVS in præsenti vita regnat in illis, in quibus sunt huiusmodi virtutes. Sic Anselmus.

16. *Quid doceatur hoc loco regnũ*

Nec dissimilis est B. Thomæ interpretatio, aientis regnum

gnum DEI hîc vocari id, per quod principaliter DEVS regnat in nobis, & per quod ad regnum ipsius peruenimus: de quo scilicet dictum est Matthæi 6. *Adueniat regnum tuum.* Regnat porrò DEVS præcipuè in Spiritu hominis, secundum illud Ioan 4. *Spiritus est DEVS, & eos, qui adorant eum, in Spiritu, & veritate adorare oportet.* In Spiritu autem sunt intellectus, & voluntas. In his igitur DEVS regnat per fidem, spem, & charitatem. Esca verò, & potus, & alia quælibet bona corporalia, vel externa per se non pertinent ad regnum DEI, sed ea duntaxat ratione, vt ordinātur ad interiora bona hominis, in quibus consistit regnum DEI, secundum illud Luc. 17. *Regnū DEI intra vos est.* Pertinet autē ad regnum DEI, istiusmodi bonorum exteriorum vel inopiam æquo animo tolerare, vel eorum abundantia modestè ac temperanter vti. verissimum est itaque illud Apostoli 1. ad Corinthios 8. *Esca nos non commendat DEO: neque enim si non manducauerimus, deficiemus: neque si manducauerimus, abundabimus.* Sed illud nos commendat DEO, quod de se dicit Apostolus: *Scio & abundare, & penuriam pati.*

DEI, ex B. Thoma.

Locus 1. ad Corinth. 8.

Ad Philip. 4.

17\. Vocatur autem hoc loco iustitia, recta voluntas reddendi vnicuique quod suum est, de qua scriptum est Matthæi 6. *Primùm quærite regnum DEI, & iustitiam eius.* Pax verò opus, & effectus est iustitiæ: nam sicut in iustitia causa est discordiæ, & perturbationum in humana societate: ita cultus & administratio iustitiæ tam priuatim, quàm publicè causa est pacis & tranquilitatis. Rectè igitur dictum est Isaiæ 32. *Opus iustitiæ, pax.* Iam verò gaudium, quod vocat hîc Apostolus, refertur ad modum, quo iustitiæ opera facere oportet, promptè videlicet, & cum voluptate, & gaudio. Vt enim docet Aristoteles in primo Ethicorum: Non est iustus, qui iustitiæ operatione non gaudet: & sicut vmbra sequitur corpus in luce positum; ita voluptas & gaudium consequitur actionem hominis cū virtute, siue iustitia perfectam. Deniq; addit Paulus: *In SPIRITV sancto.* Est enim etiam impiorum, & infidelium nonnulla iustitia, & pax, & gaudium: sed hæc fucata sunt, & inania,

Quid hoc loco sit iustitia, pax, & gaudium, & cur hæc dicātur esse in SPIRITV sancto.

Aristoteles.

inania, & fugacia, & quorum finis & exitus sit hominis exitium: Vera iustitia à SPIRITV sancto est: vera pax ab ipso etiam est; verum quoque, ac solidum, & perpetuum gaudium non aliũde, quam à SPIRITV sancto cõtingit homini. Per SPIRITVM etenim sanctum diffunditur charitas in cordibus nostris: Charitas autem gaudium parit, illud videlicet gaudium, de quo dixit Dominus. *Et gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.* Vnde Apostolus dixit 1. ad Corinthios 13. *Charitas non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* Et ad Galatas 5. *Fructus*, inquit, *SPIRITVS est charitas, gaudium, pax.* Illud igitur: *In SPIRITV sancto*, denotat & causam efficientem veræ iustitiæ, pacis, & gaudij, qui est SPIRITVS sanctus, & item qualia ista esse debeant, non corporalia videlicet, sed spiritualia, iustitiam dico, & pacem, & gaudium, quæ in SPIRITV, & secundum Spiritum potissimùm constant. Atque hæc tria imperfectè quidem habentur in hac vita, in cœlis verò plenè ac perfectè: ibi namque iustitia erit sine vlla peccati labe: ibi pax erit sine vlla perturbatione, secundum illud Isaiæ 32. *Sedebit populus in pulchritudine pacis, in tabernaculis iustitiæ.* Ibi erit gaudium perfectum, sicut Isaias dixit cap. 35. *Gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.*

Ad Rom. 5.

Ioan. 14.

Locus epist. ad Galat. cap. 5.

18. Ergo illorum Apostoli verborum: *Regnum DEI non est esca, & potus*, &c. Germana huiusmodi est sententia: vsus promiscuus ciborum, ob libertatem Euangelicam, vel vsus quarumlibet rerum indifferentium, non est substantiale, ac principale bonum Christianæ religionis: hoc enim potissimùm consistit in obseruatione, atque exercitatione iustitiæ, qua & DEO debita præstatur reuerentia, & obedientia, & tribuuntur proximo quæ ei debita sunt: præterea in conseruatione pacis, id est, in pacifico cum aliis hominibus conuictu, & conuersatione: ac demum in gaudio, & lætitia, quam parit pax: hæc enim, quę à SPIRITV sancto donantur nobis, principes tenent partes Christianæ virtutis, ac perfectionis. Ex hoc igitur loco licet intelligere hoc esse discrimen

men inter res per se indifferentes, & inter res per se necessarias ad regnum DEI, id est, vt DEVS regnet in nobis: quod has, nullo vnquam tempore, nullaque de causa, vel ratione licitum est omittere, quoniam in hisce rebus regnum DEI, secundum substantiam suam collocatum est: illas verò, nefas non est interdum prætermittere; sunt enim velut quiddam accidentarium, quod & adesse, & abesse potest sine detrimento regni DEI: quare hæc potius, quàm illa, Christianis amanda, sectanda, & vrgenda sunt.

19.

Repellitur calumnia hereticorũ aduersus Ecclesiasticam ciborum abstinentiam.

Ex his porrò, quæ dicta sunt, satis apparet, hanc Pauli doctrinam minimè aduersari legibus Ecclesiasticis de abstinentia, & delectu ciborum, vel obseruatione aliarum rerum indifferentium. Apostolus etenim id tantum agit hoc loco, vt doceat doctiores ac firmiores Christianos, vsum libertatis Euangelicæ in non discernendis cibis, posse ad tempus prætermittere sine vllo detrimento regni DEI: quin etiam vbi timetur aliorum scandalum, & spirituale damnum, prætermitti ab ipsis debere: esca enim, vt dixit idem Apostolus, nos non commendat DEO. Quod si quispiam peruicaciter contendat, hanc Pauli doctrinam pariter esse accipiendam de abstinentia atque vsu ciborum, vt doceat neque in vsu, neque in abstinentia ciborum positum esse regnum DEI: etiam si id detur, non tamen ea doctrina legibus Ecclesiæ de obseruatione ieiuniorum repugnat: nã etsi in eiusmodi rebus per se ac primariò, non versatur regnum DEI; negari tamen non potest in eisdem rebus ea ratione consistere, vt per abstinentiam siue spontè susceptam, siue nobis præscriptam atq; indictam, DEO subiiciamur: dum videlicet per eam cupiditates carnis frenamus atque domamus, dum quæ in DEVM deliquimus, in nobis ipsi, per abstinentiam vindicamus: dum per eam Spiritum nostrum expeditiorem & alacriorem reddimus ad cultum, & obsequium DEI: hoc namque modo assumpta abstinentia, actus est virtutis: quod quia non animaduertunt hæretici, propterea & falluntur ipsi & fallunt alios, vituperando, & damnando ieiunium Ecclesiasticum.

Confiderant enim illud, vt eſt nuda quędam abſtinentia, non ad aliud maius bonum relata; nec vt eſt imbuta fide & charitate: cuiuſmodi ieiunium conſtat eſſe rem indifferentem, nec pertinere ad regnum DEI, nec DEO nos commendare, & acceptos facere.

20. [...] Melanchthonem.

Philippus Melanchthon non negat, ieiunij, & rerum indifferentium obſeruationem poſſe homini prodeſſe, & conducere ad cultum DEI, non tamen, inquit, immediatè, ſed mediatè: facit enim ieiunium, vt homo ſit aptior ad fundendas preces, in quibus eſt cultus DEI. Sed impium, inquit, eſſet, ſi quis vellet per ieiunium placare iram DEI, vel ſatisfacere DEO, vel colere, & honorare DEVM. At enim Melanchthoni aduerſatur diuina Scriptura: Lucas nempe in 1. capite ſui Euangelij de Anna vidua ſcribit: *Non diſcedebat de templo ieiuniis, & obſecrationibus ſeruiens nocte ac die.* Pro illo, *ſeruiens*, grecè eſt, λατρεύουσα: quod verbum ſignificat exhibere cultum, DEI proprium, eique ſoli debitum. Præterea in Actis Apoſtolorum capite 13. ita ſcriptum eſt: *Miniſtrantibus illis Domino, & ieiunantibus, dixit SPIRITVS ſanctus.* græcè eſt, λειτουργούντων, quod ſignificat operari ſacris, ſiue deditum eſſe rei ſacræ. Nec aliter profectò ieiunaſſe legitur Dauid libro 2. Reg. cap. 12. nec Iudith, nec Eſther, nimirum ad placandam iram DEI, & miſericordiam eius impetrandam.

[...]ocus Lucæ [...]p. 1. Euange[...], & cap. 13. [...]ctorum Apo[...]olicorum.

[...]dith. [...]ſther.

Baſilius. [...]hryſoſtomus. [...]eronymus.

Baſilius in homilia de ieiunio ait; nos per ieiunium ſatisfacere DEO. Chryſoſtomus de Hebdomada ſancta, ponit ieiunium inter illa, quæ offeruntur DEO. Hieronymus damnat ſimilem errorem in Iouiniano, & oſtendit Scripturas ab eo citatas contra ieiunium, tanquam rem per ſe indifferentem, nihil valere contra ieiunium Eccleſiaſticum, vtpote ſuſceptum eo fine, vt corpus dometur, & ſubiiciatur Spiritui, & Spiritus ipſe expeditior, & alacrior euadat ad cultum DEI, & vt ira DEI placetur, atque ei ſatisfiat pro peccatis admiſſis. Quod ſi ieiunium ea ratione, vt diximus, vſurpatum ad DEI cultum, & honorem non pertineret, nec CHRISTVS Dominus quadraginta diebus ieiunaſſet, Matt. 4. nec amoto ſponſo ieiu-

ſo ieiunandum nobis eſſe prædixiſſet Matthæi 9. nec rectam ieiunandi rationem, & modum ſalutarem, atque DEO gratum docuiſſet Apoſtolos Matthæi 6. Nec vt ſuprà diximus, Anna prophetiſſa laudaretur in ſcriptura, quòd in ieiuniis multo tempore ſeruiſſet Domino.

21. *Differentia multiplex inter Iudaicam ciborum abſtinentiam, atque Eccleſiaſtica.*

Inter abſtinentiam autem ciborum Iudaicam & Eccleſiaſticam plurimum intereſt. Illa enim, poſt Euangelium CHRISTI in mundo promulgatum, exoleuit, nec vim obligandi habuit: at poſt id temporis Eccleſiaſtica ieiunia, per ipſius Eccleſiæ auctoritatem, in vſu, & præcepto eſſe cœperunt. Deinde, abſtinentia illa Iudaica, erat tantùm cæremonialis, & tanquã cæremonia quædam obligabat Iudæos; erat enim inſtituta nõ caſtigandi & macerandi corporis gratia, in remedium concupiſcentiæ: caro enim bouina, & arietina, & vitellina Iudæis per legem conceſſa, non minus plenè ac delicatè corpus nutriebat, quàm porcina caro eis vetita: abſtinentia verò ciborum Eccleſiaſtica, non in damnationem, & odium ciborum, quaſi per ſe immundorum, nec propter ſignificationem & figuram aliarum rerum inſtituta eſt: ſed propriè ordinata, & relata eſt ad macerationem & afflictationem corporis, vt ita & tentationibus diaboli facilius reſiſti poſſit, & cupiditates carnis frangi, & vitia ſuperari queant. Adhæc, Iudæorum illa à cibis abſtinentia, erat perpetua, & omni tempore obligans: noſtra verò ieiunia, nec ſunt perpetua, ſed ad aliquod tempus. Iudaica quoque obſeruatio ciborum nullam admittebat diſpenſationem, ſed generaliter, & inuiolabiliter obſtringebat omnes: in ieiuniis autem Eccleſiaſticis, vel ſanitatis, vel alius cuiuſque neceſſitatis cauſa, facile diſpenſatur. Videat lector B. Auguſtinum de moribus Eccleſiæ capite 33. Quæ autem Apoſtolus hoc loco diſputat de vſu ciborum, & quod regnum DEI non ſit eſca & potus, ea nihil facere aduerſus delectum, & abſtinentiam ciborum in Eccleſia Catholica vſitatam, etiam Caluinus, & Beza in ſuis commentariis in hanc epiſtolam agnouerunt: quippe qui in huius loci tractatu, explica-

tuque nullum super hac re verbum fecerunt; cæteroqui soliti vndecunq; occasionem rapere carpendi ritus & consuetudines Ecclesiæ Catholicæ.

QVARTA DISPVTATIO.

SVPER ILLIS VERBIS:

Omne autem quod non est ex fide, peccatum est.

Versu vlt.

An hæc Apostoli sententia opinionem adiuuet eorum, qui putarunt, omnia quæ agunt infideles sine speciali aliquo DEI auxilio, esse peccata.

Ex.

SI omne, quod non est ex fide, vt ait Apostolus hoc loco; peccatum est, cùm homo infidelis nihil agat ex fide, cuius est prorsus expers; quicquid is aget, peccatum erit. Et hæc quidem fuit sententia Gregorij Ariminensis, qui libro secundo sententiarum dist. 26. 27. & 28. longissima disputatione probat, omnes actiones, & opera infidelium, citra speciale aliquod DEI auxilium facta, esse peccata. Cui Capreolus ibidem adstipulatur, etiam B. Thomæ hanc opinionem assignans. B. Martyr Roffensis aduersus trigesimum sextum articulum Lutheri disputans, hanc ipsam fuisse censet Patrum doctrinam. Ambrosius item Catharinus in commentariis suis in librum Genesis, super caput secundum eius libri pugnaciter hanc opinionem defendit, & contrarias ei rationes, præcipuè allatas à Dominico Soto lib. 1. de Natura & Gratia dissoluere conatur.

Gregor Ariminensis.

Capreolus.

Roffensis.

Catharinus.

Triplex

Triplex autem est huius sententiæ firmamentum: vnum in nonnullis scripturæ testimoniis; alterum in sententiis aliquot B. Augustini; tertium in ratione positum. Scripturæ testimonia in eius opinionis confirmationem hæc afferuntur. Primum testimonium: *Non potest arbor mala bonos fructus facere.* Matthæi 7. Sed infidelis, est mala arbor, ergo non potest vllum facere bonum fructum, id est, opus. Alterum testimonium: *Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Matthæi 6. Oculus autem hoc loco significat intentionem hominis circa finem suum. Cùm igitur homo infidelis non habeat pro fine suo DEVM, quem habere debet, necessum est, nequam esse oculum eius, id est, prauam intentionem in agendo: & iccirco totum eius corpus esse tenebrosum, id est, omnem eius vitam, & omnia quæ agit, esse mala. Tertium testimonium: *Omnia munda mundis: coinquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum, sed inquinata est eorum mens & conscientia.* Ad Titum 1. quibus verbis apertè docet Apostolus, in homine infideli nihil esse mundum. Quartum, & vltimum testimonium, sunt hæc ipsa verba Pauli, quæ in titulo huius disputationis posita sunt: *Omne quod non est ex fide, peccatum est:* atque hunc locum vehementer vrgent, tanquam validissimum ad eam opinionem confirmandam, argumentum.

23. *Testimonia scripturæ pro Gregorio.*

Alterum huius opinionis fundamentum nititur auctoritate beati Augustini: cuius in libro de spiritu & littera capite tertio celebris est illa sententia: Neque liberum arbitrium quicquam, nisi ad peccandum, valet, si lateat veritatis via. Idem libro de prædestinatione Sanctorum, capite primo: Nemo, inquit, sibi sufficit ad incipiendum, vel perficiendum quodcunque opus bonum: sed sufficientia nostra ex DEO est. Et in sermone decimo tertio de verbis Apostoli ita scribit: Si defuerit adiutorium SPIRITVS S. nihil boni agere poteris: agis tu quidem, illo non adiuuante tua libera voluntate, sed malè agis: & malè agendo, damnabilis effice-

24. *Augustini testimonia pro Gregorio.*

2. ad Cor. 3.

efficeris. Sic vos scitote agere bonum, vt sit SPIRITVS sanctus adiutor vester; qui si defuerit, nihil boni agere valetis. Et in præfatione super Psalmo 31. Nemo computet opera sua bona ante fidem: vbi enim fides non erat, bonum opus non erat: bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit. Quid multa? Augustinus lib. 4. contra Iulianum cap. 3. ex professo, & fusè disputat, nullas esse virtutes in infidelibus, neq; quidquam in eis boni esse: id verò præcipuè argumentatur, & probat hac Pauli sententia: *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Beatus etiam Prosper in libro sententiarum S. Augustini numero 106. ad eiusdem sententiæ confirmationem hæc scribit: Omnis infidelium vita, peccatum est: & nihil est bonum sine summo BONO. Vbi enim deest agnitio æternæ, & incommutabilis veritatis, falsa virtus est, etiam in optimis moribus.

Prosper.

25. *Gregorij argumentatio.*

Tertium eiusdem sententiæ firmamentum, est ratio illa, quam Gregorius magnificat, putans validissimam eius opinionis esse probationem. Quicumque, inquit, facit opus aliquod non ob debitum finem, ob quem fieri debet, proculdubio id operis faciens, peccat: sed infidelis opera sua facit non ob debitum finem; debitus enim finis, ad quem referri debent ab homine omnia bona eius opera, est DEVS; ad hunc autem finem non respicit infidelis in operando: ergo nullum opus eius verè potest dici & esse bonum, vtpotè quod careat circumstantia finis, quæ in primis requiritur ad bonitatem actionis, & operis. Sic ille. Atque hæc ad istius opinionis declarationem, & confirmationem dicta sint.

QVIN-

QVINTA DISPVTATIO.

Refellitur supradicta sententia.

26\.

Posse hominem infidelem facere bona opera moralia.

SED profectò incredibile, & perabsurdum est dicere, hominem, cuius natura est esse animal rationale, non posse facere bonum morale, quod est maximè consentaneum rationi naturali, nec facultatem eius excedit, sed ei maximè, vt ita loquar, proportionatum est: pugnant enim inter se, hominem esse naturæ rationalis, & non posse facere aliquid secundum rectam rationem. Sanè DEVS cuilibet rei naturali indidit facultatem naturalem perueniendi ad suum finem, & perfectionem naturalem. Quis igitur credat, hanc homini, omnium naturalium rerum præstantissimo, esse denegatam? Atqui finis naturalis hominis est viuere secundum rectam rationem. Enimuerò respuit animus credere, posse hominem naturali sua facultate dare malo fine eleemosynam pauperi; & non posse ei dare, bono fine, ex naturali commiseratione videlicet, vel amore ipsius honestatis, vel etiam propter DEVM naturaliter cognitum, vt conditorem omnium, atque vltimum hominis finem. In Conciliis certè Ecclesiasticis, vt Mileuitano, Arausicano, & Tridentino, in quibus subtiliter, & diligenter, accurateque disputatum est, An possit homo naturali facultate liberi sui arbitrij facere bonum aliquod; conclusum & decretum est, sine speciali auxilio DEI, nullum posse ab homine fieri bonum, quod pertineat ad gratiam iustificationis, & ad piè viuendum: posse autem ab eo fieri bonum aliquod morale, ob naturalem quandam & humanam honestatem nunquam est negatum, vel in disceptationem adductum. Sine causa igitur auctores isti hoc negāt, aduersantes non solùm Philosophorum omnium opinioni,

Concilium Mileuitanum, Arausicanum, Tridentinum.

sed etiam communi omnium hominum sensui ac iudicio.

27. *Testimonia scripturæ.*

Atque hoc ipsum indicare voluit Apostolus secundum multorum, atque grauium auctorum interpretationem, cùm in secundo capite huius epistolæ dixit: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt.* Et Dominus noster apud Matthæum capite 5. *Si diligitis*, inquit, *eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne & Publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis? nonne & Ethnici hoc faciunt? Estote ergo, vos perfecti, sicut & PATER vester cœlestis perfectus est.* Quibus verbis significauit Dominus, se non vituperare istiusmodi officia, quæ propter humanam honestatem, vel naturales necessitudines bonis ac malis communes fiunt: sed ista esse imperfecta, vt quæ non proueniant ex vero DEI amore, qui non solùm ad amicos, & cognatos, verùm etiam alienos atque inimicos pertinet. Hoc etiam spectasse videtur Apostolus in illis suis verbis, quæ sunt in capite quarto huius epistolæ: *Si Abraham*, inquit, *ex operibus iustificatus est: habet gloriam, sed non apud DEVM*, vbi ostendit se non damnare, humanam iustitiam, quæ fit sine speciali gratia DEI, per naturale lumen rationis, & facultatem liberi arbitrij: sed asserere, illam imperfectam esse, & quod attinet ad faciendum hominem iustum coram DEO, prorsus inualidam, ac nullius momenti.

28. *Augustini testimonia.*

B. porrò Augustinus, cuius sententiam, tanquam firmissimum opinionis suæ præsidium, maximè iactitat, & venditat Gregorius, idem quoque sensit, & scriptum ac testatum reliquit. In libro enim de spiritu & littera cap. 27. hunc in modum scribit: Si autem qui naturaliter faciunt, quæ legis sunt, nondum sunt habendi in numero eorum, quos CHRISTI iustificat gratia, sed eorum potius, quorum etiam impiorum nec DEVM verum veraciter, iusteque colentium, quædam tamen facta vel legimus, vel nouimus, vel audimus, quę, secundum iustitiæ regulam, non solùm vituperare non possumus,

sumus,

ſumus, verùm etiam meritò, rectèque laudamus. quanquam ſi diſcutiatur quo fine fiant, vix inueniuntur, quæ iuſtitiæ debitam laudem, defenſionemque mereantur: verùm etiam non vſque adeò in anima humana imago DEI, cæterorum affectuum labe detrita eſt, vt nulla in ea velut lineamenta extrema remanſerint; vnde meritò dici poſſit, etiam in ipſa impietate vitæ ſuæ homines facere aliqua legis, vel ſapere. Et paulò infrà: Sicut, inquit, non impediunt à vita æterna iuſtum, quædam peccata venialia, ſine quibus hæc vita non ducitur: Sic ad ſalutem æternam nihil proſunt impio aliqua bona opera, ſine quibus difficillimè vita cuiuslibet, etiam peſſimi hominis inuenitur. Et paulò infrà: Si facientes naturaliter quæ legis ſunt, non illi ſunt intelligendi, qui pertinent ad gratiam Mediatoris; ſed illi potius, qui cùm DEVM verum vera pietate non colant, habent tamen quædam opera bona in vita impia, &c. Hæc Auguſtinus, qui propterea dixit, ſi bona opera impiorum, diſcutiatur, quo fine fiant, vix inueniri quæ iuſtitiæ debitam laudem mereantur; quia non omnia opera infidelium, quæ, ſecundum externam ſpeciem, videntur & cenſentur bona, ſunt reuera bona; cùm pleraque eorum fiant ab illis non bono fine, ſed vel ob cultum ſuorum Deorum, vel gloriæ, aut lucri cauſa: Non tamen negauit Auguſtinus, poſſe fieri ab illis bona opera etiam bono fine: vnde non dixit: (non inueniuntur) ſed, vix inueniuntur. Vel hoc dixit, quia cùm illa bona opera non referantur ab illis in verum DEVM, tanquam vltimum finem, non poſſunt dici ſimpliciter bona, nec veræ, & perfectæ virtutis rationem habere: quamobrem Auguſtinus dixit ea debitam iuſtitiæ laudem non mereri.

29. *S. Chryſoſt.*

Beatus etiam Chryſoſtomus, vt refert Gratianus de pœnitentia diſtinctione 3. c. Quid ergo, hanc putat eſſe cauſam, ob quam aliqua proſpera malis contingant, & aliqua bonis aduerſa eueniant: quia non poteſt eſſe quis adeò malus, quin aliqua bona opera faciat, propter quæ, temporali

aliqua prosperitate remuneretur à DEO: nec est quis adeò bonus, quin interdum aliquid mali agat, propter quod temporali aliqua aduersitate puniatur. Similia scribit S. Gregorius existimans, ideo Abraham dixisse diuiti Epuloni: *Recepisti bona in vita tua*, quia gesserat ille dum viueret, aliquod bonum, quod in præsenti seculo erat remunerandum. Verba Gregorij lubet hîc adscribere, ea verò sunt huiusmodi: Ista fratres mei sententia pauore potius indiget, quàm expositione. nam si qui vestrûm in hoc mundo, exterioris boni aliquid accepistis, ipsum, vt ita dicam, bonum exterius quod accepistis pertimescere debetis: ne vobis pro quorundam vestrorum bonorum actuum recompensatione sit datum: ne iudex hîc bona exteriora restituat: ne honor hic vel diuitiæ non adiumentum virtutis, sed remuneratio sint laboris. Ecce enim cum dicitur: *Recepisti bona in vita tua*, indicatur, & diues iste boni aliquid habuisse, propter quod in hac vita receperit bona: rursumque dum de Lazaro dicitur, quia recepit mala; profectò monstratur & Lazarus habuisse malum aliquod, quod in hac vita purgaretur; sed mala Lazari purgauit ignis; & bona diuitis remunerauit felicitas præsentis vitę: illum paupertas afflixit, & tersit: istum abundantia remunerauit, & repulit. Quicumque ergo bona in hoc seculo habetis, cum vos bona egisse recolitis, valde de ipsis pertimescite: ne concessa vobis prosperitas, eorundem remuneratio sit bonorum. Hactenus ex B. Gregorio. Si DEVS igitur secundum Chrysostomum, & Gregorium, bona quæ faciunt impij, remunerat in hac vita bonis aliquibus temporalibus; DEVS autem non remunerat mala opera, & peccata; ergo non omnia quæ agunt impij, & infideles sunt peccata.

S. Gregorius homelia 40. Luca 16.

30. Cæterùm, quia putat Capreolus, quod sensit Gregorius Ariminensis, idem quoque B. Thomam sensisse, non ab re fuerit, vt ex aliquot scriptorum S. Thomæ locis, contrariam eius fuisse sententiam, euidenter ostendamus. Primus locus est in prima parte quæst. 23. art. 1. vbi docet, duplicem esse finem hominis: & vnum quidem esse qui excedit proportionẽ

[S].Thomam pu[t]asse sine speciali auxilio Dei posse fieri [b]onum aliquod morale etiam [a]b infideli.

&

& facultatem naturæ eius: Et hic finis est vita æterna in DEI visione consistens: alter finis est naturæ hominis proportionatus, quem homo potest attingere secundum virtutem suæ naturæ; & respectu huius non dicitur homo prædestinari à DEO, respectu illius finis supernaturalis: nam quia non potest ad illum per virtutem naturæ suæ peruenire, necesse est ad illum quasi à DEO transmitti: sicut sagitta à sagittante transmittitur ad signum, sic ibi S. Thomas. Si potest igitur homo per virtutem naturalem suam, consequi finem suum naturalem; hic autem consistit in perfecta operatione secundum rectam rationem: nec ad istum finem per malos actus & peccata, sed per bonos actus morales perueniri potest: ergo potest homo, etiam infidelis per virtutem naturalem rationis, & volũtatis facere bonos actus, & opera moralia cum solo naturali DEI concursu.

31.

Alter locus est in prima secundæ quæst. 65. art. 2. vbi disputans, vtrum virtutes morales possint esse sine charitate, concludit, virtutes morales ea ratione vt sunt effectrices boni in ordine ad finem naturalem hominis, posse per humana opera acquiri & esse sine charitate: Sicut, inquit, fuerunt in multis gentibus: at verò morales virtutes vt sunt operatrices boni in ordine ad vltimum finem supernaturalem, (qua ratione perfectè, & verè habent rationem virtutis) non possunt humanis actibus acquiri, nec possunt esse sine charitate: & tales sunt simpliciter virtutes, quia bene ordinant hominem ad finem vltimum simpliciter ipsius, & faciunt verè hominem bonum: quales non sunt virtutes priori modo consideratæ: de quibus videlicet intelligendum est illud Prosperi in libro sententiarum: Omnis virtus præter charitatem, potest esse communis bonis & malis. Sic ibi S. Thomas. Ergo si etiam in homine Gentili possunt esse virtutes morales per bonos actus eius morales acquisitæ, non igitur omnes actus & opera infidelium sunt peccata.

Prosper.

32.

Tertius locus est in prima secundæ quæst. 109. art. 2. quo in loco disputans vtrum homo possit velle, & facere bonum

sine gratia DEI, statuit, hominem in statu naturæ integræ, in quo à DEO creatus est, potuisse per virtutem naturæ suæ velle, & operari omne bonum morale, quale est bonum virtutis acquisitæ: in statu autem naturæ corruptæ, in quo nunc est homo, non posse ipsum implere naturalibus suis viribus totum bonum morale: sed quia per peccatum non est humana natura omninò corrupta, vt omni bono naturæ priuetur; potest etiam in hoc statu per virtutem suæ naturæ aliquod particulare bonum agere, sicut ædificare domos, plantare vineas, & alia huiusmodi. Hæc in eo loco S. Thomas. Quid apertius dici potuit contra Gregorij opinionem, quàm quod hîc dictum est à B. Thoma? Ille ait hominem sine speciali DEI auxilio nullum posse facere bonum morale: hic autem contradictoriam propositionem ponit, hominem videlicet per virtutem naturæ suæ, & cum solo generali concursu DEI, tanquam primi mouentis, posse facere bonum aliquod morale.

33\. Quartus locus est in secunda secundæ quæst. 10. art. 4. vbi conceptis verbis tractatur ab eo hæc quæstio; quæ nunc à nobis agitatur, Vtrum omnis actio infidelium sit peccatum? Et hoc modo respondet: Infideles non possunt operari bona opera, quæ sunt ex gratia, & sunt meritoria: at verò bona opera, ad quæ sufficit bonum naturæ, aliqualiter operari possunt: quare non est necesse, vt in omni suo opere peccent. Sicut enim habens fidem, potest aliquod peccatum committere in actu, quem non refert ad fidei finem, vel venialiter, vel etiam mortaliter peccando: ita etiam infidelis potest aliquem actum bonum facere, in eo quod non refert ad actum infidelitatis.

Quintus locus est in commentario huius loci, declarando verba illa Pauli: *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Vbi ponit hanc quæstionem: Videtur, inquit, ex hoc loco, quod omnis vita & actus infidelium sit peccatum: Sicut contra omnis vita, & actio fidelium, & iustorum est meritoria. Verùm ad hoc, inquit, respondendum est, quod aliter se habet fidelis ad

lis ad bonum, & aliter infidelis ad malum. nam in homine fideli qui habet fidem charitate formatam, nihil est damnationis, vt suprà dictum est capite 8. in homine autem infideli simul cum infidelitate est bonum naturæ. Et ideo cùm homo infidelis ex dictamine rationis bonum aliquod facit, non referendo id ad malum finem, non peccat: non tamen opus eius meritorium esse potest, cùm nec fide, nec gratia sit informatum. Et hoc est, quod hîc dicitur in Glossa: (Nihil bonum est sine summo bono) id est, nullum bonum meritorium est sine gratia DEI. Et illud item quod dicit: (vbi deest agnitio vitæ æternæ, & incommutabilis veritatis (quæ scilicet est per fidem) falsa virtus est, etiam in optimis moribus) in quantum videlicet non refertur ad finem beatitudinis æternæ. Hæc S. Thomas. Ex supradictis itaque locis clarissimè apparet, B. Thomam planè contrariam Gregorio Ariminensi habuisse sententiam.

SEXTA DISPVTATIO.

Soluuntur Gregorij argumenta: & primò respondetur ad testimonia sacræ Scripturæ.

RESPONDENDVM primò est ad testimonia sacræ Scripturæ: deinde ad auctoritates B. Augustini: deniq; ad rationem, qua suam Gregorius firmat sententiam. Ad primum illud testimoniũ: *Mala arbor non potest fructus bonos facere*: respondemus, hominem infidelem ratione infidelitatis, & aliorum peccatorum, quæ habet, esse malã arborem, atque ea ratione nullum posse fructum bonum facere: Sed præter hæc infidelis habet bona natu-

34.

Locus Matth. cap. 7.

naturæ sibi à DEO data, per quæ potest bonum facere vel naturale, vel morale. Si autem hoc responsum lectori non placet, sicut videtur non placuisse Augustino libr. 4. contra Iulianum cap. 3. potest etiam hac ratione responderi, per fructus bonos intelligi oportere bonos simpliciter, id est, acceptos DEO, & dignos vita æterna: quales fructus nec infidelis, nec fidelis etiam, qui charitatem non habet, facere potest.

S. Augustinus.

Ad secundum illud: *Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Hic per oculum figuratè intelligitur intentio hominis respectu finis: Sed duplex est intentio, altera generalis, respectu totius vitæ, quæ pertinet ad vltimum finem, quem sibi quisq; designat, & constituit: altera est particularis in hoc, vel illo opere faciendo; quæ si praua fuerit, necesse est opus ex ea proueniens, licet per se malum non sit, malè tamen fieri. Si autem prior illa generalis intentio mala fuerit, erit quidem & homo ipse malus, & vita eius magna in parte mala; ea tamen non obstante, poterit iste homo particulare aliquod opus bona intentione particulari facere, vt dare eleemosynam pauperi ex commiseratione, & diligere, atque honorare parentes ex naturali quadam dilectione & reuerentia.

Locus Matth. cap. 6.

35. Ad tertium illud: *Coinquinatis & infidelibus nihil est mundum.* Apostolus eo loci sermonem habet de cibis: nam tempore Apostolorum erant quidam Iudaizantes, qui etiam in lege Euangelica nonnulla ciborum genera pro immundis atq; illicitis habenda Christianis esse arbitrabantur: hoc igitur Apostolus refellens; affirmat, omnia genera ciborum per se munda esse; præsertim verò Christianis, gratia CHRISTI mundatis, & sanctificatis. Illud porrò quod subdit: *Coinquinatis & infidelibus nihil est mundum.* Secundum B. Thomam, & Caietanum, accipiendum est, vt ipsi dicunt, formaliter, hoc est, ea ratione, vt illi sunt infideles & coinquinati. Verùm probabilior est interpretatio huius loci, quam tradit S. Augustinus libro 31. contra Faustum cap. 4. intelligit enim non agere ibi Paulum de eleemosyna, & aliis huiusmodi o-

Locus epist. ad Titum cap. 1.

S. Thomas.

Caietanus.

S. Augustinus.

di operibus, sed de cibis. illi etenim, quos diximus, Iudaizantes, & infideles erant, quia prauas habebant opiniones rectæ fidei contrarias; arbitrabantur enim, etiam tempore gratiæ Euangelicæ, seruanda esse Christianis ciborum discrimina ad consequendam salutem, non discernentes tempus gratiæ CHRISTI, à tempore legis Mosaicæ: & isti erant etiam coinquinati, quia vitam agebãt pluribus flagitiis inquinatam. Isti igitur siue ederent, siue non ederent eiusmodi cibos, semper malè agebant: Si enim non edebant, errore falsæ opinionis decipiebantur: sin autem edebant, contra conscientiam suam agentes, peccabant: & idcirco Apostolus adiunxit illud: *Sed inquinata est eorum mens & conscientia.*

36.

Sequebatur quartum illud testimonium: *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Verùm super hoc separatim ac propriè disserendum est in proximè sequenti disputatione. eius autem loco ac vice respondeamus ad illud Domini nostri Ioan. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Quibus verbis significatur, sine speciali CHRISTI auxilio, nihil boni, qualecumque illud sit, posse fieri. Sed enim ad hoc dupliciter responderi potest: Primò illud, *nihil*, ex more diuinæ Scripturæ significare id quod sit gratum & acceptum DEO ad vitam æternam: Sic enim accepit Apostolus 1. ad Corinthios 7. dicens: *Circumcisio nihil est: & præputium nihil est; sed obseruatio mandatorum DEI.* Et eiusdem epistolæ capite 13. *Si charitatem autem non habuero, nihil sum*, & paulò pòst, *nihil mihi prodest.* Vel dici potest, illud, *nihil*, posse generaliter accipi: nam sine concursu DEI generali, nullum bonum potest fieri nec naturale, nec morale: sine speciali autem eius auxilio nihil potest fieri, quod sit gratum DEO, & dignum vita æterna.

Locus Ioann. cap. 15.

SEPTIMA DISPVTATIO.

Respondetur ad testimonia sancti Augustini, & ad rationem Gregorij Ariminensis.

37. SEQVITVR vt ad B. Augustini auctoritates, quas nobis Gregorius opponit, breuiter respondeamus. Ac primò quidem verba illa B. Augustini ex tertio capite producta libri de spiritu, & littera: *Neque liberum arbitrium quicquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via.* Negari non potest, quin difficilem habeant intellectum, & in speciem, valde Gregorij fauere opinioni videantur: Verùm quia S. Augustinus aliis in locis manifestè concedit (vt paulò infrà ostendemus, & suprà ostendimus) posse hominem sine gratia DEI, facere non solùm peccata, sed etiam bona aliqua, quæ ad præsentem vitam pertinent; necesse est locum hunc Augustini ad bonum sensum, & intelligentiam reuocare atque interpretari. Videtur igitur Augustinus istis verbis tantùm significare voluisse, liberum hominis arbitrium per se ad nullum bonum DEO gratum, & acceptum agendum valere: Valere autem ex se ad peccandum; non quidem tantum, quasi non possit quicquam facere quod non sit peccatum; sed vt plurimum, quia si opera eius pensitentur, pleraque sunt peccata; paucissima verò sunt bona, vt vocant, moralia: vt propter multitudinem peccatorum, & paucitatem bonorum operum moralium, dicatur, secundum communem loquendi morem hominum, etiam in sacris litteris minimè inusitatum, nihil valere nisi ad peccandum. Vel quia mox subiungit Augustinus. *Si lateat veritatis via.* Declarauit his verbis, si liberum

tum arbitrium sit extra viam veritatis, vel diuinæ ac supernaturalis, vel naturalis atque moralis; nihil boni posse ipsum agere: quicquid enim ex falsa opinione & errore mentis homo facit, proculdubio malè facit.

38. *Duplex bonum hominis, secundum Augustinum.*

Ad cetera B. Augustini testimonia hoc modo respondendum est. Duplex hominis bonum distinguit Augustinus: alterum est bonum simpliciter, & coram DEO, pertinens ad pietatem, & ad gratiam iustificationis, & vitæ æternæ: & huiusmodi est bonum, quod Augustinus in supradictis locis, quæ citat Gregorius, negat sine DEI gratia fieri posse. Alterum est bonum hominis, vt vocant, secundum quid, & coram hominibus, & ad humanæ vitæ bonum vsum, & virtutum moralium officia pertinens: atque huiusmodi bonum nusquam negauit Augustinus, ab homine, sine speciali DEI auxilio posse fieri. Hanc boni distinctionem apertissimè nonnullis in locis agnoscit, & admittit Augustinus. Omitto ad præsens quæ in tertio libro Hypognosticon scripta sunt his verbis: Est igitur liberum arbitrium: quod quisquis esse negauerit, Catholicus non est: & quisquis sic esse dixerit, vt sine DEO bonum opus, quod ad eius sanctum propositum pertinet, incipere, ac perficere possit, Catholicus non est. Et in primo libro eiusdem operis scriptum est, humanam voluntatem per se inualidam esse ad incipiendum & perficiendum quodcunque bonum, pertinens ad DEVM, esse tamen per se idoneam ad faciendum mala, & bona quædam ad præsentem vitam pertinentia. In 4. libro contra Iulianum cap. 13. cùm Augustinus longa disputatione ostendisset, nullas esse veras in infidelibus virtutes, nulla eorum bona esse opera, ne quem falleret ambiguitas illius vocis, *bonum*, denique in extremo illo capite aperit quale ipse intelligat bonum ab infideli non posse fieri, hunc in modum scribens: Quoniam concedis opera infidelium, quæ tibi videntur bona, eos non ad vitam æternam, regnumque DEI perducere: Scito nos illud tantùm dicere bonum hominis, illam bonam voluntatem, illud opus bonum sine DEI gratia à nemine posse fieri, per

Augustini locus valde obseruandus.

quod solùm potest homo ad æternum DEI donum regnumque perduci. Omnia proinde cetera, quæ videntur hominibus laudabilia, videantur tibi virtutes veræ, videantur opera bona, & sine vllo facta peccato: quod ad me attinet, hoc scio, quia eá non facit voluntas bona; voluntas quippe infidelis, & impia, non est bona. dicantur secundum te huiusmodi voluntates arbores bonæ: sufficit mihi, quod apud DEVM steriles sunt, & per hoc, non bonæ.

39. Hæc in eo loco Augustinus: Ex quibus dilucescit, vbicumque Augustinus negauit, bonum vllum ab homine sine gratia DEI posse fieri, non eum de bono, vt vocant, naturæ & moris: Sed de bono gratiæ ac pietatis christianæ locutum esse. Hac autem ratione non modò opus, quod fit ab infideli, sed etiam quod ab fideli sine charitate fit, non censet bonum Augustinus. Sic enim in capite 18. libri de gratia, & libero arbitrio scribit: Præcepta charitatis, tanta, & talia sunt, vt quicquid se putauerit homo facere bene, si fiat sine charitate, nullo modo bene fiat.

Cur Augustinus dixerit virtutes infideliũ falsas esse virtutes.

Meritò autem negat Augustinus in infidelibus sine DEI gratia veras esse posse virtutes: veræ namque, ac perfectæ virtutes, nisi cum aliis omnibus virtutibus, præsertim verò cum prudentia connexæ, constare non possunt: sine DEI autem gratia nemo virtutes omnes habere potest: quippe qui si gratia DEI careat, necessum sit passim eum offendere, & in plurima labi peccata. His accedit, quod vera virtus est, quæ bonum facit hominem ea præditum: sine gratia verò DEI, nemo verè bonus & iustus est, vt qui plurimis sit peccatis inquinatus. Nec quia Augustinus virtutes infidelium falsas appellat, ideo putandum est sensisse eum, illas esse peccata: Sed ideo ita eas vocauit, quod adeò sint imperfectæ, vt si cum christianis virtutibus diuinitus homini iusto infusis comparentur, sint velut imagines tantùm & vmbræ virtutum: sicut licet aurichalcum sit falsum aurum, est tamen species quædam metalli per se bona.

Prosper

40.
Explicatur Prosperi sententia.

Prosper autem dixit, vitam, & opera infidelium esse peccata, per concomitantiam videlicet, quia multis semper admixta sunt peccatis; & quia vt plurimum, sunt peccata. Quin etiam cum aliqui sanctorum Patrum affirmant, extra gratiā DEI, vel extra fidem, nullas esse virtutes, non bonos mores, nec bona opera, id duabus ex causis verè dictum esse putandum est: tum quia bonum morale factum sine gratia DEI, cùm non sit bonum simpliciter, sed secundum quid, nec verè bonum, & iustum faciat hominem, non est ipsis visum esse bonum, nec boni appellatione dignum: tum quia paucissimi sunt infidelium; qui bona opera faciant: ac si, nonnulli eorum faciunt aliqua opera bona moralia, bona dico, non solum ex suo genere, sed etiam secundum omnes circumstantias, quæ requiruntur ad bonitatem operis moralis; ea sunt paucissima, respectu malorum operum & peccatorum quæ faciunt: vt non immeritò, secundum communem & vulgarem loquendi morem hominum dicatur, infidelium omnia opera esse peccata.

41.
Ratio Gregorij refellitur.

An ad bonitatem moralem humanorum operum requiratur actualis relatio eorum ad Deum.

Restat exoluenda ratio, qua Gregorius suam confirmat sententiam. Quicumque, inquit Gregorius, opus aliquod facit non ob debitum finem, is in faciendo eo opere vtique peccat: sed infidelis, quicquid agit, agit non ob debitum finem: debitus enim finis actionum hominis, est DEVS ad quem cuncta referri debent: verum autem DEVM infidelis non colit: ergo in omni sua actione atque opere peccat. Sed hæc ratio dupliciter vitiosa & fallax est: primò enim non est necessarium, vt quodcumque agit homo, id actu referat in DEVM, vt bonum moraliter esse queat id quod agit: sed satis est, vt illud sit per se bonum, & honestum, & quia tale est, propterea illud agat: hoc enim ipso quod actio vel opus per se bonum est, ordinatur in DEVM, auctorem, & finem omnium bonorum. Adiice, quod potest infidelis facere bonum aliquod opus propter DEVM, vt finem suum naturalem: per naturale enim lumen rationis, & per philosophiæ scientiam potest naturaliter cognosci, DEVM esse vltimum finem

hominis,& ab eo esse honorandum, & colendum,quod nos copiosè ostendimus suprà in quadam quæstione super illis verbis capitis primi: *Qui cùm DEVM cognouissent, nō sicut DEVM glorificauerunt, aut gratias egerunt.* Si quis autem contendat, vt morale opus sit bonum, oportere ipsum actu referri in DEVM, vt finem vltimum supernaturalem hominis; id profectò est adeò improbabile & absurdum, vt nostra non egeat confutatione. Quod autem diximus, ad bonitatem operis moralis non esse necessariam actualem eius relationē ad DEVM, vel ex hac similitudine manifestum esse potest. Sicut enim se habet principium indemonstrabile in doctrinis speculatiuis; ita se habet vltimus finis in rebus practicis: quemadmodum igitur qui scit conclusionem aliquam demonstratam per proxima eius principia, quamuis nesciat reducere eam vsque ad prima principia indemonstrabilia; censetur tamen habere eius conclusionis, si non perfectā, veram tamen scientiam: ita qui bonum aliquod opus facit, ob id quod sit honestum, & rationi consentaneum, licet actu non referat id ad vltimum finem, censeri debet tamen facere bonum opus morale, licet non simpliciter & absolutè, atque omninò bonum.

OCTAVA DISPVTATIO.

De germana interpretatione illorum Apostoli verborum.

Versu vlt.

Omne quod non est ex fide, peccatum est.

42.

SED Gregorianæ opinionis assertores, atque propugnatores, super omnia iactant, & vrgent aduersus nos illam Apostoli sententiam; *Omne quod*

quod non est ex fide, peccatum est: quia hinc videtur apertè concludi, omnia quæ agunt infideles, cùm ea non proficiscantur à vera fide, esse peccata. At enim ista B. Pauli sentētia varias admodū interpretationes habet, secundum quas nihil ea prorsus Gregorij opinionem adiuuat. B. Thomas in commentario huius loci duas attingit interpretationes: alteram, vt illud: *Quod non est ex fide*, dictum sit pro eo, quod est, contra fidem. Et sic dictum Apostoli proculdubio verissimum est, nec quicquam Gregorio fauet. Altera interpretatio est, vt ibi nomen fidei significet conscientiam, & sensus sit: Omne quod fit contra conscientiam, id peccatum est: quod & verum est; neque suffragatur Gregorio. Verba B. Thomæ sunt huiusmodi: Illud dictum Apostoli: *Omne quod non est ex fide, peccatum est*, sic debet intelligi: Omne quod est contra fidem, vel quod fit contra conscientiam, peccatum est, etiamsi ex genere suo peccatum non esse videatur. Exempli causa: Si Paganus ad honorem suorum Deorum virginitatem seruet, vel det eleemosynam, hoc ipso peccat: in talem enim hominem verè competit, quod dixit Apostolus ad Titum 1. *Coinquinatis, & infidelibus nihil est mundum, sed inquinata sunt eorum & mens, & conscientia.* Et in Secunda Secundæ quæstione 10. artic. 4. cùm sanctus Doctor conclusisset, non omnia opera esse peccata, respondens ad primam obiectionem, in contrarium sumptam, ex isto Apostoli dicto: *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* Super quibus verbis Glossa dicit, omnem infidelium vitam esse peccatum; ad istam, inquam, respondens obiectionem, ita scribit: Dicitur omnis vita infidelium esse peccatum, vel quia vita infidelium non potest esse sine peccato, cùm peccata sine fide nō tollantur: vel quia quicquid agunt infideles, ex infidelitate, peccatum est. Vnde ibidem subditur, quod omnis infideliter viuens, vel agens, vehementer peccat. Et ad secundam obiectionē sumptam ex illo dicto August. Bonum opus esse non potest sine recta intentione; intentionē autem dirigit, & rectā facit fides: bonū igitur opus esse nō potest sine fide:

Septem interpretationes.

S. Thomas 1. & 2.

Ad Titum 1.

Augustinus in Præfatione in Psalmum 1.

fide: ita respondet: Fides dirigit intentionem hominis respectu finis vltimi supernaturalis: sed lumen etiam naturalis rationis potest dirigere intentionem respectu alicuius boni connaturalis homini. Hæc B. Thomas.

43. *Tertia interpretatio.* Ad supradictam B. Thomæ interpretationem, alteram quandam Caietanus addit, quam esse putat probabiliorem, ait enim, Paulum Apostolũ, cùm ait, omne, quod non est ex fide, peccatũ esse, loqui non de quibuslibet operibus, verùm de iis tantùm, quæ ex fide debent fieri, hoc videlicet sensu: Omne opus debitum procedere ex fide, si ex fide non procedat, peccatũ est. Ponam hîc verba Caietani: *Caietanus.* Nõ caret, inquit Caietanus, quæstione hæc Pauli ratio, eo quod multa opera humana non ex fide fiunt, & tamen peccata non sunt. Cùm enim Gentiles reddunt deposita, aut debita creditoribus, aut similia alia opera bona ex suo genere exercent, non peccant; & tamen non ex fide operantur. Duplex est solutio huius quæstionis: altera, quod illud, *non ex fide*, potest sumi vel negatiuè, vel contrariè. Obiectio procedit sumendo illud negatiuè; Paulus verò intendit contrariè. Infirmi enim fide contra dictamen fidei suæ comedentes quæ illicita reputant, absque dubio peccant. Altera solutio est, sumendo illud, *ex fide*, negatiuè, in genere tamen operum, quæ debẽt ex fide procedere: ita vt sensus sit: Omne quod debet procedere ex fide, & ex ea non procedit, peccatum est. Et hic sensus est magis literalis; quoniam non trahit negationem in contrarietatem, & quadrat materiæ: vniuersus enim huius capitis sermo est de operibus natis ex fide procedere: libertas enim ab immundis, & discretio inter mundum, & immundum, ad fidem manifestè spectat. Quocirca quia huiusmodi manducare procedere debet ex fide, & non procedit ex fide, peccatum manifestè est: & simile est vniuersaliter de omnibus quæ debent ex fide procedere. Vnde patet, cessare obiectionem de operibus bonis secundum suum genus, quæ exercent Gentiles: nam illa ex recta ratione, suaptè natura procedunt, etiamsi fides non adsit. Hactenus fuerunt Caietani verba.

Alij

Alij, cùm dicitur omne non procedens ex fide, peccatum esse, putant, dictum esse peccatum per quendam excessum, & per comparationem, hoc nempe sensu: Qualecunque opus infidelis, licet videatur bonum & laudabile, comparatum tamen operi facto ex fide, quæ per dilectionem operatur, est quasi peccatum: quemadmodum iustitia nostra, respectu diuinæ iustitiæ, dicitur velut iniusta; & sapientia humana, comparatione sapiẽtiæ DEI, appellatur stultitia. Quidam illud: *Peccatum est*, interpretantur idem valere, atque non placens, neque acceptum DEO, nec quicquam apud ipsum valens. Aliqui dicunt, licet Paulus vniuersaliter pronuntiauerit, omne quod non est ex fide, peccatum esse, id tamen non esse vniuersaliter prorsus accipiendum; sed vt plurimum, & maxima in parte: pleraque enim opera infidelium peccata sunt; & paucissima sunt, quæ secundum omnes circumstantias sint bona. frequenter porrò in scriptura ponuntur generales quædam sententiæ, quæ non sunt generaliter intelligendæ, sed vt in pluribus: quod nos suprà copiosè ostendimus super tertium caput huius epistolæ.

44. *Quarta interpretatio.*

Quinta interpretatio.

Sexta.

Verùm enim verò germana, & cæteris probabilior horum Apostoli verborum interpretatio, ea videtur esse, quam in cõmentario huius loci tradunt Græci, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, & auctor cõmentariorum in hanc epistolam vulgò putatus, & dictus Ambros. Hic enim per fidem intelligit credulitatem & persuasionem, ꝙ aliquid sit licitum, aut illicitũ. Illi verò fidem interpretantur fiduciam conscientiæ, qua scilicet fiducia conscientia cõfidit esse licitum quod agit, vel dubitat an sit licitum: vt intellectus horum Pauli verborum sit huiusmodi: Non solùm si quis edat cibum aliquem, verumetiam quicquid omninò agat, non ex fide, id est, non ex credulitate, ac persuasione, quod sit licitum id agere, peccatum est illi: si enim non habet credulitatem & fiduciam conscientiæ de eo quod agit, quod licitum sit id agere, sed id agit aut reclamante ac repugnante conscientia, aut dubitante atque hæsitante, procul-

45. *Septima interpretatio, quam sequitur auctor.*

Chrysostomus. *Theodoretus.* *Theophylactus.* *Oecumenius.* *Ambrosius.*

dubio iste peccat; quia vel agit manifestè contra scientiam, faciens quod iudicat, non esse licitum fieri: vel exponit se peccati periculo, dum id audet agere, quod vehementer dubitat an licitum sit agere. Atque huiusmodi interpretatio valde congruit & consentit cum verbis illis Apostoli proximè antecedentibus: *Qui autem*, inquit, *discernit* inter cibum videlicet, & cibum, alium iudicans mundum, & licitum, alium verò immundum, atque illicitum, *Si manducauerit*, quod nempe putat illicitũ, *damnatus est*, peccat enim, & ideo damnabilis est, quia *non ex fide*, non enim secundum fidem & persuasionem quam habebat de illo cibo illicito, sed potius contra illam comedit eum. Et subiungens generalem huius causam & rationem ait: *Omne autem quod non est ex fide, peccatum est*. Apparet igitur hanc vltimam interpretationem admodum congruere & quadrare consilio & proposito Pauli in hoc loco, & aptissimè cum antecedentibus eius verbis cohærere. Ex quo satis liquet, hanc sententiam Apostoli valere quidem ad probandum, quicquid agitur reclamante vel valde dubitante conscientia, etiam erronea, esse peccatum: nihil tamen valere ad probandum, omnes actiones & opera infidelium esse peccata.

IN

IN CAPVT DECIMVM-QVINTVM DISPVTATIONES DVÆ.

CAPVT XV.

DEBEMVS autem nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere. *Vnuſquiſque veſtrum proximo ſuo placeat in bonum, ad ædificationem. *Etenim CHRISTVS non ſibi placuit, ſed ſicut ſcriptum eſt; Improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me. *Quæcumque autem ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinā ſcripta ſunt, vt per patientiam, & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. *DEVS autem patientiæ & ſolatij det vobis id ipſum ſapere in alterutrum, ſecundum IESVM CHRISTVM. *Vt vnanimes vno ore honorificetis DEVM, & PATREM Domini noſtri IESV CHRISTI. *Propter quod ſuſcipite inuicem, ſicut & CHRISTVS ſuſcepit vos in honorem DEI. *Dico enim CHRISTVM IESVM mi-

Verſu. 1. 2. 3. Pſal. 68 h. 10. 4. 5. 6. 7. 8.

niſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatē DEI, ad confirmandas promiſſiones Patrum:
9. ★Gentes autem ſuper miſericordia honorare
Pſal. 17 d. 50. *2. Reg. 12. d. 50.* DEVM. Sicut ſcriptum eſt: Propterea confitebor tibi in Gentibus Domine, & nomini tuo
10. cantabo. ★Et iterum dicit: Lætamini Gentes
11. cum plebe eius. ★Et iterum: Laudate omnes
Pſalm. 116. a. 1. Gentes Dominum, & magnificate eum omnes
12. populi. ★Et rurſus Iſaias ait: erit radix Ieſſe, &
Iſa. 11. c. 10. qui exurget regere Gentes, in eum Gentes ſperabunt.
13. ★DEVS autem ſpei repleat vos omni gaudio, & pace in credendo: vt abundetis in
14. ſpe, & virtute SPIRITVS ſancti. ★Certus ſum autē fratres mei & ego ipſe de vobis, quoniam & ipſi pleni eſtis dilectione, repleti omni
15. ſciētia, ita vt poſſitis alterutrum monere. ★Audacius autem ſcripſi vobis fratres ex parte, tanquam in memoriam vos reducens, per gratiam, quæ data eſt mihi à Deo,
16. ★vt ſim miniſter Chriſti IESV in Gentibus: ſanctificans Euangelium DEI, vt fiat oblatio Gentium accepta, &
17. ſanctificata in SPIRITV ſancto. ★Habeo igitur gloriā in CHRISTO IESV ad DEVM.
18. ★Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit CHRISTVS in obe-
19. dientiam Gentium, verbo & factis: ★in virtu-

te ſi-

te ſignorum, & prodigiorum, in virtute SPIRITVS ſancti: ita vt ab Hieruſalem per circuitum vſque ad Illyricum repleuerim Euangelium CHRISTI. * Sic autem prædicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus eſt CHRISTVS, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem: Sed ſicut ſcriptum eſt: * Quibus non eſt annuntiatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent. * Propter quod & impediebar plurimum venire ad vos, & prohibitus ſum vſque adhuc. * Nunc verò vlterius locum non habens in his regionibus, cupiditatem autem habens veniendi ad vos ex multis iam præcedentibus annis: * Cùm in Hiſpaniam proficiſci cœpero, ſpero quod præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, ſi vobis primùm ex parte fruitus fuero. * Nunc igitur proficiſcar in Hieruſalem, miniſtrare Sanctis. * Probauerunt enim Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes Sanctorum, qui ſunt in Hieruſalem. * Placuit enim eis, & debitores ſunt eorum. Nam ſi ſpiritualium eorum participes facti ſunt Gentiles: debent & in carnalibus miniſtrare illis. * Hoc igitur cùm conſummauero, & aſſignauero eis fructum hunc: per vos proficiſcar in

20. Iſaia 52. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28.

29. Hiſpaniam. * Scio autem quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Euangelij
30. CHRISTI veniam. * Obſecro ergo vos fratres per Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, & per charitatem ſancti SPIRITVS, vt adiuuetis me in orationibus veſtris
31. pro me ad DEVM. * Vt liberer ab infidelibus qui ſunt in Iudæa, & obſequij mei oblatio ac-
32. cepta fiat in Ieruſalem ſanctis, * vt veniam ad vos in gaudio per voluntatem DEI, & refrige-
33. rer vobiſcum. * DEVS autem pacis ſit cum omnibus vobis. Amen.

PRIMA DISPVTATIO

An beatus Paulus iuerit in Hiſpaniam.

SVPER ILLIS VERBIS:

Verſu 24. et 26. CVM in Hiſpaniam proficiſci cœpero, ſpero quod præteriens videam vos, vt à vobis deducar illuc. *Et paulò infrà*: Hoc igitur cum conſummauero, & aſſignauero eis fructum hunc, per vos proficiſcar in Hiſpaniam.

1. CERTVM eſt, Apoſtolum non eo tempore iuiſſe in Hiſpaniam, quo tempore volebat & conſtituerat illuc ire: volebat enim, & ſtatuerat, vbi veniſſet Hieroſolymam, & eleemoſynas quas ex Achaia,

Achaia, & Macedonia deferebat ad Christianos pauperes Hierosolymitanos, tradidisset eis, continuò ire Romam, & breui mora ibi facta, proficisci in Hispaniam: quod non ita euenit, vt animo ipse cupiebat, & designabat. Nam vbi venit Hierusalem, captus est à Iudæis, & per biennium in ea regione detentus in custodia, postea missus est Romam, vbi biennio mansit, & traditus custodiæ vnius militis, aliò discedere nequaquam potuit. Sed quinto Imperij Neronis anno vinculis solutus, liberam habuit potestatem eundi quocumque vellet: à quo tempore vsq; ad tempus martyrij eius nouem circiter anni præterierunt. Quæritur itaque, an hoc temporis spatio iuerit Apostolus in Hispaniam.

2. Duas super hac re grauium Auctorum inter se contrarias reperio sententias. Altera est, quam ego non solum esse probabiliorẽ arbitror, verùm etiam propemodum certam atque indubitatam censeo (in hoc enim plurimi & antiquissimi, & doctrina simul, & sanctitate præstantissimi Patres, ac Doctores Ecclesiæ consentiunt) Apostolum Paulum iuisse in Hispaniam. Et vt à B. Hieronymo initium sumam, videtur is quidem nonnullis in locis dubitanter ea de re loqui: nam in tertium caput epistolæ ad Ephesios super illis Apostoli verbis: *Propter quod peto ne deficiatis in tribulationibus, &c.* ait, B. Paulum voluisse ire in Hispaniam, vel certè illuc ire disposuisse. Et in libro aduersus Heluidium scribit, non ex eo quod Paulus voluit ire in Hispaniam, posse concludi eum iuisse illuc, cum variis de causis impediri potuerit, ne profectionem illam faceret. Auctor etiam commentariorum in hanc epistolam ad Romanos falsò præferens nomen beati Hieronymi, in explanando hunc locum Pauli, quem nunc tractamus, ait, incertum esse, vtrum Paulus iuerit in Hispaniam nec ne. Sed profectò tam apertè, & affirmatè aliis in locis hoc tradit S. Hieronymus, vt de eius sententia haudquaquam dubitari queat. Is enim in quintum caput Prophetiæ Amos ita scribit: Paulus Apostolus vocatus à Domino, effusus est super faciem vniuersæ terræ, vt prædicaret Euangelium

S. Hieronymus.

gelium

gelium à Hierusalem vsque ad Illyricum: & ædificauerit non super alterius fundamentum, vbi iam fuerat prædicatum, sed vsque ad Hispanias tenderet; & à mari Austro, immo ab Oceano vsque ad Oceanum curreret: imitans vtique Dominum DEVM suum, & solem iustitiæ, de quo legimus: *A summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius.* Et ante Paulum terra deficeret, quàm studium prædicandi Euangelium. Idem sanctus Doctor super vndecimum caput Isaiæ loquens de B. Paulo: In Hispaniam, inquit, portatus est nauibus.

Psal. 18.

2. His attexam verba aliorum patrum, quibus hoc ipsum confirmatur: Et vt omittam perantiquum scriptorem, & martyrem Hippolytum, qui in libello de septuaginta duobus Discipulis itionem Pauli in Hispaniam asseueranter tradidit; idipsum affirmat Athanasius ad Dracontium scribens: Studium fuit sancto viro (Paulo) vsque ad Illyricum Euangelium prædicare, & Romam ire, & in Hispanias ascendere, vt pro grauiori labore, maiore laboris frueretur mercede. Similia scribit Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus Catechesi 17. Ab Hierosolymis, inquit, vsque ad Illyricum disseminauit Euangelium: qui regiam vsque vrbem instituebat, & in Hispaniam vsq; promptitudinem prædicationis extendit. Epiphanius contra Hæresim vigesimam septimam disputans: Paulus, inquit, in Hispaniam profectus est. Chrysostomus in homilia septima de laudibus Pauli hæc habet: Postquam Romam ingressus est, ibi quoque quanta cum modestia annuntiat veritatem, quanta etiam cum libertate obstruit ora impiorum? verùm nec ibi stare contentus, etiam in Hispaniam percurrit. Et homilia 76. in Matthæum: Videas eum ab Hierosolymis ad Hispanias vsque currentem. nam cùm Romæ biennium exegisset vinculis, tandem dimissus est: deinde in Hispaniam profectus, inuisit illic Iudæos quoque. Theodoretus in caput vltimum secundę epistolæ ad Timotheum, sic ait: Quando Paulus appellatione vsus, Romam à Festo missus, defensione audita, fuit absolutus,

Hippolytus. Athanasius. Cyrillus Hierosolymitanus. Epiphanius. Chrysostomus. Theodoretus.

lutus, & in Hispaniam profectus est, & ad alias gentes excurrens doctrinæ lucem attulit. Idem in caput primum epistolæ ad Philippenses: Actuum, inquit, nos docet historia, quod biennio Apostolus mansit in suo conductu. Cùm autem liberatus, illinc profectus esset in Hispaniam, & illis etiam diuinum Euangelium tradidisset, reuersus est Romam, & tunc capite truncatus est. Idem super Psalmum 116. ait, Paulum & in Italiam, & in Hispaniam peruenisse, & insulis quoque in mari iacentibus vtilitatem attulisse. Hoc ipsum asserit Sophronius Episcopus Hierosolymitanus in sermone de natali Apostolorum, & S. Gregorius Papa lib. 31. Moralium capite 32. idem tradit his verbis: Ecce ipse, quem ad testimonium iam sæpè deduximus, Paulus, cùm nunc Iudæam, nunc Corinthum, nunc Ephesum, nunc Romam, nunc Hispanias peteret, vt in peccati morte iacentibus, æternæ vitæ gratiam nunçiaret, quid se aliud, quàm esse aquilam demonstrabat? Idem tradit Beda in suo Martyrologio, & super vltimum caput Lucæ de Actis Apostolicis, & Romanum Martyrologium, aliaque Martyrologia tam græca quàm latina, vbi agunt de Paulo Episcopo Narbonensi. Hoc ipsum affirmat Anselmus super hoc loco epistolæ ad Romanos ita scribens: Nec falsum loquitur Paulus, qui se in Hispaniam profecturũ pollicetur; profectus est enim, sicut Hieronymus & Beda, ceterique Doctores testantur: vnde & Narbonam præteriens, quendam discipulum suum nomine Paulum, fertur ibi reliquisse Episcopum. Peruenit igitur vsque ad Hispanias, & à mari rubro vsque ad Oceanum prædicando cucurrit, imitans solis cursum ab oriente vsque ad occasum: vt ante terra deficeret, quàm studium prædicandi. Quia ergo apud Hispanios pseudoapostolos præuenire festinabat, ideo dixit: *Cùm in Hispaniam proficisci cœpero, spero quod videam vos.* Sic Anselmus. Hoc denique sensit Thostatus, & scriptum reliquit in trigesimum tertium caput libri Genesis, super illis verbis: *Praecedat quaeso Dominus meus ante seruum suum, & ego sequar paulatim vestigia eius.* versu 14. vbi refellens dictum cuiusdam,

Act. vlt.

Sophronius.

S. Gregorius.

Beda.

Martyrologia.

Anselmus.

Thostatus.

iuſdam, qui dixerat B. Paulum non iuiſſe in Hiſpaniam: Ego, inquit, iſtud dictum puto falſum eſſe: nam licet id aſſerat Gratianus in decretis 22. quæſtio. 11. cap. Beatus Paulus: maiores tamen noſtri Chronographi, & Hiſtorici, oppoſitum tenent, quibus magis credendum eſt, quàm Gratiano. hoc enim tradit Iſidorus, & Lucas Tudenſis in Chronicis, & Ioannes Egidij Zamorenſis in libro de laudibus Hiſpaniæ. Hæc Thoſtatus, Oecumenius ait, Paulum in hoc loco ſæpius inculcare nomen Hiſpaniæ, vt oſtenderet vehementem amorem ſuum erga Hiſpanos.

5. Præter tot porrò, tantorumque virorum teſtimonia, idipſum grauis admodum, & probabilis ratio, ex ipſis ducta Pauli verbis, ſatis perſuadet. Si enim Apoſtolus, vt hoc in loco ſcribit, tam ardenter cupiebat viſere Hiſpaniam, vt nonniſi per tranſitum Romanos adire vellet, quò citius videlicet ad Hiſpaniam perueniret: quis dubitare poſſit, eum poſtquam primis illis Romanis vinculis ſolutus ac dimiſſus eſt, poteſtatem habens eundi quocumque vellet, non ſatisfeciſſe voto ſuo; & quod tantoperè cupiebat, & tam firmo propoſito conſtituerat, perfeciſſe? præſertim verò, cùm ab eo tempore libertatis ſuæ vſque ad martyrij ſui tempus ampliſſimum annorum circiter nouem ſpatium habuerit? Huius demum ſententiæ noſtræ adſtipulatorem, & probatorem habemus celeberrimum in hac ætate noſtra ſcriptorem Cardinalem Baronium, non ſolùm Cardinalatus dignitate, ſed etiam virtutis, & doctrinæ præſtanſtantia verè illuſtriſſimum. Atque hæc ad prioris ſententiæ, quam nos ſequimur, explicationem, atque confirmationem dicta ſint.

Card. Baronius in Martyrologio. 22. Martij, & 1. tom. Annal. anno Domini 61.

SECVN-

SECVNDA DISPVTATIO.

Explicatur altera ſententia ſuperiori contraria, & ſoluuntur argumenta, quibus ea nititur.

4. ALTERA eſt huic contraria, nonnullorum opinio, qui putant B.Paulum voluiſſe quidem ire in Hiſpaniam, ſed poſtea vel maioribus Chriſtianæ religionis negociis & occupationibus impeditum, vel DEI monitu prohibitum, itionem ad Hiſpaniam omiſiſſe. Hæc ſententia probabilior viſa eſt B. Thomæ qui ſuper hoc loco epiſtolæ ad Romanos ita ſcribit: Videtur Apoſtolus hoc loco falſum dixiſſe: nunquam enim in Hiſpaniam iuiſſe legitur: quippe in Hieruſalem captus fuit, & inde Romam in vinculis perlatus eſt, vt habetur Actorum vltimo, & ibi eſt occiſus ſimul cum Petro. Dicunt ergo quidam, Paulum eo biennio, quo Romæ manſit, traditus cuſtodiæ vnius militis, tunc iuiſſe eum in Hiſpaniam: Sed quia hoc certum non eſt, poteſt melius dici quod Apoſtolus falſum non dixit, quia tunc volebat, & ſtatuebat facturum ſe, quod dicebat. Verba itaque eius declarant voluntatem, & propoſitum, quod tunc habebat, non autem futurum euentum, qui incertus erat ipſi. Et ſic etiam ſe excuſat apud Corinthios de eo quod non iuerat ad ipſos, ſicut promiſerat. Sic enim ſcribit: *Cùm ergo volui, nunquid leuitate vſus ſum? aut quæ cogito ſecundum carnem cogito, vt ſit apud me eſt, & non?* Quibus verbis oſtendit, ſe, quia iuſta ex cauſa prætermiſerat ire ad Corinthios, immunem eſſe à leuitate, & falſitate. Atque hoc etiam ſenſit, & tradidit Gelaſius Papa, & habetur in decretis 22. quæſt. 11. his verbis: B.Paulus non ideo

S.Thomas.

2.Corinth.1.

Gelaſius Papa.

fefelliſſe credendus eſt, aut ſibi contrarius extitiſſe, quod cùm ad Hiſpaniam iturum ſe promiſiſſet, diſpoſitione diuina maioribus occupatus cauſis, implere non potuit, quod promiſit. Quantum enim ipſius voluntatis interfuit, hoc pronuntiauit, quod reuera voluiſſet efficere; quantum verò ad diuini decreta conſilij, quæ vt homo non potuit, licet SPIRITV DEI plenus, agnoſcere, ſuperna prætermiſit diſpoſitione præuentus. Licet enim Propheticum Spiritum habuerit, Prophetis tamen non omnia releuantur, vt patet ex 4. ca. libri 4. Regum, vbi Eliſeus dixit: *Anima eius in amaritudine eſt, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi.* Hæc beatus Thomas.

5. Videtur porrò S. Thomas præcipuè auctoritate Gelaſij in eam adductus eſſe ſententiam. Nos autem auctoritati grauiſſimæ beati Thomæ, plurimorum tamen & maximorum Patrum, & Doctorum Eccleſiæ contrà ſentientium, quos ſuprà commemorauimus, auctoritates opponimus

Reſpondetur ad Dictum Gelaſij Papa.

Ad Gelaſij verò Papæ auctoritatem dupliciter reſpondere poſſumus. Primum enim non videtur voluiſſe Gelaſius illis verbis affirmare, nunquam B. Paulum iuiſſe in Hiſpaniam: Sed illud tantùm, non iuiſſe tunc cum voluit, & ſtatuit ire, atque iturum ſe ſcripſit hoc loco ad Romanos. Non enim Gelaſius propriè, nec ex profeſſo ſuſcepit eo loco tractandum, vtrum Paulus iuiſſet in Hiſpaniam, nec ne: Sed hoc attulit tanquam exemplum, & argumentum ad probandum id, quod propriè tractare, & docere volebat, non mentiri videlicet, nec fallere eum, qui promittit ſe aliquid facturum, cum animum tunc habeat id faciendi; etiam ſi poſtea neceſſariis, vel iuſtis de cauſis impeditus atque prohibitus id non faciat. Et ad hoc confirmandum, affert exemplum Pauli, qui non iuit in Hiſpaniam, ſicut ipſe prædixerat; nec tamen propterea mentitus eſt, aut fefellit Romanos. Ex quo liquet, ad probandum quod intendebat Gelaſius

lasius, satis esse, si Paulus non eo tempore iuit in Hispaniam, quo tempore iturum se prędixerat, etiamsi transacto eo tempore postea iuerit. Deinde respondemus, illud Gelasij dictum non esse decretum pontificium, pertinens ad generalem fidei, & religionis Christianæ disciplinam; sed esse iudicium & sententiam eius, tanquam doctoris cuiusdam particularis: qua ratione auctoritati eius tot tantorumque Patrum, & Doctorum Ecclesiæ, qui contrà sentiunt, auctoritates, possunt opponi.

6. *Sotus.* Dominicus Sotus, homo licet Hispanus, quod sententiam tamen supradictam beati Thomæ probabiliorem duceret, ingenuè dixit, videri sibi propius vero, Paulum non iuisse in Hispaniam: in commentariis enim suis in hanc epistolam ad Romanos, explanans verba hæc Apostoli, in quorum tractatu, explicatuque nostra hæc versatur disputatio, sic ait: Sunt qui aiunt, in illo biennio, quo, vt dicitur Actorum vltimo, permissus est Paulus, permanere sibimet cum custodiente se milite, in Hispaniam commigrasse; quod est improbabile, si enim custodiebatur à milite, quomodo permissus fuisset tam longè abscedere ab vrbe; præsertim verò quod illic dicitur mansisse eum biennio toto in suo conductu: & suscipiebat, inquit Lucas, omnes, qui ingrediebantur ad ipsum, prædicans regnum DEI. Vnde constat, toto illo biennio fuisse eum Romæ detentum in custodia: in fine autem illius biennij fuit martyrio coronatus cum Petro. Accedit huc, quod si vsque ad Hispaniam iuisset, Lucas ipse, qui tam curiosè omnia eius acta persecutus est in historia sua, hanc tam insignem Pauli functionem non prætermisisset. Atque etiamsi Lucas hoc tacuisset, non defuissent alij scriptores, qui rem tam memorabilem memoriæ tradidissent, sicut de aduentu Iacobi Apostoli in Hispaniam tradiderunt. Dicendum igitur est, Paulum proposuisse in Hispaniam ire; sed DEVM aliter

ter disposuisse: & talis etiam est responsio, & sententia Gelasij Papæ. Hæc Sotus.

7. *Refellitur Sotus.*

Ex supradictis igitur verbis Soti tres rationes elicere possumus, quibus probare is voluit Paulum non iuisse in Hispaniam. Prima ratio: Paulus non iuit in Hispaniam priusquam iret Romam: nam & hoc ipse dixit in hoc loco, & vt ex historia Lucæ manifestum est: post scriptionem enim huius epistolæ venit Hierosolymam, & ibi captus est, & inde missus est Romam, vbi biennio mansit in custodia. Nec iuit in Hispaniam spatio illius biennij: quia toto illo biennio fuit Romæ in custodia vnius militis. Nec eo iuit post illud biennium: quippe cùm in fine illius biennij martyrio coronatus sit: ergo nunquam iuit in Hispaniam. sic ratiocinatur Sotus. Verùm Sotus in ratione temporum lapsus est: sumit enim quasi certum, in fine illius biennij; qui fuit quartus annus imperij Neronis, occisum esse Paulum, cùm tamen secundum omnes historias Ecclesiasticas, certum & manifestum sit, Paulum post biennium illud, & quartum Neronis annum nouem circiter annos vixisse; & sub finem Imperij Neronis, quod in annos quatuordecim non integros extensum est, martyrio esse coronatum: & isto temporis spatio B. Paulum dicimus esse in Hispaniam profectum.

8. Altera Soti ratio est hæc: Non tacuisset Lucas profectionem Pauli in Hispaniam, vt rem valde memorabilem, cùm alias res Pauli minus insignes diligenter in sua historia persecutus sit. Verùm hæc ratio ex eâdem, qua superior ratio, temporum ignoratione procedit. Lucas enim historiam de actis Apostolicis pertexuit tantùm vsque ad illud biennium Pauli Romæ commorantis: eorum verò, quæ vltra id temporis à Paulo, per nouem annos vsque ad tempus martyrij eius, gesta sunt, nihil memoriæ & litteris commendauit. Tertia eiusdem ratio, qua negat hoc esse à scriptoribus tradi-

traditum, satis indicat, Sotum in lectione sanctorũ Patrum, & veterum auctorum, qui hac de re scripserunt, non admodum esse versatum: Suprà enim quamplurimos, & grauissimos Patres, & antiquos scriptores commemorauimus, qui Pauli ad Hispaniam profectionem, apertis, atque adeò etiam conceptis verbis confirmarunt. Miror autem eum dixisse, aduentum Iacobi Apostoli in Hispaniam fuisse quidem traditum, & scriptis proditum ab antiquis, non autem profectionem Pauli ad Hispaniam: cùm planè contrà res sese habeat; de aduentu enim Iacobi in Hispaniam, vix vllus antiquorum quidquam prodidit: itionem verò Pauli in Hispaniam, plurimi & antiquitatis, & doctrinæ ac sanctitatis laude præstantes, memoriæ tradiderunt. Itaque, quantum ad Auctores attinet, multò certior atque indubitabilior est Pauli, quàm Iacobi ad Hispanias profectio: quãquam ego optimis rationibus persuasus, de Iacobi aduentu in Hispaniam nihil dubito.

9. *Obiectio ex verbis Innocẽtij Papæ.*

Illud denique posset obiici, quod summus Pontifex Innocentius scripsit ad Decentium: ait enim, neminem Apostolorum, excepto Petro, Hispanias, & alias occidentales orbis prouincias docuisse: hæc sunt enim eius verba: Legant, si in istis prouinciis alius vllus Apostolorum inuenitur aut legitur docuisse: quod si nusquam inuenitur, oportet eos id sequi, quod Romana Ecclesia custodit, à qua eos principium accepisse, non dubium est; ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere. Sic Innocentius. Verùm ad hanc Innocentij auctoritatem tribus modis responderi potest. Primum responsum sit: Innocentium nomine, Petri, simul etiam intelligi voluisse Paulum: cùm enim ait, Petrum docuisse Hispaniã, & alias regiones occidentales, non tã significat, Petrũ adiisse istas regiones, & præsentẽ ibi prædicasse, & docuisse eas: quã intelligit, eas prouicinas doctrinã fidei & religionis Christianę accepisse ab Ecclesia Rom. quam Petrus docuit, & erudiuit, & fundauit; atq; hoc modo

Solutio superioris obiectionis.

modo etiam prouincias illas Occidentales docuit. Hac aūt ratione, Paulus dici poteſt docuiſſe illas regiones. Eccleſia enim Romana doctrinam fidei & religionis Chriſtianæ, quam in alias prouincias diffudit, ſicut à Petro, ita à Paulo accepit. Paulus etenim tum copioſiſſimis, & doctiſſimis ſcriptis, tum præſens, multi temporis prædicatione, Romanos docuit: vnde Patres dicere ſolent, Eccleſiam Romanam & ſanguine, & prædicatione Apoſtolorum Petri & Pauli, eſſe fundatam atque illuſtratam.

10. Alterum reſponſum ſit huiuſmodi: Cùm Innocentius ait, præter Petrum, alios Apoſtolos non docuiſſe Hiſpanos, illud (non docuiſſe) duobus modis poteſt accipi: vel, vt ſignificetur, neminem aliorum Apoſtolorum, nec ipſum Paulum adiiſſe Hiſpaniam, & ibi prædicaſſe, & hoc nos de aliis Apoſtolis non abnuimus; de Paulo negamus: quemadmodum ſuprà oſtenſum eſt. Vel illud (docuiſſe) ſignificat non ſolùm illic fuiſſe, & aliquo modo prædicaſſe, ſed etiam aliquas eius regionis prouincias, & populos ad fidem CHRISTI conuertiſſe; atque inibi Eccleſias fundaſſe, & fidei ac religionis Chriſtianæ præceptis atque inſtitutis inſtruxiſſe, ac ſtabiliſſe, & Epiſcopos, atque alios Eccleſiaſticos miniſtros in eis conſtituiſſe. Et hac quidem ratione, ſi illud (docuiſſe) accipiatur, non equidem inficias ibo, Paulum non docuiſſe Hiſpanos; non enim ea, quæ diximus, in ea regione præſtitit, paruo tempore videlicet ibi commoratus. Huius porrò tam breuis in ea regione manſionis eius, duplex cauſa coniectari poteſt: vel quod Apoſtolus maioribus, magiſque neceſſariis aliarum Eccleſiarum negociis, & emolumentis reuocatus inde fuerit: vel quod non talem, qualem ipſe putauerat, & ſperabat, meſſem illic tunc reperiens, nec tempus ibi, nec operam ſuam infructuosè conſumendam eſſe iudicauerit. Tertium reſponſum eſſe idem poteſt, quod ſuprà dedimus ad Gelaſij auctoritatem: dictum iſtud Innocentij non

tij non esse decretum pontificium ad fidei dogma aliquod constituendum pertinens; sed esse sententiam quasi doctoris particularis, super eo quod ad historiam Ecclesiasticam spectat: nam & ipse prouocat ad lectionem historiæ Ecclesiasticæ, & antiquitatis. Nos autem suprà ostendimus, secundum sententiam, & doctrinam plurimorum scriptorum Ecclesiasticorum, B. Paulum profectum esse ad Hispaniam, & ibi prædicasse Euangelium.

11. *An Paulus vt liberatus est primis vinculis, statim profectus sit ad Hispaniam.*

Vnus etiamnum hoc loco nodus restat exoluendus. Quæritur, an B. Paulus, vt solutus & liberatus est primis illis Romanis vinculis, statim ex ipsa vrbe profectus sit ad Hispaniam: an verò prius alias regiones adierit, Hispaniensi profectione in aliud tempus dilata: ratio enim dubitandi hac de re nequaquam leuis est. Ex epistolis enim, quas ipse scripsit, dum erat Romæ in vinculis, enotescere videtur, ipsum post solutionem vinculorum non in Hispaniam, sed prius in alias regiones iuisse. Scribens enim ad Philippenses ex vinculis suis: *Confido,* inquit, *in Domino, quoniam & ipse veniam ad vos citò.* Et ad Philemonem ita scribit: *Para mihi hospitium, nam spero per orationes vestras donari me vobis.* Et solutus iam vinculis, cùm in Italia versaretur, hæc scripsit ad Hebræos: *Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum: cum quo, si celerius venerit, videbo vos.* Ex his apparet, Apostolum post solutionem vinculorum suorum, prius ad alias regiones, quàm in Hispaniam iuisse.

Ad Hebr. vlt.

12. Ex aduerso autem tria sunt, quæ contrarium suadent: primò, quod ipse antea deliberatam voluntatem, firmumque propositum habuit, cùm venisset Romam, inde statim ire in Hispaniam: nec vlla ratio videtur, cur istam sententiam, & consilium postea mutauerit. Deinde, ex ipsa vrbe multò breuius illi, expeditiusque futurum erat iter in Hispaniam, quàm vel ex Græcia, vel ex Asia, vel ex Iudæa. Adiice, quod supradicti Patres & Doctores, qui scriptum reliquerunt,

ipſum profectum eſſe ad Hiſpaniam, ſimul etiam non obſcurè ſignificant, ex ipſa vrbe Roma illuc eſſe profectum. Sed vtrumlibet euenerit, nihil officit ſupradictæ ſententiæ noſtræ: Satis enim nobis eſt, Paulum iuiſſe in Hiſpaniam ſiue ſtatim poſt prima ſua vincula, ſiue aliquanto poſt.

Finis ſecundi Tomi ſelectarum diſputationum BENEDICTI PERERII*: quem ipſe miſit* INGOLSTADIVM *typis excudendum, anno ætatis ſuæ ſexageſimo ſeptimo, ab ortu Domini milleſimo ſexcenteſimo tertio.*

Laus DEO, & DEI genetrici ſemper Virgini MARIÆ.

IN-

INDEX OMNIVM DISPVTATIONVM, QVÆ TRACTANTVR IN HOC SECVNDO TOMO PER SINGVLA CAPITA EPISTOLÆ D. PAVLI ad Romanos digestus:

NOTAE verò numerorum huic INDICI adiecta, indicant numeros marginales, ad Disputationes singulorum capitum Epistolæ appositos.

PRÆFATIO.

Prolegomena, duabus copiosis explicata disputationibus.

PRIMA Disputatio. De B. Paulo scriptore huius epistolæ, quis, & qualis, quantusque vir fuerit.

IN CAPVT PRIMVM EPIST. AD ROMAN.

Disputationes vna & viginti.

Secun-

IN CAPVT SECVNDVM EPISTI AD ROM.

Disputationes decem & septem.

DIGRESSIO DE LEGE NATVRALI,

Continens sex Disputationes.

IN CAPVT TERTIVM EPIST. AD ROM.

Disputationes vna & viginti.

autem sine lege iustitia Dei manifestata est, &c.

Vndecima. Super illis verbis: *Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes, &c.*

Duodecima. Super illis verbis: *omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei.*

Decima tertia. Super illis verbis: *Iustificati gratis per gratiam ipsius.*

Decima quarta. Super illis verbis: *Per redemptionem quæ est in Christo Iesu.*

Decima quinta. Cur B. Paulus dixerit, Christum esse propitiatorem propter remissionem præcedentium delictorum; & non potius dixit, propter remissionem omnium delictorum.

Decima sexta. Super illis verbis: *Arbitramur enim iustificari hominem per fidem sine operibus legis.*

Decima septima. An B. Paulus dicens, hominem iustificari sine operibus, excluserit etiam opera præparatoria hominis ad iustificationem, & speciali auxilio Dei facta.

Decima octaua. An fides, per quam iustificari hominem dixit hoc loco B. Paulus, sit fides informis, expersqúe charitatis: an verò sit fides viua, & per charitatem formata.

Decima nona. In hæreticos nostri temporis, malè interpretantes ac definientes eam fidem, per quam dixit Apostolus iustificari hominem.

Vigesima. An in verbis illis Pauli, *Arbitramur iustificari hominem per fidem*, illud, *iustificari*, significet fieri iustum intrinsecè, per iustitiam à Deo productam in homine, atque in ipso inhærentem, &c.

Vigesima prima. Super illis verbis: *Legem ergò destruimus per fidem? Absit, &c.*

IN CAPVT QVARTVM EPIST. AD ROM.

Disputationes decem.

PRIMA disputatio. Quem ad finem Apostolus afferat hoc loco, & tam accuratè tractet exemplum Abrahæ, & an in eo sententia eius pugnet cum beati Iacobi sententia.

Secunda. An exemplum iustificationis Abrahæ, quo B. Paulus hoc in loco argumentatur, iustificari hominem per fidem, non autē ex operibus, ad id probandum, sit accommodatum & validum.

Tertia. In hæreticos huius temporis, &c.

Quarta. Super illis verbis: *Et signum accepit* (Abraham) *circumcisionis, signaculum iustitiæ fidei, &c.*

Quinta. An in circumcisione Iudaica daretur peccatorum remissio, & gratia hominem verè iustificans. Exponitur sententia veterum, id negantium.

Sexta. Explicatur altera sententia, eorum, qui arbitrantur, in circumcisione Iudaica datam esse remissionem peccati originalis, & gratiam iustificationis.

Septima. Super illis verbis: *Qui viuificat mortuos, et vocat ea quæ nō sunt, etc.*

Octaua. Super illis verbis: *Nec considerauit corpus suum emortuum, &c.*

Nona. Super illis verbis: *Et infirmatus non est in fide: &c.*

Decima. Super illis verbis: *Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.*

IN

IN CAPVT QVINTVM EPIST. AD ROM.

Disputationes decem & octo.

IN CAPVT SEXTVM EPIST. AD ROM.

Disputationes vndecim.

IN CAPVT SEPTIMVM EPIST. AD ROM.

Diſputationes duæ & viginti.

IN CAPVT OCTAVVM EPIST. AD ROM.

Disputationes viginti octo.

cum

cum sententia B. Augustini conciliare voluerint.

Vigesima quinta. An interpretatio huius loci Apostolici, quam tradit Ambrosius Catharinus, & sententia eius de prædestinatione, sit probabilis, & cum sacrarũ litterarum doctrina cõsentiens.

Vigesima sexta. An qui prędestinatus est à Deo ad vitam æternam, possit aliquando excidere Dei gratia, & in mortali peccato esse.

Vigesima septima. Etiam eos, qui nõ sunt prędestinati, & sunt pręsciti, ad ęternam damnationem, posse nihilominus tamen aliquando esse sine peccato mortali, & habere veram iustitiam & gratiam Dei.

Vigesima octaua. An qui prædestinati sunt, planè cognitum & certum habere possint, citra specialem Dei reuelationem, se prædestinatos esse à Deo ad vitam æternam.

IN CAPVT NONVM EPIST. AD ROM.

Disputationes tredecim.

PRIMA disputatio. Super illis verbis: *Optabam enim ego anathema esse à Christo pro fratribus meis, etc.*

Secunda. Super eorundem Apostoli verborũ interpretatione, quã tradunt Græci expositores.

Tertia. Super tribus aliis eorũdem Apostoli verborum interpretationibus.

Quarta. Super illis verbis similem sententiam, eandemq́ habentibus quæstionẽ, & difficultatem, quæ dixit Moses Deo: Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.

Quinta. Super illis verbis Apostoli: *Sicut scriptum est* (Malachiæ 1.) *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.*

Sexta. An quod hoc loco dicitur, Deum habuisse odio Esau, pugnet cum eo, quod alibi scriptũ est, Deum diligere omnia quæ sunt, & nihil odisse eorum quæ fecit.

Septima. Super illis verbis: *Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas est apud Deum? Absit, &c.*

Octaua. Super illis verbis: *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.*

Nona. Super illis verbis: *Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum te excitaui, &c.*

Decima. Super illis verbis: *Ergo cuius vult, miseretur, & quem vult indurat.*

Vndecima. Caluini falsa & impia illorum Apostoli verborum: *Cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat*, Interpretatio confutatur.

Duodecima. Explicatur sententia B. Augustini de prima causa prędestinationis & reprobationis hominum.

Decima tertia. Quomodo supradicta B. Augustini sententia de causa prædestinationis & reprobationis hominum, fuerit olim à multis oppugnata, & de eius propugnatione & defensione.

IN CAPVT DECIMVM EPIST. AD ROM.

Disputationes quatuor.

PRIMA disputatio. Super illis verbis: *Finis enim Christus ad iustitiam omni credenti, &c.*

Secunda. De triplici Iustitia, cuius meminit Paulus in hoc loco, &c.

IN CAP. VNDECIMVM EPIST. AD ROM

Disputationes quatuor.

IN CAP. DVODECIMVM EPIST. AD ROM.

Disputationes quinque.

IN CAP. DECIMVM TERTIVM AD ROM.

Disputationes duæ.

IN CAP. DECIMVM QVARTVM EPIST. AD ROM.

Disputationes octo.

IN CAP. DECIMVM QVINTVM EPIST. AD ROM.

Disputationes duæ.

IN

INDEX
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVI IN HOC SECVNDO TOMO SELECTARVM DISPVTATIONVM IN EPIstolam ad Romanos, vel explicantur, vel illustrantur.

Prior numerus caput epistolæ ad Romanos, alter numerum in margine adnotatum significat.

Prouerbiorum.

Ecclesiastæ.

Canticorum.

Sapientiæ.

9. Cor-

30. Pro-

30. Propter multitudinem iniquitatis tuæ, dura facta sunt peccata tua. c.9.n.59

31. Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israël, & domui Iuda fœdus nouum, &c. c.3.n.48. & c.8.n.8

Ezechielis.

3. Si conuersus iustus à iustitia sua fecerit iniquitatem, ponã offendiculum coram eo. c.1.n.114

8. Fili hominis, fode parietem. Et cùm fodissem parietem, apparuit ostium vnum, & dixit ad me: Ingredere, &c. c.1.n.95

18. & 33. In quacunque die iniquus conuersus fuerit, omnes iniquitates eius obliuiscar. c.2.n.12

36. Dabo vobis cor nouum, & spiritum meum ponam in medio vestri: & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, &c. c.2.n.24 & c. 8. n. 8.

36. Et recordabimini viarum vestrarum pessimarum, & studiorum non bonorum: & displicebunt vobis iniquitates vestræ, & scelera vestra, &c. c.6.n.36

Danielis.

12. Et multi de his qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt: alij in vitam æternam; alij in opprobrium, vt videant semper. c.5. n.65

Oseæ.

8. Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui eos. c.13.n.5

Michææ.

2. Vtinam essem vir non habens spiritum, & mendacium potius loquerer. c.9.n.10

2. Machabæorum.

6. Non enim ætati nostræ dignum est fingere; vt multi adolescentes, arbitrantes Eleazarum, nonaginta añorum, transisse advitam alienigenarum, & ipsi propter meã simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, &c. c.1. n.92

EX NOVO TESTAMENTO.

Matthæi 3.

POENITENTIAM agite. & Quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? c.1.n.52

3. Facite fructum dignum pœnitentiæ. c.8.n.48

5. Audistis, quia dictũ est Antiquis: Non occides. Qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, &c. c.7.n.60

5. Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. c.8.n.49

6. Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent, &c. c.3.n.53

6. Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuũ tenebrosum erit. c.14.n.34

7. Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. c.2.n.68

7. Mala arbor non potest fructus bonos facere. c.14.n.34

8. Quid venisti ante tempus perdere nos? c.1.n.93

9. Confide fili, remittũtur tibi pec-

8. Abra-

Actuum Apost.

Ad Romanos.

1. ad Corinth.

2. ad Corinthios.

Ad Galatas.

Ad Ephesios.

Ad Philippenses.

Ad Colossenses.

abſconditum fuit à ſæculis, & à generationibus, nunc autem manifeſtum eſt ſanctis eius. c.3. n.50

1. Primogenitus omnis creaturæ. c.8.n.104

2. Circumciſi eſtis circumciſione non manufacta, in expoliationem corporis carnis, ſed circũciſione Chriſti,&c. c.4.n.25

4. Cum lecta fuerit apud vos Epiſtola hæc, facite vt & in Laodicenſium Eccleſia legatur; & ea quæ Laodicenſium eſt,vobis legatur. proleg. n.49

1. Ad Timotheum

1. Fidelis ſermo,& omni acceptione dignus, quia Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere:quorum primus ego ſum,&c. c.2.n.18

1. Iuſto non eſt lex poſita. c.7.n.30

4. Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur: ſanctificatur enim per verbum Dei & orationem. c.14.n.5

2. Timoth.

4. Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum. Eraſtus remanſit Corinthi Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. proleg. n.42

4. Ego enim iam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat. Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. proleg. n.55.

Ad Titum.

1. Coinquinatis & infidelibus nihil eſt mundum. c.14.n.35

3. Non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit, &c. c.8.n.12

Ad Hebræos.

4. Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. c.3.n.100

7. Tranſlato enim ſacerdotio, neceſſe eſt, vt & legis tranſlatio fiat,&c. c.3.n.109

8. Dicendo autem nouum, veterauit prius. Quod autem antiquatur, & ſeneſcit, prope interitum eſt. c.3.n.109

10. Nolite amittere confidentiam veſtram,quæ magnam habet remunerationem,&c. c.1.n.43

11. Sine fide impoſsibile eſt placere Deo;&c. c.1.n.87

11. Reſpiciebat in remunerationem. c.2.n.32

11. Fide & ipſa Sara ſterilis, virtutem in conceptione ſeminis accepit, etiam præter tempus ætatis. c.4.n.40

Iacobi.

1. Si quis indiget ſapientia, poſtulet à Deo:poſtulet autem in fide, nihil hæſitans,&c. c.1.n.49

1. Probatio fidei veſtræ patientiam operatur. c.5.n.5

1. Vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus:deinde concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum:peccatum verò cum conſummatum fuerit,generat mortem.c.7. n.46

INDEX

INDEX
ALPHABETICVS RERVM
PRÆCIPVARVM, QVÆ IN HOC
SECVNDO SELECTARVM DISPVTA-
tionum in epistolam ad Romanos to-
mo continentur.

Prior numerus, capita Epistolæ; posterior numerum in margine adnotatum demonstrabit. Quod si aliquando vnum tantum numerum inueneris, posteriorem intellige marginalem, eius capitis, quod proximè notatum antecessit.

A.

Abstinentia.

Apostoli.

B.

Bonitas.

Bonum.

Cibus.

Circumcisio.

Cognitio Dei.

Concupiscentia.

Conscientia.

G.

Gemitus.

Gloria.

Gratia.

 rem

H.

Habitus.

Hostia.

I.

Ignorantia.

Impœnitentia.

Induratio.

Infidelis.

Cur

L.

Lex.

Quid

Lex naturalis.

Lex vetus.

Liberum Arbitrium.

M.

Malum.

Meritum.

An

Mors.

Mortui.

N.

Natura.

O.

Opera.

Oratio.

Erratum typographicum.

Circa finem epistola dedicatoria, versu antepenultimo, pro fatuor, lege fautor.

1-6-1